
Valera

Logica de Aristoteles



John Carter Brown
Library
Brown University

COMMENTARII
AC QVAESTIONES
IN VNIVERSAM ARISTOTELIS AC SVBTILISSIMI DOCTORIS IHOANNIS DVNS SCOTI LOGICAM.

TOTVM HOC OPVS IN DVAS PARTES DISTRIBVTVM offertur: prima continet breue quoddam Logicæ Compendium quod vulgo ſolet Summa ſeu Summulæ Dialecticæ nuncupari Quæſtiones prolegomenales, prædicabilia Porphirij, & Ariſtotelis Antepraædicamenta, Prædicamenta & poſt Prædicamenta.

SECVNDA PARS LIBROS PERIHERMENIARVM SEV de interpretatione, libros priorum, Poſteriorum, Topicorum & Elenchorum comprehendit.

AVCTORE R. P. F. HIERONIMO VALERA PERVANO ORDINIS MInorum Regularis obſeruantiæ, Prouinciæ duodecim Apoſtolorum, Sacræ Theologiæ Lectore iubilato & in Celeberrimo Limenſi Conuentu S. Franciſci Guardiano



CVM PRIVILEGIO.

Limæ Apud Franciſcum à Canto. Anno. M. DC. X.

APPROBACIONES

POR commiſsion de nueſtro muy Reuerendo Padre fray Iuan Venido Commiſſario General de todas las Prouincias, y Cuſtodias del Piru, vi las Summulas y Logica compueſta por el muy docto Padre fray Hieronymo Valera Lector de Theologia jubilado, y Guardian deſte Conuento de ſant Franciſco de Lima, y eſtan muy docta, y ſubtilmente tratadas todas las difficultades de la dicha Logica, y Sumulas, y aſsi ſeran de mucha vtilidad para todas las Eſcuelas, y en particular para los eſtudios de nueſtra Orden, por ſer eſta obra la primera que ſale a luz en ella in via Scoti. Por lo qual me parece ſe deue imprimir, para que venga a manos de todos por el bien que reſultara a los que le leyeren. Dada en eſte Conuento de ſant Franciſco de Lima en treze de Março de 1608.

Fray Diego
de Pineda.

POR commiſsion de nueſtro muy Reuerendo Padre Commiſſario General fray Iuan Venido, he leydo y viſto eſtos Commentarios, ſobre la Logica de Ariſtoteles con vna breue Yſagoge, que llaman Summulas los quales compuſo el muy docto Padre fray Hieronymo de Valera Lector jubilado deſta Prouincia de los doze Apoſtoles del Piru, y Guardian deſte Conuento de ſant Franciſco de Lima, y demas de contener doctrina ſana, y conforme a lo que enſeña nueſtra ſancta Madre ygleſia Romana, los juzgo por vtiliſsimos para todo genero de eſtudiantes, y por neceſſarios para la intelligencia del Doctor ſubtil Scoto, en cuya via con marauilloſa erudicion, y ſubtileza de ingenio declara el Auctor muchas y difficiles queſtiones. En teſtimonio de lo qual, lo firme de mi nombre en eſte Conuento de ſant Franciſco de Lima en diez y ſiete de Março de 1608.

Fr. Benedictus de
Huertas Diffini.

LOGICAM, quam Pater Frater Hieronymus à Valera Lector jubilatus ſapientiſsimus, & huius Conuentus ſancti Patris Noſtri Frāciſci de Lima Guardianus meritiſsimus, his temporibus in lucem edere decreuit. Ego Frater Antonius de Aguilar huius Almæ Duodecim Appoſtolorum Prouinciæ alumnus, & Sacræ Theologiæ Lector Primarius, de iuſſu Reuerendi Admodum Patris Noſtri Ioannis à Venido, Commiſſarij Generalis digniſsimi ſuper omnes prouincias iſtius Regni Peruani atetione qua potui a capite ad finem vſque per legi, & illam non ſolum fidei conſonam. Sed etiam vtiliſsimam ad omnes veritates indagandas inueni, precipue illis qui doctrinam Scoticam profitentur, qua propter dignam vt typis mandetur iudico. In cuius teſtimonium examinationis approbationiſque manus propriæ ſubſcriptionem adiunxi. Limæ vigeſsima ſexta die quarta Abrilis. Anno Dominæ incarnationis. 1608.

Fr. Antonius de Aguilar
Lector Sacræ Theol.

FACVLTAS COMMISSARII GENERALIS.

FRATER Ioannes Venido ſuper omnes Prouincias ac Cuſtodias Fratrum Minorum regularis obſeruantiæ Seraphici Patris Noſtri Franciſci ac Monialium ſanctæ Claræ in hoc Peruano Orbe inſtitutas a Noſtro Reuerendiſsimo Patre Fratre Franciſco de Soſa totius noſtri Ordinis Miniſtro Generali, Commiſſarius Generalis deputatus Patri Fratri Hieronymo de Valera Lectori Theologiæ iubilato, & in noſtro celeberrimo Conuentu ſancti Franciſci de Lima Ciuitatis Regum Guardiano ſalutem. Iſtius noſtræ Prouintiæ decori communique noſtrorum ſcholaſticorum vtilitati proſpiciens, vt ſubtiliſsimi noſtri Doctoris Scoti doctrina à primis fundamentis ab eiſdem percipi poſsit, tuam eruditam doctrina, ſmanctum deſiderium ac religionem expertus decreui, vt commentarij quos in hoc prædicto Conuentu Limenſi ſumma cum omniũ approbatione tuis diſcipulis é ſuggeſto dictaueras, iterum recogniti in lucem typis excuſsi prodirent, cui voluntati vt obedientiæ filius annuens Commentarios in Logicam accurata lucubratione caſtigatos, & à tribus Patribus noſtri Ordinis ex noſtra commiſsione aprobatos exhibuiſti, vt pro noſtra voluntate prælo committeremus. Quod ita faciendum iubeo præſentium tenore, & noſtri officij authoritate facultatem impendo, & vt tibi magis proſsit ſancta obedientia meritum iniungo. Vale.

Fr. Ioannes Venido
Cõmiſſarius Geñ.

APPROBATIO DE MANDATO REGII SENATVS.

DE mandato Regij Senatus legi & attenta qua potui mentis indagine perſcrutatus fui, quæ religione & eruditione non cum infimis comparandus Reuerendus Pater Frater Hieronymus de Valera in Conuentu Limenſi Guardianus, & ſacræ Theologiæ Lector Primatius, & in ea jubilatus, ſuper Ariſtotelis Logicam, & in quinque voces Porphyrij ſcripſit; & inueni ea non ſolum à recto fidei orthodoxæ tramite nec latum vnguem diſcedere, ſanctorum patrum veſtigijs inſiſtere, & cum pietate Chriſtiana non eſſe dyſymbola, verum etiam docta, ſubtilia, & accuratiſsimè diſſerta, quæ palam Scoticam ſubtilitatem per callere volentibus viam oſtendunt vnicè. Et non dubito quin ad aſſertiones Thomiſticas intelligendas magnam vtilitatem adducant. Indicant enim authorem in dicendo promptum, in diſſerendo ſubtilem, in refutando efficacem, in re ſoluendo grauem, & in omnibus facilè principem, magiſtrum inſignem, Doctorem deniq; ſapientiſsimum. Quare & eſſe vtilia, neceſſaria & digniſsima, vt typis mandentur iudico. Limæ vigeſsima tertia die Aprilis. Anno. 1608.

Magiſter Didacus Ramirez.

EL REY.

EL REY.

DON Phelippe por la gracia de Dios Rey de Caſtilla,de
Leon de Aragon delas dos Sicilias , de Hieruſalem , de
Nauarra,de Granada,de Toledo,de Valencia,de Gali-
cia,de Mallorcas,de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua,
de Corzega,de Murcia,de Iaen, delos Algarues de Alje
zira, de Gibraltar , delas Iſlas de Canaria , delas Indias
Orientales,y Occidentales Iſlas, y Tierrafirme del Mar
Occeano, Archiduque de Auſtria,Duque de Borgoña,de Brabante y Milan;
Conde de Anſpurg,de Flandes,de Tirol,y Barçelona,Señor de Vizcaya y de
Molina &c. Por quanto Fray Hieronymo Valera Lector jubilado de Theu
lugia,Predicador y Guardian del Conuento de ſant Franciſco de la Ciudad
de los Reyes de mis Reynos y prouincias del Piru,me hizo relacion,que con
ordẽ de ſus Prelados auia cõpueſto,y eſcrito vn Curſo de Artes,Sũmulas,Lo-
gica,y Filoſophia,y q̃ al preſente tenia las dichas Sũmulas y Logica, para im-
primir,y licencia delos dichos Prelados para poder hazer como conſtaua
dela que preſentaua, y me ſuplico fueſſe ſeruido de darle licencia para po-
der hazer la dicha impreſsion,dando facultad a Franciſco del Canto impreſ
ſor de libros,para hazerlo,en que la reciuiria. Y viſto por el Preſidente y
Oydores dela Audiencia y Chancilleria Real,que por mi mandado reſide en
la dicha Ciudad delos Reyes delos dichos mis Reynos,y Prouincias del Piru,
a cuyo cargo eſta el Gouierno dellos por vacante de Virrey,juntamente cõ
las dichas licencias,que de ſuſo ſe ha hecho mencion , y la aprobacion, que
por ſu orden y mandado hizo el Maeſtro Diego Ramirez Cathedratico de
Artes enla Vniuerſidad dela dicha Ciudad , y atento que por ella conſta la
vtilidad que ſe ſigue de que ſe haga la dicha impreſion. Fue acordado, que
deuia de mandar dar eſta mi Carta y Prouiſion Real enla dicha razon , e yo
tuuelo por bien,por la qual hago merced al dicho Fray Hieronymo de Va-
lera Guardian del dicho Conuento de ſant Franciſco de concederle , como
por la preſente le concedo licencia y priuilegio , para que por tiempo de
diez años,que corran y ſe quenten deſde el dia dela data en adelante, el o el
dicho Franciſco del Canto impreſſor puedan imprimir las dichas Sumulas y
Logica ſin que ninguna otra perſona de qualquier calidad que ſea lo pueda
hazer ſin ſu licencia y facultad,ſopena que el que lo imprimiere o bendiere
ſin ella pierda la dicha impreſsion,moldes y aparejos della, e incurra en pe-
na de quinientos peſſos de oro,aplicados la tercia parte para el denuncia-
dor,y la otra tercia para el juez que lo ſentenciare,y lo reſtante para mi Ca-
mara. Y mando a qualeſquier mis juezes , y juſticias delos dichos mis Rey-
nos,que guarden y cumplan,y hagan guardar y cumplir eſta mi carta y pre-
uilegio

uilegio, y contra ſu tenor y forma no vayan ni paſſen, ni conſientan yr ni paſſar en manera alguna ſopena dela mi merced; y de otros quinientos peſſos para la dicha mi Camara y fiſco; y es declaracion, que deſpues de hecha la dicha impreſsion ſe ha de lleuar al dicho Gouierno con el original que va rubricado del ſecretario infraeſcripto: para que ſe corrija y taſſe lo que ſe ha de lleuar por cada pliego. Dada enlos Reyes a veynte y ſeys dias del mes de Abril de mil y ſeyſcientos y ocho años.

El Licenciado Boan.	El Doctor Iuan Fernandez de Recalde.	El Doctor Iuan Ximenez de Montaluo.
Licenciado don Ioan de Billela.	Doctor Arias de Vgarte.	El Licenciado Iuan Paez de Laguna.

Yo don Alonſo Fernandez de Cordoua Secretario de Camara y mayor dela Gouernacion eneſtos Reynos y Prouincias del Piru por el Rey nueſtro Señor, la fize eſcriuir por ſu mandado con acuerdo del ſu Preſidente y Oydores.

Don Alonſo Fernandez de Cordoua.

Regiſtrada.	Chanciller.
Diego Gonzalez Caſaprima.	*Diego Gonzalez Caſaprima.*

Eſta taſſado a real cada pliego deſte libro en papel.

PRAECLARISSIMO AC

SAPIENTISSIMO D. DOCTORI ARIAS DE VGARTE

huius celeberrimi ſenatus Limenſis ſenatori integerrimo, Regioquè Conſiliario Excellentiſsimique Proregis Marquionis de Montes Claros Acceſſori digniſsimo. Fr. Hieronimus de Valera.

(.?.)

CVM ea ſit communis omnium fortuna (Præſtantiſsimè Conſul) vt nullum opus tam ſingulare tam excellens, tam omnibus numeris abſolutum haſtenus in lucem prodierit quod impenſe ad excitium & deformitatem inuidorum prauitas non conuertat, quæ Euripi inſtar in modum venti nunc húc nunc illúc verſo mari ſeſe deuoluens, leuiſsimis de cauſis aliorum vigilias, lucubrationes & labores ignominia notare, bonis omnibus extenuare, pœnituſque annullare contendit: ita vt in tam præcipiti detrahentium luxu, nihil laude dignum valeat conſiſtere. Quapropter quotquot haſtenus ad ſcribendum aliquid animum adiecerunt, non minus inſtrenuo tutore perquirendo, quo ſeſe ab hac effrenata rabie poſsint explicari & ex ſolui, quàm in ipſius operis ratione & delectu ſtrenuam ſolicitudinem, omnemquè ſuam curam adhibuerunt. Quod ſæpe mecum præmeditatus, quò primum mihi in animum induxi, & (vt verum fatear) non tam proprium iudicium, quàm maiorum meorum iuſſum, diſcipulorumque diuturnum perſuaſum inſequutus hanc operam in lucem proferre decreui. Statim (Præclariſsimè Conſul) omnes meas cogitationes in te vno confixi: cum enim ita ſimus innoſtrates ab ipſa natura propenſi, vt eos, natiua quadam vi impellente, maiori proſequamur affectu, in noſtriſq; omnibus ageſtatibus, ac indigentijs ad eos, tamquam ad tutiſsimum portum, è naufragio nos recipiamus. Nec alicui mirum, nec tibi ægrè ferendum arbitror; quòd in his anguſtijs conſtitutus, in te perfugium omne meum locauerim, meorumq; laborum fetus, ſicut primos, ita tenues, cōmiſſerim tuæ tutelæ & patrocinio: cum preſertim nihil in te ſingulari patrono dignum queat deſiderari. Si enim tuæ nobilitatis ſplendorem á tuis parentibus iure hæreditario adeptum perpendamus, magnum eſſe comperimus; auus enim tuus Ferdinandus Perez de Vgarte præclari generis vir, & bellandi dexteritate, & animi magnitudine præ excellens inter primos iſtius noui orbis debellatores primum obtinuit locum, in Prouinciaq; illa, quæ Nouum Regnum Granatenſe dicitur, fidem Chriſtianam inter barbaras, incultáſq; nationes proprio ſanguine ſtabilinit. Cuius veſtigia luculenter emulatus pater tuus Ferdinandus Arias vir ſanè ſpectatiſsimæ probationis in erigendis vrbibus, eiſq; in Regiam ditionem ſubiugandis, adminiſtrandiſq; varijs honorificis offitijs, rebúſq; publicis gubernandis mirum immodum eminuit. Si vero tuæ claritatis gloriā ex proprijs virtutibus ortam (quæ vera nobilitas eſt) inſpiciamus, ex tua fœliciſsima patria, quæ vrbi ſanctæ fidei in eodem Nouo Regno nuncupatur, à teneris annis ad florentiſsima Salmanticæ gymnatia delatus, optimis Artibus, ac diſciplinis, iuris præcipuè Canonici, ac Ciuilis prima tuæ ætatis initia conſecraſti, iactiſq; litterarum fundamentis, atq; virtutum, quæ in te ab incunabulis floruerunt, meritiſsimè ſtudiorum tuorum palmā, atq; lauream adeptus; varia, atq; honorifica munera, vt grauium cauſarum iudicis, quæſitoris criminum, præfecti vrbium, rerumq; publicarum moderatoris, commiſsionumq; quàm plurium tuæ fuerunt induſtriæ, atq; prudentiæ credita. Quæ omnia tanta cùm laude, & omnium approbatione expleuiſti, vt potentiſsimus Rex noſter Philippus Secundus, in exercitu ad ſedandam illam obortam ſeditionem, quà tota Aragonia æſtuabat, magnamq; pernitiem minabatur in dicto; te Auditorem generalem inſtituerit, immò deficiente duce generali, exercitui præfuiſti, quam ſpem de tuis præclaris virtutibus conceptā per optatus comprobauit euentus. Quia perduelibus capite obtruncatis, elatiſq; ceruicibus confractis, ſontes omnes ex tua ſententiā, & iuditio meritas ſuæ petulātiæ pœnas ſubierunt, ſicq; peſtē illā in dies magis, ac magis ingruentem extinxiſti. Quod egregium facinus, & omni memoria dignum tibi ad ſummos honores ampliſsimum aditum patefecit, atq; adeo Regij ſenatoris dignitate in Panamanenſi ſenatu decoratus es. In quo munere obeundo tantum æquitatis, prudentiæq; tuæ ſpecimen exhibuiſti, vt breui temporis ſpacio omnium tibi beneuolentiam conciliaueris: nec tantum in rebus, pacis, ſed etiam bellicis gerendis, & armorum præſidio tuam animi præſtantiam, & magnitudinem oſtendiſti, tyrānorum impetus comprimendo, vt in te omnes Mineruam armatam agnoſcerent, ac mirarentur. In de autem ad Argentinum ſenatum in hoc Regno Peruano ſitum, vbi res grauiores, ſerioraq; verſantur negotia, promotus, ſummo cum omnium applauſu exceptus neruos omnes in ea re contendiſti, vt in legum ſanctitate obſeruanda, religioniſq; Chriſtianæ incolumitate tuenda offitij tui rationem vigilanter expedires.

Cum autem ſenatus in ditiſsimam illam Potoſy vrbem apud exteras nationes propter fodinas argenti, quibus totum orbem locupletat, ſatis per vulgatam, aliquem ſpectatæ fidei virum mittere, maximè conducens iudicaret, qui prædictæ vrbis regimine fungens, regia vectigalia, quæ inde maxima deportantur, accuratè prouideret, cauſiſque omnium, & maxime indorum, pietatis zelo accurreret, compelleretque ſuam cuique laborum mercedem præbere (Quod enim de lupinis fidibus memorant, ſi cum ouinis in vna cheli intendãtur, eas arrodere, & occulta quadam naturæ vi conſumere, id in cõmerſijs Hyſpanorum cum Indis quotidie euenire intuemur) perditoſque, & flagitioſos, qui cædibus rapinis, fraudibus, vſuris Rempub. illam perturbabant, coerceret; tu ad id ſtudioſè præſtandum, acclamantibus omnibus, ellectus es: nec illos tua vnquam fefellit opinio, cum in prædictis exequendis non modo expleueris, ſed etiam ſuperaueris tui ſpectationem: Unam enim iuſtitiam præ oculis habens præpoſitam præturam ſtudioſè geſſiſti, reſque omnes a te inchoatas ad ſpectatum exitum perduxiſti. Illud meritò admirationem omnium animis maiorem incuſſit, quòd Prouintiam illam, quæ vulgo Sancta Cruz dela Sierra dicitur, aſperam nimis, ac montuoſam, & pœne mortalibus inuiam ingreſſus, multis perfunctus laboribus, incolas illius moribus ferinis, ac pœne in humanos, bellicoſos, & indomitos quibus humana caro eſca eſt ſuauiſsima, in mutuam gratiam, & beneuolentiam traduxiſti, vt omnes tibi hanc deferant gloriam, quod vbi nullus Hiſpanorum hucuſque peruenit, fœliciter pedes fixeris. Sed ex mea ſententia illam tibi potius ad ſcribendam iudico, quòd omnem tuam ſedulitatem, & induſtriam indorum ſaluti deuoueris conſulendæ. Poſtea ad celeberrimum Senatum Limenſem, nũquã pro ſuorum conſulũ grauitate ſumma authoritate virtutum ſplendore, iuſtitia, & æquitate ſatis laudatum, prouectus es: vbi omnes te iudicem integrum, & incorruptum laudibus prædicant, & ego quidem quoties acri animo tuam in omnibus modeſtiam, iuſtitiæ, & æquitatis obſeruantiam conſidero, effigiem illam apud Thebanos adeo celebratam in integri, incorruptique iudicis ſymbolum abſq; manibus ad munera, auerſiſque oculis ad hominum luxum depictam mihi videor intueri. Sed quando aliquid otij nactum fuiſſe arbitrabaris, de argenti viui mineralibus, in oppido, quod Guancauelica vocatur, ſitis .l. deſerendis. .l. opportunè componendis, cum maxima eſſet inter ſcientiæ, & conſcientiæ viros controuerſia, ſuppeterentq; multa, & grauia in vtramque partem argumenta, hinc enim miſerorum Indorum (quorum terram incolimus, quorum diuitijs fruimur) in tam aperto vitæ diſcrimine cum ipſa morte colluctantium clamores, ac diuturnæ querellæ cœlorum intima penetrabant, magiſque, ac magis conualeſcebant, eo quòd fodinarum ingreſſus, quadã eſſet vorago, quæ Auerni inſtar ſemel intra ſua viſcera receptos fere nullos viuos, inumeroſque certiſsimæ morti deſtinatos remitteret; inde vero Regiæ Gazæ prouentus, qui ex argenti viui beneficio magna percipiunt incrementa: ex illius vero defectu in magnam penuriam deuenturi, non minus negotium faceſcebant, ad hunc nodum diſſoluendum, litemque inextricabilem dirimendam in te vno, vt in altero Ædipo, omnes oculos fixerunt, cui rei difficultatis, operæ, & laboris habenti plurimum, vt verus, fideliſq; diuinæ, ac humanæ maieſtatis miniſter libenti animo acquieſcens, cum magno ſalutis tuæ diſpendio, vitæq; diſcrimine, viam ſuſcepiſti ſatis in commodam, difficilem, lubricam, plenamq; periculis propter in acceſſas rupes, per quas ſemper reptandum eſt, aeris in temperiem non modicã, pluuias frequentes, fulmina crebra, niuium, frigoriſque rigorem, vbi omnes æquiſsimo tuæ penſo libratis remedium opportunius, quod in tanta rei difficultate reperiri poterat, adhibuiſti, voraginem illam, miſerandum viuorum ſepulchrum, occludendo, nouũq; aditum, ac faciliorem, humanioremq; ſternendo, tum indorũ ſaluti ac vitæ, tum Regiæ facultati proſpexiſti. Ea demum tibi decoris acceſsio facta eſt, quòd tuis fœliciſſimis rebus Sacerdotalem cõiunxeris dignitatem, & ita ſacris ſacerdotij miniſterijs ac functionibus exequendis totum te integrum præbes, vt nulla alia ſolicitudine propediri videaris. Cum tamen innumera ſint ac ſeria negotia, tuæ curæ commiſſa, quibus non parum grauaris. Hæc enim omnia expertus excellentiſsimus totius Peruani orbis Prorex te in ſuum acceſſorem ac conſiliarum maxima omnium gratulatione delegit, vt tua adiutus prudentiæ, conſilio, & integritate in rebus omnibus ac cauſis quæ quotidie accidunt grauiſsimæ excutiendis, expendendiſque tutò poſſet regiminis clauum tenere. Quod & ſi ſolum ad parandam tibi famam ſempiternam ſatis eſſe poſſet, omnia tamen ſimul te ad ſummam gloriam vocare, ad ampliſsimos honores deducere quis non videt? Et quis eſt ex his, quos terra hæc Peruana genuit, qui, non te tãquã ſingularem partum illius non veneretur, non ſuſpiciat? Tu ſaltim mihi gaudium, & corona eris. Quæ cum ita ſint, talem Patronum (ſi non grauaueris) elligere, honori, & commodo forê, vt certum mihi perſuadeo. Et eo, maxime quod tua in noſtram Franciſcanam Religionem ſumma ſit pietas, ea quidẽ à tuis maioribus accepta: pater enim tuus (quod tacitus trenſilire nequeo) tanto in eam amore flagrauit, vt per quadraginta annos in Nouo Regno noſtri ordinis ſyndicatus munus ſumma cum ſolicitudine, ac animi deuotione obierit, cumque non tam Summi Pontificis œconomum (hoc enim honore noſtri ordinis Syndici fruuntur) quam humaniſsimum Fratrum Minorum patrẽ omnes fuerint experti. Suſcipe ergo (Conſul Præſtantiſsime) non veluti peregrinum, ſed vt proprium exiguum hunc ſpicarum manipulum ex tenui area mea collectum vt primitias meſsis meæ. Suſcipe hos primos litterarum fructus, quos in ſui gratitudinis ſignum tibi hoc Peruanum germen offert, vt tuo calore maturati, & ab inuidiorum calumnia tua tutella muniti, exitus obtineant fœlices, alioſq; noſtræ huius Patriæ filios ingenio quidem florentes, ſed in tenebrarum ſcrinijs deliteſcentes, ad ſimiles, imo ad maiores prouentus ita accendes, vt de Peruanis gymnatijs aliquid in poſterum poſſit ſperari, meque ui amantiſsimum tanti Patroni clypeo a zoilis, ac naſutis protectum ad grauiora opera concitabis. Vale.

Fr. Hieronymus
Valera.

AD LECTOREM

PRÆFACIO.

FOrſam ſciſcitaberis (Lector optimè) cur in hac feraciſſi
ma præclariſsimorum ingeniorum ætate tam multipli
ci rerum cognitione referta, in qua innumerabiles phy
loſophandi Magiſtri quotidie prodeunt peritiſsimi, &
qui de propoſita materia grauiter ac ſubtiliter diſputát
non pauci, ita vt nihil iam amplius deſiderari poſſe vi-
deatur, meæ in opiæ ac inſcitiæ periculum fecerim: nec
importunas Critocorú voces in meas aures numquid à Nazareth aut à Piru
aliquid boni? ſuſurrantes formidauerim. Tametſi tibi reſpondere poſſem,
quòd potens eſt Deus de Peruanis lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Præter
miſsis tamen nonnullis cauſis quæ meum animum inter aduerſos fluctus ac
reluctantes vndas periclitantem, reique iam iam difficultati ſuccubentem
excitarunt. Ingentem præclariſsimi noſtri Doctoris ſubtiliſsimi Scoti amo-
rem me inter has anguſtias conſtituiſſe ſcias. Ex quo enim primum ab inſig-
ni Martiniano Collegio in hac regia vrbe Limenſi ſub grauiſsimorum pa-
trum ſocietatis Ieſu (quibus vt meis in litterarum ſtudijs progenitoribus
immortales gratias ago) tutella conſtituto, miris virtutibus exculto, om-
niumque ſcientiarum genere locupletato (quod merito poſsis omnium re-
ligionum in hoc Peruano orbe degentium ſeminarium appellare) in quo te
neram meam ætatem in litterarum ſtudijs addiſcendis cõſumpſi, ad ſacram
ſeraphici Patris noſtri Franciſci religionem diuinis auſpicijs tranſlatus, ſum
mis vt aiunt labijs Scoticam doctrinam deguſtare cepi, nihil magis in votis
habui, quàm vt eam toto animi conatu compararem. Cumque in dies quo
magis doctoris in rebus omnibus diſſerendis nodiſque Herculeis diſſolué
dis ſubtilitatem, in dialecticæ ſalebris ac Meandris patefaciendis ingenium
acutiſsimum, ac prope diuinum, in rimandis totius Phyloſophiæ arcanis
ſummam profunditatem, in reconditis ſacræ theologiæ myſterijs aperien-
dis ſingulare intelligentiæ donum, maximamque in quacumque re erudi-
tionis ſuppellectilem experirer, ita meus animus ingenti quodam cepit in-
flammari deſiderio, vt aliquantulum in ea inſtructus aliquod interni affec-
tus ſymbolum exhiberem. Nullum ei gratius obſequium præſtari poſſe
ſum arbitratus, quàm ſi imprimis ſuæ doctrinæ fundamentis dilucidandis
pro mea tenui facultate in ſudarem, ac dilucidata noſtris ſcholaſticis offer-
rem. Tanti enim emolumenti eſſe communi omnium experimẽto compro
batur primæua cuiuſque doctrinæ fundamenta tenere, vt diuina ſapientia
Prouerb. 22. clamet. adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cum ſenuerit, non re-
cedet ab ea. Ob id enim nonnulli ſcoticas opiniones vt ineptas reſpuunt,
figmenta eſſe ac ſomnia voci ferantur, ac libera quadam dicendi audacia

ab ſcholis

ab ſcholis procul eſſe relegandas affirmant (in quos poſſet dicterium illud iactari, ſus Mineruam, nõ enim Scotus is eſt qui lippis ſit oculis per legẽd9) quia illius fundamenta nec alimine ſalutaruntialioquim enim probabiliſsimas eſſe faterentur, ac vnum quemque in ſuo ſenſu abundare. Vnde plerique ſunt iam tam ex antiquis quàm ex recentioribus eiſque non infimæ notæ qui ſubtilis Scoti opinionum hac tempeſtate patrocinium ſuſcipiunt, & multos ex aliena ſchola vis ipſa veritatis ad noſtram trãsfugas effecit, illud præclarè ac ſapienter dictum animo figentes; bonum eſſe à veritatevinci. Et nulla ferme ſunt iam gymnaſia quæ Scotum non redoleant. Acceſsit etiam communis diſcipulorum vox, ac amicorum perſuaſio, quæ non parum ardẽtes mihi faces adiecerũt, vt ea ſcripta quæ in libros Ariſtotelis de Logica Phyloſophia, & Metaphyſica in hoc inſigni ſeraphici Patris noſtri Franciſci cænobio meis fratribus ac diſcipulis è ſuggeſto per vulgaueram, non vno aſpectu ſed poſt ſex decim annos in Philoſophia ac ſacra theologia edocẽda expenſos accuratiori indagine recognita ac politius limata typis mandarem, quò facilius poſſent ab eiſdem præmanibus haberi, ipſique ab ingenti, & quotidiano in gymnaſijs manu conſcribendi vindicati labore (qui fere totũ tempus religioſis ſatis carum ac per neceſſarium conterit, & conſumit) opportunius fructuoſiuſque religioſis functionibus ac litterarum exercitijs vacatent. Feci quod potui, quòd ſi nihil ad huc feciſſe tibi videbor, humanitatis memor ſyncero animo cauſam meam age, omnia boni conſulens. Quòd ſi in exorabilis rerum æſtimator effectus mea errata corrigere ac ſcripta coarguere contendas, memineris quæſo facile eſſe auctorem abſentem ſtimulare Et quãtumuis ſcientia, & doctrina polleas ac ingenio præcellas te hominé eſſe cuius mẽs lubrica eſt, errori ac falſitati ſubiecta, labuntur enim vt Quintilianus ait, & oneri cedunt aliquando, & nõnum quam fatigantur ſapientes ac eruditi. Ne ergo illorum crimen execrandum incurras, qui conuitijs alios à benefaciendo deterrent, & niſi quod ipſi fecerint nihil rectum putãt. Scatet erratis editio hæc, quia typographorum in his partibus inopia maxima eſt, & qui occurrunt parum ſunt verſati, & ad errandum procliuiores. Dabimus tamen operam vt peritioribus iterum commiſſum, & à mendis vindicatum hoc opus noſtrum tibi iterum offeratur. Vale.

(:§.)

Primo ponitur numerus Paginæ. Secundò Columnæ, ſi fuerit prima hac littera A. Si ſecunda, littera B. Tertio numerus lineæ. Quartò errata, deinde correcta.

In Compendio Logicæ.

Pag.	*col.*	*lin.*	*errata.*	*correcta.*
6	A	25	ex	eſt
		46	cum ſubiectum	cum ſubiecto
Ibidem			explicatum	explicatam
		49	ſignificatiuum	ſignificatum
	B	22	ratioeem	rationem
		36	viſſus	vſus
11	A	13	duplicitur	dupliciter
		49	Quæ	Qui
14	B	29	diſiunctiuus es	eſt
20	A	7	res	rei
23	A	40	vniuerſalis	vniuerſales
25	A	34	poſt ponas	poſt ponás
		49	præponatur *Adde*	& poſt ponatur
34	A	25	nee minor	nec maior

In Logica Primo Tomo.

Pag.	*col.*	*lin.*	*errata.*	*correcta.*
5	A	53	Indgiet	Indiget
12	A	44	dirigiles	dirigibiles
16	B	41	ſanctatis	ſanitatis
17	A	5	conueniunt	conuenit
19	A	28	exercitum	exercitium
23	A	46	habent eſſe	habent ſe
24	A	8	directionum	directionem
25	B	51	impeata	imperata
38	B	8	poſitiuam	poſitiuum
40	A	31	cuiuſdam	eiuſdem
		34	ſine allia	ſine alia
41	A	39	arctaturos	arietaturos
	B	29	ad illius multiplicatur. *dic* ad illius multiplicationem	multiplicatur
		52	indifferentiam	indifferentia
44	B	26	naturæ	natura
46	A	8	nfudatur	fundatur
48	A	21	procedit	præcedit
55	A	31	caure	cauſare
66	A	44	deffectus	effectus
71	B	4	ordinata	ordinatam
73	B	3	in prima	in ſecunda
ibidem			indicium	iudicium
		5	in primo	in prima
74	B	51	percipantur	percipiantur
97	B	31	prædicati	ſubiecti
		49	ſub inferiori	ſub ſuperiori
99	A	44	maiora vero de minoribus minime	*dic* minora vero de maioribꝰ minimè
107	B	23	poſſet	poſsit
111	A	9	per eminentem ſed	p̄ eminentiā ſeu
	B	51	& diſtinctè	ſed diſtinctè
115	B	34	differentia	differentiam
118	B	39	contrahibilis	contrahibile
129	A	37	genus correlatiuū	generis correlat
130	B	16	mediatum	inmediatum
132	A	9	de minoribus	de maioribus
		31	exeſuit	exercuit
134	A	45	intentionem	mentionem
136	A	34	& alibus ſimilis	& alijs ſimilibꝰ
	B	16	eande	eandem
138	B	12	euentum	effectum
140	B	28	exiſtens	exiſtentes
141	A	1	differentiæ	differentes
155	A	55	ſciut	ſicut
156	B	38	completione	complexione
157	A	6	plura	plures
160	A	22	conſtitutiua *Adde*	& diſtinctiua
165	B	16	imperfectus	imperfectius
170	B	26	limitaats	limitatas
179	B	3	inſpeciamus	inſpiciamus
180	B	2	niſit ātum	niſi tantum
181	A	25	& non ſoli *tolle*	non *dic* & ſoli
	B	40	accidente	accidenti
		44	ſiue	ſine
183	B	7	ſolo	ſoli
		50	Quæſtioni	Quæſtione
186	B	15	proprio	differentia
204	A	37	littera	litteræ
205	B	15	dicicibile	dicibile
212	A	44	ſinnat	in ſinuat
	B	11	probat	probatur
213	B	1	hærentia	in hærentia
219	B	49	maiore	maiori
ibidem			cō quæuis	cum quæuis
220	A	34	directè	directa
		25	continentur *Adde*	non continētur
223	A	32	maximò	maximè
225	A	94	innunt	innuunt
233	A	47	ab primas	ad primas
234	A	16	ſuſtantia	ſubſtantiæ
		22	ſingularis	ſingulares
235	A	47	accidens	accidentis
241	B	27	præſuppoſitio	præſuppoſiti
244	B	13	ſperent	ſpectarent
247	A	17	fier	fieret
		50	abſcintur	abſcindatur
	B	26	hac res	hæc res
250	A	52	quantitam	quantitatem
252	B	36	entitatiuæ	entitatiuas
ibidem			penetratæ	penetratas
253	A	48	vt res à re	vt rem à re

pag.col.lin. errata		*correcta*
255 B 3 habens		habentem
33 habeant		habeat
38 coniunction		coniunctione
256 A 2 eſſentialiter		eſſentiale
B 23 quantitatem		quantitatiuam
24 quantitas ſit eſt		quãtitatis ſita è
34 ipſam		ipſa
261 A 33 multæ Scotiſti		multi Scotiſtæ
42 expreſta		expreſſa
262 A 53 obtineat		obtineat
263 B 9 ſed hunc		ſed hanc
272 B 37 intrinſeca		extrinſeca
274 B 43 plenam		planam
275 A 33 recipit claudi		recipi & claudi
B 12 ſpecie		ſpecies
276 B alium		aliud
277 A 29 infinitatem		finitatem
279 B 41 conueniunt		conuenit
282 B 16 vario		varia
286 A 39 importat		important
288 A 9 termine		termino
31 conſiſtit		conſiſtat
51 concipientem		concipiente
291 B 31 emendiratum		emendicata
ibidem illud		illam
32 petitum		petitam
292 A 46 affirmam		affirmant
293 A 44 verò ſimiliter		verò ſimilior
295 A 14 ad ſubiectum	tolle ad	
B 16 exhibet		exhibere
18 habere		habet
298 B 1 identificatitus		indẽtificatur cũ
8 itdem		itidem
300 A 41 eſſentiales		eſſentiale
305 B 27 Socratis		Socrates
33 Socrates		Socratis
306 B 12 diſtincti		diſtinctæ
311 A 32 ſolẽ		ſolum
312 A 40 relationis		relationes
B 10 propriæ		propriè
316 B 32 Antonomaticæ		antonomaticè
44 fundatur		fundantur
317 A 18 negando		neganda
B 27 inuiſibilis		inuiſibilis
319 A 1 intelligi		intelligit
27 prætetitum		præteritum
325 A 11 eandem	adde	rem
18 diuerſimo		diuerſimode
B 21 aliquim		alioquim
333 A 9 vt ſi		vt ſe
335 A 18 preculdubio		proculdubio
B 20 relatio		ratio
338 A 15 in illum		illi
B 36 ſpecies		ſpeciei

pag.col. lin. errata		*correcta.*
341 A 32 iuxa		iuxta
B 2 im illo	tolle	in
344 A 13 non habunt		non habens
B 56 diſsimilitudine		ſimilitudine
346 A 18 tamne		tamen
347 A 26 calorem		colorem
B 5 diſoltionem		diſcutionem
349 A 35 qualitas		quantitas
43 qualitas		qualitatis
351 A 20 explanadus		explanandus
49 teſte	Adde	Philoſopho
353 A 12 facile mobilis		difficile
356 A 56 propriæ		proprias
357 A 6 facilem		facile
ibidem faciæ		faciat
47 potentiæ		potentia
358 A 51 alia		alias
B 15 ſudere		ſuadere
359 A 24 deminat		denomina
34 potias		potentias
360 B 44 duplice		duplici
361 A 26 denſam		denſum
B 50 idem eſt		eſt iddem
51 poſſet		poſſe
362 B 1 quailtatis		qualitatis
7 quiditas		quiditates
44 eaq;		ea quæ
363 A 12 abigni		ab igne
B 46 eandem		eadem
366 B 9 actio ve	Adde	ſit
367 A 16 abſolutus		abſolutos
43 relationis		relationes
370 B 32 eſſe		eſſet (nis
371 B 46 de generationis		de genere actio
373 B 18 fiere		fieri
374 B 3 corpo		corporis
376 A 3 extrinſeci		extrinſecè
B 46 extrinſecas		extrinſeca
377 A 51 adiaenetia		adiacentia
378 A 47 vetitutus		veſtitus
379 B 27 vna		vnus
ibidem alium		aliud
380 A 47 par		imparem
B 18 aut		autem
381 B 3 quæ		quod
ibi habent		habet
4 nec ſunt		nec eſt
5 aptanata		aptum natum
382 A 9 aqua		aquam
10 priuata		priuatam
B 24 oſtendit		oſtenditur
49 influxus		influxu
383 B 13 etidem		& iddem
43 in fer		infert

ARTIS DIALECTI-CAE COMPENDIVM VVLGO SVMMVLAE DIALECTICAE

AVCTORE .R. PATRE FRATRE HYERONIMO VAlera, Peruano, Ordinis Minorum regularis obſeruantiæ, Prouinciæ duodecim Apoſtolorum, Sacræ Theologiæ præ Lectore emerito & in Conuentu Limenſi S. Franciſci Guardiano.

Diſcurſus Prologomenus.

CELEBERRIMA apud Dialecticos inualuit conſuetudo & merito ſane omniũ dialecticorum firmata cõſenſu, diuturnaq; quadam fere multis ab hinc temporibus exercitatione recepta, quòd cum ea quæ Ariſt. Peripateticorum Princeps de arte dialectica conſcripſit, ita ſint obſcuritatis caligine obcæcata, in via & in acceſſa, vt ab ingenijs in arduis rerũ cognitionibus nullatenus verſatis minime queant penetrari, vt hi qui eandem artem Tyronibus dilucidandam aggrediuntur, brebem quandam compendiariamque totius artis ſummam, adumbratamque imaginem quaſi lineis rudibus deſcriptam oculis incipientium præmittãt vt qui ea tenus inſcitiæ tenebris fuerant in voluti prius in aliqualem diſcerendi cognitionẽ inducerentur, vt ſic tantæ luci vniuerſis Ariſt. lib. diffuſæ quæ à tenui ingenij facultate neutiquã poterat ſuſtineri vel
A leuiter aſſuefacti, ipsã lucis plenitudinem
aliquando poſſent cõtueri. ita enim obuenire deprehenditur, vt ñ ſolum volumina quæ Ariſt. de Dialectica cõſtruxit, peruia faciliaque reddantũr: ſed etiã adoleſcẽtes ſic inſtituantur in diſputandi methodo, vt cũ ſingulas poſtea dialecticæ partes imbiberint, quaſi dialectici dialecto more poſſint diſputare. Nos ergò maiorũ noſtrorũ veſtigijs ad hærentes hanc eandem introductionẽ ad vtilitatẽ brebem, ad perſpicuitatem accõmodatam (ne potius obſcurũ
B ré quàm commodè laborantes diſcipuli
noſtri audiẽtes magis quàm intelligentes euadant) paramus, vt in ea vt in quadam rudi & imperfecta imagine omnia ſibi adiſcenda præuideant, & non ſolum quæ à præceptore ſunt tradẽda quærere, verum etiã cætera omnia iudicio & ratione perſequi polleãt diligẽtius: eã autẽ in tres partes ſecabimus iuxta triplicẽ noſtri intellectus operationẽ, quarum prima eſt ſimplicium aprehenſio ſeu ſimplex aprehenſio

qua

qua res ſimplices aprehendit vt prima elementa exquibus tota ſui diſcurſus ac ratioſinationis ſtructura coaleſcit.

Secunda.

Secunda compoſitio ſeu diuiſio, qua res ſimplices aprehenſas vnam cum altera componit per propoſitionem affirmatiuam, vt dum aſſerit hominem eſſe animal, aut vnam ab altera diuidit per propoſitioné negatiuam vt equm ab homine ſic, homo non eſt equus.

Tertia.

Tertia eſt argumentatio ſeu diſcurſus qua ex vna propoſitione alteram infert, vt ex hac *Petrus* eſt homo, hanc deducit, ergo Petrus eſt riſibilis, vnde prima operatio eſt propter ſecundam & Secunda propter tertiam. Tres ergo erunt iſtius operis partes in prima agemus de rebus ac terminis ſimplicibus exquibus propoſitiones ſunt conſtruendæ, in ſecunda de propoſitionibus ex quibus argumentatio cõſtituitur. in tertia de argumentatione ad quam vt in proprium ſcopum tota Dialecticæ cura dirigitur vt omnia apta ratioſinatione concludat, obidque Ariſtoteles. 1. topic. c. 1. dialecticá methodum ſiue ratioſinandi artem appellat.

CAPUT I. DE NOMINIbus ac varijs Dialectica diſcriptionibus.

Dialectic Quid.

DVOBVS potiſsimum nominibus gaudet facultas hæc quam ſi votis annuat Deus dilucidandam aggredimur, Primò dicitur dialectica á verbo græco dialegome ſecundum quòd tria ſignificat. 1. diſſerere ſeu ſermone vti. 2. probabiliter diſputare. 3. ignota ex notis argumentatione ſiue probabili ſiue neceſſaria patefacere, quia ergo hæc omnia luculentiſsime præſtat, dialectica nuncupatur. 1. Scientia diſertoria vel diſputatoria, ſumpta metaphora à ſatoribus & vitium putatoribus falſis & inutilibus reſecatis ſuis quæque areolis locisque diſtribuit veraque a falſis diſtinguit, quod ſi ſolum partem topicam Ariſtoteles dialecticam appellat, eam ſecundum illam ſignificationem probabiliter diſſerendi vſurpat, in qua acceptione ſyllogiſmus probabilis argumentum dialecticum ſolet appellari, communis tamen vox ac totius ſcholæ viſus iam obtinuit, vt totam facultatem vtramque partem tá topicam quam demonſtratiuam complectentem ſignificet.

Logica.

Secundum nomen eſt logica à logos ideſt ſermo vel ratio quaſi ſermonem

A dirigat tam externum quàm internum.

De cauſis Dialectic.

Quòd ſi cauſas dialecticæ perquiras. Reſponſio in promptu eſt, diſputationi naturam dediſſe initium. habemus enim omnes teſte Phyloſopho. 1. lib. Retho. c. 1. vim quandam ad inquirendum & reſpondendum natiuam, huic diſputationi incrementũ dedit ſtudium ex vtilitate & dignitate exortum, ſummam verò dedit & perfectionem diſputationi ars, vſus, & exercitatio addiſcentium, ille enim accuratè & perfectè diſputat, qui ex arte diſputat. Vnde proloquium illud dialecticorum commune profluxit *natura facit habilem, ars facilem, vſuſque potentem* merito autem Ariſtoteles dialecticæ inuentor cõſtituitur, non quidem quia primus omnium vniuerſa cogitauerit iſtius artis præcepta, ſed quia præcepta iam inuenta optima methodo diſpoſuit, & in ordinem

B redegit, & plura illius præcepta quam cetæri Phyloſophi ad inuenit, eam quidem partem quæ libros priorum poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum continet fere totam ipſe conſcripſit. Vnde eam ipſe ſibi quaſi primo auctori aſſeueranter adſcribit.

De varijs Dialecti. diſcriptio

Varijs deſcriptionibus Phyloſophi dialecticæ vtilitatem commendarunt, iuxta nominum logicæ ac dialecticæ ethymologiam, diſerendi facultas, ſeu diligens diſerendi ratio, peritia bene diſputandi nuncupatur. Ab alijs inquirendæ veritatis magiſtra, & ars diſcernendi verum à falſo, quæ ab omni falſitatis irreptione defendit, quia in hoc omnis dialecticæ cura cogitatioque conſumitur vt viam præcludat ne falſa doctrina pro vera aliquando poſsit obrepere. dicitur etiam ars inue-

C niendi & iudicandi, quia in inueniendi & iudicandi partes diuiditur. dicitur item ſcientia communis omnium artium formatrix, comparandæ diſciplinæ inſtrumentum, ars artium, ſcientia ſcientiarum qua aperta omnes aperiuntur, qua clauſa omnes alias claudi neceſſum eſt. quia logica inter intellectum & alias ſcientias eſt media, intellectus quidem ancilla, ſeu manu ductrix, ſcientiarum verò bona amica, & congruit ſané vt intellectui vniuerſaliſsimo ſcientiarum proto parenti, vniuerſaliſsimum ad eſſet inſtrumentum dicitur ſcientia rationalis aut directiua operum rationis, quia actibus rationis dirigendis intenta eſt, quatenus accuratè

veram

veram naturã rerum ſimplicium propoſitionum & argumentationum conſiderat, regulas præbet ad illas exactè conficiendas. dicitur tandem eam eſſe facultatem quæ à Phantaſijs quæ videntur & non ſunt liberat, errores damnat, falſitates oſtendit ſine qua in veritatis indagine ſapiens abſque lapſu eſſe non poteſt.

Significarunt etiam varijs comparationibus eandem dialecticæ vtilitatem. Poſidonius totam Phyloſophyam animali cõparauit, cuius animam dixit eſſe moralem, ſanguinem phyſicam, dialecticam verò neruos & oſſa, quippe quæ fulcrum eſt firmiſsimum cæterarum. Alij totam phyloſophiam horto comparantes, eius arbores phyloſophiam eſſe dixerũt, fructus moralem, ſepem vero hortum defendẽtem, logicam, Alij dialecticam eſſe ſicut virus in anthidotum in iectum, ſicut enim venenum inaterico vim habet ipſum athericum ad cor deferendi, viamque ſternendi, qua medicamenta cor ipſum pertingãt ſic logica eſt veluti vehiculum quo ſcientiæ inanimum aſportantur. Stoici vniuerſam Phyloſopiam ouo compararunt cuiꝰ vitellum moralem eſſe, albuginem phyſicã logicam verò teſtam, ſicut enim teſta id quod in ouo continetur defendit & conſeruat, ſic dialectica omnes alias ſcientias protegit fouet ac tuetur.

CAPVT I. A QVO INCHOANDUM SIT.

CVM in quauis tractatione non parum conducat noſſe modum incipiendi opere prætium duxi in fronte totius operis ordinem ac methodum incipiendi tam in hoc dialecticæ compendio quàm in ipſa Dialectica à nobis inſectandam præfigere, eò maximè quòd circa talem ordinem non eſt vnanime ſummuliſtarum iudicium, varijs tamen opinandi modis parui momenti cõſultò prætermiſſis duo ſunt communes in ſcholis.

1. Opinio. Primus eſt aſſerentium inchoandum eſſe à modo ſciendi, eſt autem modus ſciẽdi vt dilucide progrediamur, oratio quæ rem aliquam ignotam manifeſtat, & quia triplici de cauſa res aliqua nobis ignota poteſt eſſe, aut propter eius confuſionem quia multa in ſe innoluit, aut quia eius natura, occulta eſt & interclula, aut quia multas habet proprietates & ignoratur quæ ex qua inferri poſsit, ideo triplex eſt modus ſciendi, quia res primo modo ignota manifeſtatur per diuiſionem, per quam vnamquamque rem in ſuas partes ordinatè diſtribuimus, ſi ſit ſecundo modo ignota manifeſta fit per diffinitionem, hæc enim eſt quæ naturam rei aperit & declarat, ſi verò tertio modo per argumentationem patefit, per quam ex vna proprietate nobis nota aliam ignotam deducimus eſt ergo modus ſciendi *oratio*. 1. operatio quædam complexa intellectus artificioſa & doctrinalis, vt excludantur auctoritas quæ non oratio ſed tantum eſt cõditio iuuans ad cognitionem, & experimentum quod ſine regulis & arte habetur circa res vt eueniunt, et ideo patet errori *ignoti manifeſtatiua* ideſt per ſe declaratiua rei per ſe ignotæ potentis per ſe declarari, vt excludatur exemplum, quod ad manifeſtandum non per ſe opus eſt ſed per accidens & ratione ingenij tarditatis, vt enim res per modum ſciendi declarata facilius percipiatur, adducitur exemplum.

Triplex eſt modus ſciendi.

Definitio modi ſciẽdi.

Quid modus ſciẽdi.

Quo præiacto inquiunt iſti auctores de modo ſciendi prius diſſerendum eſſe, non quidem lege particulari obſeruata quæ particulares & ſpecificas rerum ſequitur naturas, ſecundum quam à terminis eſſet inchoandum, vt à partibus ad totum, qui ordo ſemper obſeruandus eſt in tradendis rebus quæ ſimul non ſunt inſtrumenta ad intelligendum. Sed ſecundum legem vniuerſalem, quæ ſolum vniuerſi bonum attendit, propter quam aqua ſurſum aſcendit (illa enim lex licèt ſit ſupra legem particularem non tamen contra) quæ lex obſeruanda eſt in tradenda re quæ eſt inſtrumentum vt ab illo incipiatur vt ab vniuerſaliſsimo intellectus inſtrumento, cui in ratione intelligibilis omnia cedunt.

1. Probat. Quod Primò probatur à ſimili, licèt particulari naturæ lege & ordine Philoſophia deberet logicam præcedere, quia res phyſicæ cum per ſenſus ingrediantur, prius quàm intentiones logicales percipiuntur lege tamen inſpecta vniuerſali ſuperiori ac neceſſariori, cauſam ſequente ſuperiorem & neceſſariorem cognoſcendi, ſcilicet intellectum cum ſuo inſtrumento ſeu modo ſciendi, reſpectu cuius alia ſe habẽt materialiter & particulariter, logica Phyloſophiam & omnes alias ſcientias præcedit, quia tradit modum ſciendi, qui

eſt vniuerſale ad omnem cognitionem inſtrumentum, ergo eadem lege vniuerſali, modus ſciendi debet præcedere omnes alias eiuſdem logicæ partes, atque adeo terminorum cognitionem, patet conſequétia, quia tota logicæ prioritas ad alias ſcientias eſt ratione modi ſciendi, ergo vt termini ſcientificè & ordinatè ſciantur modus ſciendi debet præcedere, cum teſte Phyloſopho. 2. metaphy. c. 15. abſurdũ ſit ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi.

Confirma. Confirmatur nullus artifex ſe ad opus accingere poteſt, niſi probè teneat inſtrumenta quibus eſt operaturus, nec ædificator poteſt domum extruere ſine cognitione modi ædificandi, ergo nec termini poſſunt ſciri ſine modo & inſtrumento ſciendi.

II. Probo. Secundò res ſimplices ſumus per diuiſiones diffinitiones & argumentationes explicaturi, ergo præmitti debet illarum cognitio, nec enim cognoſci poteſt num diffinitio termini exacta ſit, niſi cognoſcatur prius quid diffinitio ſit, quas leges habere debeat vt ſit bona, videmus enim facilius & promptius res alias percipere qui diſputandi methodum tenet, atqui diſcipulis prius ea ſunt tradenda per quæ promptiores fiunt & habiliores ad cætera perdiſcenda.

II. Opinio. Secunda opinio non ab ipſo modo ſciẽdi ſed à partibus ſimplicioribus illius nempe terminis iſtius inſtituti exordium eſſe captandum fatetur. quæ oſtenditur tum ex Ariſtotele qui in ipſa met Dialectica *I. Probat.* quæ modo ſcientifico acquiritur à rebus ſimplicibus exordium ſumpſit. Tum e*II Proba.*tiam quòd ordo doctrinæ naturæ ordinem ſectatur, cum ars ſit æmula naturæ, atqui natura ſemper progreditur à potentia ad actum, à partibus ad totum à minoribus & imperfectis ad maxima & perfecta, à ſimplicibus ad compoſita ergo & ars methodum eandem obſeruare debet, quæ præſtantior eſt vt pote naturæ congruentior, inchoando à minimis (eorum nempe quæ in tali tractatione cognoſcuntur) ergo á terminis qui partes ſunt minutiores & vltimaræ ex his quæ logica contẽplatur.

III. Prob. In ſuper faciliora ſunt prius diſcipulis offerenda, eo maxime cum obſcuriora à facilioribus dependent, atqui terminorum cognitio facilior eſt, Tũ quia in Grãmatica aliqualem habent ſcholaſtici terminorum notitiam, vt nominis & verbi, orationum & propoſitionum &c. tum e- A tiam quòd ſimpliciora & priora (vt partes) ſunt cognitu faciliora quia minus dependent. Tandem quòd prius debet dialecticus illam intellectus operationem dirigere quæ prior eſt, ac ab alijs indepẽdẽs, talis eſt ſimplicium apræhenſio.

Sed fortaſsis nihil retulerit ſic vel ſic inchoare, qui enim à modo ſciendi incipiendum eſſe affirmant, confuſſam cuntax at illius cognitionem admittunt, vt aliquali diffinitionis &c. habita cognitione diſtinctè & ſcientificè procedatur iterum ad ſui ipſius per ſuas partes cognitionem. Qui verò á terminis incipiendum affirmant, illam confuſſam modi ſciendi notitiam impertinentem eſſe arbitrantur ante ſcientiam quæ de modo ſciendi diſputat, ſed ſicut diffinitio ſe ipſam diffinit, exiſtentia ſe ipſa exiſtit, ſic ſcientia de modo ſciendi ſibi met eſt modus ſciendi, vt infi- B nitus proceſſus vitari poſsit.

Hoc quidem michi magis probatur, & *II. Opinio.* maxime quòd ante ipſam logicam mag- *Placet.* nam quæ ſciẽtificè & diſtinctè modos omnes diſerendi præſtat, Summularum hoc *Corrobora.* præmittitur compendium, vt in eo aliquali diſerendi notitia conquiſita ad illam ordinatè, & ſcientificè capeſcendam progrederemur, Cur quæſo iterum ad compendium hoc vbi ſummatim rudique vt aiunt minerua cognitio modi ſciendi confuſſa & imperfecta offertur, compendium alterum iſtius compendij confuſſum præmittendum erit? Sic enim eſſet in infinitum ꝓcedere, idem cõtrariorum argutum Achileium retorquendo modus ſciendi cognoſci nequit quim diuidatur diffiniatur &c. ergo ante modum ſciendi prius ſciri debet quid ſit diffinitio diuiſio &c. vt ex- C acta ne ſit modi ſciendi diffinitio cognoſcatur, & ſic ante modum ſciendi erit modus ſciendi. quòd ſi dixeris ad confuſam *Inſtatur.* modi ſciendi cognitionem aliam nõ requiri, idem dicendum erit ad notitiam modi ſciendi confuſſam quæ in hoc compendio rudi ac brebi ſumma paratur, nõ eſſe neceſſariam aliam confuſiorem, ſed eam ſufficere cognitioné diffinitionis diuiſionis &c. quam natura duce habemus logicæ naturalis acumine, & modum ſciendi magiſtri ſcit enim diſcipulus quid terminus ſit per diffinitionem à magiſtro traditam, in cuius fide eam exactam eſſe cognoſcit, ob id enim Phyloſophus dixit oportere addiſcentem credere.

Ex his

Ex his non eſt operoſum arguta pro pri
Ad 1. Argumē. ma opinione refellere. Ad primum verũ
quidem eſſe ſecundum legem neceſſario-
rem, ſcientiam quæ de modo ſciendi diſſe
rit præmittēdam eſſe ad alias, ad ſe ipſam
autem nequit, quia modus ſciendi cum cō
poſitum quoddam ſit artificiatum; à parti
bus illius ſimplicioribus cognitio illius in
choari debet, nomine autem modi ſciendi
intelligit Phyloſophus logicam quippe
quæ de illo diſputat, & abſurdum eſſe ait
ſimul quærere logicam quæ modum ſcien
di docet & alias ſcientias, ſed illam eſſe ad
alias præmitendam.

Ad confirma. ex dictis imo illa exem- *Ad. Conf.*
A pla nos iuuant, admodum enim ædificādi
non præmittitur alius ædificandi modus,
nec ad cognitionem inſtrumētorum alia.

Ad ſecundum, diſtinguenda eſt conſequ
utio in actu ſignato nego, in actu exercitō *Ad. II. ar*
vtēdo ſcilicet diffinitione à Magiſtro trad
dita concedo. nec enim addiſcentibus cō
feſtim ſunt rerum quæ docentur demonſ
trationes conficiendæ, poſtea enim diſci-
pulus ſuper ea quæ à magiſtro ſunt edoc-
ta reflectitur, & per modum ſciendi iam ſi
bi acquiſitum, ea regulat que in fide ma-
giſtri cognouerat.

LIBER PRIMVS SVMMVLARVM

De his quæ Ad Primam intellectus operationem ſpectant.

QVIA res ſimplices ſunt primæ operationis intellectus obiecta ſimplicis ſcilli-
cet aprehenſionis in qua nullum eſt iudicium quas congerit ad compoſitiones
extruēdas, ideo in preſenti de terminis rebus què ſimplicibus, de earũ diffinitio
nibus, diuiſsionibus, proprietatibus ac affectionibus diſſerendum eſt.

CAPVT I. DE TERMINO IN communi.

PRIMO videamus oportet quid no-
mine termini in tota ſua latitudine ſig-
nificetur, ne per ignota gradiētes paralogi
zemur, terminus ergo 5. meth. tex. 22. diffi
nitur ſic à Phyloſopho cuiuslibet vltimũ
extra quod nihil eſt accipere primi, & in-
tra quod omnia primi, ideſt eſt extremum
cuiuſcumque rei, ita vt rei quæ terminatur
nulla pars ſit extra terminum, & omnis
pars ſub illo termino contineatur, ſic duo
puncta extrema lineam hinc indeterminā
tia, extra quæ nihil eſt illius lineæ & tota
linea continetur ab illis termini ſunt Ter-
minus ergo logicalis (nec eſt in votis in
numeras termini diffinitiones à ſummuliſ
tis ex cogitatas pferre, ſed quam traddit
Phyloſophus. 1. prio. c. 1, quia cæteris præſ
tat & communi ferme omnium conſenſui
plauſibilis eſt) *extremum eſt propoſitionis in*
Quid ſit terminus. *quod reſoluitur propoſitio vt in ſubiectum &*
prædicatum, dicitur extremum propoſitio
nis, ſcilicet ſimplicis qualis eſt illa quæ ex
terminis ſimplicibus inmediate coaleſcit
vt hæc, homo eſt albus, illa ergo duo ex-
trema præfatæ propoſitionis termini dicũ
B tur ex quibus quod eſt ante verbum vt ho
mo dicitur ſubiectũ, quia de illo alterum *Subiectũ.*
prædicatur vel negatur & illi veluti ſubij-
citur, illud verò quod poſt verbũ. ſ. animal
& de alio affirmatur dicitur prædicatum. *Prædicat.*
dicitur *in quod reſoluitur* ſcilicet tamquam
in partes ex quibus componitur, cum re-
ſolutio ſemper fiat in partes componen-
tes, vt domus reſoluitur in lapides & ligna
homo in animã & corpus, cũ vnio partiũ *verbū n. ē pars*
ñ ſit pars in eam non reſoluitur totum. ex *loco generis*
tremũ ponitur loco generis quia in eo cō-
uenit terminus cum omni eo quod vltimũ
eſt in quauis re, cætera vero loco diffe- *different.*
C rentiæ, quia per illa à cæteris extremis diſ
tinguitur.

Ex quibus deducitur, ſolam illam dic-
tionem quæ per ſe poteſt eſſe ſubiectum
aut prædicatum in propoſitione verum eſ
ſe terminum, ſiue ſit ſignificatiua ſiue non,
vnde ſola nomina ſubſtantiua & hæc in
recto ſunt verè termini, cum poſsint eſſe
ſubiectum & prædicatum. in caſibus autē
obliquis ñ, ſicut nec aduerbia aliæ partes

 orationis.

orationis, quæ nequeunt per ſe ſubiecti aut prædicati rationem ſortiri, ſed tantum determinationis aut modificationis prædicati vel ſubiecti, niſi materialiter ſumantur prout ſcilicet ſe ipſa ſignificant, vt cum dicitur ly hominis eſt vox. Nomina autem adiectiua, participia, & pronomina quando per ſe ſumuntur in propoſitione à parte vnius extremi ſine conſortio ſubſtantiui vt cum dicitur Petrus eſt albus ſunt per ſe termini in illa propoſitione, quando verò in eodem extremo iunguntur cnm ſubſtantiuo, vt cum dicitur Petrus eſt homo albus, Tunc nõ ſunt per ſe termini, ſed ſubiecti aut prædicati modificationes.

De termi. nõ ſignific.

De terminis autem non ſignificatiuis, qui ſcilicet nihil ſignificant vt blitiri num propriè ſint termini? Quidam negant, quidam aiunt, ex dictis tamen conciliari poſſunt, quòd ſi materialiter ſumantur vt in ſe quædam voces ſunt ſe ipſas offerentes verè termini ſunt, quia verè terminant ꝓpoſitionem vt in hac propoſitione Blitiri eſt vox extra illum nihil eſt propoſitionis, quæ propoſitio doctrinalis eſt & diſciplinabilis, ideſt ad ſcientiam pertinẽs, cum in ea ſuperius de inferiori prædicetur eſſentialiter, ſic quæ à Phyloſopho eſt demonſtrabilis, omnis ſonus ore animalis prolat9 eſt vox, blitiri eſt ſonus ore animalis prolatus: ergo blitiri eſt vox. Si vero formaliter quia nihil ſignificant quod eſt formale in vocibus vt dicemus; nequeunt eſſe termini quibus ſcilicet vtimur pro reb9 quas ſignificant.

Quo pacto verbũ ſit terminus.

De verbo autem dicèndum eſt duo ſignificata habere vnum materiale alterum formale, materialiter ſignificat rem aliquam, vt lego, actum legendi amo, actum amandi, quod ſignificatum explicatur per participium ipſius verbi, quòd autem hoc ſit materiale in verbo patet cum conueniat alijs á verbo. ſ. nomini & participio. formaliter ſignificat connexionem prædicati cum ſubiectum explicatum per verbum ſubſtantiuum, quod hoc illuſtratur exemplo, amo idem ſonat ac ſum amans (amãs) eſt ſignificatiuũ materiale (ſum) ſignificatium formale. verbum ergo ratione ſui ſignificati formalis in quo conſiſtit ſua ratio propria eſſentialis qua in eſſe verbi eſſentialiter conſtituitur & ſpecificatur, & ab alijs diſtinguitur, non eſt terminus quia vt ſic non eſt pars propoſitionis cum non ſit ſubiectum nec prædicatum, ſed tantum habet rationem copulæ, & nexus terminorum, vnio autem partium non eſt pars, ergo non eſt terminus cum ſola pars propoſitionis ſit terminus. item vt ſic nõ eſt extremum cum extra illud detur aliquid ꝓpoſitionis ſed eſt medium. Tandẽ ſi verbum formaliter eſſet terminus, qui libet ſyllogiſmus quantumuis benè conſtructus, quatuor terminis conſtaret, medio ſcilicet maiori extremitate & minori, & item verbo, quod falſum eſſe ſuo loco probabitur. ratione autem ſignificati materialis participij. ſ. incluſi terminus eſt, in quo ſenſu Phyloſophus in ante prædica. loquens de terminis incomplexis, verba profert in exemplum dicens, ſicut currit, vincit. Tum quia vt ſic eſt verum extremum & prædicatum vt in hac Petrus currit. i. eſt currens, quod prædicatur de Petro extra quod nihil eſt illi9 propoſitionis.

Num act. terminus ſit qui act terminat.

Sſcitabitur quis num ad ratiocem termini neceſſum ſit quòd actu terminet propoſitionem. Quidam affimant, non improbabiliter quia ex Ariſt. terminus debet eſſe ſubiectum & prædicatum, ſed hæc non ſunt niſi dum actu propoſitionem componunt, extra illam enim nec eſt ſubiectum nec prædicatum actu, vnde terminus eſt de genere illorum quorum eſſentia in actu conſiſtit. Placet tamen aliorum ſententia aſſerens rationem termini non in actu ſed in aptitudine quod. ſ. poſsit terminare conſiſtere, atque adeo extra propoſitionẽ verè terminum dari, quod communis loquendi viſſus confirmat. dum tres voces alicui exhibemus, dicimus cape tres terminos, nec requiritur quod actu ſit ſubiectũ ſed quòd poſsit.

Terminus res artific.

Eſt autem animaduerſione dignum pro diuiſione terminorum Terminum rem eſſe quandam artificialem vt ſtatua in qua duo reperiuntur. alterum quod materiale dicitur vt lignum aut æs, alterum quod dicitur formale. ſ. figura Petri vel Pauli, ſic etiam in termino duo ſunt, vnum ſe habet vt materiale, nempe vox ipſa de articulata, cõceptus vel ſcriptura, alterum vt forma, ſignificatio ſcilicit ſiue naturalis ſiue ad placitũ, ad quam reducitur modus ſignificandi ſeu cõcipiẽdi ex hoc ergo duplici capite ſumitur termin9 quorũ ſingulis ſingula capita dabimus.

CAPVT

CAPVT II. DE DIVISIONE *Terminorum Ex parte ſubiecti.*

A

TERMINVS ex parte ſubiecti in mentalem vocalem & ſcriptum partitur, ex quibus licèt ſæpius vocali vtamur pro exemplo, omnia tamen ſunt intelligenda principalius de mentali.

Terminus Mentalis Terminus mentalis eſt extremum propoſitionis mētalis, quia ſicut ore ita & mēte formamus propoſitiones & talis terminus vocari ſolet conceptus, notitia aut verbum, ſeu expreſſa rei ſpecies, imago ſeu ſimilitudo & idolum. talis eſt conceptus quem habeo de homine. *Vocalis.* Terminus vocalis eſt extremum propoſitionis ore ꝓlatæ. *Scriptus.* Terminus ſcriptus extremum propoſitionis ſcriptæ.

Mentalis. vltimatus Terminus mentalis alius eſt vltimatus alius non vltimatus. vltimatus eſt conceptus ſeu comprehenſio termini & rei ſignificatæ per illum. *Non vlti.* Non vltimatus eſt conceptus ipſius termini ſignificantis ſiue mentalis, ſiue vocalis, ſiue ſcripti, abſque eius ſignificatione. vt ſi ſint hic duo homines quorum vnus linguam latinam calleat, alius verò ignoret, & audiant hanc vocem equus vterque percipit vocem, ſed qui linguæ ignarus eſt percipit ſolam vocem, ignorata illius ſignificatione, & talis perceptio vocis dicitur terminus non vltimatus, ideſt non vltimus, ſi quidem aliud reſtat percipiendum in illa voce, quod vltimum illius dicitur nempe res ſignificata, qui verò latino ſermone eſt præditus eius percipit ſignificatum, quapropter terminum ſiue vltimatum conceptum habere dicitur, quaſi ad vltimum vocis peruenerit.

Directus. ¶ Rurſus Terminus mentalis in directum & reflexum partitur. directus eſt conceptus ſeu cognitio rei primò intellectæ, vt cognitio hominis. *Reflexus.* Reflexus vero eſt cognitio ipſius cognitionis in eadem potentia exiſtentis, vt poſtquam intellectus rem aliquam intellexit quæ cognitio eſt directa, iterum reflectitur ſupra hanc eandam cognitionem, & cognoſcit ſe cognoſcere, talis cognitio ſecunda eſt terminus reflexus. Notanter autem dicitur cognitio cognitionis exiſtentis in eadem potentia quia vt conceptus aliquis reflexus ſit, non ſat eſt quod conceptus ſit alterius conceptus, ſed quòd ſit alterius conceptus exiſtentis in eadem potentia, vnde cum cognoſco cognitonem in intellectu Petri exiſtentem, iſta mea cognitio non eſt reflexa quia per illam non reflector in me, ſed tranſeo in aliud & ſic eſt directa.

Intuitiuũ Abſtract. ¶ Tandē diuiditur terminus mētalis in intuitiuum & abſtractiuum, intuitiuus eſt, eſt cognitio rei præſentis, abſtractiuus eſt cognitio ſeu conceptus rei abſentis.

Significat. Terminus autem ſiue vocalis ſiue ſcriptus diuiditur, in non ſignificatiuum & ſignificatiuum, ſignificatiuus eſt qui aliquid præter ſe ſignificat vt homo naturam humanam, *Non ſign.* non ſignificatiuus qui nihil aliud à ſe ſignificat vt blitiri, quæ diuisio non conuenit termino mentali, cum omnis ſit ſignificatiuus, vtpote conceptus in intellectu exiſtens.

B

CAPVT III. DE DIVISIONE *terminorum Ex parte rei ſignificatæ, & modi ſignificandi.*

DABIT quidem huic materiæ opcatam lucem, ſi quid ſit ſignum & ſignificare expendamus, brebi vt aiunt calamo (res enim eſt ſeria diſputatione digna ſuo loco enucleanda) prout tyronibus ſatis & dicendorum intelligentiæ vtile videbitur. ſignum eſt, quod in alterius rei cogninionem nos ducit, vt fumus in cognitionem ignis, vnde ſignificare erit nos ducere in alterius rei cognitionem & ſic ſignum & ſignificare habent ſe vt Agens, & actio. dicitur quod in alterius rei cognitionem &c. quia nihil poteſt eſſe propriè & primariò ſui ipſius ſignum, cum ſignum & ſignatum comparentur inter ſe vt via & terminus, imperfectum & perfectum, idem autem reſpectu ſui ipſius nequit eſſe via & terminus, imperfectum & perfectum, verum eſt quòd impropriè dicitur aliquid ſe ipſum ſignificare, vt quando terminus pro ſe ſupponit, vt in hac homo eſt vox, vel ſecundariò vt ly terminus ſignificat primò terminum in communi & quia ſub eo mediatè & ſecundario omnes terminos particulares ſignificat ſe ipſum ſignificat vt ſub ſuo primario ſignificato continetur. Sgnum ergo proprium eſt triplex *Naturale.* naturale quod ex propria natura habet aliquid ſignificare & ideo idē apud omnes repreſentat vt motus progreſsiuus eſt ſignū vitæ, & pulſus ſignum ſanitatis vel ægritudinis, *Ad placit.* aliud ad placitum, quod .i. ex inſtitutione hominum aliquid ſignificat vt ramus appēſus in taberna ad placitum

C

Ex conſuetudine. vinum vendibile ſignificat. Signum ex conſuetudine, quod nō natura nec hominum inſtitutio, ſed conſuetudo ſignū fecit. vt mappæ appoſitæ horam prandij proximam eſſe oſtendunt, quæ diuiſio ſigni in naturale & ad placitum non ſolum rebus ſed & vocibus competit, rebus quidem, vt in exēplis adductis. patet voces autem naturaliter ſignificant ſuum prolatorem, aliquem vt naturalem affectum, vt naturalē Iram aut triſtiam, ad placitum verò ſignificant res pro quibus vtimur, vt homo ex libera hominis voluntate naturam humanam ſignificat, quam non ſignificaret niſi eſſet ad hoc ab homine inſtituta, vnde talis ſignificatio non eſt de eſſentia termini vocalis ſiue ſcripti (qui non differunt eſſentialiter, ſed ſicut clauis ferrea & lignea) ſed extrinſeca denominatio ab inſtituente prouenìens.

etiam ſigna vocum.

2 *Signum formale.* Signum naturale, aliud eſt formale aliud inſtrumentale, formale eſt, quod ſe ipſa vt forma ipſi potentiæ cognoſcitiuæ in hærens ſine præuia ſui cognitione facit nos rem cognoſcere, talis eſt conceptus ſeu terminus mētalis, qui formaliter intellectui in hærens vt imago & naturalis ſimilitudo rei, reddit nos illā, ita intelligentes, ac ſi ipſa res menti adeſſet, vnde ſignificatio eſt de eſſentia illius, obidque dicitur conceptum eundem eſſe apud omnes. i. eodem modo repreſentare & ſignificare res apud omnes voces verò non, ſed mutari poſſe, & à ſignificatione deſficere, variaſque apud varias nationes ad eadem rem ſignificandam inſtitui.

Inſtrumēt Signum inſtrumentale eſt teſte D. Auguſt. quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus facit nos in alterius rei cognitionem venire, i. eſt quòd prius debet ipſum ſignum cognoſci per propriam ſui cognitionem & ſpeciem, in ea tamen non quieſcentes ſed curſim tranſeuntes (quod proprium eſt inſtrumentorum) in rei omnino diuerſæ cognitionem deuenimus, vt viſo prius veſtigio arenę impreſſo, tranſit intellectus in animalis tranſeuntis cognitionē. ratio autem ſigni inſtrumentalis conuenit etiam omnibus ſignis ad placitum tam rebus quàm vocibus, quia præuia ſui cognitione in rei ſignificatæ cognitionē nos ducunt. vnde voces inſtrumenta quædam ſunt quibus res conceptas ſignificamus. His ſic prælibatis.

3 *Terminus* Terminus ergo ſignificatiuus ſiue vocalis & ſcriptus diuiditur in categorematicum & ſyncategorimaticum, categorematicus eſt *qui ſignificat aliquid* id eſt rem aliquam atque adeò poteſt eſſe per ſe prædicatum vel ſubiectum propoſitionis, vt homo leo, dicitur enim à cathegoreo græcé, latine prædico quia ſignificat formam natam ſubijci & prædicari in propoſitione *categorematicus.*

A

¶ Syncategorematicus eſt *qui ſignificat aliqualiter* ideſt non rem ſed modum illius, vt omnia ſigna, omnis, nullus, omnis enim ſignificat vniuerſalitatem quæ modus rei eſt, omnia aduerbia, coniunctiones, caſus obliqui ſubſtantiuorum, et id genus alia, quæ per ſe non poſſunt eſſe ſubiectum & prædicatum in propoſitione, ſyncathegoramaticus enim idem eſt ac comprædicatiuus, qua ſi per ſe non poſsit propoſitioni deſeruire, ſed adiunctus categorematico & facit illum aliter ſignificare vt omnis homo eſt animal. *Syncathegorematic.* vbi obſerua aliqua ſyncathegoremata vt adiectiua, partitiua, pronomina, poſſe ſumi cathegorematicè, ſi per ſe ponantur in propoſitione tamquàm formæ quæ per ſe prædicantur & ſubijciūtur, vt Petrus eſt Doctus, ipſe eſt homo. tunc autem ex eo quòd terminus cathegorematicè ſumatur, ſēſus mutatur, vnde (ſolus) categorematicè nō poteſt dici'd Deo quia dicit Deum eſſe ſolum ſine perſonarum trinitate, bene tamē ſyncategorematicè, ſolus Deus, extra quem non eſt alius Deus, & ſic de alijs. *Nomi adiectiu.*

B

Diuiſio hæc conuenit etiam termino mentali, cum terminus ſyncategorematicus habeat conceptum in mente. quia aliquid aliud concipimus audita hac voce omnis homo currit, quàm in hac, homo currit, & audito termino omnis ab homine latino, aliquid mente percipit quod non ruſticus: habet ergo conceptum vltimatum in mente, quia in conceptibus non vltimatis æquales ſunt ruſticus & latinus, de inde id quod propoſitionem falſificat habet conceptum in mente, ſed ſyncategorematicus hāc falſificat, omnis homo eſt albus, cum hæc ſit vera homo eſt albus, datur ergo terminus mentalis ſyncategorematicus, de categorematico enim certum eſt.

C

Terminus item diuiditur in complexū & in incomplexum *complexus eſt compoſitus ex pluribus dictionibus ſignificatiuis congruè ſe habentibus* ideſt vnitis inter ſe vel in re quia vnum in re alteri conuenit vt homo albus, vel aliqua copula quæ non ſit verbum vt Petrus & Paulus (vnde Petrus Paulus nō eſt terminus complexus) ;vt ex- 4 *Terminus cōplexus.*

vt excludatur complexio Quæ fit medio
verbo vt Petrus eſt albus; quia hæc ad ſe-
cundam operationem intellectus ſpectat;
*eandem ſignificationem retinentibus dum cō
iuncta ac dum ſeparata.*

Incōplex9 ¶ Terminus incomplexus *eſt dictio ſim-
plex cuius nulla pars ſignificat* intellige in
quantum pars illius termini, vnde iſte ter
minus dominus incomplexus eſt, quia li-
cèt partes illius ſeparatæ ſignificēt nempe
Doymenos ſed non vt partes iſtius termini
dominus, vt ſic enim non retinent eandem
ſignificationem ac ſeparatæ ex quibus cō-
pleatur ſignificatio totius quod aliud ſigni
ficat .ſ. Señor. vnde nomina cōpoſitæ figu
ræ vt armiger, omnipotens, non ſunt com
plexa ſed incomplexa quia non pendent
à ſignificatione partium.

¶ Vbi aduerte quòd iſti termini comple-
xus & incomplexus ſic ſe poſſunt habere;
quòd ſint plures dictiones eandem rem
ſignificantes, vt gladius, enſis, tūc erit ter-
minus complexus voce, incomplexus re.
aut ècontra vna dictio plura ſignificans vt
omnia æquiuoca; & erit incōplex9 voce;
complexus autem re. cū verò ſunt plures
voces & plura ſignificata, erit complexio
in voce & in re. ſi vna vox & vna res ſigni-
ta erit incōplexio in voce & re; ex cathe-
goremate & ſincategoremate fit ligitima
complexio vt omnis homo.

5 Terminus rurſus diuiditur in concretū
Concretus. & abſtractum, concretus eſt qui ſignificat
formam in alio, vt homo ſignificat humani
tatem exiſtentem in ſuppoſito, album al-
bedinem exiſtentem in ſubiecto. vnde ſig-
nificat per modum habentis formam vt al
bum habens albedinem & ſic per modum
totius ex forma quæ dat eſſe & id cui da-
tur eſſe, ideò enim concretum dicitur à cō
cernendo quia præter formam concernit
aliud, ſcillicet id cui forma dat eſſe, forma
dans eſſe eſt ſignificatum formale, id cui
dat eſſe ſignificatum materiale.

Abſtract9 ¶ Abſtractus qui præciſè ſignificat formā
veluti à ſubiecto cui dat eſſe ſeparatam, at
què adeò quaſi per ſe ſtantem & per mo-
dum partis ſignificatam, quod intelligēs
quantum ad modum ſignificādi, licet enim
forma illa aparte rei ſit in ſuppoſito vel ſu
biecto, modus tamen ſignificandi termini
eſt quaſi formæ ſeparatæ ab habente il-
lam vt albedo.

¶ Terminus concretus rurſus ſubdiuidi-
Concernēs ſuppoſitū. tur, alius enim eſt concretus cōcernes ſup
poſitum cuius ſcilcet materiale ſignificatū
eſt ſuppoſitum & ſingulare ratione cuius
A per ſe ſtat. Alius eſt concernens ſubiectum
Concernēs ſubiectū. in quo non ſtat per ſe ſed in hæret, aut ſe
habet per modum illi in hærentis & adia-
centis.

Abſtractū nō vltime. ¶ Terminus abſtractus ſecundum noſtrū
Doct. in. 1. d. 5. q. 1. rurſus eſt duplex vnus
eſt abſtractus vltimata abſtractione, alius
verò non vltimata, non vltimatè abſtrac-
tus qui ſignificat formam à qua ad huc po
teſt fieri alia abſtractio, vt albedo licèt ſig
nificet formam á ſubiecto quaſi abſtractā
non tamen eſt vltimatè abſtracta, quia ad
huc poteſt ab illa abſtrahi alia forma ma-
Vltimatè. gis abſtracta, terminus vltimatè abſtract9
eſt qui ſignificat formam ita abſtractā ab
omni eò quod non eſt ſibi intrinſecum ſi-
ue à ſuppoſito & ſingulari ſiue à ſubiecto
vt ab illa nequeat abſtrahi alia forma ma-
gis abſtracta, vt albedeneitas. quæ in præ
ſenti nequeunt amplius explanari.

B Diuiditur item terminus in Abſolutum 6
abſolutus. & connotatiuum; Abſolutus eſt qui ſigni-
ficat rem per modum per ſe ſtantis & nō
alteri adiacētis, ſic omnes termini abſtrac
ti ſūt abſoluti quia ſicut diximus ſignificāt
formam ac ſi per ſe ſtaret. item & omnes
termini concreti quorum formæ concer-
nunt ſuppoſitum ratione cuius per ſe ſtāt.

cōnotatiu9 ¶ Terminus connotatiuus eſt qui ſignifi-
cat rem per modum alteri adiacentis aut
in hærentis, vt illa concreta quorum for-
mæ concernūt ſubiecta in quibus ſunt, aut
concipiuntur ac ſi illi in eſſent.

extrinſec9 ¶ Et Hic rurſus eſt duplex extrinſecus &
intrinſecus, Extrinſecus qui & denomina-
tiuus dicitur eſt cuius ſignificatum forma
le eſt accidentale ſubiecto, vt album & ſic
forma dicitur denominans ſubiectum, ſu-
intrinſec9. biectum denominatum & forma cum ſu-
C biecto terminus denominatiuus. Intrinſe-
cus eſt cuius ſignificatum formale eſt eſſē
tiale ſubiecto, ſic omnes differentiæ vt ra-
tionale ſenſibile &c. licèt enim rationalitas
non in hæreat, ſignificatur tamen ac ſi revo
ra adiaceret. nec cenſendum eſt denomi-
natiuum complexum eſſe, quia videtur
duo ſignificare, non enim æquè primò &
principaliter illa ſignificat; quod requiri-
tur vt terminus ſit complexus, ſed formā
primò & per ſe clarè & explicitè, ſubiectū
verò tantum connotat & quaſi digito oſ-
tendit.

Singularis Inſuper terminus partitur in ſingularē
& communem, ſingularis eſt qui ſignificat
rem indiuiduam & pluribus incommunica

 bilem.

bilem, vt Petrus. Terminus verò communis eſt qui vel ſignificat plura, vel rationẽ A pluribus communicabilem.

Singularis Quadrup. ¶ Terminus ſingularis eſt quadruplex, alius qui ſignificat rem determinatam & indiuiduam vt Socrates: *Determinatus.* alius ex ſuppoſitione, & eſt terminus cõmunis qui ex aliquibus adiunctis circunſtantijs ſupponit pro aliquo ſingulari, *ex ſuppoſi.* vt filius Platonis ſuppoſito quod vnum tantum habuit, alius demonſtratiuus *Demõſtratiuus.* qui eſt terminus communis aliquo ſigno rem ſingularem demonſtrante affectus, vt hic homo oſtenſo Petro, alius eſt vagus *Vagus.* qui ſignificat rem ſingularẽ ſed indeterminatè & vagè hanc vel illam vt quidam homo.

8 *Cõmunis. vniuocus.* Terminus communis. Alius eſt vniuocus qui immediate ſignificat vnam rationem pluribus communem, vnde duplex ſignificatum habet vnum primarium & immediatum & hoc eſt natura communis, B alterum ſecũdarium & mediatum, & hoc eſt plura illa quæ in ratione communi termino communi immediatè ſignificata cõueniunt, vt homo immediate ſignificat naturam humanam Petro & Paulo communem, mediatè vero Petrum & Paulum qui in natura humana conueniunt. Terminus verò ſingularis è contra primò ſignificat rem indiuiduam & ſingularem, ſecũdariò verò & mediatè rationem communem ipſius ſingularis, vt Petrus primò ſignificat hunc hominem in particulari, ſecundariò verò & immediate hominem in communi.

æquiuocus Terminus æquiuocus eſt qui inmediate plura vt plura ſunt ſignificat quæ ſcilicet tantum conueniunt in nomine & non in aliqua ratione communi immediatè ſignificata per tale nomen, ſeu clarius eſt vna C vox habens plura ſignificata, vt canis ſignificat tria, ſcilicet ſtellam, piſcem, & animal terreſtre. frons duo ſignificat folium, & partem capitis.

Analogus Terminus Analogus qui ſignificat vnã rationem quæ propriè conuenit vni, in propriè verò alteri & metaphoricè, vt riſus dicitur de homine proprie, de prato vero in proprié & tranſſumptiuè. i. per translationem, prata enim cum floreſcunt ridere dicuntur per quandam ſimilitudinem, ſed de hoc in logica. Diuiſio hæc conuenit termino vocali & ſcripto non tamen mentali, nam licèt hic vniuocus ſit, non tamen æquiuocus, cum terminus mentalis nequeat plura vt plura ſunt ſignificare, quia eſt naturalis ſimilitudo, ſimilitudo autem plurium vt plura ſunt eſt impoſsibilis, vt ſuo loco oſtendetur.

Rurſus terminus communis eſt triplex, 9 *Tranſce.* alius tranſcendens qui ſignificat rationem illimitatam & vnicuique rei immundo exiſtenti conuenientẽ, & hi ſunt famoſiſsimi illi ſenario numero comprehenſi, qui hac dictione (reu bau) notari ſolent, ſcilicet, res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum. Alius ſupra tranſcendens, *ſupra trãſ.* qui ſignificat rationem communem omnibus entibus non ſolum veris & realibus ſed etiam poſsibilibus & imaginaris vt imaginabile, intelligibile. Alius peculiaris ſiue nô tranſcendens *Peculiaris* qui ſcilicet ſignificat naturam peculiarem, Et limitatam & hic quincuplex cõmuniter aſsignatur. Genus, ſpecies differentia, proprium, Accidens, de quibus Porphyrius in prædicabilibus, quæ pro nũc ſic explanantur. *Genus.* Genus eſt quod vnam rationem importat pluribus communem eſſentialiter diſtinctis, vt animal, hanc rationem ſignificat viuens. ſ. ſenſibile homini & equo communem eſſentialiter diſtinctis. *Species.* Species quæ rationem cõmunem pluribus ſolo numero diſtinctis ſignificat, vt homo naturam humanam Petro & Paulo ſolo numero diſtinctis conuenientem.

Differẽtia Differentia ſignificat rationem eſſentialem qua vna res in ſuo eſſe eſſentiali conſtituitur, ab aliaq; eſſentialiter diſtinguitur vt rationalitas. *Proprium* Proprium ſignificat rem quæ licet ſit extra rei eſſentiam, ab illa tamen propagatur, atque adeo cum illa conuertitur, vt riſibile. *Accidens.* Accidens eſt quod ſignificat rem quæ ita extra rei eſſentiam vagatur & ei accedit vt poſsit adeſſe ſubiecto abſque illius euerſione, alijſque cõmune eſt, vt album.

10 *Terminus collectiuus* Præterea terminus alius eſt collectiuus alius diuiſiuus. collectiuus eſt qui in numero ſingulari plura ſignificat quatenus in vno colliguntur vt ciuitas, Lima, vnde nõ dicitur de quouis ſignificato ſeorſum ſũpto, vt Petrus eſt populus Paulus eſt Lima, ſed de omnibus collectiuè. *Diuiſus.* Diuiſiuus vero eſt qui aut ſignificat vnum tantum vt Petrus aut plura diuiſim, ita vt de quouis ſignificato diuiſim affirmetur. vt homo ſignificat plures homines per ſe, & de quopiam ſignificato diuiſim id eſt ſeorſum ſũpto affirmatur, vt Petrus eſt homo, Paulus eſt homo &c.

11 *Primæ intentionis.* Præterea Terminus diuiditur, in terminum primæ intentionis & ſecundæ intentionis.

Secundæ intẽtionis. tionis. Terminus primæ intentionis eſt qui veras & reales naturas ſignificat, vt homo, equus. Terminus ſecundæ intentionis, qui ſignificat res per modum entis ab intellectu confictas vt chimera, genus ſpecies &c.

Finitus. Tandem terminus alius eſt finitus alius infinitus, finitus eſt qui ſignificat rem aliquam certam & nominatam, ſeu quilibet terminus nõ affectus negatione, vt homo Petrus. *Infinitus.* Infinitus verò qui componitur ex finito termino & negatione, vt non homo non equus, quæ negatio dupliciter accipitur aliquando neganter, aliquando infinitanter, *Neganter* tunc ſumitur neganter quando negatio non ſolum afficit nomen, ſed etiam in verbum tranſit ſicque propoſitio redditur negatiua, tunc autem ſumitur infinitanter quando nomen duntaxat cui coniungitur *Infinitãte* afficit et negat, & non tranſit ad negandum verbum, & ſic propoſitio manet affirmatiua, vt in hac non homo currit ſi ly non neganter ſumatur, negatiuam reddit propoſitionem, ita vt dicat hominem non currere, ſi vero infinitanter hunc reddit ſenſum id quod non eſt homo currit.

Vnde terminus infinitus duplex ſignificatum habet vnum formale & hoc eſt determinatum negatio ſcilicet hominis, alterum pro materiali, & hoc non eſt quid determinatum, ſed in certum, omnes ſcilicet res ab illa quam infinitat vt non homo pro materiali ſignificat omne id quod non eſt homo ſiue illud ſit verum ens ſiue fictum, vnde de chimera dicitur quod eſt non homo, & ideo dixit Phyloſophus in periermen. quod terminus infinitus dicitur tam de eo quod eſt quàm de eo quod non eſt.

Termini ad inuicẽ cõparati. Termini etiam adinuicem comparati, diuidi poſſunt, Quidam enim ſunt pertinentes, alij impertinẽtes, *Impertinẽ* pertinentes ſunt qui inter ſe aliquem ordinem habent & connexionem, ita vt ex vnius cognitione ad alterius cognitionem poſsimus deueniri re. & hi rurſus, *Pertinẽtes* Alij ſunt pertinẽtes ſequella inter quos ſcilicet eſt ordo conſequentiæ, ſiue nõ mutuus vt inter ſuperius & inferius, vt inter hominem & animal, *Sequella.* ſiue mutuus vt inter conuertibiles quæ adinuicem inferuntur, vt inter rem & propriam paſsionem. v. g. inter hominem & riſibile, Alij ſunt pertinentes repugnantia. & hi *Repugnãt.* rurſus vel ſunt pertinentes repugnantia, diſparata ſeu diſparitatis, vt ſpecies ſub eodem genere differentes vt homo & leo ſub animali, vel repugnantia oppoſitionis & quaſi cuiuſdam pugnæ, & iſti ſunt in quadruplici differentia quidam qui opponuntur poſitiuè alij non poſitiuè, Qui poſitiuè vel ita vt ſint duæ formæ maximè diſtãtes ſub eodem genere, & ab eodem ſubiecto ſe mutuò expellentes vt albedo & nigredo, & hi dicuntur oppoſiti contrarij, *Contrarij.* vel quia inter ſe mutuam habent habitudinẽ vt pater & filius & iſti opponuntur relatiuè. *Relatiui.* Si non poſitiuè & tunc aut ita vt vnus dicat negationem alterius, vt homo non homo, & iſti opponuntur contradictoriè *Cõtradict.* aut ita vt vnus dicat priuationem alterius quæ dicitur negatio in ſubiecto apto, & iſti opponuntur priuatiuè, vt videns & cœcus, lux & tenebræ. *Priuatiui.*

CAPVT IIII DE NOMINE & Verbo.

Nomen. EXPLOSA autem Nominis diffinitione à D. Petro Fonſeca tradita lib. 1. inſtituti. c. 12. vt inſufficiẽti de qua in logica ea quæ ex verbis Phyloſophi, lib. 1. perierm. c. 2. nobis magis probatur *nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, finita & recta, cuius partes ſeparatæ non ſignificant* dicitur 1. *ſignificatiua ad placitum* vt voces non ſignificatiuæ excludantur, quæ non ſunt nomina, dicitur *ſine tempore* ad differentiã verbi vt mox videbitur in diffinitione verbi. dicitur *finita* ad differentiam nominum infinitorum quæ non ſunt propriè nomina, vtilia ad ſyllogiſmos & demonſtrationes dicitur *recta* ad differentiam obliquorum caſuum, qui propriè non dicuntur nomina, ſed caſus nominis, quia vt diximus nequeunt per ſe ſubiectum eſſe aut prædicatum propoſitionis. dicitur tandem *cuius partes ſeparatæ nõ ſignificant* intellige in quantum ſunt partes illius.

Verbum. Verbi diffinitio ex his quæ docet Ariſt. 1. perierm c. 3. ſic colligitur *verbum eſt vox finita & recta, conſignificans tempus ad placitum, cuius nulla pars eſt per ſe ſignificatiua, & eſt eorum quæ de altero prædicantur nota* ſola illa particula conſignificans tempus explicatione indiget, valde enim diuerſa ſunt, ſignificare tempus, connotare tempus, & conſignificare tempus primum dicit ducere nos in cognitionem temporis ex primaria ſua inſtitutione, vt iſta nomina annus, menſis, dies ducunt nos in cognitio-

Conſignifi care temp. cognitionem anni, mẽſis & diei ❡ conſignificare tempus ſeu ſignificare cum tempore (in idem enim recidunt) eſt primò & principaliter aliquam actionem ſignificare per modum actionis cui eſt intrinſecũ tempore menſurari, vnde & ſic ab intrinſeco petit quod tali tempore fiat. quod ex conſequenti ſignificatur ab intrinſeco tali nomine, vt curro primo & principaliter ſignificat actionem currendi & conſequenter tempus præſens in quo fit.

connotare tempus. ❡ Connotare autem tempus eſt ſignificare primò & principaliter rem aliquam, & ſecundariò tempus, non quia talis res primò ſignificata ab intrinſeco poſtulet tale tempus, ſed quia ex communi hominum conſuetudine illa res tali tempore ſolet fieri, vt prandium primò ſignificat actum comeſtionis, qui cum ex hominum cõſuetudine determinato tempore fiat, hinc eſt quod viſo prandio inferimus meridiei tẽporis cognitionem. vltima pars propriam ac formalem rationem verbi indicat, quæ in eſſe connexionis prædicati cum ſubiecto conſiſtit vti dictum eſt. Vnde participium non eſt propriè verbum, contra nonnullos oppoſitam aſſerentes. Tum quod ñ conſignificat tempus quod eſt proprium verbi ſicut nec prudens, eodem autem modo ſe habent amans & prudens Tum maximè, quod participium non habet rationem connexionis ſubiecti cum prædicato in qua eſſentia verbi conſiſtit.

CAPVT V. DE SVPPOSITIONE & alienatione Terminorum.

EXPEDITIS iam quæ ad eſſentiam & diuiſiones Terminorum ſpectant, ſupereſt vt illorum proprietates expẽdamus, quarum prima eſt ſuppoſitio quæ ſignificationem termini præexigit, ideo enim vox homo ſupponitur loco naturæ humanæ, quia illam ſignificat, quæ proprietas termino conuenit etiam extra ꝓpoſitionem, ſicut enim extra illam ſignificat, ita & ſupponit.

Suppoſitio Eſt ergò ſuppoſitio acceptio ſeu vſus termini pro ſe vel pro ſuo ſignificato. Vnde ſuppoſitio in communi duplex eſt, vna materialis alia formalis.

Material illa eſt acceptio vel vſus termini pro ſe ipſo, vt in hac homo eſt vox.

Intrinſec. ❡ Et hæc duplex eſt, vna intrinſeca alia extrinſeca, intrinſeca eſt quando terminus ſupponit pro ſe ſecundum id quod illi cõuenit ab intrinſeco, vt in hac homo eſt vox vel ſonus, vox n l. ſonus ſunt de intrinſeca ratione iſtius vocis homo.

Extrinſec extrinſeca eſt quando illud quod eſt extrinſecũ prædicatur denomine, tunc enim ſupponit pro ſe ſecundum quòd illi conuenit ab extrinſeco, vt in hac homo eſt nomen aut terminus ad placitum ſignificans.

Formalis. Suppoſitio verò formalis eſt acceptio vel vſus termini pro ſuo ſignificato, vt in hac homo eſt iuſtus, ly homo ſupponit ꝓ re ſignificata, non enim vox ipſa homo, iuſta dicitur ſed id quod vox hæc ſignificat merito quidem ſuppoſito materialis imꝓpria dicitur, quia in ſpecta nominis ethimologia, ſuppoſitio eſt loco alterius poſitio, ſupponere enim ſignificat aliquid loco alterius ſubſtituere. terminus autem materialiter poſitus non ſubſtituitur loco alterius. item quòd ſuppoſitio eſt proprietas ſigni, ſicut ergo terminus non eſt propriè ſignum ſui, non propriè pro ſe ſupponit: ſuppoſitio vero formalis propria eſt, cũ in illa loco alterius. ſ. rei ſignificatæ ſubſtituatur, quam ob rem dixit Phyloſophus quia res nobiſcum ad ſcholas adducere nõ poſſumus, vtimur terminis pro rebus. i. ſubſtituimus terminos loco rerum ſignificatarum. Quando autem ſuppoſitio formalis ſit aut materialis, ex prædicatis colligendum eſt, quando enim prædicata ſubiectis prout ſunt voces conueniunt, tunc eſt materialis ſuppoſitio, quando verò cõueniunt ſubiectis ratione ſignificati, tunc formaliter ſupponunt. Tum etiam ex aliquibus ſignis ſubiunctis denotantibus ſermonem eſſe de voce & non de re ſignificata, vt cum dicimus hæc vox vel nomẽ aut terminus &c.

Communis. Suppoſitio formalis eſt duplex vna cõmunis, alia ſingularis ſeu diſcreta. communis eſt acceptio termini communis cõmuniter tenti pro re vniuerſali, vt in hac homo eſt animal.

Singular. ſingularis vero ſeu diſcreta eſt acceptio termini ſingularis pro re ſingulari vt in hac Petrus eſt albus, vel termini communis diſcretè tenti pronomine aliquo mediante, vt in hac hic homo eſt iuſtus.

Perſonalis Rurſus vtraque ſuppoſitio tam cõmunis quàm ſingularis eſt duplex. vna perſonalis alia ſimplex (ſuppoſito quidem duplici ſignificato termini communis & ſingularis c. 3. animaduerſo) ſuppoſitio perſonalis eſt quando terminus ſiue ſingularis ſiue communis ſupponit non ſolum pro

ſuo pri-

ſuo primario & immediato ſignificato, ſed etiam pro ſuo mediato, & ideo ſuppoſitio mediata dicitur, quia terminus nõ impeditur aut præcinditur a mediatis & ſecũdarijs ſignificatis, cùm tam primario ſignificato quã ſecundario prædicatum conueniat, vt in hac homo eſt riſibilis homo accipitur perſonaliter quia non ſolum ſupponit pro homine in cõmuni ſed etiam ꝓ ſuis ſingularibus quibus etiam conuenit eſſe riſibile. & in hac Petrus diſputat, Petrus non ſolum ſupponit pro Petro ſed etiam pro homine in communi; cuius rei ſignum eſt quòd bene infertur, Petrus diſputat: ergo homo diſputat.

Simplex. ¶ Suppoſitio ſimplex eſt quando terminus ſupponit pro ſuo immediato ſignificato tantum, impediturq; ac præcinditur à ſuis ſignificatis mediatis, & ob id immediata dicitur quòd in ſignificato imediato ſiſtit. quia Prædicatum ita conuenit primario ſignificato vt ſic, vt nõ conueniat ſecundariò, vt in hac homo eſt ſpecies, prædicatum cõuenit immediato ſignificato hominis vt ſic præciſo ab indiuiduis, vnde nequit inferri, ergo Petrus eſt ſpecies, & in hac Petrus eſt indiuiduum, ly Petrus ſupponit ſimpliciter, pro primario ſignificato ſcilicet pro re ſingulari præciſè vt ſic.

Naturali. Suppoſitio item perſonalis alia eſt naturalis alia accidentalis, naturalis eſt acceptio termini in ordine ad eſſẽtialia, vt in hac homo eſt animal in qua verbum à tempore & loco abſoluitur quia ſolam prædicatorum eſſentialium connexionem importat. *Accident.* Accidentalis eſt acceptio termini in ordine ad accidentalia, vt cum dicitur homo eſt albus, vbi homo ſupponit iuxta prædicati temporis exigentiam.

Diſtribut. Præterea ſuppoſitio perſonalis communis partitur, in diſtributiuam, copulatam, determinatam & confuſam. Diſtributiua eſt quando terminus communis accipitur pro omnibus ſuis ſignificatis mediatis copulatiuè ſeu diuiſiuè ſumptis, ita vt de quolibet illius ſingulari ſeorſum ſumpto poſsit prædicatum cum coniunctione copulatiua (et) verificari, vt in hac omnis homo eſt rationalis, ly homo ſupponit diſtributiuè, quia prædicatum rationale de quolibet contento ſub ſubiecto. i. Petro & Paulo &c. ſeorſum ſumpto verificatur ſic ergo Petrus eſt rationalis & Paulus eſt rationalis &c. ¶ Signa oſtendentia hanc ſuppoſitionem ſunt, ſigna diſtributiua vniuerſalia, ſ. tam affirmatiua quàm negatiua ex quibus quædam diſtribuunt perſonas: A vt omnis nullus, alia tempora, vt ſemper, i. in omni tempore, numquam in nullo tẽpore, alia, loca, vt vbique. i. in omni loco nullibi. i. in nullo loco. Item & numeralia vt tres, quatuor, &c. Et alia ſigna quæ incompleta dicuntur, vt vterque neuter. vbi etiam Nota ſignum aliquando diſtribuere complete, vt cum ſumitur pro quouis ſingulari ſub termino communi contento quod dicitur ſumi pro ſingulis generum, vt in hac omne animal eſt ſenſibile, aliquãdo incompletè pro aliquo cuiuslibet ſpeciei, quod dicitur ſumi pro generibus ſingulorum, vt in hac omne animal fuit in arca Noe, non eſt ſenſus omne indiuiduũ cuiuſque ſpeciei fuiſſe in illa arca, ſed de qualibet ſpecie aliquod animal.

Copulata. Copulata eſt acceptio termini pro omnibus ſuis ſignificatis copulatim ſeu col- B lectiuè ſumptis i. quãdo prædicatum omnibus ſub ſubiecto contentis ſimul ſumptis conuenit non autem ſingulis, & ſic nõ poteſt adiungi cuilibet ſingulari ſeorſum ſumpto, vt in hac omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, dici nequit ergo Petrus eſt duodecim & Paulus eſt duodecim, ſed omnibus ſimul media coniunctione copulatiua &, ergo iſti & iſti &c. Signa autem oſtendentia iſtam ſuppoſitionem ſunt vniuerſalia affirmatiua & negatiua ſumpta in numero plurali.

Determi. Suppoſitio determinata eſt acceptio termini communis pro omnibus ſuis ſingularibus diſiunctiuè ſumptis, quãdo ſcilicet prædicatum adiungitur cuilibet ſingulari ſeorſum ſumpto cũ hac diſiunctione vel, vt in hac aliquis homo diſputat, homo ſupponit determinatè & ſic dicimus vel iſte homo diſputat, vel iſte diſputat &c. ſigna oſtendentia hanc ſuppoſitionem ſunt C ſigna particularia, aliquis, aliquando, alicubi, alter. Item & terminus communis nullo ſigno affectus, vt homo eſt albus tam ſubiectum quàm prædicatum determinatè ſupponunt.

Confuſa. Suppoſitio confuſa eſt, quando terminus ſupponit nõ pro aliquo determinato ſignificato ſingulari, ſed pro aliquo vagè & indeterminate, ſeu diſiunctim pro omnibus ſuis inferioribus. quæ hanc ſuppoſitionem oſtẽdunt ſunt. i. ſignum vniuerſale affirmatiuum ſicut diſtribuit terminũ immediatum, ita mediatum confundit, vt in hac omnis homo eſt animal. ly homo ſupponit diſtributiuè, animal verò cõfuſè, cum ta-

cum tamē ſignum vniuerſale negatiuum diſtribuat, tam inmediatum quàm mediatum, & quòd termini numerales cōfun- A dunt etiam voces mediatas quibus iunguntur, vt bis cantaui miſſam, ly miſſa ſupponit confusè quia nulla particularis ſignari poteſt, de qua verificetur propoſitio. Item & verba quæ ſuam actionem primò aplicant termino communi, vt Romæ vēditur piper, ly piper confunditur à verbo venditur, item polliceor, debeo, neceſſum aut opus eſt, requiritur, vt adequitandum requiritur equus, ly equus confunditur à verbo requiritur, non enim poteſt pro aliquo ſumi qui neceſſariò requiratur.

¶ Notandum tamen quòd à prædictis terminis ſupponentibus confusè tollitur confuſio ſi eis adijciantur ſigna diſtributiua ſiue affirmatiua ſiue negatiua, quæ illos diſtribuunt faciēdo vt ſupponant pro ſuis inferioribus immediatè & copulatiuè. B

¶ Item idem iudicandum eſſe de caſu obliquo in propoſitione quæ illo cōſtat, ſupponere ſcilicet diſtributiué ſi ſigno vniuerſali afficiatur, vt nullius hominis equus currit, determinatè ſi nullo ſigno, vt equus hominis currit.

Suppoſitio incluſiua. Vltimò tādem, ſuppoſitio alia vniuerſalis incluſiua & alia excluſiua, incluſiua eſt quæ non ſolum includit ſignificata omnia ſubiecti ſed & ſe ipſum, vt in hac omne nomen eſt vox, ly nomen includit omnia *Excluſiua* nomina & ſe ipſum, cum ſit nomen. Excluſiua eſt in qua Prædicatum ſoli ſubiecto nō conuenit cum tamē omnibus alijs à ſubiecto diſtinctis conueniat, vt in hac cœlum tegit omnia, cœlum ſicut licèt omnia tegat non tamen ſe, ita ab illa vniuerſalitate ſeipſum excludit.

Dub. incidens de reſolutione harum ſuppoſitionum.

VT ſuppoſitionū varietas exactius poſſet innoteſcere, ad inuēta eſt reſolutio quædam apud Dialecticos, quæ deſcenſus dicitur, quia ab vni*Quid deſcenſus.*uerſali ad particularia deſcendit numerando illa pro quibus ſumitur, opponiturque inductioni quæ aſcenſus quidam eſt & progreſsio à ſingularibus ſufficienter numeratis ad vniuerſalem propoſitionem vt ex eo quòd iſte ignis calefacit & iſte ignis calefacit &c. aſcendimus ad inferendam hanc vniuerſalem, ergo omnis ignis calefacit, cum tamen in noſtro deſcenſu è cōtra fiat, ꝙ ex hac vniuerſali omnis homo eſt riſibilis, deſcēdimus ad inferiora ſic, ergo iſte homo eſt riſibilis, & iſte eſt riſibilis, libet tamen animaduertere, tam in aſcenſu quàm in deſcenſu ponendam eſſe conſtantiam, quæ eſt vna propoſitio omnia membra comprehendens, vt cum dicitur hic ignis calefacit & ille ignis calefacit & ſic de ſingulis, ly & ſic de ſingulis conſtantia nuncupatur, in qua dicitur omnia membra particularia eodem modo ſicut in priori ſe habere.

Quadrup Quadruplex ergo eſt deſcenſus ſeu reſolutio alicuius propoſitionis vniuerſalis in ſua particularia. Copulatiuus, qui eſt nu*Copulatiꝰ*meratio ſingularium ſub vniuerſali contētorum adiungendo prædicatum cuicumq; B ſingulari ſeorſum ſumpto, hoc pacto deſcendit ſuppoſitio diſtributiua affirmatiua quidem per (&) vt omnis homo, hic & hic &c. ſi negatiua per (nec) nullus homo, nec iſte nec iſte, vnde coniunctiones iſtæ (et, nec) ſyncathegorematicæ vniuerſalitates dicuntur, quia diſtributiua vniuerſalis in ſyncathegoremata vniuerſalia reſoluitur.

Diſiuncti ¶ Diſiunctiuus eſt ſingularium numeratio cum hac diſiunctiua vel, cuipiam ſignificato mediato ſeorſum ſumpto prædicatum adiungendo, hoc pacto deſcendit ſuppoſitio determinata vnde diſiunctio vel, aut, ſiue, & ſimiles, particularitates ſyncathegorematicæ dicūtur, quia in illas reſoluitur particularis propoſitio. *Copulatus* ¶ Deſcenſus copulatus eſt ſingularium numeratio cum coniunctione copulatiua &, prædicatum omnibus ſimul adiungendo, ſic deſcē- C dit ſuppoſitio copulata.

Diſiunctꝰ ¶ Diſiunctus eſt, ſingularium cum eadem diſiunctione (vel) numeratio, prædicatum omnibus ſimul adiungendo, quo pacto deſcendit ſuppoſitio confuſſa in qua ſemper eſt hæc regula obſeruanda, quòd numquā eſt reſolutio à termino ſupponente confusé incipienda, ſed prius à ſupponente diſtributiué vel alia ſuppoſitione, aliàs enim dabitur antecedens verum & conſequens falſum, vt ſi dicas omnis homo eſt animal, ergo hoc animal eſt omnis homo, vel hoc eſt omnis homo, ſed prius reſolue terminum (homo) diſtributiué ſupponentem dicendo hic homo eſt animal & hic homo eſt animal, & poſtea ſub prædicato (ſ. animal) confusſè ſupponente diſiunctiuè deſ-

cende ſic, ergo iſtud animal eſt homo, vel iſtud animal eſt homo. in hac bis cantaui A miſſam reſolue prius cathegorema incluſum in termino numerali ſic, ſemel cantaui miſſam & iterum ſemel cãtaui miſſam & poſtea fac deſcenſum ſub termino Miſſa confusè ſupponente ſic, ergo ſemel cantaui hanc miſſam vel hanc miſſam.

Suppoſitio autem materialis diſcreta & ſimplex neque aſcendunt neque deſcendunt, iuxta illud *ſimpliciter, pro vno, pro ſe vox ſumpta quieſcat*. hoc autem àprimè obſeruabis in omni ſuppoſitione ne; in arguendo ab vna in aliam tranſitum facias vt ſi á ſimplici ad perſonalem vel á confuſa. ad determinatam, ſed in eadem ſuppoſitione ſemper tibi erit perſiſtendum.

Alienatio

Alienatio quæ ſuppoſitionis eſt quædã obliquitas & diſtorcio eſt diſtractio termini à proprio ſignificato ad improprium, quando. ſ. aliquis terminus ratione alicuius termini adiuncti á propria ſignificatione ad impropriam transfertur, vt ſi homini propriè animal rationale ſignificãti, addas hunc terminum pictus trahitur vt impropriè ſupponat pro homine picto cauẽdum autem eſt maximè ne à termino alienato ad eundem propriè ſupponentẽ argumentemur, vt homo pictus eſt in templo ergo homo eſt in templo.

CAPVT VI. DE APPELLAtione & Diminutione.

Appellati

APPELLATIO eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatum alterius, vt in hac Petrus eſt bonus, ly bonus aplicat Petro ſuum formale ſignificatum nempe bonitatem, dicitur *aplicatio* quia appellatio nequit eſſe niſi inter duos terminos, nihil enim ſibi ipſi dicitur aplicari, ſed alteri, terminus aplicans ſuum ſignificatum alteri dicitur appellans terminus autem cui aplicatur dicitur appellatus, dicitur aplicatio *ſignificati formalis*, quia terminus appellans debet eſſe connotatiuus habens ſignificatum formale & materiale vt ſupra, alioquin non appellaret, aplicat autem illud in concreto quia in abſtrato nequit prædicari, Terminus verò appellatus poterit eſſe vel abſolutus, aut connotatiuus, ſemper tamen ſe habebit per modum ſubſtantiui reſpectu denominantis, cuius appellationem ſuſtentat vt in hac album currit.

Duplex Material

Hæc appellatio eſt dupplex vna mate-A rialis alia formalis, Materialis eſt in qua terminus appellans aplicat ſuum ſignificatum formale, ſupra ſignificatum materiale appellati, vt in hac album currit, ly currit appellat ſupra ſignificatum materiale albi, curſus enim non dicitur de albedine, formalis eſt in qua terminus appellãs aplicat ſuum formale ſignificatum ſupra ſignificatũ formale termini appellati, vt in hac Petrus eſt logicus magnus, ly magnus magnitudinem aplicat in concreto, ſignificato formali illius termini logicus ſ. logicæ, ita vt ſit magnus in logica.

Formalis.

I. Regula.

Quæ vt rectè percipiſ valeant. Prima regula ſit, quòd quando vterque terminus appellans & appellatus ponuntur ſimul ex parte vnius extremi, vt in hac Petrus eſt logicus magnus tunc appellatio formalis eſt, vt explicuimus 2. eſt quòd cùm terminus appellans & appellatus ſeparantur B ita vt ex parte ſubiecti ponatur ſubſtantiuum cum aliquo adiectiuo, ex parte prædicati terminus appellans, appellat materialiter ſupra materiale ſ. ſubſtantiuum, vt in hac Petrus magnus eſt logicus ſeu ecõtra Petrus logicus eſt magnus. Potiſsima autem appellatio eſt formalis quãdo vnius formale ſignificatum cadit ſupra formale alterius, vt diffinitio conuenit rei formaliter vt talis eſt. item & propria paſsio & cum verba ſunt de ſe determinata ad formam alicuius ſupra quod cadunt, vt ædifico domum.

II. Regul.

III. Regu

Tertia regula nomina numeralia ſi ſubſtantiuis addantur, appellant formaliter ſupra formale, vt tres homines ideſt tres humanitates, ſi vero adiectiuis, appellãt materialiter, & ſic multiplicant materiale tãtum ſcilicet ſubiectũ, vt tria alba, ideſt tria C ſubiecta habentia albedinem.

De modo arguendi.

In arguendo appellatio numquam varietur, vnde male arguitur Petrus eſt logicus & eſt magnus, ergo eſt magnus logicꝰ quia in minori ly magnus appellat materialiter ſupra Petrum, & in conſequentia formaliter ſupra logicam.

Diminut.

Diminutio quæ appellationis eſt obliquitas & diſtortio, eſt appellationis coarctatio, quando terminus ex ſe potens ſupponere pro toto, ratione alicuius additi diminuentis fit vt ſupponat tantum pro parte, vt ſi albo potenti ſupponere pro toto homine addatur particula hæc diminuens (ſecundum dentes) coarctatur vt ſupponat pro illa parte tantum. Vnde à termino

diminu

diminuto ad non diminutum ſiue ad eundem abſoluté ſumptum non valet argumentum, vt eſt albus ſecundum dentes ergo eſt albus, eſt enim fallacia à dicto ſecũdum quid ad dictum ſimpliciter.

CAPVT VII. DE STATV, Ampliatione & Reſtrictione.

Status. STATVS termini eſt acceptio exiſtentiæ termini pro ea temporis differentia quæ per copulam ſignificatur, ita vt nec amplietur ad alias differentias temporis, nec reſtringatur ad pauciores, vt in hac Petrus eſt albus, Petrus dicitur ſtatum habere quia ſupponit pro Petro exiſtente pro tẽpore præſenti in quo habet albedinem vt per copulã ſignificatur huic ſtatui opponuntur ex vna parte Ampliatio, ex alia Reſtrictio.

Ampliati Ampliatio eſt extenſio termini à mino-
Duplex. ri ad maiorem ſuppoſitionẽ. Quæ duplex
Temporũ eſt, vna temporum tantum quæ eſt extenſio termini ad varias temporis differẽtias cum nimirum ſub verbo ſeu copula principali præter differentiam temporis per illam ſignificatam expreſsè, aliæ differentię
Suppoſito. virtualiter continentur. Alia eſt temporum & ſuppoſitorum, quando terminus ñ ſolum extenditur ad varias temporis differentias ſed etiã ad plura ſuppoſita quàm acciperentur, ſi ñ ampliaretur, hæc ampliatio cõuenit termino communi, cum enim multa ſignificet poteſt ampliari vt pro pluribus ſumatur, vt in hac iuſti ſaluabuntur, ly iuſti ampliatur non ſolum ad iuſtos qui modo ſunt, ſed et ad futuros. ampliatur item & tempus ad præſens & futurum. illa verò termino ſingulari vt in hac Petrus ſaluabitur ly Petrus ſupponit pro vno ſingulari tantum, & ſic non ampliatur quoad ſuppoſita, extenditur tamen illius exiſtentia ad plures temporis differentias, ita vt ſenſus ſit Petrus qui eſt, vel fuit, vel futurus eſt ſaluabitur.

Vbi Aduerte quòd licèt loquendo phyſicè tantum ſint tres temporis differentiæ ſ. præſens præteritum & futurum, logici tamen alias duas ſuperaddunt. ſ. poſsibile & imaginabile. debet autem fieri diſiunctiuè ampliatio, per diſiunctionem vel, vt Petrus ſaluabitur qui eſt, vel fuit, vel erit, cũ proceſſus copulatiuus per coniunctionem, (et) potius reſtringat, vt infra.

Aduerte cum Doct. Scoto, 1. prio. q. 16 quòd terminus ampliatus dicitur ille qui *Scotus. 1.*
A amplicatur paſsiuè, ita quòd pro pluribus *pro. q. 16.*
ſupponat quàm ante, terminus ampliatiuus eſt qui ampliat, vt prædicatum vel copula præteriti vel futuri temporis, aut de poſsibili quæ ampliant ſubiectum. termini autem ampliatiui ſunt in multiplici differentia vt ſtatim.

Vt autem intelligi poſsit quando terminus ampliatur nonnullæ ſolent regulæ obſeruari, quæ omnes in communi concipiẽdi modo fundantur. Prima eſt, quòd ver- *I. Regula.*
bum præteriti temporis in propoſitione ampliat terminum antepoſitum. ſ. ſubiectum, ad præſens vel præteritum, prædicatum verò in ſtatu relimquit, vt in hac Petrus audiuit lectionem Petrus ſupponit p eo qui eſt vel fuit, lectio, verò iuxta verbi ſignificationẽ ſtat pro lectione præterita.

2. eſt verbum futuri temporis, ſubiec- *II. Regul.*
B tum ampliat ad præſens vel futurum, prædicatum verò in ſtatu relimquit, vt ædificator (qui. ſ. eſt vel erit) ædificabit domũ domus ſtat pro futura.

3. verba quæ generationẽ aut inceptionẽ *III. Regu.*
ſignificant. de præſenti ſubiectum ampliant ad præſens & futurum, vt pluuia incipit quæ. ſ. eſt vel erit. de præterito extendunt ſubiectum ad præſens & præteritum vt homo fuit genitus, qui, ſ. eſt vel fuit. ſi de futuro ſubiectum in ſtatu relimquunt, vt homo generabitur qui. ſ. erit. Quæ autem rei corruptionem ſignificant aut deſitionem de præſenti ampliant terminum cui ſuum ſignificatum aplicant ad præſens vel præteritum, vt comburo domum quæ ſcilcet eſt vel fuit, ſi de præterito illũ inſtatu relimquunt vt homo deſiuit eſſe, qui. ſ. fuit. ſi de futuro illum ampliat ad præsens & futurum.

4. verbũ poteſt & aduerbia illud includẽtia *IIII. Reg*
C vt poſsibiliter impoſsibiliter, & omnes termini ſignificantes rei poſsibilitatem, vt nomina in (bilis) vt producibilis, amabilis &c ampliant terminos antepoſitos quibus adiunguntur, ad præſens, præteritum, futurum, vel poſsibile vt Petrus poteſt currere qui. ſ. eſt vel fuit, vel erit, vel eſt poſsibilis. Et huc ſpectant omnes propoſitiones in materia naturali, vt homo eſt animal. Verba autem quæ actum animæ ſignificant, ampliant terminum ſupra quem cadunt ad omnes temporis differentias, vt deſidero alium orbem. ſ. qui eſt, vel qui fuit, vel qui eſt futurus, vel qui poteſt eſſe. vel imaginatur, poſsibilis. verũ eſt nõnulla

verba

verba eſſe quæ rem ſignificãt indeterminata temporis differẽtia, vt video, reprobo, A prædeſtino, quæ non extenduntur ad poſſibile, vel imaginabile.

Reſtrictio Quid. Reſtrictio ampliationi oppoſita, eſt cõtractio ſeu coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem, ſiue ſuppoſitorũ ſiue differentiarum temporis ratione alicuius additi, ſiue illud additum ſit nomen adiectiuum poſitum in eodem extremo, ſiue ſubſtantiuum aliud, vt in hac *homo iuſtus loquitur* ly homo ratione additi iuſtus reſtringitur vt tantũ pro hominibus iuſtis ſtet, *Phyloſophus Ariſt. loquitur* Ariſtot. reſtringit Phyloſophum vt ſtet ſolum pro illo. eandem vim reſtringendi habet caſus B obliquus additus recto vt *filius Sophroniſci diſputat* oratio item ſuperaddita, vt *beatus homo qui virtutes ſectatur* aduerbia itẽ modificantia reſtringuunt extremũ ſupra quod cadunt vt *Petrus currit velociter* pro curſu veloci. Tandem ſi temporis differẽtiæ ad quas fit ampliatio copulatiuè ponãtur, tunc terminus dicitur reſtringi, quia determinatè & expræſsè ſupponit ꝓ illis.

Modus arguendi inter amplũ & reſtrictum. Modus arguẽdi ab amplo ad ñ amplũ, ſeu reſtrictũ idẽ debet eſſe qui inter ſuperius & inferius vt lib. ſequẽt. c. 2. dicemus. eſt enim amplũ ſuperius ad nõ amplum, vnde ab amplo ad reſtrictum affirmatiuè ñ valet conſequentia. *Petrus diſputat ergo bene diſputat*, valet tamẽ negatiuè, á reſtricto autem ad amplum ècontra valet affirmatiuè, *Petrus bene diſputat, ergo diſputat.* nõ tamen negatiuè. Famoſior diſputandi modus eſt inter actũ & potentiam, vnde ab actu ad potẽtiã valet affirmatiuè, vt *diſputat ergo poteſt diſputare* ñ tamẽ negatiuè. à Potẽtia ad actũ affirmatiuè ñ valet *poteſt diſputare, ergò diſputat* valet tñ negatiuè.

Semper autem cauendum eſt, ne plus concludatur in conſequenti, quàm poteſt ex vi antecedentis. et ideo cum opus fuẽrit aliquid pro conſtantia addatur.

LIBER SECVNDVS DE HIS QVAE AD Secundam intellectus operationem ſpectant.

APREHENSIS ab intellectu terminis ſimplicibus per primam operationem, ſtatim progreditur ad illorum compoſitionem, & diuiſionem per ſecundam operationem, quæ obid compoſitio aut diuiſio appellatur, quia per eã ex terminis aprehenſis vt ex partibus ꝓpoſitiones cõſtruit. Si termini ſint tales vt vnus alteri conueniat, affirmatiuam, in qua vnum alteri attribuit, ſic, homo eſt albus. Si verò vnum alteri repugnet, negatiuam, in qua vnũ ab altero diuidit ac ſeparat per negationẽ ſic homo non eſt equus. Cum ergò propoſitiones ex terminis compoſitæ ſint quę ad ſecundam operationem ſpectant, ideo de illis in præſenti libro agendum eſt, & prius de oratione Quæ genus eſt ad illas.

CAPVT .I. DE ORATIONE & illius diuiſione.

Oratio Quid. ORATIONIS diffinitionem ſanxit Ariſtoteles 1 lib. periermen. c. 4. dicens. *Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum cuius partes ſeparatæ aliquid ſignificãt, vt dictio, non vt affirmatio & negatio* dicitur vox, non quia ſit vna vox ſimplex, ſed quia eſt vna per compoſitionem, cuius partes eandem ſignificationem retinent ſeparatæ ac coniunctæ ſignificantque vt termini ſimplices, & non vt propoſitiones aliquid de alio affirmando vel ne- C gando.

Diuiſio orationis. Diuiditur oratio in communi in perfectam & in imperfectã. *Perfecta.* Perfecta eſt quæ in animo audientis ſenſum generat perfectum, quo. ſ. audito quieſcit animus, de qua poſtea. *Imperfect.* imperfecta verò quę ñ generat perfectum ſenſum, atque adeo ea audita nõ quieſcit animus. *Duplex.* quæ duplex eſt, vna quæ cõficitur ex verbo modi infinitiui, vt Petrũ currere. & ſubiunctiui, vt cum amarẽ,

quibus auditis non quieſcit animus. Alià quæ caret verbo. Et hæc ad huc eſt triplex A vna quæ conſtat partibus quomodo cumque congruè ſe habentibus, de qua ſupra.

Alia conſtans partibus aliquod totum diſtribuentibus, quæ appellatur diuiſio, 3. quæ conſtat partibus alicuius naturam explicantibus, quæ dicitur diffinitio. de quibus modo eſt diſſerendum (licét ad primam intellectus operationem ſpectent) quia diffiniuntur per orationem quæ genus eſt non ſolùm ad ea quæ ad ſecundam operationem, ſed quæ ad primam ſpectãt. ad terminos. ſ. complexos.

CAPVT. II. DE DIVISIONE.

Diuiſio. Quid?.

QVIA diuiſio eſt veluti methodus & via ad diffinitionem, cum prius rem confuſſam & complexam diuidamus, quàm diffiniamus, & ad hoc diuidamus, vt ſciamus genus ad ſpecié ſub illo cõtentam diffiniendam, ideó prius de diuiſione. Eſt ergo Diuiſio *oratio totum aliquod in ſuas partes diſtribuens*, totum quod diuiditur appellatur diuiſum, partes in quas diuiditur mẽbra dicuntur diuidẽtia. Diuiſio in cõmuni duplex eſt, vna nominis, alia rei.

Diuiſio. Duplex.

Diuiſio nominis Quid?

Diuiſio nominis eſt (quæ melius diſtinctio vel enumeratió poteſt appellari) qua aliquod nomen multiplex in ſua ſignificatione, in ſua ſignificata diuiditur, vt ſi dicas vox hæc canis aut ſignificat ſydus cœleſte, aut animal latrabile, &c. vnde eſt quædam ſignificationum enumeratio.

Diuiſio rei Triplex vniuerſalis in inferiora.

Diuiſio rei eſt qua res ipſa per nomẽ ſignificata in ſuas partes diuiditur. Et eſt triplex vna eſt totius vniuerſalis in ſua inferiora quæ partes ſubiectiuæ appellantur, quia de illis vt de ſubiectis illud commune affirmatur; ſic diuidimus genus in ſuas ſpecies, vt animal in hominem equum &c. ſpeciem in ſua individua vt hominé in Petrũ & Paulũ. Alia eſt alicuius totius in partes ex quibus cõponitur, quæ partitio dicitur, ſiue illæ partes ſint eſſẽtiales, ex quibus ſcilicet totum eſſentialiter componitur, & ſine quibus nullatenus eſſe nec intelligi poteſt. quæ ſunt in duplici diſcrimine, quædã phyſicæ, vt materia & forma, ſic diuiditur homo in corpus & animã, quæ diuiſio phyſica appellatur. aliæ metaphyſicæ, vt genus & differentia vt cũ homo diuiditur in animal & rationale, quæ dicitur diuiſio metaphyſica. Siue partes ſint integrales, quæ ſcilicet nõ ſunt de eſſentia totius, ſed

Totius in partes ſiue eſſentialis.

Phyſicas.

Metaphyſicas.

Siue integrales.

ſine illis eſſe poteſt, ſic homo diuiditur in pedes, manus, caput &c. 3. Diuiſio eſt per accidens, quia partes in quas talis diuiſio fit, per accidens ſe habent ad diuiſum, quæ triplex eſt, vna eſt ſubiecti in accidentia, vt cùm homo qui ſubiectum eſt albedinis & nigredinis, in album & nigrum ſic diuiditur, hominum alius albus, alius niger.

Diuiſio per accidens. Triplex.

Alia eſt ècontra accidentis in ſubiecta vt alborũ aliud homo, aliud nix, aliud papyrus. 3. Accidentis in alia accidentia, vt dulcium aliud album, aliud flauum.

Condiciones bonæ diuiſionis.

Cõdiciones bonæ diuiſionis ſunt. Prima vt ſit brebis & diuidat in pauca membra quoad fieri poſsit. 2. vt membra diuidẽtia aliquam inter ſe oppoſitionem habeãt, & aliquo modo adinuicem diſtinguantur. 3. vt quodlibet membrum diuidens ſeorſum ſumptũ ſit inferius & minus diuiſo. 4. vt omnia membra diuidentia ſimul ſumpta adæquent diuiſo, ita vt nihil amplius contineat diuiſum quam membra diuidentia, B vnde hæc eſt bona diuiſio, animal aliud rationale aliud irrationale. Alia autem condicio quę ad hiberi ſolet, quod diuiſum de quouis membro prædicetur, tantum conuenit diuiſioni ſuperioris in inferiora.

Modus arguendi in diuiſione.

Modus arguendi in diuiſione eſt triplex Primus eſt à diuiſo ad membra diuidẽtia, qui dupliciter poteſt cõtingere, primò ex negatione diuiſi bene infertur negatio omnium membrorum diuidentium, vt *non eſt animal ergò nec rationale, nec irrationale.* 2. ab affirmatione diuiſi valet bene ad affirmationem membrorum ſub diſiunctione, vt *eſt animal: ergò vel rationale, vel irrationale* non tamen valet à diuiſo affirmatiuè ad quodlibet membrum determinate: vt *eſt animal ergo, homo.* Secundus modus eſt à membris diuidentibus C ad diuiſum, qui etiam dupliciter poteſt fieri. Primò á quouis membro diuidenti affirmatiuè ad diuiſum valet, vt *eſt rationale, ergo animal.* 2 ab omnibus mẽbris diuidentibus ad idem diuiſum negatiuè, vt *non eſt rationale nec irrationale, ergò non eſt animal* ñ tamen à quolibet ſeorſum vt *non eſt rationale ergò non eſt animal* qui duo modi fundantur in 3. &. 4. lege bonæ diuiſionis. Tertius modus eſt à membris ad membra, qui etiã dupliciter poteſt fieri. Primò ab affirmatione diuiſi & vnius membri diuidentis ad negationem cæterorum, vt *eſt animal & rationale, ergò non irrationale,* 2. ab affirmatione diuiſi & negatione vnius vel plurium membrorum ad affirmationẽ

à diuiſo ad mẽbra

à mẽbris ad diuiſũ

à mẽbris ad mẽbra

reſidui,

ut ait ratl(e) no.e irrationale 2. animal aliud ratlis aliud irratlis irratle. l. rationale .4. iratle. l rationale

reſidui, vt eſt animal & nō rationale, ergo irrationale, quod Argumentum à ſufficiē A ti partium enumeratione dicitur.

CAPVT III. DE DIFFINITIONE.

Diffinitio Quid?

DIFFINITIO quæ á latinis finitio & ab Ariſtotele terminus appellatur quia rei diffinitæ naturam quaſi finit & circunſcribit ab alijſque ſecernit. ſic diffinitur *eſt oratio rem aliquam declarans.* dicitur oratio, vt excludatur vox ſimplex, quæ nequit eſſe diffinitio, quia licèt totam eſſentiam diffiniti ſignificet, vt vox hæc homo totam naturam hominis, non tamen explicitè ſed implicité, & confuſè. dicitur item oratio & non enunciatio, vt maledixit Quintilianus, quia licèt cōplexio vocum debeat eſſe, vt ſic diſtinctè declaret quod confuſè latebat in diffinito, non tamen enunciatio vt expreſsè

Ariſtot.

teſtatur Ariſtot. lib. 1. periherm. c. 4. & 2. B poſt. c. 3. & 6 topic. c 2. aſſerens diffinitionem non ſignificare verum vel falſū, vnde diffinitio non eſt totum illud, homo eſt animal rationale, alioquim diffinitum ingrederetur diffinitionem, ſed tantum illæ duæ particulæ, animal rationale, ex quo ſumitur ratio à priori cur diffinitio non ſit dicenda vera vel falſa, ſed bona vel mala. quæ omnia ſunt diuiſioni ad aptanda non enim eſt propoſitio illa hypotetica ex diuiſo & membris diuidentibus, vt animal aliud eſt rationale & aliud eſt irrationale, ſed diſpoſitio mēbrorum diuidentiū abſq; copula, & excludendo diuiſum, vt illæ particulæ, aliud rationale, aliud irrationale.

Diffinitio duplex. Scotus. 1. prior. q. 5. Vna nominis.

Diffinitio eſt duplex vt ait noſter Doct. li. 1. pri. q. 5. vna nominis, & alia rei. Nominis eſt quæ alicuius vocabuli ſignificatio- C nē exponit, vt infinitum ſignificat rem quæ fine caret, ad hāc reuocatur interpretatio nominis, quæ ab illa in hoc diſtinguitur, q; diffinitio nominis per idem idioma termini ſignificationem patefacit. interpretatio autē eſt verſio vnius idiomatis in aliud, vt Adam Hebraicè, latinē eſt homo. & etiam ethymologia quæ vocis originē declarat, vt Sol quia ſolus lucet, quæ diſtincta ſolet eſſe à nominis ſignificatione, propter quod dici ſolet, aliud eſſe à quo nomē imponitur aliud vero ad quod ſignificādū imponitur, vt lapis dicitur à lædendo pedem, non tamen pedis læſionem ſignificat, ſed petram multum tamen ad illam iuuat, & frequenter ab illa non diſtinguitur.

Alia diffinitio rei. Ariſtot. Scotus.

Diffinitio rei eſt oratio ipſum quod quid A eſt ſignificans. vt ait Ariſtotele 1. topic. c. 4. ideſt diſtinctè explicans naturam rei quæ duplex eſt ſecundum Doctorem inibi vna eſſentialis, alia diſcriptiua.

Vna eſſentialis & illa aut Phyſica.

Eſſentialis eſt quæ explicat rei eſſentiam per partes intrinſecas & eſſentiales ſine incluſione alicuius extraneæ condicionis & hæc dicitur purè quidditatiua. Quæ rurſus eſt duplex vna Phyſica, quæ datur per partes phyſicas, materiam. ſ. & formam, vt homo eſt cōſtans corpore & anima, corpus eſt materia, anima vero forma. alia

aut Metaphyſica.

methaphyſica, quæ datur per partes metaphyſicas, genus. ſ. & differentiam rei, vt homo eſt animal rationale, quæ eſt inter eſſentiales celeberrima vt pote magis artificioſa, quæ quidditatiua ſolet appellari quia explicat quidditatem. i. eſſētiam per genus quod prędicatur in quid.

Diſcreptiua.

Diffinitio deſcriptiua eſt quæ explicat B eſſentiam rei per accidentia propria, vt homo eſt animal riſibile. vel per accidentia communia tot tamen & talia vt ſimul ſumpta in alio nequeant reperiri, vt homo eſt animal, bipes, in plumme, erectum &c. huc etiam ſpectat quæ datur per cauſas extrinſecas, efficiētem ſcilicet & finalem, adde etiam exemplarem quæ eſt forma externa cuius imitatione res fit, vt imago ex quibus cauſis ſic poteſt homo diffiniri, *homo eſt conditus ad Deo* ecce cauſam efficientem, *ad ſui imaginem* ecce exemplarē *propter beatitudinem*, Quæ finis eſt hominis ad hanc etiam reducitur diffinitio quæ datur per proprios effectus, vt Sol eſt corpꝰ illuminans. Item & deſcriptiones conglobatæ, quibus Poetæ & oratores rem aliquam depingunt.

Notatio.

C Dicitur autem diffinitio hæc deſcriptio quia naturam rei nō omnino exprimit ſed quaſi primis linea mentis adumbrat, & ab Ariſtotele dicitur vna coniunctione, quia ex accidentibus & diffinito non fit vnum ſimpliciter, ſed vnum coniunctione, quod eſt vnum ſecundum quid.

Diffinitū Quid? Duplex. Propimquum. Ramitum.

Diffinitum appellatur res illa quæ per diffinitionem explicatur quod duplex eſt propimquum & remotum. Propimquum eſt illud cui proximè, & immediatè diffinitio conuenit. Remotum verò cui remotè & quatenus in propimquo continetur, vt reſpectu huius diffinitionis animal rationale, diffinitum proximum eſt homo, vnde ei adæquatè conuenit. remotum verò eſt Petrus, cui illa diffinio com-

petit, prout in homine continetur, atque adeo in adæquatè, omne diffinitum debet eſſe vnum ens per ſe, quæ enim plura ſunt, plures habent eſſentias, atq; adeo nequeunt vna diffinitione diffiniri. debet itẽ eſſe vniuerſale, quod ſolum inmutabile eſt & diffinitio eſt res inmutabilis; & debet eſſe ſpecies quæ ex genere & differẽtia componitur, ex quibus propria diffinitio conſtat. *Condiones diffiniti.*

Leges diffinitionis. Prima. Leges bonæ diffinitionis Prima; quòd clarior ſit diffinito, obſcurũ enim per obſcurum nequit declarari; vnde cauendum eſt ne diffinitum ingrediatur diffinitionẽ. *Secunda.* 2. quòd conſtet proprio genere, & propria differentia vel aliquo alio loco iſtorum, vnde loco generis & differentiæ, illorum diffinitiones aut rationes eſſentiales poterunt in diffinitione ſubrogari, vt loco animalis viuens ſenſibile *Tertia.* 3. quòd nec ſuperflua ſit nec diminuta, ſed totam & ſolam naturam diffiniti contineat quia cum illo debet reciprocari & conuerti. *Quarta.* 4. quòd ſit brebis quoad fieri poſsit, ita vt brebitas obſcuritatem non pariat.

Modus arguendi in diffinitio. Modus argumentandi inter diffinitionem & diffinitũ eſt, quòd ex affirmatione vel negatione vnius infertur affirmatio vel negatio alterius, & quidquid affirmatur vel negatur de vno, affirmatur vel negatur de alio, vt eſt homo ergo animal rationale vel ecõtra, homo eſt riſibilis, ergò animal rationale eſt riſibile, vel ècontra.

Notatio. Ex dictis ſequitur diuiſionem & diffinitionem formaliſsimè ſumptas, vt. ſ. illa dicit præcisè partium enumerationem, hæc complexionem ex genere & differentia incompletas eſſe. quia tantum de eſt de complemento quantũ de perfectione, ſed ſunt operationes imperfectæ. ſ. non facientes ſenſum perfectum & ad ſimplicem operationem ſpectantes, ſunt ergò incompletæ inter quas incompletior eſt diuiſio, cum via ſit ad diffinitionem; via autem ſuo termino eſt in completior. quod aduerte pro his quę de obiecto logicę ſunt expendẽda.

CAPVT. IIII. DE ORATIONE perfecta & Potiſsime de Propoſitione.

Oratio perfecta quid ORATIONEM perfectam eſſe diximus quæ in animo audientis perfectum generat ſenſum, quia integram ſententiam declarat, ita vt ea audita nihil vltra expectemus. Quæ multiplex eſt

A Indicatiua ſeu enunciatiua quæ per omnia tempora modi indicatiui conſtituitur, vt Petrus eſt albus. *Indicatiu* Imperatiua vt *vade age nate voca Zephyros, & labere pennis.* *Imperatiua.* Vocatiua vt *huc ades o Melibee.* *Vocatiua.* Interrogatiua *Dic mihi Dameta cuium pecus*, *Interrogatiua* Deprecatiua vt *Iupiter omnipotens precibus ſi flecteris vllis, da deinde auxilium pater, atque hæc omnia firma* *Deprecati* optatiua vt *o mihi præteritos referat ſi Iupiter annos* *Optatiua.* ex quibus ſola enunciatiua ad logicum ſpectat, quæ ſola eſt perfecta in veritate & falſitate ſignificanda, quia in ea reperitur compoſitio intellectus, aliæ vero tantum ſunt perfectæ in aliquibus effectibus exprimendis. cum enim impero fac ignem nullam profero veritatem, falſitatem ve, ſed tantum explico meam voluntatem. Logici autem munus eſt, veritatem & falſitatem indagari.

B Eſt ergò Propoſitio ſeu enunciatio oratio perfecta alicuius de alio, ſ. vnum de alio enuncians, vnde reijcitur diffinitio illa qua à recentioribus per ſignificare verum vel falſum diffinitur, cum ſignificatio veritatis aut falſitatis non ſit de eſſentia enunciationis, vt ait noſter Doctor. 1. lib. periermen. q. 3. & in 4. d. 8. *Scotus. 1. perie. q. 3.* cum eadem enunciatio numero manens poſsit de vera in falſam mutari, poſsitque dari enunciatio neutra nec vera nec falſa ſaltim pro aliquo inſtanti, vt ſuo loco oſtendetur. reijcitur & alia diffinitio modernorum qua diffinitur per ſignificare aliquid eſſe vel non eſſe, cum genus diffiniri non debeat per ſuas differentias oppoſitas, vt animal per rationale vel irrationale. ſed ſignificare eſſe vel non eſſe ſunt oppoſitæ differentiæ contrahentes genus enuncia-

C tionis, quia per eſſe rei affirmatum propoſitio affirmatiua conſtituitur, & per eſſe negatum propoſitio negatiua, talis ergo enunciationis in communi diffinitio non eſt bona, ſed potius eſt diuiſio quàm diffinitio.

1. Diuiſio Enũciatio. Vna. & Plures. Enunciatio diuiditur primò in vnam & plures, vna ſeu vniuoca eſt quæ vnum ſenſum habet, vt Deus eſt miſericors, Franciſcus fuit humilis enũciatio plures, ſeu æquiuoca vel multiplex eſt quæ plures ſenſus habet & non cohærẽtes, vt canis eſt ſubſtantia, licet voce vna ſit, tres continet enũciationes valde diuerſas: ſ. piſcis eſt ſubſtantia, ſydus eſt ſubſtantia, canis latrabilis eſt ſubſtantia.

Enun-

Secunda Diuiſio ſinplex.

Enunciatio vna 2. diuiditur in ſimplicem & compoſitam. ſimplex enunciatio quæ etiam categorica ſeu prædicatiua dicitur eſt quæ vnum de alio enunciat, vnde partes eius proximæ ſunt ſubiectũ & prædicatum, ſubiectum eſt materia, prædicatum forma ſubiecti, verbũ quod eſt vtriuſque nexus, eſt forma eſſentialis totius propoſitionis, in qua neruus totius aſſenſus conſiſtit. in ſimplici ergò enunciatione ſubiectum etiam ſi altera enunciatio ſit, prædicati appellationem accipit. vt in hac Petrus qui tacet eſt doctus. vbi de eo qui tacet enunciatur proximè doctum eſſe

De. 3. ad iacente.

Quando in enunciatione præter ſubiectum & verbum eſt aliquod prædicatum, vt homo eſt albus, dicitur de tertio adiacente. Quæ vero ſolum conſtat ex ſubiecto & verbo ſubſtantiuo, dicitur de ſecundo adiacente vt Petrus eſt. in prima verbum vim habet ſolius copulę vt docet Doct. in 1. perie. q. 8. in ſecunda eſt copula ratione ſignificati formalis. prædicatum ratione materialis. ſ. participij incluſi. de enũciatione coniuncta poſtea.

De. 2. ad iacente.

Scotus. 1. prio. q. 8.

Tertia diuiſio Abſoluta quid?

Tertio diuiditur enunciatio ſimplex in Abſolutam, Modalem. & Exponibilem. Abſoluta eſt in qua vnum de altero abſolutéſine aliquo modo addito enunciatur vt Petrus currit, quæ etiam de in eſſe apelatur. de Modali & Exponibili poſtea.

Quarta diuiſio Affirmatiua

Quartò Abſoluta propoſitio diuiditur ex parte formæ ſcilicet verbi in affirmatiuam & negatiuam, Affirmatiua eſt cuius copula principalis eſt affirmata. i. nulla negatione affecta, atque adeo in illa vnum de alio enunciatur per affirmantem ſeu attributionem, vt Petrus eſt homo. negatiua eſt cuius copula principalis eſt affecta negatione. atque adeo in illa vnum de altero enunciatur per negantem. i. per remotionem, vt homo non eſt lapis

Negatiua

Notatio.

Cum verbum ſit forma eſſentialis enunciationis, negatio & affirmatio quæ ex illo ſumuntur, in quibus formaliſsima ratio iudicij conſiſtit, dicuntur differentiæ eſſentiales, atque adeo qualitates eſſentiales, ſicut & omnes differentiæ, ſicque intelligitur diuiſionem hanc dari ſecũdum qualitatem ſcilicet eſſentialem quæ á forma rei ſumitur, eſſeque generis in ſuas ſpecies notanter autem in vtriuſque diffinitione copula principalis additur vt bene explicat Doct. Scotus 1. prio. q. 3. verbum enim quod ſe tenet ex parte alicuius extremi, cum id quod ſubiecti aut prædicati rationem induit eſt aliqua enunciatio, dicitur copula minus principalis, ex cuius affirmatione vel negatione non redditur tota propoſitio affirmatiua vel negatiua, ſed ex illius verbi quod integrum prædicatum cum integro ſubiecto coniungit. (quod copula principalis dicitur.) vnde hæc Petrus qui non loquitur eſt prudens affirmatiua eſt, quia licet copula minus principalis ſci licet non loquitur negata ſit, principalis tamen. ſ. (eſt) connectens cum toto illo ſubiecto prædicatum (prudēs) affirmata eſt.

Scotus. 1. prio. q. 3.

Copula Principal

Qualitas propoſit[s]

Veritas autem & falſitas ſunt qualitates accidentales, vnde diuiſio enunciationis in veram & falſam eſt accidentalis. dicitur propoſitio vera de præſenti quæ dicit rem eſſe ſicuti eſt à parte rei, vt hæc homo eſt animal. falſa verò quæ dicit rem aliter quám eſt, vt homo eſt equus, ab eo enim quòd res eſt vel nõ eſt propoſitio dicitur vera vel falſa. & in ea verificantur enunciatio de præterito & futuro, de præterito ergo eſt vera quando facta de præſenti aliquando fuit vera, vt hæc Xp̄s fuit natus eſt vera, quia aliquando fuit verum dicere Xp̄s naſcitur. & hæc Antixp̄s erit eſt vera quia facta de præſenti aliquando erit verum dicere Antixp̄s eſt.

Enunciat. vera.

Falſa.

De preſēti

De præteri

De futuro

Quintas. Diuiſio.

Quintò diuiditur enunciatio abſoluta ex parte Quãtitatis quæ ſumitur à materia proxima quam diximus eſſe ſubiectum, (ſicut enim in naturalibus dicitur à materia ſumi quantitatem, quæ eſt magnitudo & extenſio ſubſtantiæ, ſic à ſubiecto vt potè à materia proxima ſumitur quantitas & extenſio propoſitionis qua dicitur vniuerſalis vel particularis) in vniuerſalem. Particularem indefinitam, & ſingularem, ſecundum quòd ſubiectum quatuor modis poteſt capi quam diuiſionem ſic colligit noſter Doctor 1. prio. q. 4. in propoſitione vel ſubiectum eſt terminus diſcretus i. ſingularis vt in hac Petrus eſt albus & ſic eſt propoſitio ſingularis, aut eſt terminus communis, & hoc tripliciter aut cum ſigno, & hoc. l. vniuerſali ſiue affirmatiuo, ſiue negatiuo, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt equus, & ſic eſt propoſitio vniuerſalis. vel particulari vt aliquis homo diſputat, & ſic eſt propoſitio particularis, aut ſine vllo ſigno vt homo è albus, & eſt indefinita quæ ideo ſic appellatur quia cum nullo ſigno afficiatur indifferens eſt vt vniuerſalis l. particularis poſſit effici, in quo à particulari diſtinguitur.

Scotus. 1. prio. q. 4.

Propoſitio. ſingularis

Vniuerſalis.

Particularis: indefinita.

Sexta Diuiſio.

Sextò diuiditur iterum enuciatio abſoluta ex parte ſubiecti & prædicati in enunciationem finitam & infinitam, de extremo ſimplici aut coniuncto. *Finita.* finita eſt cuius vtrumque extremum ſubiectum & prædicatum eſt finitum. i. nulla negatione affectum vt homo eſt doctus. *Infinita.* infinita eſt cuius vel vtrumque extremum, vel alterum tantum eſt infinitum, vt non homo currit, homo eſt non albus. vbi obſerua quod ſi dictio aliqua quæ tantum eſt affectio & ſyncategorema ſubiecti fuerit negata non reddit enunciationem infinitam, vnde hæc non eſt infinita hic equus eſt hominis non albi. *De cõiuncto extrem.* enunciatio de coniuncto extremo eſt cuius aut ſubiectum aut prædicatum aut vtrumque eſt terminus complexus ex multis categorematis, vt Petrꝰ eſt homo ſapiens, Petrus iuſtus eſt doctus homo iuſtus eſt prudens & ſimplex.

Septima Diuiſio.

Tandem diuiditur enunciatio abſoluta in neceſſariam, impoſsibilem & contingentem. quæ diuiſio ſumitur ex parte materiæ remotæ ſeu circa quam enunciationis; dicitur autem materia circa quam enūciationis res ſignificata per ſubiectum & prædicatum aut habitudo inter illas, quia circa illam verſatur enunciatio, vt ſignum indicans quo pacto ſe habeant inter ſe, dicitur materia remota quia res ipſæ non componunt proximè & immediatè enunciationem ſed medijs terminis quibus ſignificantur & loco illarum ſubſtituuntur & ex diuerſa habitudine ſeu diuerſo modo quo ſe habent res ſignificatæ inter ſe, diuerſa cõſurgit materia. & quia tripliciter poſſũt res ſe habere inter ſe triplex eſt materia hæc. *Materia neceſſaria.* primò vt res ſignificata per prædicatum ita neceſſariò conueniat rei ſignificatæ per ſubiectum vt ſit vel tota illius eſſentia, aut pars eſſentialis, aut proprietas ab illa propagata, vt animal rationale & riſibilitas conueniunt homini & hæc eſt materia neceſſaria. *Remota.* 2. ita vt omnino repugnet illi vt natura lapidis repugnat homini & eſt materia impoſsibilis. 3. vt conueniat illi contingenter ita vt poſsit ad eſſe & nõ ad eſſe, vt eſſe album conuenit homini, & *Cõtingens* eſt materia contingens. iuxta hanc ergo triplicem materiam eſt triplex enũciatio.

Propoſitio neceſſaria. Neceſſaria ſeu naturalis eſt quæ eſt de materia neceſſaria & naturali, in qua affirmatiua ita eſt neceſſaria & vera vt nõ poſſit eſſe falſa, vt hæc homo eſt animal rationale vel riſibile. negatiua autem ſemper eſt impoſsibilis. *Impoſsibi.* enunciatio Impoſsibilis eſt illa quæ eſt de materia impoſsibili ſignificans coniunctionem rerum repugnantium inter ſe vt homo eſt equus, quæ affirmatiua ita eſt impoſsibilis & falſa vt numquam poſsit eſſe vera, negatiua verò ſemper eſt neceſſaria & vera vt homo non eſt lapis. *Cõtingens* Propoſitio contingens eſt de materia contingenti; cuius prædicatum contingenter conuenit ſubiecto. vnde ſiue affirmatiua ſiue negatiua poteſt contingenter eſſe vera vel falſa.

Notatio. Nec tē prætereat, quòd propoſitio indefinita in materia neceſſaria ſi directa ſit in qua .ſ. prædicatum eſt ſuperius aut æquale & conuertibile cum ſubiecto; aut ſi ſit in materia impoſsibili, ratione materiæ æquiualet vniuerſali, vt homo eſt animal, huic omnis homo eſt animal, homo nõ eſt lapis huic nullus homo eſt lapis. quæ verò eſt in materia contingenti idem valet ac particularis, vt homo eſt iuſtus idem dicit ac aliquis homo eſt iuſtus.

CAPUT V. DE OPPOSITIONE ſimplicium enunciationum.

HAC tenus de enunciationibus ſimplicibus abſolutis ſecundum ſe nunc de illis vt inter ſe comparãtur. Primo cõparãtur in oppoſitione, *Oppoſitio Quid?* eſt autem oppoſitio propoſitionum affirmatio & negatio eiuſdem de eodem. Vnde vt duæ propoſitiones opponantur vna debet eſſe affirmatiua alia negatiua, & eiuſdem de eodem. i. quòd idem habeant ſubiectũ & prædicatum ſecundũ omninodam identitatẽ, tam in ſignificatione, quàm in alijs logicalibus proprietatibus, vt ſuppoſitione ampliatione, appellatione, eodem tempore loco & parte, ita vt ſi aliquid ex his in vna propoſitione reperiatur & nõ in alia, non erunt oppoſitæ. vnde ex deffectu eiuſdem ſignificationis iſtæ nõ opponũtur canis eſt latrabilis, canis non eſt latrabilis, ſi prima ſignificet canem terreſtrem. 2. canem cœleſtem vel marinum. quia defficit eadem ſuppoſitio, iſtæ nõ opponuntur Petrus eſt vox, Petrus non eſt vox, ſi in. 1. Petrus ſupponat materialiter. in 2. formaliter. quia nõ ſeruatur eadẽ apellatio nõ opponũtur Petrus magnus eſt logicus, Petrus nõ eſt magnus logicus, in. 1. enim iy magnus ſupponit materialiter, in 2. formaliter. ex deffectu eiuſdẽ partis iſtæ ñ opponuntur, Petrus eſt capillatus (ſi in capite,) Petrus nõ eſt capillatus. (ſi in pedibus) quia non

eſt idem

5. eſt idem locus nõ ſunt oppoſitæ, in Sequana ſunt piſces in Sequana non ſunt piſces, ſi in. 1. ſumatur pro eo loco fluuij vbi ſunt piſces in. 2. vbi ſunt lapides. quia variatur tempus in his Petrus fuit diues, Petrus
6. non fuit diues, non opponuntur. quæ ſi bene perpendãtur facile erit omnia cõtrariorum ſophiſmata refellere.

Oppoſitio triplex.

Oppoſitio hæc aut datur inter propoſitiones communes habentes quantitatem quia ſunt de ſubiecto communi, aut inter propoſitiones ſingulares, de ſubiecto. ſ. ſingulari. Si inter communes datur triplex oppoſitio contradictoria, contraria, ſub contraria.

Contradictoriæ.

contradictoria eſt oppoſitio inmediatã duarum propoſitionum pugnantium in Quantitate & qualitate. in quantitate, quia vna eſt vniuerſalis, alia particularis. in qualitate, quia vna eſt affirmatiua & alia negatiua, vna vera alia falſa, vt omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, vterque homo diſputat alter homo non diſputat, quarum hæc lex firmiſsima eſt, quòd nequeunt eſſe ſimul veræ nec ſimul falſæ, ſed ſi vna eſt vera alia neceſſariò debet eſſe falſa. quæ lex innititur illi naturali principio, impoſsibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. in materia naturali vniuerſalis eſt vera, vt omnis homo eſt animal, particularis falſa aliquis homo non eſt animal. in materia contingenti vniuerſalis eſt falſa, vt omnis homo eſt albus, particularis vera, aliquis homo non eſt albus. obid ergo hæc oppoſitio, omnium prima & maxima eſt, quia in illa nullum datur medium aut conuenientia.

Contraria

Contraria eſt oppoſitio duarum propoſitionum vniuerſalium conuenientium in Quantitate, quia ambæ ſunt vniuerſalis, repugnantium in Qualitate, ita vt vna ſit affirmatiua, alia negatiua, vt omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus. lex autem iſtius oppoſitionis eſt, quòd in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ, alioquim enim cum quando propoſitio vniuerſalis eſt vera, particularis ſub lla contenta vera etiam ſit, ſi ergo iſtæ contrariæ eſſent veræ omnis homo eſt albus nullus homo eſt albus. et iſtæ particulares ſub illis contentæ aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus veræ erunt, ſed iſtæ omnis homo eſt albus & aliquis homo non eſt albus ſunt contradictoriæ, ergo dantur duæ contradictoriæ ſimul veræ. poſſunt autem eſſe ſimul falſæ in materia contingẽti vt falſa eſt hæc omnis homo eſt albus ſimiliter hæc nullus homo eſt albus, quia ex

A falſitate propoſitionis vniuerſalis in materia contingenti non ſequitur falſitas particularis. in materia naturali ſeu impoſsibili vna eſt vera & alia falſa ratione materiæ quia ergo licèt in veritate repugnent, conueniunt tamen in falſitate, nõ eſt tanta oppoſitio hæc ſicut contradictoria.

Sub cõtra

Subcontraria eſt eſt oppoſitio duarum propoſitionum particularium pugnantiũ in Qualitate, ita. ſ. vt vna ſit affirmatiua & alia negatiua, vt aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus. quarum hæc eſt lex. quòd nequeunt eſſe ſimul falſæ, alioquim enim cum particularis falſa inferat vniuerſalem falſam, ſi iſtæ eſſent ſimul falſæ, aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, propoſitiones vniuerſales ſub quibus continẽtur. ſ. om-

B nis homo eſt albus, nullus homo eſt albus eſſent falſæ, ſed hæc vniuerſalis omnis homo eſt albus eſt contradictoria iſtius aliquis homo non eſt albus. dantur ergò duę contradictoriæ ſimul falſæ. poſſunt tamen duæ ſub contrariæ in materia contingenti eſſe ſimul veræ, quia vt veræ ſint ſat eſt quod in aliquo ſingulari verificẽtur. in materia autem naturali ſeu impoſsibili vna eſt vera & alia falſa. vnde oppoſitio hæc non eſt propria oppoſitio & in re vt M. Sot aliás ſapiẽtiſsimus. 3. ſummus c. 1. ſed tantum quoad apparentiam & loquutionem vt ait Ariſt. 2. prior. c. 15.

Tum quia ex eodem. 2. perierm. c. vlt. vera oppoſitio debet eſſe repugnantia in veritatę. Tum quòd licèt vna ſit affirmatiua alia negatiua, non ſunt eiuſdem de eodem, quia reſpectu diuerſorum verifican-

C tur. vt hæc eſt vera aliquis homo eſt albus ratione Petri albi, hæc aliquis homo non eſt albus, eſt vera ratione Pauli nigri.

Propoſitiones indeffinitæ eiuſdem de eodem, quarum vna eſt affirmatiua alia negatiua, in materia contingenti vt homo eſt albus homo non eſt albus æquiualent particularibus vt diximus, & ſic ſunt ſub contrariæ, in materia verò naturali aut impoſsibili, æquiualent vniuerſalibus, & ſic erunt contrariæ.

Sub alter.

Propoſitiones ſubalternæ dicuntur, quarum vna ſub alia continetur vt particularis ſub vniuerſali, affirmatiua ſub affirmatiua, negatiua ſub negatiua, atq; adeo nullo pacto opponũtur. vt iſtæ sũt ſubalternæ, omnis homo eſt albus, aliquis homo eſt

 albus,

albus, vniuerſalis dicitur ſubalternans: i. ſub ſe aliam continens, particularis ſubalternata. i. contenta. in materia naturali aut impoſsibili vel ſimul ſunt veræ vel ſimul falſæ, in materia contingenti vniuerſalis eſt falſa particularis vera. quarum hæc eſt lex, 1. quòd ex veritate vniuerſalis ſubalternantis ſequitur veritas particularis ſubalternatæ, non tamen ex falſitate illius ſequitur falſitas iſtius, quia poteſt eſſe ſubalternans falſa vt hæc omnis homo eſt albus, & ſubalternata vera vt aliquis homo eſt albus. 2. ex falſitate ſubalternatæ ſequitur falſitas ſubalternantis. non tamen ex veritate ſubalternatæ ſequitur veritas ſubalternantis, vt quia eſt vera aliquis homo eſt albus, non ſequitur ꝙ omnis homo ſit albus

De oppoſitione ſingularis.

Propoſitiones ſingulares cum non habeant Quantitatem, ſolum poſſunt opponi in Qualitate. in affirmatione. ſ. & negatione veritate & falſitate, & ſic inter illas tantum datur oppoſitio contradictoria. quæ in quauis propoſitione reperitur, cū nulla ſit quæ non habeat ſuam contradictionem. per additionem aut detractionē negationis, vnde vni propoſitioni vna tantum contradictoria aſsignari poteſt, et idem de propoſitione in qua eſt ſuppoſitio materialis, cōfuſa copulata & ſimplex vt omnia elementa ſunt quatuor, omnia elementa non ſunt quatuor, homo eſt ſpecies, homo non eſt ſpecies.

CAPVT VI. DE CONVERſione & æquippollentia earundem.

Conuerſio Quid.

POSSVNT etiam comparari quo ad conuerſionem & æquippollentiam. conuerſio Propoſitionum vt docet noſter Doctor. 1. prio. q. 12. eſt neceſſaria conſequentia duarum propoſitionum, per tranſmutationem extremorum prædicati ſcilicet in ſubiectum & ſubiecti in prædicatum, quod intellige ſeruato eodem ſenſu, ſuppoſitione, ampliatione &c vt propoſitio hæc homo eſt rationalis in hanc conuertitur rationalis eſt homo.

Scotus. 1. prio. q. 12.

Conuerſa. *Cōuertens*

Prima propoſitio quæ ſcilicet conuertitur in aliam dicitur conuerſa, Secunda vero in quam conuertitur dicitur conuertens, à conuerſa ergo ad conuertentem eſt neceſſaria conſequētia, vt homo eſt rationalis, ergò rationale eſt homo. A vbi obſerua quòd totum quod eſt à parte vnius extremi conſtituas in conuerſione à parte alterius, vt hic liber eſt Ariſtotelis, aliquod ens Ariſtotelis eſt hic liber.

Duplex. Vna ſimplex.

Conuerſio hæc, eſt duplex. vna eſt ſimplex, eſt permutatio extremorum ſeruata eadem quantitate in conuerſa & conuertente, ſic conuertuntur vniuerſalis negatiua vt nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo. & particularis affirmatiua, vt aliquis homo eſt albus, ergò aliquod album eſt homo.

Alia Per accid.

Alia eſt per accidens ſeu ſecundum partem, & eſt permutatio extremorum non ſeruata eadem quantitate in conuerſa & conuertente, quia vniuerſalitas in particularitatem mutatur, ſic conuertitur vniuerſalis affirmatiua, vt omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo quod debet intelligi vt bene adnotat Scotus. 1. prio. q. 14. B in conſequentia formali quia gratia materiæ poteſt conuerti ſimpliciter vt quando ſubiectum & prædicatum ſunt termini conuertibiles & ideo ſequitur, omnis homo eſt riſibilis, igitur omne riſibile eſt homo.

Scotus. 1. prio. q. 14.

Particularis negatiua non conuertitur, intellige in conſequentia formali vt bene adnotat Doctor. q. 15. conuerſio enim quæ pro illa à nonnullis aſsignatur per cōtrapoſitionem, quando ſeruata eadem qāntitate termini finiti redduntur infiniti vt aliquis homo non eſt doctus, aliquod non album non eſt non doctum, nō eſt propria conuerſio vt ait Scotus quia non manent ijdem termini in antecedēte & conſequente, cum termini finiti mutentur in infinitos.

Scotus. 1. prio. q. 15.

æquipollentia Quid.

Comparantur etiam quoad æquipollentiam. C eſt autem æquipollentia idem ac æquiualētia inter duas propoſitiones vtroque extremo & eodem ordine participantes in quantitate & qualitate ex varijs ſignis prouenięns, vnde inferunt ſe inuicem in conſequentia formali. hæc æquippollentia reperitur inter propoſitiones verè oppoſitas & ſubalternas.

Notatio.

Quòd vt probè teneas obſerua, negationem talis eſſe naturæ malignantis quòd quidquid poſt ſe inuenit deſtruit, & eius oppoſitū ponit. vnde cadens ſupra ſignum vniuerſale deſtruit illius quantitatem ſ. vniuerſalitatem & reddit particulare, & cadens ſupra particulare facit vniuerſale, cadens ſupra affirmatiuum tollit qualitatem &

tem & negatiuum reddit, & eadens ſupra negationem ponit affirmationem, vnde iſta ſigna æquiualent. Non omnis, & aliquis non, non aliquis non, & omnis. Omnis nõ & nullus nullus non & omnis, nonnullus & aliquis, non aliquis & nullus, non vterque & alter non, non alter non & vterque, vterque non, & neuter, neuter non & vterque non neuter, & alter, non alter & neuter.

Ex dictis prouenit quòd per variam negationis poſitionem quantitas propoſitionis mutatur & fit alteri ſimilis cui antea erat oppoſita, vnde duæ cõtradictoriæ vt

I Regula. omnis homo eſt albus aliquis homo eſt albus fiunt æquiualẽtes ſeu idẽ ſignificantes & cõſequẽtes, ſi alteri illorum cui volueris preponas negationẽ, ſi vniuerſali ñ omnis homo eſt albus idem ſignificabit ac aliquis homo ñ eſt albus ſi particulari, ñ aliquis homo nõ eſt albus idẽ quòd vniuerſalis *omnis* homo eſt albus. ratio eſt ſuperius præfixa ꝙ negatio præpoſita ſigno in principio propoſitionis tollit quidquid poſt ſe inuenit quantitatem & qualitatem propoſitionis, & ſic de vniuerſali & affirmatiua reddit illam particularem & negatiuam, & ſimiliter de particulari negatiua vniuerſalem affirmatiuam, atque adeo duas contradictorias iddem ſignificantes.

2 regula duæ propoſitiones contrariæ, vt omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus, fiunt idem ſignificantes ſi ſubiecto vnius cui volueris poſtpones negationem

II. Regul. vt ſi dicas omnis homo nõ eſt iuſtus, æquipollet huic, nullus homo eſt iuſtus, et idẽ de hac. ratio eſt quia contrariæ conueniũt in quantitate ſubiecti, & differunt in qualitate, negatio igitur poſt poſita ſubiecto ñ mutat quantitatem cum non agat ante ſe, mutat verò qualitatem quia cadit ſupra copulam, & ſic de affirmatiua reddit negatiuam, aut ècontra, ſic fiunt æquipollentes in quantitate & Qualitate atque adeo in ſignificatione.

3. Regula duæ ſubalternæ vt omnis homo eſt albus aliquis homo eſt albus, fiunt conſequentes ſi ſubiecto vnius præponatur negatio, vt nõ omnis homo non eſt al-

III. Regu bus, æquiualet particulari, aliquis homo eſt albus, & ratio eſt quia ſubalternæ differunt in quantitate, & conueniunt in qualitate & ſuppoſita duplici negatione quæ anteponitur, negat aliam & ſic remant eadem qualitas & mutat quantitatem & ſic remanent eiuſdẽ quantitatis & qualitatis.

Pro ſub contrarijs nulla regula aſsigna-

A tur, ſi enim in affirmatiua poſt ponatur negatio ſubiecto, aut negatiua tollatur, fiunt omnino eadem.

CAPUT VII. DE PROPOſitione Hypotetica.

PROPOSITIO Hypotetica quæ compoſita aut coniunctione vna appellari ſolet, eſt quæ ex pluribus enunciationibus conſtat coniunctione aliqua vnitis per quam propoſitio fit hypotetica: vnde illius partes proximæ ſunt enunciationes, quarum vna nõ prædicatur de alia (in quo à ſimplici differt) vt cum dicimus ſol lucet & dies eſt non enunciatur diem eſſe de ſole, ideo illius partes non ſunt ſubiectum & prædicatum, atque adeo dici- *Enũciatiõ Hypoteti. Quid.*

B tur non categorica, forma illius eſt illa cõiunctio connectens duas illas propoſitiones, ex qua ſola eſt deſumenda ratio, num affirmatiua ſit aut negatiua vt explicat Doctor loco citato, ſi hæc fuerit affirmata *Scotus.* tota enunciatio affirmatiua erit, etiam ſi aliæ enunciationes ex quibus coaleſcit negatiuæ ſint. ſi verò affecta negatione etiam ſi aliæ ſint affirmatiuæ, erit negatiua. vnde hec eſt negatiua. Petrus currit non & mouetur, & iſta affirmatiua Petrus non currit & loquitur.

Enunciatio hæc coniuncta diuiditur in copulatiuam, diſiunctiuam, & illatiuam. *Copulatiua.* copulatiua eſt cuius copula connectens ꝓpoſitiones eſt coniunctio hæc (&) alia ve ſimilis, vt Petrus currit & mouetur.

Diſiunctiua, cuius copula eſt diſiunctio (vel) vt Petrus currit, vel loquitur. Illa- *Diſiunctiua.*

C tiua autem eſt triplex, vna eſt cauſalis cuius copula eſt cauſalis, vt quia Sol lucet dies eſt, alia rationalis, cuius copula eſt, hæc nota illationis (ergo, igitur) alia condicionalis, cuius copula eſt hæc particula ſi. vt ſi Sol lucet dies eſt.

Hypotetica copulatiua vt vera ſit, requirit quòd omnes ſuæ partes ſint veræ, *Veritas copulatiua.* quòd ſi aliqua fuerit falſa, tota enunciatio redditur falſa, vt hæc Petrus loquitur & Paulus volat, ſicut copulatiua cuius vna pars eſt neceſſaria & alia contingens tota redditur contingens. Diſiunctiua (ſi formaliter in rigore ſumatur diſiunctio) vt vera ſit tantum requiritur, vt vna pars ſit vera, vnde ſi vtraque fuerit vera, tota erit *Veritas. Diſiunctiuæ.*

& patet quia coniunctiua propoſitio tunc eſt falſa, quando ea quæ ſunt diſiita coniungit, ergo diſiunctiua erit falſa, quando diſiungit quæ non ſunt diſiuncta, ſed in hac Petrus ambulat vel mouetur, ea quæ à parte rei ſunt coniuncta diſiunguntur. ſi verò ſumatur latè pro ut huic aduerbio (ſaltim) æquiualet, ita vt ſenſus ſit. ꝓ ſaltim vnum de duobus, tunc veritas vtriuſque extremi non reddit totam falſam. condicionalis eſt vera quando tametſi partes ſint falſæ, vna ex alia bene ſequitur, vt ſi homo volat habet alas. Rationalis eſt vera, quā do antecedens eſt verum, & bona conſequentia. Cauſalis eſt vera, cum antecedēs eſt verum & cauſa conſequentiæ.

De oppoſit Hypoteti. Scotus. 1. prior. q. 4. Cum iſtæ propoſitiones quantitatem ñ habeant vt docet Doct. 1. prior. q. 4. ſicut nec habent ſubiectū ex quo ſumitur quantitas propoſitionis tantum habent oppoſitionem contradictoriam, vnde in eis nō inuenitur oppoſitio contraria aut ſub contraria.

CAPVT VIII. DE PROPOſitione Modali.

Scotus. 1. pri. q. 15. & 26. DE illa diſſerit Doctor lib. 1. prio. q. 15. & 26. eſt igitur Propoſitio Modalis quæ ab aliquibus ſummuliſtis ita prolixe pertractari ſolet vt terrorē potius quàm vtilitatem aliquam tyronibus incutiant) quam ob rem commune illud dicteriium in ſcholis promanauit, de modalibus non guſtauit aſsinus) eſt quæ non ſolum

Modalis propoſitio Quid. indicat prædicatum conuenire ſubiecto, ſed & modum exprimit, quo conueniat, vt hæc hominem eſſe animal eſt neceſſe, modalis eſt, quia conſtat expreſsè modo determinante propoſitionem quoad habitudinem & compoſitionem quam prædicatum habet cum ſubiecto, talis modus eſt

Triplex. Modus. triplex, neceſsē, impoſsibile, poſsibile, vel contingens, (idem enim ſunt) & ſic triplex eſt propoſitio modalis aut de modo neceſſe. vt hominem eſſe animal eſt neceſſe, aut de impoſsibili, vt hominē eſſe equum eſt impoſsibile. aut de modo poſsibili ſeu cō tingenti, vt hominem eſſe album eſt poſſibile, vel contingens.

Et quia modi iſti bifariam capi poſſunt, aut vt aduerbia, vt poſsibiliter, neceſſariò, impoſſibiliter. aut vt nomina, poſsibile, neceſſarium, ita & enuntiationes modales bifariam poſſunt ex eiſdem conſtrui, aut aduerbialiter ſumptis, tunc autem modus

non ponitur vt prædicatum ſed intra pro- A poſitionem, ipſius copulam afficiens, quæ manet indicatiui, vt homo neceſſariò eſt animal ſed quia formula hæc minus vſurpata eſt, eam pronūc prætermittimus aut nominaliter ſumptis, & tūc modus habet rationem prædicati, propoſitio autem de verbo infinitiuo conſtituta rationem ſubiecti de quo modus prædicatur, vt in hac hominem eſſe animal eſt neceſſe. copula principalis & forma talis enuciationis modalis eſt verbum illud connectens modum cum propoſitione, quæ dictum illius appellatur, & quando ablato modo ad indicatiuam reducitur ſua praiacens dicitur aut officians, ſua ve de in eſſe (à verbo eſt) per quā regulatur. copula autē minus principalis dicitur verbū ipſiꝰ dicti.

Omnes enunciationes modales ſiue de modo aduerbiali ſiue nominali duplicem ſenſum habere poſſunt vt ait ſubtilis Doc- *Duplex ſenſus modal.*

B tor. q. 25. 1. prio. vnum diuiſum alium compoſitum, vnde ſunt diſtinguendæ. ſenſus compoſitus eſt qui denotat formale ſignificatum prædicati vniri cum formali ſignificato ſubiecti, vel clarius quando ſubiectum & prædicatum intelliguntur eidem rei & in eodem tempore conuenire. *Scotus. 1. prio. q. 25. Senſus cōpoſitus.*

Senſus verò diuiſus eſt, qui denotat formale prædicatum conuenire ſubiecto materialiter ſumpto, ſeu quando ſubiectum & prædicatum intelliguntur diuerſo tempore conuenire, vt propoſitio hæc Latrones ſunt in cœlo, in ſenſu compoſito ſignificat, latrones eodem tempore quo actu ſunt Latrones, actu eſſe in cœlo, in quo ſenſu eſt falſa & hæretica, in ſenſu verò diuiſo ſignificat, quòd qui antea latrones extitere poſtea conuerſi, ſunt in cœlo. in quo ſenſu eſt vera. *Diuiſus.*

C Ex dictis cernitur quantitatem in modali enunciatione eſſe duplicē, vnam principalem quæ ſumitur ex modo, modi autem ſic ſe habent, quòd neceſſe æquiualet ſigno vniuerſali affirmatiuo vt omni, impoſsibile negatiuo vniuerſali vt nulli, poſſibile aut cōtingens vim habet ſigni particularis affirmatiui vt aliquis. poſsibile nō particularis negatiui vt aliquis ñ, vnde ex parte modi tantum eſt duplex quantitas vniuerſalis & particularis. Alia eſt quantitas minus principalis quæ ſumitur ex parte dicti, & hæc quadruplex eſt vt ſupra de enunciatione abſoluta diximus, ſingularis, vniuerſalis, particularis, indefinita. hinc oborta eſt diuiſio illa modalium *Duplex quantitas Modalis.*

ſecun-

ſecundum quātitatem, in vniuerſalem ex parte modi & dicti vt omnem hominem eſſe animal eſt neceſse, in particularem ex parte vtriuſque, vt aliquem hominem eſſe animal, eſt poſsibile. in vninerſalem ex parte dicti, & particularem ex parte modi vt omnem hominem eſſe album eſt poſsibile. et in particularem ex parte dicti, & vniuerſalem ex parte modi, vt aliquē hominem eſſe animal eſt neceſſe.

Duplex Qualitas eſſentialis.

Duplex itidem qualitas eſſentialis quæ in affirmatione & negatione conſiſtit cerni poteſt in modali. vna principalis quæ ex affirmatione aut negatione copulæ principalis deſumitur à qua abſolutè & ſimpliciter enunciatio modalis affirmatiua dicitur vel negatiua vt ait Doctor. 1. prio. q. 3.

Scotus. 1. prio. Q. 3.

vnde hæc abſolutè cenſenda eſt affirmatiua hominem non eſſe equum eſt neceſſe. quia licèt dictum ſit negatum, copula tamen principalis eſt affirmata. alia minus principalis, quæ ex affirmatione aut negatione verbi ipſius dicti ſumitur. vnde nata eſt diuiſio illa modalis enunciationis, in

Affirmatiua ſimple.

affirmatiuam de vtroque, quæ affirmatiua ſimpliciter dici ſolet, vt hominem diſputare eſt poſsibile, in negatiuam de vtroque. ſ. dicto & modo, quæ dicitur negatiua

Negatiua ſimplex.

ſimplex, vt hominem non diſputare non eſt poſsibile. in negatiuam de dicto & af-

Affirmati. Declinata

firmatiuam de modo, quæ dicitur affirmatiua declinata, vt hominem non diſputare eſt poſsibile. in affirmatiuam de dicto, &

Negatiu. Declinata

negatiuam de modo, quæ dicitur negatiua declinata, vt hominem diſputare non eſt poſsibile. quæ quatuor propoſitiones in quauis modali de eodem dicto & modo ſiue poſsibili vt viſſum eſt, ſiue neceſsé, aut impoſsibili confici poſſunt, cum ergò modi ſint tres, & ex quolibet fiant quatuor, erunt duodecim omnes enunciationes modales.

Materia. Duplex.

Materia enūciationis modalis ſumitur ex habitudine modi ad dictum, & ſic tantum eſt duplex materia illius. naturalis. ſ. & impoſsibilis. cōtingens enim ſub naturali continetur, quia talis modus neceſſariā & inſeparabilem habitudinem dicit ad ſuum dictum, atque adeo ſemper & neceſſariò de illo prædicatur, cum enim dictum modi contingentis non poſsit eſſe niſi propoſitio in qua prædicatum accidentariè & contingenter conuenit ſubiecto, nullus alius modus poteſt illi conuenire, niſi contingens, alioquin tranſire poſſet de contingenti in neceſſarium aut impoſsibilem. verum eſt quòd ſi modalis ſequatur ſuam

A de in eſſe, eadem erit materia quæ in ſua de in eſſe, vt diximus de quantitate & qualitate ex parte dicti. neceſſaria ſeu naturalis impoſsibilis vel remota, poſsibilis aut contingens.

De veritate & falſitate Modal.

Qualitas accidētalis modalis quæ in veritate & falſitate conſiſtit, ſumitur ſicut in enunciatione abſoluta, ſicut ergò hæc eſt vera, quæ de ſubiecto affirmat prædicatū quod re vera illi conuenit, aut negat de ſubiecto prædicatum quod re vera illi non conuenit, falſa verò quæ coniungit extrema quæ in re non ſunt coniuncta, aut ſeparat extrema quæ in re ſunt coniuncta ſic etiam illa enūciatio modalis eſt vera quæ affirmat de dicto modum qui re vera illi conuenit, aut negat de dicto modum qui re vera illi non conuenit, falſa verò quæ affirmat de dicto modum qui in re illi non

B conuenit, aut negat de dicto modum qui in re illi conuenit vt hæc propoſitio eſt vera hominem eſſe animal eſt neceſſe, quia iſte modus re vera illi conuenit, falſa verò hominem eſſe equum eſt neceſſe, quia iſte modus in re non conuenit illi dicto, & ſic de alijs. ſub quo comprehendūtur omnes aliæ regulæ quæ à dialecticis aduci ſolent ad veritatem modalium capeſcendam,

De oppoſit. Modaliū.

Quo ad oppoſitionem conuerſionem & æquipollentiam modaliū obſeruare oportet, quòd ante poteſt fieri comparatio inter propoſitiones modales conſtantes eodē dicto & diuerſis modis, vt neceſſario, impoſsibili, poſsibili, poſsibili non, tunc duæ modales de eodem dicto quarū vna

Contrariæ.

conſtat modo neceſſario, & alia modo impoſsibili ſunt contrariæ vt hominem eſſe animal eſt neceſſe, hominem eſſe animal eſt impoſsibile, modus enim nominalis licèt ſit prædicatum, quia tamen eſt adiec-

C tiuum cadens ſupradictum, quod vicem ſubiecti gerit, ita ſe habet in quantificando illud & qualificando ac ſi illi præponeretur duæ modales de eodem dicto, & modo poſsibili, quarum vna eſt de vtroque af-

Sub cōtrariæ.

firmato ſcilicet tā de dicto quàm de modo, & alia negatiua de dicto erunt ſub contrariæ, vt hominem eſſe animal eſt poſsibile, hominem non eſſe animal eſt poſsibile quæ ſi conferantur cum modalibus quas

Subalternæ.

contrarias eſſe diximus erunt illis ſubalternæ, affirmatiua propoſitioni de neceſſario, negatiua propoſitioni de impoſsibili. Si cōparetur propoſitio de dicto affirmato & modo neceſſario, cum propoſitione

de modo poſsibili & dicto negato, vt hominem eſſe animal eſt neceſſe, hominem ñ eſſe animal eſt poſsibile, ſunt contradictoriæ, ſimiliter & propoſitio de dicto affirmato & modo impoſsibili & propoſitio de modo poſsibili tam dicto quám de modo affirmato, vt hominem eſſe animal eſt impoſsibile, hominem eſſe animal eſt poſſibile in quibus eædē prorſus leges obſeruandæ, ſunt quas pro abſolutis ſancitas reliquimus quoad veritatem & falſitatem, ꝙ contrariæ licèt in materia naturali vna ſit vera & alia falſa, in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul falſæ, vt hominem eſſe album eſt neceſſe, hominem eſſe albũ eſt impoſsibile. ſub contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ non tamen ſimul falſæ &c. ſic opponuntur modales de modo aduerbiali.

De æquippollentia. Modaliũ

Fiunt autem æquipollentes præpoſita aut poſt poſita negatione, negatio enim præpoſita modo vniuerſali deſtruit illius vniuerſalitatem, & reddit particulare, præpoſita modo negatiuo reddit affirmatiuũ ſi affirmatiuo è contra, vnde æquiualent nō neceſſe & poſsibile nō nō, poſsibile nō. & neceſſe. neceſſe non & impoſsibile, impoſsibile non & neceſſe. non impoſsibile & poſsibile. non pòſsibile & impoſsibile. iſtæ ergo duæ conttariæ neceſſe eſt hominem eſſe animal, impoſsibile eſt hominem eſſe animal, fiunt æquiualentes, ſi modo poſtponas negationem & cum illa afficies dictum, vt neceſſe eſt hominem non eſſe animal æquiualet illi de impoſsibili, & hæc impoſsibile eſt hominem non eſſe animal æquiualet illi de neceſſe. Iſtæ duæ cōtradictoriæ neceſſe eſt hominem eſſe animal poſsibile eſt hominem nō eſſe animal vna alteri æquiualet, ſi præponas negationem modo. & ſic de alijs. hoc pacto fiunt æquipollentes modales de modo aduerbiali.

De cōuerſione. Modalium.

Conuerſio modalium fit ſicut & ſuarum de in eſſe, quia modi non cōuertūtur ſed dicta, vt hæc neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal cōuertitur in hanc, neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.

Si fiat comparatio inter Modales eodē dicto & modo conſtantes ſecundum quod quadrupliciter ſe habent quoad affirmationem & negationem & intermodales vnius modi ad modales alterius oppoſitionem habent & æquipollentiam, de quibus in lib. perie.ne nouiores dialecticos amplius cōfundamus.

CAPVT IX. DE ENVNCIATIONE Exponibili.

A

ENVNCIATIO exponibilis eſt quæ indiget expoſitione, eo ꝙ ſit ſub obſcura, obidque aſſerit noſter Doctor. 1. prior. q. 3. quòd licèt non ſit hypotetica per coniunctionem expreſſam, æquipollet tamen hypoteticæ per quam explicatur. cuius tres potiſsimas ſpecies explanabimus in præſenti.

exponibilis Quid. Scotus. 1. prio. q. 3.

Prima eſt excluſiua, quæ conſtat aliqua particula aliquid á ſignificato propoſitionis excludente, cuius modi ſunt. ſolum tã tum, duntaxat. & ſi quæ aliæ ſunt. dictio excluſiua poſita in propoſitione appellatur ſignum. propoſitio cui coniungitur. dicitur præiacens. cuius verbum copula dicitur, ſemper quæ exponitur per propoſitionem hypoteticam copulatiuā (quidquid

Excluſiua

B

alij dicant) ex duabus ſimplicibus compoſitam, quæ ex ponentes appellantur, quarum prior ſemper eſt ipſa præiacens ablato ſigno, alia dicitur ſecunda exponens.

Signum aut afficit ſubiectum, cum in enunciatione ponitur ante illud, & tunc ſignificat excluſionem ſubiectorum à prædicato, vt tantum homo eſt animal, denotat alia ſubiecta præter id quòd afficit, excludi à participatione illius prædicati, & appellatur ſic excluſiua excluſi ſubiecti.

Excluſiua Excluſi. ſubiecti.

Hæc autem ſicut ſupra de modali, aut poteſt eſſe affirmatiua de vtroque. ſ. ſigno & copula, vt *tantũ homo eſt riſibilis*, quæ exponitur per copulatiuam ex ſua præiacenti & vniuerſali negatiua. ſic homo eſt riſibilis & nihil aliud ab homine eſt riſibile. alia negatiua de ſigno ſolum, vt *ñ tãtũ homo eſt animal*, & exponitur per copulatiuā ex præia-

C

cēte, & particulari affirmatiua *homo eſt animal, & aliquid aliud ab homine eſt animal.* aut eſt negatiua ſolum de copula, *vt tantũ ſubſtantia non eſt in ſubiecto*, quæ exponitur per præiacentem, & vniuerſalem affirmatiuam. vt *ſubſtantia nō eſt in ſubiecto & omne aliud à ſubſtantia eſt in ſubiecto* aut eſt negatiua de vtroque, ſigno & verbo vt *nō tantum homo non eſt animal*, quæ ex ponitur per ſuam præiacentem & particularē negatiuam, vt *homo non eſt animal, & aliquid aliud ab homine non eſt animal.* ſcio aliter ab alijs exponi, ſed hic modus exponēdi eſt clarior.

Si verò ſignum afficiat prædicatum, vt *homo eſt tantum animal rationale*, tunc ſignificat excluſionem fieri á ſubiecto, ita

Excluſiua excluſi prædicati

vt alia prædicata præter id quod afficit excludantur à ſubiecto, quæ ob id excluſiua A excluſi prædicati appellatur, iſtius generis duæ tantum ſunt in vſu, affirmatiua de ſigno & copula *homo eſt tantum animal rationale* & exponitur per ſuam præiacentem, & poſteriorem negatiuam, vt *homo eſt animal rationale & nihil aliud eſt quàm animal rationale* alia negatiua de copula ſolū, vt *homo non eſt tantum albus*, & exponitur per præiacentem & particularem affirmatiuam, vt homo non eſt albus, & eſt aliquid aliud præterquàm albus.

Exceptiua

Secunda exponibilis eſt exceptiua de qua brebiter, eſt ergo illa quæ conſtat aliqua particula excipiente, qualis eſt præter, aut alia illi æquiualens, qua excipitur aliquid contentum ſub ſubiecto à participatione prædicati, vt *omne animal præter hominem eſt irrationale*, vnde in enunciatione exceptiua ſunt duo principia, Primum eſt ſubiectum propoſitionis à quo aliquid B excipitur & hoc debet eſſe magis commune continens in ſe rem quæ excipitur, debetque eſſe diſtributum ſigno vniuerſali, cum excipere ſit partem à toto genere detrahere, ſecundum eſt illud quod excipitur à participatione prædicati propoſitionis, & hoc debet eſſe minus commune contentum ſub eo à quo excipitur, vt in illo exemplo animal quod eſt ſubiectum à quo homo excipitur à participatione illius prædicati irrationale, magis commune eſt, quàm homo exceptus, de quo prædicatur.

Quo pacto exponatur

Exponitur autem per hypoteticā conſtantem duabus ſimplicibus exponentibus quarum prima conſtat eodem ſubiecto & prædicato, ita tamen vt ex parte ſubiecti ponatur etiam id quod excipitur negatū, C ſecūda vero ſit propoſitio cuius ſubiectū eſt id quod excipitur prædicatū vero idē quod in priori vt ſi ſit affirmatiua de ſigno & copula (eodem enim modo diuiditur ac excluſiua, in affirmatiuam de vtroque, negatiuam de vtroque, affirmatiuam de ſolo ſigno & affirmatiuam de ſola copula) per primam vniuerſalem affirmatiuam, quæ eſt ſua præiacens, & ſecundam vniuerſalem negatiuam, vt illa omne animal præter hominem eſt irrationale, ſic exponitur, omne animal quod non eſt homo (ecce ex parte ſubiecti ponitur homo qui excipitur negatus & ſic in quauis alia prima exponente) eſt irrationale, & nullus homo eſt irrationalis, ſi ſit affirmatiua de ſigno & negatiua de copula vt *omne animal præter hominem non eſt riſibile* è contra per negatiuam vniuerſalem, & affirmatiuam vniuerſalem ſic *nullum animal quod non eſt homo eſt riſibile, & omnis homo eſt riſibilis.*

Reduplica

Tertia eſt reduplicatiua quæ conſtat aliqua particula reduplicante ſeu geminante terminum ſupra quem cadit reduplicatio, cuius modi ſunt particulæ iſtæ. *in quātum, quatenus quà, prout, vt ſic, ſecundum quòd*, & aliæ ſimiles, quæ particula poteſt ſumi dupliciter vt docet Subtilis Doctor 1. prior. q. 35. in meth lib. 5. q. 7. in Theologia in. 1. d. 3. q. 6 in. 3. d. 11. q. 2. in. 4. d. 43. in quotlib. q. 3. aut reduplicatiuè aut ſpecificatiuè, quæ diſtinctio ſatis celebris eſt in ſcholis & peruulgata, & ad multa per neceſſaria tunc ſumitur reduplicatiuè, quando ſignificat in ſubiecto cauſam prædicati vt *homo in quantum homo eſt rationalis* ideſt ratio conſtitutiua hominis eſt cauſa riſibilitatis, vel ſignificat ſubiectum eſſe eſſentialiter prædicatum vt *homo quà homo, eſt rationalis* & ſic eodem modo diuiditur, ac excluſiua, & ſemper exponitur per hypoteticam cauſalem, prætermiſſa rotulorum armonia quæ hic adduci ſolet. reduplicatiua ergo omnino affirmatiua de ſigno & copula, vt *homo in quantum homo eſt riſibilis* exponitur per cauſalem affirmatiuam omnino vt *quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis.*

Duplicite

Scotus 1. prio. q. 35.

Reduplica tiue.

Quo pacto exponatur.

Negatiua ſolam de ſigno vt *homo non in quantum homo eſt grammaticas* exponitur per cauſalem de ſolo antecedenti negato, *vt homo non quia homo eſt, grammaticus eſt* Negatiua de ſola copula. *vt homo in quantum rationalis non eſt riſibilis* per cauſalem de conſequenti ſolum negato ſic, quia homo eſt rationalis, non eſt riſibilis. Negatiua tandem de vtroque vt *homo non in quantum rationalis, non eſt riſibilis* per cauſalem de vtroque negato, vt non quia homo nō eſt rationalis, non eſt riſibilis.

Specificat.

Tunc autem ſumitur ſpecificatiuè quādo particula reduplicans, non denotat cauſam prædicati in ſubiecto, ſed tantum determinat ac ſpecificat rationem aliquam modum aut condicionem ſecundum quā prædicatum conuenit ſubiecto, vel aliquē ſenſum ſecundum quem propoſitio in qua ponitur eſt vera, & aliter in alio ſenſu nō eſſet vera, vt ſi dicas *homo in quantum homo eſt ſpecies*, non ſignificat eſſe hominem cauſam eſſe cur homo ſit ſpecies, alias omnes homines eſſent ſpecies, ſed tantum dicit

illud

illud prædicatum conuenire ſubiecto ſecū dum præciſam & communem rationem.

Hæc propoſitio vt ait Doct. *omne ens eſt Deus*, ſimpliciter & ſine ſpecificatione eſt falſa ſi verò dicatur *omne ens in quātum eſt in Deo, eſt Deus*, quia lyin quantum ſpecificat illam adtalem ſenſum, ideo eſt vera. tunc autem non exponitur per cauſalem, ſed vocabulo aliquo clariori tantum exponitur, vt ſi dicas *homo ſumptus in communi eſt ſpecies.*

LIBER TERTIVS SVMMVLARVM DE his quæ Ad Tertiam intellectus operationem ſpectant.

RATIOSINATIO & diſcurſus potiſsima intellectus operatio eſt, qua de vno in aliud progreditur, cæteris perfectior, vt pote totum ſuis partibus præſtat, à qua potiſsimum intellectus ratioſinatiuus aut diſcurſiuus appellatur, in qua perfecta ratio ſcientiæ conſiſtit, quippe cum per illam non ſola eſſentia ſed eſſentia cū paſſionibus ſciatur, ideo dialectica plus operis in illa dirigēda conſumit, traddēdo naturam argumentationis & ſyllogiſmi, quo pacto ſit conficiendus edocendo, ſicque ad ſyllogiſmum (vt vidimus) omnia de quibus differit vt ad proprium ordinat obiectum, vt terminos ad propoſitiones, & has ad ſyllogiſmum, ex quibus coaleſcit, atque adeo diuiſio & diffinitio vt ſpeciales modi ſciendi ſunt res ad ſyllogiſmū tamen vt, incompleta ad completum referūtur, cum diffinitio ad quam diuiſio ordinatur vt diximus potiſsimum medium ſit ſyllogiſmi, quo paſsiones de eſſentia oſtendit.

CAPVT I. DE CONSEQVENtia Argumentatione & ſylllogiſmo.

Conſequētia Quid. CONSEQVENTIA ſeu conſequtio (in idem enim recidunt) de qua agit noſter Doctor lib. 1 prio. q. 10. *eſt oratio in qua ex vno alterum infertur* vt Petrus eſt homo, ergo eſt riſibilis. ponitur oratio loco generis quia in ea conuenit cum quauis alia oratione de qua ſupra, cætera loco differentiæ. Vnde conſequutio eſt oratio hypotetica ex antecedēti & conſequēti compoſita, illud quod primò ponitur & ex quo aliud infertur dicitur antecedens, illud quod colligitur conſequens ſeu concluſio, particula connectens antecedens cum conſequēti (vt ergo, igitur) nota illationis.

Proprietas cōſeqnētiæ Proprietas cōſequentiæ non eſt veritas vel falſitas, ſed bonitas vel malitia, quia licèt ſi ſumantur vt propoſitiones, & in ordine ad res ſignificatas, ſecundum quòd res ſignificant vt ſunt vel non vt ſunt, dicātur veræ vel falſæ, vnde hec eſt falſa homo eſt equus, ergo eſt inhibilis, ſed quia in cōſequentia non attenditur conformitas vel difformitas cum rebus ſignificatis, ſed debita connexio extremitatum cum medio,
A & ad ſe inuicem, iuxta logicæ præcepta, illa conſequentia dicitur bona cuius conſeqoens ſequitur neceſſario ex antecedenti vt *Petrus currit: ergo mouetur*, motus enim neceſſariò infertur ex curſu vt ſuperius ex inferiori, & etiam ſi antecedens & conſequens falſa ſint, dum tamen vnum ex alio neceſſariò concludatur, eſt bona conſequutio, vt *Petrus eſt equus, ergo eſt inhibilis.* mala verò & vitioſa quando cōſequēs nō infertur neceſſariò ex antecedenti etiā ſi vtrumque verum ſit, vt *Petrus eſt animal ergo eſt albus.* Vnde cum conſequens contineatur in antecedenti vt effectus illius
B ſemper in bona conſequentia ex antecedēti vero ſequitur conſequens verum, & ex falſo falſum, & quandoque verum ratione formæ, vt propoſitio hæc vera *iuſtitia eſt laudanda* infertnr ex his falſis *omne vitium eſt laudandum, iuſtitia eſt vitium, ergo iuſtitia eſt laudanda.*

Duplex cōſequentia. Vnde conſequentia bona eſt duplex vt bene ibi ſubtilis Scotus, vna formalis alia

mate-

Formalis.

materialis. Formalis eſt, quæ ex vi formæ ac diſpoſitionis terminorum, in omni materia etiam impoſsibili concludit; ita vt inquibus cumque terminis talem formã, colligendique modum obſeruaueris, intellige cum eiſdẽ omnino circũſtãtijs, Quantitatis Qualitatis, copulæ, ſuppoſitionis, ampliationis &c. aptè concludes, vt iſte modus colligendi, *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, aptus eſt, quia idem eodem modo obſeruatus in hac materia impoſsibili *omnis homo eſt equus*, ex illa tamen data aptè colligitur *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt equus*

Materialis.

Conſequutio materialis eſt in qua vnum ſequitur ex alio non ex vi formæ & modi colligendi, ſed ex rerum ſignificatarum connexione, vnde non tenet in omnibus terminis, retenta conſimili diſpoſitione & forma, ita quòd tantum fiat variatio terminorum, vt conſequentia hæc *omnis homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo* tenet ratione materiæ, quia termini ſunt cõuertibiles, non verò ratione formæ, cum eadẽ facta in alijs terminis vt *omnis homo eſt animal ergo omne animal eſt homo* non teneat.

Species cõſequentiæ formalis.

Conſequẽtia formalis multas habet ſpecies, vna eſt in qua ex vna enunciatione colligitur ſua æquiualens, vt de æquipollẽtijs diximus. alia in qua ex conuerſa ſequitur conuertens, vt de conuerſione & alijs ſimilibus de quibus ſupra. alia tandem eſt argumentatio de qua modo.

Argumentatio quid

Argumentatio quæ ſpecies eſt conſequentiæ, & genus ad ſyllogiſmum, eſt conſequutio in qua (teſte Cicerone) ex Argumento explicato colligitur concluſio. dicitur *ex argumento* ideſt ex medio, medium enim Argumentum appellatur, quia ad aliquid probandum aſſumitur. in quo diſtinguitur argumentatio ab alijs conſequentijs formalibus, quæ nullum habent medium neque virtuale, nec formale, niſi quatenus ad argumentationem reuocantur; dicitur *explicato* ideſt bene apto & diſpoſito cum alijs partibus conſequẽtiæ. Ex quo fit quòd in omni argumentatione, debeat pro antecedenti collocari duæ propoſitiones ex tribus terminis conſtantes, ex quibus concluſio deducitur, qua concluditur & perficitur operatio.

Corollariũ

Vnde licet ex hoc ſequatur vnam duntaxat eſſe argumentationis ſpeciem vnicumque colligendi modum .ſ. ſyllogiſmũ, qui ex duabus enunciationibus & tribus terminis ad concluſionis probationem procedit, cæteræque argumentationes facilè A ad illum reuocentur, vt imperfectum ad perfectum, vt alibi latius oſtendemus, quã obrem ſubtiliſsime noſter Doctor ſyllogiſmum duntaxat dialecticæ obiectum præſcripſit, aſsignari tamen ſolent plures argumentationis ſpecies, .ſ. ſyllogiſmus enthymema inductio dilemma, & exemplum.

Scotus.

Syllogiſm. Quid.

Syllogiſmus qui latinè ratiocinatio dicitur teſte Ariſtotele .1. prio. c. 1. & .1 topic. c. 2. *eſt argumentatio in qua quibuſdam poſitis ex his quæ ponuntur aliud ſequi neceſſe eſt*. quam diffinitionem egregiè ſatis explicat noſter Doctor Scotus lib. 1. prio. q. 5. argumentatio ponitur loco generis, (per orationem enim diffinitur vt per genus remotum) cætera loco differentiæ. dicitur *quibuſdam poſitis*. i. duabus propoſitionibus præcedentibus, quæ ob id præmiſſæ appellantur ſeu ſumptiones, dicitur B *ex his quæ ponuntur* .i. diſponuntur in modo & figura, *aliud ſequi neceſſe eſt* .i. ſequitur neceſſariò concluſio ab illis diſtincta, quia ſi præmiſſæ ſint veræ & concluſio formetur, neceſſe eſt illam eſſe veram. vnde ſyllogiſmus in duas partes diuiditur in eam quæ notam illationis (ergo vel igitur) antecedit, quæ antecedens dicitur duas propoſitiones comprehendens, & in eam quæ ſubſequitur quæ vocatur conſequens vel concluſio quia claudit & terminat propoſitiones præcedentes, ipſa autem dependẽtia conſequentis ab antecedenti, conſequutio .ſ. conſequentia ſeu illatio dicitur.

Scotus. 1. prio. q. 5.

Materia ſyllogiſmi Proxima. Remota.

Syllogiſmus vt pote ens quoddam artificiatum ex materia conſtat & forma, materia illius eſt duplex vna proxima ex qua proximè componitur, vt tres propoſitiones, alia remota ex qua remotè cõficitur C vt termini ex quibus prædictæ propoſitiones ſeu præmiſſæ coaleſcunt, qui tres tantum ſunt, quia vnus illorum bis ponitur ſemel in prima & ſemel in ſecunda propoſitione, qui ob id dicitur medium, ſeu terminus medius, aut argumentum, vniẽs alios duos terminos interſe & faciens quòd vnus de alio prædicetur, ille terminus qui in prima propoſitione ſeu præmiſſa ponitur cum medio vocatur maius extremum vel maior extremitas à qua prima ꝓpoſitio denominatur maior, & ſimpliciter ſolet etiam appellari propoſitio. ille vero terminus qui in ſecũda præmiſſa ponitur cum medio appellatur minor extremitas ſeu minus extremum & ſic ſecunda propoſitio

poſitio appellatur minor, & etiam dici ſo
let aſſumptio. in concluſione autem, quæ
& complexio nuncupatur, cōiungitur ma
ior extremitas cum minori, ex quo enim
illæ duæ extremitates in præmiſsis vniun
tur cum illo tertio Porrò infertur in con-
cluſione vniri etiá inter ſe, iuxta illud quæ
ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe
vnde medium non ponitur in concluſione.
& cum vnus terminus eſt coniunctus cum
medio in vna præmiſſa, alius vero ñ eſt cō
iunctus cum illo in alia præmiſſa, infertur
in concluſione negatiua, quòd nec ipſi ter-
mini coniunguntur inter ſe.

Sit exemplū, eſt cui ignotum, num riſibile
conueniat homini, necne. quæ vt ſic quæſ-
tio dicitur quia vtramq; contradictionis
partem comprehendit (quæ quia vniuerſa
lis eſt Theſis appellatur. ſi vero quæſtio ſit
Theſis. particularis vt num Paulus viderit diuinā
eſſentiam nec ne, hypoteſis) aſſumere de
Hypoteſis. bes aliquod tertium cum quo illi duo ter- B
mini homo & riſibile vniūtur, & illud erit
medium ſeu argumētum quod aſſumitur
ad probandum riſibile conuenire homini
ex quibus confice duas propoſitiones. in
prima vnies cum medio. ſ. rationale, riſibi
le quod eſt maior extremitas ſic *rationale
eſt riſibile* in 2. vnies hominem qui erit mi
nor extremitas cum eodem medio ſic *ho-
mo eſt rationalis* ex quo ergo in maiori &
minori conſtat hominem & riſibile vniri
cum rationali, euidenter deducitur in cō
cluſione vniri etiam inter ſe, ſic, ergo *homo
eſt riſibilis* ecce in cōcluſione maior extre
mitas prædicatur de minori.

De modo inueniēdi Medium.
Vt autem medium inuenias ad aliquid
probandum hanc viam facilem tene, vt pō
tem effugias aſsinorum quòd cum affirma
tiuè volueris concludere aliquod prædica C
tū cōuenire ſubiecto, inquire rationē prop
ter quā illi conueniat, ſi verò per oppoſitū
negatiuè volueris prædicatū aliquod ñ cō
uenire ſubiecto concludere, rationem in-
quire propter quam illi non conueniat,
hæc autem ratio dupliciter poteſt indaga
ri aut per cauſam quæ dicitur ratio à prio
ri, vel per effectum quæ dicitur à poſterio
ri, vt ſi ad probandum hominem eſſe riſibi
lem vellis in venire medium, inquire cau-
ſam riſibilitatis quæ eſt eſſe rationale, &
illud conſtituens medium coniungendo in
maiori cum riſibili, & in minori cum ho-
mine, & ſic conficies ſylogiſmum, vt in ſu
periori exemplo diximus. ab effectu autē
ſumitur medium quando probatur cauſa
per ſuum effectum, vt ſi vellis probare fer A
rum habere calorem ſumes pro medio ef-
fectum caloris ſcilicet calefacere, & ſic cō
fice ſyllogiſmum, *omne quod calefacit ha-
bet calorem, ſed hoc ferrum calefacit, ergò ha
bet calorem.* Aliæ regulæ aſsignantur à lo
gicis vt ad omnem ſyllogiſmum poſsit fa
cilè medium inueniri, ſed ſupponunt præ-
dicamentorum cognitionem vt prædica-
tum magis vel minus cōmune percipi poſ
ſit, vnde poſt illam à nobis traddētur in li.
prior. dictiones autē illæ, Cageti, Gedaco
&c. nil niſi confuſionem pariunt. & ideo
omittumtur.

Syllogiſmus ex parte materiæ diuidi- *Syllogiſm Categoric.*
tur in cathegoricum & hypoteticum, obli
quum, Modalem, & infinitum. Categori-
cus eſt qui conſtat propoſitionibus ſimpli
cibus. Hypoteticus qui conſtat propoſitio
nibus hypoteticis vt *ſi Sol lucet dies eſt, ſed
lucet, ergò dies eſt.* Obliquus eſt qui confici *Obliquus.*
tur ex propoſitionibus conſtantibus caſi-
bus obliquis vt *omnis poteſtas eſt à Deo, reg
num eſt poteſtas, ergo eſt à Deo.* Modalis eſt
qui conſtat propoſitionibus modalibus vt *Modalis.*
*neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam, ne-
ceſſe eſt omnem hominem eſſe animal, ergò ne
ceſſe eſt omnem hominem eſſe ſubſtantiam.*
Infinitus eſt qui conſtat propoſitionibus *Infinitus.*
(& præcipue concluſione) conſtātibus ter-
mino infinito, vt *omnis homo eſt non lapis, om
ne riſibile eſt homo, ergò omne riſibile eſt non
lapis.*

Diuiditur etiam in demōſtratiuum, To- *Demōſtratiuus.*
picum &, Sophyſticum. Demonſtratiuus
eſt (pronunc) qui conſtat propoſitionibꝰ
neceſſarijs. Topicus ſeu dialecticus & pro *Topicus.*
babilis eſt qui ex propoſitionibus proba-
bilibus coaleſcit. Sophyſticus qui & captio *Sophyſticꝰ*
ſus falſi fragus, ſeu Pſeudographus appel
latur, qui propoſitionibus conſtat falſis,
& deceptorijs.

CAPVT II. DE FORMA SEV *figura ſyllogiſmi & de Modis illius.*

FORMA ſyllogiſmi vt colligitur ex *Figura & forma ſillogiſmi.*
noſtro Doctore lib. 1. prio. q. 22. eſt ex *Scotus. 1. prio. q. 22.*
tremorum cum medio ad aliquid con
cludendum apta diſpoſitio, & hæc forma
ab Ariſtotele figura nuncupatur, à mate-
maticorum figuris quæ certis deſcribūtur
lineis metaphora vſurpata, quæ apta diſ-
poſitio in hoc conſiſtit, quòd in maiori ſi-
mul cum

ſimul cum medio ponatur maius extremū, & in minori cum eodem medio minor extremitas, concluſio verò conſtet maiori & minori extremitate ſine medio. Vnde ſecundum diuerſam medij diſpoſitionem diuerſa figura conſurgit, triplicitèr ergo poteſt medium in præmiſsis diſponi. primò ita vt medium in maiori ſit ſubiectum & in minori prædicatum, & ſic conſurgit prima figura vt *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal* ecce homo qui terminus medius, eſt in maiori ſubijcitur maiori extremitati & in minori prædicatur de minori extremitate. et ob id hæc figura prima dicitur, quia in ea medium eſt verè terminus medius, cū in vna præmiſſa ſit ſubiectum & in alia prædicatum.

I. Figura.

2. ita vt ſubiectum in vtraque præmiſſa ſit prædicatum, & ſic conſurgit ſecunda figura vt *nullus equus eſt rationalis, omnis homo eſt rationalis, ergo nullus homo eſt equus* ecce rationalis in vtraque eſt prædicatum

2. Figura.

Tertiò ita vt medium in vtraq; ſit ſubiectum & ſic conſurgit tertia figura vt *omnis homo eſt riſibilis, omnis homo eſt animal, ergo aliquid animal eſt riſibile*, merito autem ſecunda tertiæ præfertur, quia in illa medium ſemper habet rationem formæ. ſ. prædicati. in 3. verò ſemper habet rationem materiæ. ſ. ſubiecti, formā autē præſtantior eſt materia.

3. Figura.

Modus Quid? Scotus.

Quæuis autem figura in varios modos diſtribuitur, vt in varias ſpecies, eſt autem modus ex noſtro Doctore apta propoſitionum inter ſe ſecundum certam quantitatem & qualitatem diſpoſitio, vt quòd ſint propoſitiones vniuerſales vel particulares, affirmatiuę vel negatiuæ, qui ſolent etiam appellari conbinationes, coniugationes, ſeu complicationes, trito verò ſermone modi, qui per quaſdā dictiones ſignificantur cōſtātibus tribus ſyllabis, & ſi in aliqua dictione plures quàm tres fuerint repertæ, vltimarum non eſt ratio habenda, ſubduntur enim vt carmen compleatur. prima ſyllaba cuiuſq; dictionis ſignificat maiorem. Secunda minorem. tertia concluſionem, in his tribus ſyllabis ponuntur aliquæ ex his quatuor vocalibus. A. E. I. O. ſi fuerit A, denotat propoſitionem illi correſpondētem debere eſſe vniuerſalem affirmatiuam, ſi E quod eſt vniuerſalis negatiua. ſi. I particularis affirmatiua. ſi. O. particularis negatiua.

Ex his autem modis ſyllogiſmorum quidam concludunt directè & ſecundum naturam, alij indirectè & contra naturam, illi ſyllogiſmi directè concludunt quando in concluſione maius extremum prædicatur de minori vt *omne animal eſt viuens, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt viuens*, ecce viuens quod eſt maius extremū poſitum in maiori enunciatione cum medio quod eſt animal, prædicatur de homine qui eſt minor extremitas coniuncta in minori cum eodem medio. illi verò indirectè concludunt, quando vice verſa in cōcluſione minus extremum prædicatur de maiori, vt ſi in eodem ſyllogiſmo concludas, *ergò aliquod viuens eſt homo*.

Directe cō cludentes.

Indirectè.

Item ex his modis quidam ſunt vtiles & boni, alij vero inutiles & inſufficientes. illi ſunt vtiles qui eam ſeruant diſpoſitionem & formam, vt ex vi illius in quauis materia apte cōcludant, vnde in eis nunquàm omnino datur antecedens verum quin ex vi antecedentis & conſequens etiam verum ſit, vt de bona & vtili cōſequētia diximus. inutiles vero & vitioſi ſunt qui non ſeruāt eam terminorum diſpoſitionem vt ex vi illius neceſſariò ſequatur concluſiò inquauis materia, vnde in eis datur antecedens verum & conſequēs falſum, quod ineptæ, & inutilis conſequentiæ vitium eſt.

Modi vtiles.

Inutiles.

Item ex modis vtilibus quidam ſunt perfecti, quiſ. ita clarè & apertè inferunt neceſſariò concluſionē, vt ipſo rationis lumine ſtatim innoteſcat eius inferendi vis, atque adeo nullius indigent probatione quā ea quæ in eodem ſyllogiſmo aſſumitur, vt videantur concludere alij imperfecti qui licet neceſſariò concludant, non tamen id clarè conſtat, ſed vt conſtet neceſſariò concludere, opus eſt vt ad perfectos reducantur.

Perfecti.

Inperfecti

CAPVT III DE MODIS VTIlibus cuiuſque figuræ.

VT Quæ complicationes ſeu modi vtiles ſint, aut inutiles deprehēdi poſsit nonnullæ regulæ aſsignātur, quædam omnibus figuris cōmunes, Prima eſt quod inutilis eſt ſyllogiſmus in quauis figura, cuius vtraque præmiſſa eſt negatiua, vt ergo vtilis ſit, ad minus vna præmiſſa debet eſſe affirmatiua.

Regulæ p modis vtilibus.

Prima.

¶ 2. eſt, quod inutilis eſt ſyllogiſmus in quauis figura cuius vtraque præmiſſa eſt particu-

Secunda.

eſt particularis, vt ergo vtilis ſit, aliqua præmiſſarum debet eſſe vniuerſalis.

3. Regula. ¶ 3. eſt quòd medium debet in aliqua ſaltim præmiſſa diſtribui. i. vniuerſaliter accipi pro omni re pro qua accipi poteſt, & quòd nullus terminus in concluſione diſtribuatur qui non ſit in præmiſſis diſtributus, argumentatio enim à non diſtributo ad diſtributum vitioſa eſt. Et omnes proprietates logicales vt eadem appellatio ampliatio, reſtrictio, ſuppoſitio &c. in concluſione ac in præmiſſis obſeruentur.

4. Regula. ¶ 4. Tandem quòd conſequens ſemper ſequatur partem antecedentis deteriorē, & quia particularis debelior eſt vniuerſali negatiua quàm affirmatiua, ſi aliqua ex præmiſſis fuerit particularis, aut negatiua, concluſio ſit particularis aut negatiua.

Aliæ regulæ ſunt cuique figuræ ſpeciales. pro prima figura. quòd maior ſyllogiſmi in prima figura non ſit particularis, nec minor negatiua, alioquim inutilis erit ſyllogiſmus. *Pro prima Figura.* ¶ Pro ſecunda figura, quòd nō ſit vtraque præmiſſa in ſyllogiſmo ſecundæ figuræ affirmatiua, nec maior particularis quia alias ſyllogiſmus erit inutilis. *Pro. II.*

Pro. III. ¶ Pro tertia figura, quòd minor ſyllogiſmi in tertia figura non ſit negatiua. quorū omnium rationem reddemus cum Ariſto. & Subtili Doctore in lib. prio.

Notatio. Tametſi ergo in quauis figura ſexdecim mòdi poſsint cōfici, quia totidem modis præmiſſæ poſſunt complicari ſecundū quantitatem & qualitatem, primò vt vtraque præmiſſa ſit vniuerſalis. 2. vtraque ſit particularis 3. vt maior ſit vniuerſalis & minor particularis. 4. è contra maior particularis & minor vniuerſalis. & in qualibet complicatione harū poſſunt fieri aliæ quatuor, vt in ea cuius vtraque eſt vniuerſalis, quatuor. 1. vt vtraque ſit affirmatiua, 2. vt vtraque negatiua 3. vt maior affirmatiua & minor negatiua. 4. vt è contra maior negatiua & minor affirmatiua. ſimiliter. & in ea cuius vtraque eſt particularis rurſus quatuor, ita vt vel vtraque ſit affirmatiua vel vtraque negatiua &c. & eodē modo in duobus alijs. numerus autem qui a ternarius in ſe ipſum ductus ſexdecim cōſtituit, ſed plerique modi iſtorum inutiles ſunt quia præiactis regulis ſiue generalibꝰ ſiue ſpecialibus contradicunt.

In Prima ergò figura ſolùm reperiuntur quatuor vtiles directè concludentes ex vi formæ vt optime probat Doct. Scotus. 1. prio. q. 22. *Scotus. 1. prio. q. 22.* qui his dictionibus notātur *Barbara, Celarent, Dary, Ferio.* Prima A dictio Barbara triplici A cōſtans denotat primum modum primæ figuræ conſtare tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis, vt omne rationale eſt diſcurſiuū omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt diſcurſiuus. *Celarēt* denotat in ſecūdo modo 1. figuræ maiorē eſſe vniuerſalē negatiuam, minorem vniuerſalem affirmatiuam conclusionem vniuerſalem negatiuam. vt nullum rationale eſt equus omnis homo eſt rationalis. ergò nullus homo eſt equus. *Dary* conſtat ex maiori vniuerſali affirmatiua, minori particulari affirmatiua, concluſione particulari affirmatiua, vt omne admiratiuum eſt riſibile, aliquis homo eſt admiratiuus, ergo aliquis homo eſt riſibilis.

Ferio conſtat. 1. vniuerſali negatiua. 2. particulari affirmatiua. 3. particulari negatiua. vt nullum rationale eſt lapis, aliquis B homo eſt rationalis. ergo aliquis homo non eſt lapis.

Hi quatuor modi ſunt perfecti per ſe noti euidentes, & indemonſtrabiles, quia non indigent ad alios reduci vt de bona illorum conſtet illatione: ſed ſunt aliorum regulæ quippe cum innitantur duobus illis principijs lumine naturali exploratis. *Hi quatuor modi perfecti.* quorum primū ab Ariſtotele Dici de omni appellatur. id eſt quòd nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum, ſeu clarius quidquid vniuerſaliter dicitur de aliquo ſuperiori vt de ſubiecto, dicitur de omni inferiori contēto ſub illo. *Dici de omni.* huic innituntur, duo modi concludentes affirmatiuè ſ. Barbara, & Darij. quòd ſic ad exercitium rediges, neget proteruus *Scotus. 1. prio. q. 7.* concluſionem iſtius ſyllogiſmi in Barbara omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo C eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtātia, hanc ſic confirmabis per dici de omni, quidquid vniuerſaliter affirmatur de aliquo, affirmatur etiam de quouis contento ſub illo, ſed de animali vniuerſaliter affirmatur ſubſtantia in maiori, ergó & de omni contento ſub illo, ſed homo ſubijcitur animali in minori, ergo in concluſione vere affirmatur ſubſtantia de homine. Secundum principium appellatur dici de nullo *Dici de nullo.* quādo nihil eſt ſumere ſub ſubiecto à quo non remoueatur prædicatum. ſiue clarius quòd quidquid de aliquo ſubiecto vniuerſaliter negatur, negatur etiam de quouis contento ſub illo. cui principio innitūtur duo alij modi negatiuè concludentes.

Cela-

Celarent. & *Ferio.* quod ſic ad exercitiũ re-diges. negat quis concluſionem iſtius ſyllogiſmi in Celarent. nullum inanimatum eſt viuens, omnis lapis eſt inanimatus, ergo nullus lapis eſt viuens, illam confirmabis per dici de nullo ſic, quidquid de aliquo vniuerſaliter negatur, negatur etiam de omni contento ſub illo, ſed de inanimato negatur vniuerſaliter eſſe viuens ergo & de omni contento ſub illo ſed lapis continetur ſub inanimato ergò verè in concluſione negatur de lapide.

In directè concludentes in prima figura

In hac prima figura dantur alij quinque modi vtiles indirectè concludentes, in quibus. ſ. maior extremitas ſubijcitur & minor prædicatur. *Baralipton* omne diſcurſiuum eſt riſibile, omnis homo eſt diſcurſiuus ergo aliquod riſibile, eſt homo *Celantes* nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal. ergò nullus lapis eſt homo *Dabitis* omne admiratiuum eſt flebile, aliquis homo eſt admiratiuus ergo aliquod flebile eſt homo *Fapeſmo.* omnis homo eſt ſubſtãtia, nullus lapis eſt homo, ergo aliqua ſubſtãtia nõ eſt lapis. *Friſeſo* aliquis homo eſt ſubſtantia, nullus equus eſt homo, ergo aliqua ſubſtantia non eſt equus vnde in modis indirectè concludentibus benè poteſt minor eſſe negatiua vt in Fapeſmo. & maior particularis vt in Friſeſo, qui omnes modi primæ figuræ vtiles quatuor directè concludentes & quinque indirectè, his duobus carminibus comprehẽduntur

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Modi 2 Figuræ.

In ſecũda figura in qua medium in vtraque præmiſſa prædicatur etiam inveniuntur quatuor modi ſolum vtiles directè concludentes, vt benè probat Doctor Subtilis. ibidem, q. 23. primus eſt, *Ceſare* cuius maior eſt vniuerſalis negatiua, minor vniuerſalis affirmatiua, concluſio vniuerſalis negatiua, vt nullus lapis eſt rationalis, omnis homo eſt rationalis, ergo nullus homo eſt lapis, 2. *Cameſtres* cuius maior eſt vniuerſalis affirmatiua, minor, & concluſio vniuerſales negatiuæ, omnis homo eſt riſibilis, nullus lapis eſt riſiblis ergo nullus lapis eſt homo 3. *Feſtino* nullus lapis eſt animal aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo ñ eſt lapis. 4. *Faroco*, omnis homo eſt animal, aliquis lapis ñ eſt animal, ergo aliquis lapis ñ eſt homo. In hac figura ſemper concluſio eſt negatiua, quia vna ex premiſſis ſemper eſt negatiua.

Scotus. 1. prio. q. 23.

Modi 3. figuræ.

In Tertia figura in qua medium in vtraque ſubijcitur dantur ſex modi vtiles,

A *Darapti* omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo aliquod riſibile eſt animal *Felapton* nullus homo eſt lapis, omnis homo eſt rationalis, ergo aliquod rationale non eſt lapis, *Diſamis* aliquis homo eſt riſibilis, omnis homo eſt rationalis, ergo aliquod rationale eſt riſibile. *Datiſi*, Omnis auarus eſt miſer, aliquis auarus eſt diues, ergò aliquis diues eſt miſer. *Bocardo* aliquod animal non videt, omne animal eſt viuens ergo aliquod viuens non videt. *Feriſon* nullus homo eſt inhibilis, aliquis homo eſt albus, ergo aliquod album non eſt inhibile. Vbi cernitur quòd in hac figura ſemper concluſio eſt particularis, vnde non valet omnis homo eſt riſibilis, omnis homo eſt animal ergò omne animal eſt riſibile. ❡ Num autem in ſecunda & tertia figura dentur modi indirectè

B concludẽtes in lib. prio. hæc pronunc. Dantur ergo in vtraque figura decem modi vtiles his duobus carminibus cõprehenſi.

2 Ceſare Cameſtres Feſtino Baroco 3 Darapti
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Quatuor primi vſque ad Baraco pro ſecunda figura, à Darapti vſque ad Feriſon pro tertia. Omnes iſti modi ſimul ac quinque primæ figuræ indirectè concludentes, ſunt imperfecti, quia illorum vis concludendi non ita eſt aperta, ſed opus eſt vt id conſtet, aut probando, quòd illorum forma eadem omnino retenta in quanis materia nũquam in eis datur antecedẽs verum & cõſequens falſum, vel eos reducendo ad perfectos, vel per deductionem ad impoſsibile, quando. ſ. negans conſequentiam ſyllogiſmi imperfecti, cogitur concedere aliquod impoſsibile, aut per expoſitionem

Omnes iſti modi imperfecti.

C quòd quo pacto fiat. in lib. prio.

CAPVT V. DE SYLLOGISMO *expoſitorio, & de alijs Argumentationis ſpeciebus.*

Syllogiſmus expoſitori. Quid?

SYLLOGISMVS expoſitorius eſt cuius mediũ eſt terminus ſingularis, l. vt alij qui cõſtat propoſitionibus ſingularibꝰ ôbidque ſic vocatur quia r ẽ ſenſibus exponere videtur per ſingularia, quæ ſunt ſẽſibꝰ expoſita qui adeo perſpicuus eſt ac euidens vt demonſtratio ſenſibilis appellari ſoleat. cum autem proprium ſit rei ſingularis, quòd alteri ſubijciatur, hic ſyllogiſmus proprie fit in tertia figura, in qua medium

dium ſubijcitur in vtraque præmiſſa,licèt etiam in alijs fieri poſsit. vtimur autem illo,quando aliquis negat propoſitionem particularem,de ſubiecto. ſ.communi termino particulari affecto,vt negat quis cõcluſionem iſtius ſyllogiſmi tertiæ figuræ in Darapti omnis homo eſt rationalis,omnis homo eſt ſenſibilis,ergo aliquod ſenſibile eſt rationale,illam ſic probabis,& expones per hunc ſyllogiſmsm expoſitorium, Petrus eſt rationalis,& Petrus eſt ſenſibilis,ergo aliquod ſenſibile eſt rationale.

Entimema Quid?

Entimema,dicitur ſyllogiſmus truncatus,quia defficit illi vna expræmiſsis ſiue maior ſiue minor; quam ſi addideris integrum conficies ſyllogiſmum,eſt ergo ſyllogiſmus imperfectus in quo non omnibꝰ præmiſsis poſitis feſtinata infertur cõcluſio, vt Petrus eſt homo ergo rationalis reducitur ergò ad ſyllogiſmum vt imperfectum ad perfectũ, nec ab illo differt eſſentialiter.

Inductio. Quid.

Inductio,quæ & enumeratio dicitur eſt à ſingularibus ad vniuerſalia progreſsio & aſcenſus,qua vtimur ad alicuius propoſitionis vniuerſalis veritatem oſtendendã; id circo opus eſt vt omnia ſingularia quoad fieri poſsit numerentur, aut ſi id facilé præſtari nequeat;paucis enumeratis ad hibeatur hæc cõſtantia,& ſic de ſingulis aut alia ſimilis, vt hic ignis calefacit,& hic ignis calefacit,& ſic de ſingulis,ergo omnis ignis calefacit cum auté aſcenſus hic deſcẽſui de quo lib.1.c.5.diſſeruimus,ſit oppoſitus,totidem modis fit.vnde quadruplex poteſt eſſe.

Dicitur. aſcenſus. Eſt quadruplex. Copulatiuus.

¶ Copulatiuus,quo vtimur, ad probandam propoſitionem vniuerſalẽ vnde neceſſaria eſt veritas ſingularium omnium quæ ſunt ſub illo termino diſtributiué ſupponente, per quæ aſcenſus fit ad vniuerſalis veritatem.

Diſiunctiuus.

¶ Alius eſt diſiunctiuus quo vtimur ad oſtendendá veritatem propoſitionis particularis,vt iſte homo diſputat, vel iſte homo diſputat,ergo aliquis homo diſputat, ſufficit auté vnius ſingularis veritas in diſiunctiuo, etenim ſi vel vnus homo diſputet,verum eſt, quòd aliquis homo diſputat,vnde non opus eſt vt multa numerentur ſingularia.

Copulatus

¶ Alius eſt copulatus quo vtimur ad oſtendam veritatem propoſitionis de termino collectiuè ſupponente.

Diſiũctus.

¶ Aſcenſus diſiunctus eſt quo vtimur ad oſtendendam veritatem propoſitionis in qua terminus ſupponit confuſſe, vt vel iſte vel iſte vel iſte equus &c requiritur ad equitandum, ergò ad equitandum requiritur equus.

Quo pacto inductio ad ſyllogiſmum reuocari poſsit in lib. prio. videbimus.

Exemplũ Quid?

Exemplum dicitur inductio imperfecta vnde ad illam reuocatur, eſt argumentatio in qua ab vno ſingulari alterum infertur propter aliquã ſimilitudinẽ vt. D.P.N. FRANCISCVS nihil habens fuit omnia poſidens,ergo & nos illius alumni,ſi nihil habuerimus,omnia poſsidebimus. Quæ omnia pro nunc attigiſſe ſufficiat, ſitque ſatis ſuperque de hoc totius logicæ compendio,quæ autem deſiderari videntur.in Magna Logiga tum in lib. periherm. Priorum. Topicorum & Elench. Offeremus.

FINIS.

Ad Maiorem Dei Gloriam.

D. O. M.

LIBER PRIMVS DE INTRODVCTIONE AD LOGICAM ARISTOTELIS, VBI DE NATVRA PRÆDICABILIVM, ET DE EORVM PROPRIETATIBVS EX PORPHIRIO VNA CVM QVÆSTIONIBVS SVBTILISSIMI D. SCOTI.

PER R. ADMODVM PATREM FRATREM HIERONIMVM à Valera Sacræ Theologiæ Lectorem emeritum, & in Conuentu Sancti Franciſci de Lima Guardianum.

PROOEMIVM.

TOTAM Dialecticæ artem breui quadam manu contractá noſtris tyronibus in Summularũ tractatu propoſuimus, vt inde facilior fieret aditus, ad ea quæ fuſiori methodo ſunt a nobis enodanda in his Logicæ commentarijs, in quibus tradendis hunc ordinem obſeruabimus, quod totum hoc opus in ſeptem libros diuidemus. In primo, librum quem Porphyrius de quinque vniuerſalibus, vt introductionem ad perfectam Logicæ Ariſtotelis intelligentiam conſcripſit, elucidabimus. In ſecundo agemus, de his, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, ex quibus tamquam ex partibus materialibus fiunt compoſita. I propoſitiones. In tertio agemus de propoſitionibus ex quib9 ſyllogiſmi cõficiuntur: in quo duos libros, quos Ariſt. de interprætatione tradidit, comprehẽdemus In quarto de ſyllogiſmo in communi, & forma ſyllogiſmorũ, in quo duos libros Priorum ab Ariſt. tradditos, aperiemus. In quinto de materia neceſſaria, ex qua ſyllogiſmus demonſtratiuus cõficitur diſſeremus; in quo duos libros, quos de poſteriori reſolutione edidit Ariſt. explanabimus. In ſexto agemus de ſyllogiſmo topico, & probabili, qui continebit octo libros topicorum Ariſt. In ſeptimo de ſyllogiſmo ſophiſtico, qui elucidabit duos libros elenchorum: ſic que totam Ariſtotelis Logicam pro noſtro tenui captu abſoluemus.

Et vt clariori methodo, maiorique diſtinctione procedamus, quemlibet librum in diſtinctiones, & diſtinctiones in quæſtiones ſecabimus, vt hoc modo procedendi noſtri Scholaſtici aſſuefacti, in libris ſentẽciarum, ad quos totus hic noſter labor dirigitur, facile procedant: in quæſtionibus autem diſcutiendis primo cum opus fuerit titulum declarabimus vt id, in quo du-

bitatio cõſiſtit percipiatur. Deinde doctorum placita referemus: poſtea iactis fundamentis cum id videbitur expedire, noſtram ſentẽtiam aperiemus, rationibuſque cõfirmabimꝰ: vltimo tãdẽ cõtrariorũ argumẽta diſſoluemus, quẽ ordinẽ ſicut, & faciliorem omnes doctores antiqui obſeruarunt. Et quia quotquot hactenus Dialecticam ſunt interpretati in primo ipſius operis veſtibulo nonnullas quæſtiones præmittunt, quas prooemiales appellãt, in quibus quatuor illa, quæ ex Ariſtotele. 2. poſter. c. 1. de vna quaque re perquiri ſolent: anſit res, quid ſit, qualis ſit, propter quid ſit, eãdem de logica inueſtigant. An ſcilicet ſit in rerum natura? Quid ſit, id eſt, quæ ſit eius natura, & eſſentia? Qualis ſit, quibus ſcilicet gaudeat proprietatibus? Propter quid ſit, quod vel poteſt intelligi de eius obiecto, ad quod ſcilicet obiectum ordinetur, hoc enim eſt commune omnibus ſcientijs, vt ſint propter ſuum obiectum. I. de illius neceſsitate, hoc enim eſt dialecticæ peculiare, quod omnibus ſcientijs deſeruit, modumque ſciendi præbet, eaſdem quæſtiones prooemiales prẽmittemus, nec ita latè vt nonnulli moderni faciunt; qui prius difficillimis quæſtionibus ex methaphyſicæ ſubtilitate decerptis, ſatiſque prolixè diſcuſsis teneros diſcipulos cõfundũt quàm Dialecticam doceant, in quo ſibi ipſis contrariantur, cum in eiſdem quæſtionibus dialecticæ ad alias ſcientias neceſsitatem ita extollunt, vt ante omnes alias ſcientias ſimpliciter neceſſariò eſſe prius addiſcendam proclamant: ſi tamen aliquãdo rei difficultas poſtulauerit, non erit vitio vertendum, quod aliqua ex proprijs fontibus deſſumpta, qua nobis licuerit breuitate, prænotemus: ſicut enim nimia in proponendis quæſtionibus prolixitas tædium, & confuſsionem parit, ita & ſumma breuitas obſcuritatem gignit. Faxit Deus, vt eam breuitatem dilucidam ſectemur, quæ nec obſcuritatem tyronum mentibus incutiat, nec difficultates ſine ſufficienti examine prætermittat.

In his autem omnibus primo Ariſtotelem ductorem illius ſemper veſtigijs inhærentes inſequemur vt tanto Phyloſopho per veritatis tramites tutò ducti, ipſius veri cognitionem teneamus: cum ipſe veritatis aucupator, inuentor verè poſsit appellari: inter eius autem expoſitores non tantum internus amor, verũ & ipſa ratio nos admonet, vt noſtrum ſubtiliſsimum Doctorem Scotum vt ante ſignanũ ſectemur, ex cuius doctrinæ limpidiſsimis fontibus veritatem claram nullis errorum inuolucris maculatam exhauriemus, illiuſque firmiſsimo præſidio protecti nullas hoſtium incurſiones nulla quamuis acria argumentorum tela pertimeſcemus: vnde prius Ariſtotelis litteram, poſtea autem doctoris breuiter collectam proponemus ante quamcunque tractationem.

De nominibus autem dialecticæ, ac de eorum origine, & ſignificatione, & de varijs Dialecticæ diffinitionibus, & de illius primo inuentore ſatis ſint, quæ diximus in principio noſtræ introductionis ad Dialecticam.

DISTINCTIO PRIMA DE natura, & proprietatibus Logicæ.

De hac re tres quæſtiones præmittit noſter Doctor in ſua Logica: prima eſt an logica ſit ſcientia; ſecunda an ſit ſcientia communis: tertia quod ſit obiectum illius.

LITTERA DOCTORIS SCOTI.

VTRVM LOGICA SIT SCIENTIA?

Prima Cõc. affirmatiua, & probatur ſciẽtia eſt effectus demonſtrationis, in Logica autem multa demonſtratiuè concluduntur, cum in ea ſint omnia requiſita ad demonſtrationem, vt ſubiectum, & paſſio demonſtrabilis de ſubiecto per mediũ quod eſt diffinitio. *1. Conclu*

Secunda Cõc. Logica duppliciter cõſideratur, vno modo inquantũ eſt docẽs, & ſic ex neceſſarijs, & proprijs principijs procedit ad neceſſarias concluſiones, & ſic eſt ſcientia. Alio modo in quantum vtens, & ſic non eſt ex proprijs ſed ex communibus nec ſic eſt ſcientia, ſicut patet in naturalibus, vbi Ariſt. adducit rationes logicales, quæ procedunt ex medio communi, & nõ faciunt ſcire propriè loquendo. *2. Conclu.*

VTRVM LOGICA SIT SCIENtia communis.

LOGICA dicitur ſcientia communis a ſubiecto, non quia eius ſubiectum ſit commune genus prædicabile de ſubiectis aliarum ſcientiarum, niſi forte per accidens, ſi ſubiectum eius ſit applicabile omnibus alijs ſcientijs, ſed quia eius ſubiectum cadit in vſum omnium aliarum ſcientiarum.

VTRVM

VTRVM SVBIECTVM Logicæ ſit ſyllogiſmus.

SVPPONIT Doctor Scotus, tres eſſe conditiones præcipuas ſubiecti in ſcientia: Prima quod ſit notum quid eſt, & quia eſt, nam hæc duo (vt inquit Ariſto. 1. poſter.) oportet præſupponere de omni ſubiecto demōſtrationis. Secūda eſt, quod per eius quod quid eſt (id eſt per eius diffinitionem) demonſtrentur in ſcientia paſſiones illius ſubiecti de eo. Tertia quod ad ipſum alia omnia in ſcientia reducantur, & propter ipſum cōſiderētur; aliter enim ab eius vnitate non eſſet vnitas ſcientiæ.

1. Conclu. Nec opera rationis in communi, nec ſecunda intentio, ſeu ens rationis in communi ſunt obiectum Logicæ: & probatur: Quia deſunt eis prima, & ſecunda conditio, cum nullum ex iſtis in communi diffiniatur in Logica, nec præmitatur vt principium ſcientiæ, nec de eis in communi ſumptis aliqua paſsio in generali demonſtretur.

2. Conclu. Nec argumentatio eſt obiectum Logicæ, nec oratio. Prima pars probatur eadē ratione, quia nullibi diffinitur ab Ariſto. argumentatio in communi, nec ponitur eius diffinitio vt principium ſcientiæ, nec aliquæ paſsiones de ipſa vt ſic demonſtrātur. Secunda pars probatur: quia oratio non continet omnia, quæ in Logica tractātur.

3. Conclu. Subiectum primum, & proprium Logicæ eſt ſyllogiſmꝰ: Tū quia in lib. Prior. præmittitur eius diffinitio, & ibidem multæ paſsiones de ipſo demōſtrantur per illam diffinitionem, & omnia in ordine ad ipſum conſiderantur in Logica, ergo habet omnes conditiones ſubiecti adæquati Logicæ, ſyllogiſmus. Hæc de litera Doctoris.

COMMENTARIVM.

QVÆSTIO PRIMA VTRVM Dialectica ſit in rerum natura.

QVÆSTIO hæc meritò ante alias præmittitur, quia licet idem realiter ſit quærere an ſit res, & an ſit neceſſaria, formaliter tamen diſtinguntur, & qui primo quærit an res ſit neceſſaria, quærit primo qualitatē rei, quod eſt peripateticum ordinem peruertere, in quo quæſtio qualis res ſit, præſupponit quæſtionem an talis res ſit. Quæſtionis autem duplex poteſt eſſe ſenſus: primus an habeat verum eſſe, & non fictum, & chimericum, & quæſtio in hoc ſenſu ad quæſtionem quid eſt reducitur, in qua quæritur an res habeat veram entitatem, naturam ſeu eſſentiam, ſecundus eſt an habeat veram exiſtentiam, ſiue actualem, ſiue poſsibilem, & in hoc ſenſu modo procedit quæſtio præſens.

In qua re fuit opinio Epicuri (vt refert Diogenes Laertius in vita Epicuri) omnino negantis Logicam, quæ probatur. *Epicuri*

Primo. Si ad aliquid Logica eſſet inuenta, maximè ad iudicandum de veritate rerum, ſed ad hoc non. Tum quia hoc eſt proprium munus Methaphiſicæ, quæ reſpicit verum, & falſum: ergo non Dialecticæ. Tum etiam quia quælibet ars vel ſcientia cognoſcit vera, & veriſimilia, ex Ariſtot. 1. rectoric. ad Theodect. c. 2. *1. Argu.*

2. Ars quæ docet diſcernere verum à falſo ſupponit quod ſit falſum in rerum natura; quæ enim non ſunt, ſeparari nequeunt, ſed à parte rei non datur falſum, cum falſum ſit priuatio veri, priuatio autem nihil eſt ergo non eſt dabilis ſcientia, quæ doceat diſcernere verum à falſo. *2. Argu.*

Notandum eſt primo Primam eamq; receptiſsimam Logicæ diuiſionem eſſe qua in naturalem, inchoatam, & artificialem diuiditur; Dialectica naturalis dicitur ipſe intellectus, qui lumine naturali ductus diffinit, diuidit, & argumētatur, de quo Ariſt. lib. de reprahenſionibus ſophiſtarū; nemo eſt (inquit) qui dialectica non vtatur, quia omnes naturaliter, argumentamur, & diſcurrimus. Et 1. elēchor c. 11. omnes (ait) homines etiam idiotæ quodammodo vtūtur arte dialectica: & paulò infra, quo fit vt nemo ſit qui refellere & reprehendere argumentis alterum non conetur: omnes enim nulla arte adiuti, ſed duce tantū natura, illius ſunt muneris capaces, quod arte perfectum, & expolitū Dialecticæ propriū eſt. Dialectica inchoata eſt, notitia aliqua ſeu cognitio aliquarū conſequentiarū euidentiarū ab intellectu cōparata, ſaltim in modis perfectis primæ figuræ. Logica verò artificialis eſt habitus per vſum argumentandi frequentem acquiſitus, cuius naturam modo aggredimur inquirendam. *1. Nota.*

Notandū ſecundo, quod ad quācūq; rem quæ benè vel malè fieri poteſt, datur aliqua ars quæ talē rem perficiat, cum omnis ars fuerit adinuenta ad perficiēda ea, quæ veluti imperfecta & inchoata reliquit natura, vel ad perficiendas potentias, quæ inclinationē habent ad aliquē actū, quē aliquando

quando benè aliquando malè operantur: circa hæc ergo verſatur ars, quæ ab illis detrahendo ſuperflua, aut addendo quæ deſſunt, ea ad perfectionem perducit. Sit modo.

Concluſio. Concluſio Logica non tantùm eſt poſſibilis, ſed etiam de facto datur. Prima pars probatur; quia operationes noſtri intellectus poſſunt benè vel malè fieri, aliquando enim benè aliquando non ita diffinimus, diuidimus, & argumentamur: ergo poſſunt ab aliqua arte ordinari vt benè fiant: dabilis ergo eſt ars, quæ viam & methodum tradat, iſta recte conficiendi. Secunda etiam pars conſtat ex ipſa experiētia, innumeri enim ſunt, qui talem artem addiſcunt, & experimur ſemper quod antequam Dialecticam addiſcamus, magna cum difficultate diffinimus, diuidimus, & argumentamur, ea autem acquiſita facilè, & ſuauiter: datur ergo de facto.

Ad. 1. Ad Argumenta Reſpondetur. Ad primum: quod licet methaphyſica veri & falſi naturam conſideret, & quælibet alia ſcientia, & ars iudicet de veritate ſui obiecti, agatque de vero, & veriſimili in propria materia; ſed non de forma, & modo, quo ſit de veritate rerum iudicandum. Hoc ergo præſtat Dialectica, quæ talem modum docet.

Ad. 2. Ad ſecundum. Concedo maiorem, & nego minorem & ad probationē, datò quod falſum ſit priuatio veri, priuatio autem licet non ſit aliquid poſitiuum, tamen eſt reale priuatiuum, quod vt ſic datur in re: ſed de hoc alibi proprius erit locus.

QVÆSTIO SECVNDA VTRVM rectè Dialectica in docentem, & vtentem diuidatur.

HABEMVS celebrem illam diuiſionem ſatis tritam in ſcholis logicæ in docentem, & vtentem. in cuius explicatione mirum eſt quantum diſsideant Doctores. Duæ autē ſunt opiniones in hac quæſtione ad quas omnes aliæ reducuntur.

Pri. Opin. de diuiſione hac. Prima eſt ſatis communis, quæ aſſerit hanc diuiſionem adæquatè, & ſecundum omnes ſuas partes tam demonſtratiuam, quam topicam conuenire logicæ: hiquidē licet in explicatione docentis conueniant ſic appellari, quatenus procedit docendo ſcientificè ſuum obiectum, & omnia alia de quibus ipſa agit. In explicatione vtentis eſt maxima diſſentio. Relictis autem quibuſdam inanibus modis explicandi rationem vtentis, tres ſunt, qui communiter traduntur, & defenduntur modò a viris doctis.

1. Modus defendēdi rationem vtentis. Sanchez Rubio. Maſio. Murcia Primus modus, aſſerit, quod ſicut Logica docens eſt habitus, qui cognoſcit naturam diffinitionis, diuiſionis, argumentationis, datq; methodum, & præcepta iſta conficiendi: ita Logica vtens eſt verus & realis habitus, qui eadem præcepta exequitur in alijs ſcientijs, & de facto & in actu exercito intelligibiliter conficit prædictos modos ſciendi in materia aliarum ſcientiarum; in qualibet ergo diffinitione, diuiſione, & demonſtratione aliarum ſcientiarum; poteſt primò conſiderari propria materia, vt ipſi actus præmiſſarum: ſecundò ordo & diſpoſitio præmiſſarum in tali modo, & figura; quælibet ergo ſcientia concurrit ad ſuos actus quoad materiale ipſorum, Logica vero effectiuè concurrit ad prædictos actus, quoad formale ipſorum, quatenus efficit illum ordinem, & diſpoſitionem repertam in illis actibus: ſicut ergo ars ſutoria introducit formam calcei in qualibet materia apta ad conficiendos calceos; ſic Logica introducit in propria materia actuum aliarum ſcientiarum, formas intentionales & logicas diffinitionis ſcilicet diuiſionis &c. Hic modus ſic explicatus probatur.

1. Argu. Primo habitus aliarum ſcientiarum nō efficiunt illum ordinem repertum in ſuis proprijs actibus: ergo habitus Logicæ eſt qui illum efficit. Antecedens probatur, quia ſicut tranſcenderet Logica ſuum obiectum, ſi produceret ſubſtantiam actuum aliarum ſcientiarum, ita & aliæ ſcientiæ tranſcenderent ſuum proprium obiectū, ſi efficerent illum ordinem, & diſpoſitionem talium actuum: ſicut enim actus quoad ſubſtantiam ſunt materia propria ſcientiarum particularium, & nō Logicæ, ſic ordo & forma actuum eſt propria materia Logicæ, ne ergo habitus confundantur, debemus eis aſsignare proprium effectum diſtinctum.

2. Argu. Secundo Probatur. Omnes ſcientiæ particulares diſtinguntur interſe, non ergo credendum eſt omnes conſpiraſſe in vnum, vt omnes producerent illum ordinem.

1. Confir. Confirmatur Primo. Ad Philoſophiam ver. gra. non pertinet cognoſcere naturam diffinitionis, nec alterius modi ſciendi: ergo nec illius munus erit conficere diffinitionem, vt experiatur præcepta diffinitionis ab ipſa tradita.

Confir-

2.Confir. Confirmatur ſecundo Phyloſophia eſt prior natura, quàm cognitio modi ſciendi: ergo ordine naturæ prior eſt quà exercitium ipſius modi ſciendi, quod quidem exercitium poſterius eſt prædicta cognitione modi ſciendi: ergo exercere modos ſciendi pertinet ad aliquam phyloſophia poſteriorem, quæ eſt Logica vtens.

An autem in hoc ſenſu Logica docens, & vtens ſint duo habitus realiter diſtincti, an vero idem, ſub lite eſt inter hos doctores; quidam enim affirmant eſſe realiter diſtinctos, & adinuicem ſeparabiles, cùm poſsit contingere quod quis habeat Logicam docentem ſine vtente, vt cùm quis habet facilitatem ad contemplandam naturam ſyllogiſmi, eſt tamẽ ineptus ad illum conſtruendum, cùm cognita natura ſyllogiſmi per docentem maneat intellectus in determinatus ad benè vel male illum efficiendum in aliis ſcientijs. Vbi autem eſt diſtincta difficultas, & diſtincta indeterminatio in aliqua potentia, requiritur diſtinctus habitus, quo vincatur talis difficultas, & determinetur potentia, & patet etiã ex diſtincto augumento iſtorũ habituum ſolet enim contingere quod vnus ſine alio augeatur, cùm qui alias ſcientias multum exercet, non augeat logicam docentem ſed vtentem, & ex diſtincta generatione generantur enim diſtinctis actibus; quia ex frequentatione actuum cognoſcendi modos ſciendi, generatur quædam facilitas inclinans ad eos cognoſcendos ſine difficultate, quæ facilitas eſt logica docens. Ex exercitio autem conficiendi tales modos, comparatur in intellectu alia facilitas ad eoſdem conſtruendos in alijs ſcientijs ſine difficultate, quæ eſt logica vtens. Primi actus ſunt merè ſpeculatiui, ſecundi verò practici, tandem quia habent diſtincta officia, fines, & obiecta.

Aliorum modus. Alij autem dicunt realiter eſſe eundem habitum, & tantum diſtingui ratione, vel formaliter, quia ſine neceſsitate non ſunt multiplicandæ entitates realiter diſtinctæ atqui vnus, & idem habitus realiter ſufficit ad prædictos actus; cùm ex eo, quod quis cognoſcit naturam ſyllogiſmi, facillimè poſsit illum cõſtruere, & eodem actu quo producitur logica docens, ſecundariò producitur formalitas illa vtẽtis: vnde falſum eſt, ſeparari poſſe vtentem a docente, ſola autem diſtinctio formalis ſufficit ad ſaluanda omnia illa quæ veluti diuerſa de docente, & vtente affirmantur.

2. Modus Secundus modus explicandi eſt non minus communis inter doctores, qui logicam vtentẽ in hac diuiſione non actiuè ſed paſsiuè ſumi aiunt, ita vt dicatur vtens quatenus aliæ ſcientiæ illa vtuntur in ſuis actibus eliciendis. *Explicãdi l gicã vtẽtem.* Sic quod quælibet ſcientia habet ſuam propriam materiam, in qua diffinit, diuidit &c. Et tunc ſequendo talia præcepta diffinit & ſine errore argumẽtatur. Sit exemplum. Logica docet in actu ſignato, quod vt aliqua concluſio ſcientificè inferatur debent aſſumi præmiſſæ neceſſariæ: phyloſophia autem cum vult demonſtrare hanc concluſionem homo eſt riſibilis, reducit ad exercitium illud dictamẽ logicum, ſumendo has præmiſſas neceſſarias, omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, infert ſcientificè hanc concluſionem; ergo homo eſt riſibilis, vnde logica ſub hac formali ratione paſsiua vtentis nihil reale addit ſupra entitatem realem logicæ, ſed tantum denominationem extrinſecam; ex eo enim quod aliæ ſcientiæ illa vtantur, nihil reale illi accreſcit.

2.Opinio. de eodem diuiſione. Secunda ſententia aſſerit diuiſionẽ hãc non eſſe adæquatam, cum non conueniat logicæ ſecundum omnẽm ſuam partẽ ſed tãtum ſecundum Topicam, atque adeò logica licet docens dicatur ratione totius artis, quia tota in docendo verſatur; vtens verò tantum ratione eius partis, quæ diſſerit ex probabilibus cuius ſententiæ videtur auctor apertus D. Thom. 4. Methaph. lect. 4. vbi ſic cõcludit, & ſic apparet quod quædam partes logicæ habent in ipſa ſcientia doctrinam, & vſum ſicut dialectica tentatiua, & ſophiſtica, quædam autem doctrinam, et non vſum ſicut demonſtratiua.

1.Conclu. Prima concluſio logica non dicitur vtẽs actiuè quia effectiuè cõcurrit ad actus aliarum ſcientiarum quoad formale ipſorum, vt aſſerit prima ſententia, eſt enim ſuperfluus habitus ad hoc munus. Probatur autẽ

1. Probatur. Primo habitus datur ad vincendam difficultatem potentiæ, quam habet in operãdo aliquid; vnde cùm nulla eſt difficultas in potentia, non requiritur habitus, ſed ſtatim atque noſter intellectus per logicam docentem ſcit quid ſit diffinitio, diuiſio, & ſyllogiſmus, & quibus partibus conſtet, & quomodo debeat confici, eſt facilis, & habilis ad conficiendos modos in alijs ſciẽtijs ergo præter logicam docentẽ non indgiet alio habitu, quo faciliteturad hæc præſtanda. Minor probatur; quia hec eſt differẽtia inter corpus, & intellectum, quod corpus de ſe non eſt prõptum, & habile ad quod

dam genus motuum, vt ad ſaltationem & ad alios motus, qui a corpore artificioſè exercentur, & ideò præter habitum in intellectu quomodo hæc debeât fieri docétē requiritur alia facilitas, & promptitudo in corpore, qua facilè reddatur ad exercédos prædictos motus artificioſos; intellectus vero de ſe eſt promptus, & facilis ad intelligendum & diſcurrendum, dummodo teneat artem quæ docet intelligere, & diſcurrere: ergo præter talem artem docentem diſcurrere, non indiget alio habitu ad hoc præſtandum.

Confirm. Confirmatur quia ad efficiendos motus exteriores artificioſè, concurrunt diſtinctæ potentiæ, habentes diſtinctas difficultates, & indeterminationes: & illa per quā iſti motus artificioſi cognoſcuntur quomodo debeant fieri, ſcilicet intellectus, & illa per quam ſunt exercendi, membra ſcilicet corporis, & ſic indigēt diſtinctis habitibus, & facultatibus; cognitio vero quomodo debeant fieri iſti modi ſciendi, & illorum exercitium, & vſus pertinent ad eandem potentiam ſcilicet intellectum, ergo eo ipſo, quod teneat artem illorum confectionem docentem, eſt promptus, & habilis ad illos extruendos, atque adeò non indiget alio habitu.

Dices hoc tantum probare, non requiri alium habitum vtentis realiter diſtinctum a docente, non tamen quod idem habitus realis non habeat iſtos duos actus, & cognoſcere modos ſciendi, & illos conſtruere in alijs ſcientijs, ſed hoc impugnamus hoc ſecundo argumento.

2. Probat. Secundò quia actus demonſtratiuus (& idem iudicium erit de alijs modis ſciendi) tam quoad materiale, quam quoad formale illius in phyloſophia v. g. effectiuè ſolum elicitur ab intellectu, & ab habitu phyloſophico, & omnis alius concurſus alterius habitus circa talem actum eſt ſuperfluus; ergo logica nullo modo actiuè operatur in actibus aliarum ſciētiarum, atque adeò præter actum docédi nullum alium actum habet. Antecedens, in quo eſt difficultas probatur, quicumque habitus ſcientificus ex ſua natura inclinat ad ſuos actus demonſtratiuos, non quomodocumque, ſed recte conſtitutos, ita vt ſi non recte conſtituerentur, tales demonſtrationes ad illas non inclinaret, proprius enim actus cuiuſcumque ſcientiæ eſt cognitio rei per proprias cauſas, ſecundū ordinem ſyllogiſticum diſpoſitas & ordinatas in modo & figura, quo pacto eſt generatiua ſcientiæ: ſed quælibet cauſa ex ſua natura ab intrinſeco inclinat in proprium actum, & in proprium effectum: ergo quælibet ſciētia inclinat in demonſtrationem rectè diſpoſitam, & ordinatam, ergo vt ſic illam elicit. Iſtæ formæ, cum ſint entia rationis, vel reſultant ex ipſis actibus intellectus. l. tantum habent eſſe quādo per actum qua ſi reflexum cognoſcuntur: ergo non ſunt per ſe ab habitu vtētis. Dices ꝙ diſponit ad illas. Contra diſponere ad tales formas rationis eſt elicere actus rectè ordinatos ad quos conſequuntur, vel in quibus fundantur, ſed illud facit quælibet ſcientia vt probatum eſt.

Secunda Concluſio Si vtens in præſenti ſumatur paſsiuè, diuiſio logicæ in docentē & vtentem eſt adæquata conueniens omnibus ſuis partibus; diuiſio tamen hæc in hoc ſenſu eſt valde impropria, & non ad mentem antiquorum doctorum. Prima pars probatur. Logica vtens paſsiuè ſumpta eſt, qua vtimur in alijs ſciētijs, ſicut eſt explicatum ſupra in ſecundo modo explicandi primam opinionem; ſed non ſolum vtimur præceptis traditis in parte Topica ad conficiendas argumentationes probabiles in alijs ſcientijs, ſed etiam præceptis demonſtrationis, diffinitionis, diuiſionis &c. cum conficimus demonſtrationes, & diffinitiones, ergo nō tantum pars Topica ſed etiam demonſtratiua diuiditur in docentem & vtentem. *2. Conclu.*

Secunda pars probatur, quia quod logica in hoc ſenſu dicatur vtens eſt ſenſus valde improprius, quia ſic potius eſt dicenda logica vſa, & exercita, quam vtens: & potius quælibet alia ſcientia eſſet dicenda logica vtens, quæ ſcilcet vtitur logica. Præterea, quod eádem ratione Grammatica, Rethorica, Medicina, & quælibet alia ars eſſet diuidenda in docentem & vtentem, docens erit quatenus tradit præcepta aliquid conficiendi, & vtens quatenus in actu exercito vtimur talibus præceptis, & ſic hæc diuiſio non eſſet ſpecialis in logica.

Tertia Concluſio. Speciali quadam ratione logica ſecundum partem Topicam eſt quæ in docentem, & vtentem diuiditur, non verò ſecundum partem demonſtratiuam. quæ vt probetur, & explicetur ſupponere oportet cum Ariſtot. multis in locis. 1. Poſter. c. 3. & 1. Topic. c 1. & 2. & 1. Elēch c. 10. & 11 & 1. Rethor. c. 10. & 11 quod principia quibus probantur concluſiones in ſcientijs, ſunt in dupplici diſcrimine, *3. Conclu.*

ne, quædam ſunt omnibus ſcientijs communia, & hoc principium contraria habēt fieri circa idem, eſt principium commune, per quod in phyloſophia naturali probatur calorem & frigus poſſe eſſe in eodem ſubiecto. In phyloſophia morali virtutem & vitium poſſe eſſe in eadem voluntate: & ſic in alijs ſcientijs, & ex iſtis non generatur ſcientia, ſed opinio tantum. Sed præter talia media quælibet ſcientia habet media, & principia propria, ad oſtendendas concluſiones proprias, quibus vera ſcientia generatur. Quia ergo ſola pars Topica eſt, quæ tradit talia principia communia, quibus formaliter, & immediate vtimur in alijs ſcientijs ad illarum concluſiones probandas, ideò in parte Topica non tantū doctrina, ſed etiam ipſe vſus, & exercitium argumentandi ex probabilibus in alijs ſciētijs pertinet ad illam, a qua ſunt elicitiuè tales ſyllogiſmi probabiles. In parte verò Demonſtratiua ſola doctrina pertinet ad illam: vſus vero illius in alijs ſcientijs pertinet ad ipſas ſcientias, quia in tali vſu procedunt non ex principijs communibus traditis in logica, ſed ex proprijs principijs cuiuſcumque ſcientiæ. Propter hanc ergo ſpecialem rationem ſola pars Topica diuiditur in docentem, & vtentem. Hoc ex præſſè docuit noſter Doctor, qui in illa prima quæſtione prohœmiali ait, quod in quantum eſt vtens non eſt ex proprijs ſed ex communibus &c. Et primo Elenchor. quæſt. 1. ait ſcientia Dialecticæ traditur per demonſtrationem; vſus tamen eius in probabilibus conſiſtit, quem ſic explicant, & intelligunt ſui diſcipuli. Noſter cardi-

Scotus. nalis Sarnanus q. illa. 1. prologali. Mauri-

S. Thom. tius, & alij. Et id expræſſè docet D. Tho-

Sarnanus mas loco ſupra citato, quem ſequitur Fon

Maurici. ſeca 2. Methaph. q. 1. ſect. 6. & videtur

Fonſeca. etiam expræſſa Ariſtot. 1. enim Rect. cap. 1. ait, Dialectica verò Topica eſt facultas quædam inueniendi quid in quacumque re ſit ad ſuadendum accommodatum, atque ex communibus, omnibus ſcientijs de omni propoſita quæſtione, poteſt probabiliter ad perſuadendū accommodari.

In hoc ergo ſenſu eſt verum quod Logica docens, & vtens ſunt idem habitus realiter, cum ſola diſtinctione formali, quæ ſufficit, vt in quantum docens dicatur ſcientia; non verò in quantum vtens de quo ſtatim.

Corolariū Ex dictis ſequitur. Quod ſicut idem actus v. g. ſcribendi poteſt pertinere ad duas potentias diuerſa ratione, ad manum, vt ad elicientem, id eſt vt ad operantem; ad oculum verò, tamquam ad dirigentem, cum oculus dirigat manum, vt rectè ſcribat: ſic actus diffiniendi, diuidendi, & demonſtrandi in alijs ſcientijs, tamquam ad elicientem, & actiuè operantem pertinent ad tales ſcientias: ad logicam verò ſolum vt ad dirigentem, & extrinſece regulantem: actus verò probabiles, & opinatiui ſi tales ſint, quod procedunt ex certis quibuſdam probabilibus pertinentibus ad proprias ſcientias, pertinent ad tales ſcientias vt ad elicientes, ad logicam verò; ſolum vt ad dirigentem. Vt cum phyloſophia procedit ex his probabilibus, quæ reperiuntur in rebus naturalibus. Methaphyſi. ex his quæ in Methaphyſica: qui verò procedunt ex principijs communibus traditis in parte Topica, pertinent ad Logicam, vt ad elicientem; illa enim eſt, quæ ex his principijs communibus probabiliter elicit tales actus.

Ad argumenta in principio poſita, Reſpondetur. *Ad argu. in principio poſita.*

Ad primum. Nego antecedens: & ad probationem negō illud aſſumptum, proprium enim munus Logicæ eſt, conſiderare naturam demonſtrationis, diffinitionis &c. Et docere quomodo ſint conſtruendæ, & hoc nulla ſcientia præſtat præter logicam: conficere verò in propria materia prædictos modos non eſt proprium logicæ, ſed commune omnibus ſcientijs; vnde cum aliæ ſcientiæ eliciunt ſuos actus ordinatos, non tranſcendunt ſuum obiectum. *Ad. 1. Argum.*

Ad ſecundum. Non eſſe inconueniens, quod cum omnes ſcientiæ habeant hoc, quod eſt ſcientificè procedere in cognitione ſui obiecti, conueniant in illa ratione communi omnibus ſcientijs diffiniendi, & neceſſariam concluſionem ex principijs neceſſarijs euidentem inferendi: diſtinguntur autem ex proprijs obiectis, & principijs. *Ad. 2. Argum.*

Ad primam confirmationem. Sicut ad primum. *Ad. 1. Confirm.*

Ad ſecundam confirmationem. Potius probare quod ſi actus aliarum ſciētiarum tam quoad ſubſtantiam, quam quoad modum quo fiunt, præſupponuntur ad actus logicæ, tamquam obiectum illorum, non poſſunt elici ab eiſdem actibus logicæ; cū prius in quantū prius non eliciatur a poſteriori: atque adeò quod aliæ ſciētiæ ad eliciēdos ſuos actus bene ordinatos in modo & figura non dependent a logica, vt ab eliciente. *Ad. 2. Confirm.*

QVÆSTIO III. QVOD ENS ſit obiectum Logicæ. An reale vel rationis.

CVM natura cuiuſcumque habitus ex proprio obiecto percipiatur, ideò explicaturi quid ſit logica. Prius inquirimus quod ſit eius obiectum, & vt quæſtionis ſtatus intelligatur, prius explicare libet quid ſit obiectum, & quid ens rationis?

Quod ſit obiectum. Obiectum dicitur id, de quo ars, aut ſciẽtia agit, aut diſputat, & ad cuius cognitionem tota ſcientiæ cura dirigitur: quod quatuor nominibus ſolet appellari: dicitur obiectum (ſimilitudine ſumpta ex potentijs) quia ei conſiderandum objicitur ex Ariſt. 1. poſter. c. 1. Dicitur ſubiectum reſpectu paſsionum, quæ de ipſo demonſtrantur, & quibus veluti ſubjicitur. Dicitur materia, circa quam talis ſcientia verſatur, ſumpta ſimilitudine à materia prima, quæ eſt fundamentum, quod in omnibus rebus præſuponitur. Sic obiectum eſt, quod prius ſupponitur in ſcientia, & etiam quia ſub certo modo cognoſcitur, reſpectu cuius modi dicitur materia, quæ a tali modo informatur. Dicitur finis extrinſecus ſcientiæ: cum enim finis rei ſit illud propter ꝙ res eſt; duplex poteſt eſſe finis alicuius potentiæ, aut habitus, vnus intrinſecus & talis eſt operatio elicita a potentia vel habitu: qua propter dixit Ariſt. 2. de anima potentiam eſſe propter ſuam operationem, vt potentia viſiua propter viſionem; vnde finis intrinſecus potentiæ viſiuæ eſt videre. Alter finis dicitur extrinſecus, illud ſcilicet ad quod terminatur finis intrinſecus, ſeu operatio: vt reſpectu viſus color, quia ad illum terminatur viſio. Sic ergo finis intrinſecus ſciẽtiæ eſt operatio ab ipſa elicita: vt cognitio finis verò extrinſecus ad quem terminatur hic finis intrinſecus, ſeu cognitio eſt obiectum, vnde finis extrinſecus, & obiectum adæquatum in ſcientia ſunt idem; quia omnia quæ in ſcientia cõſiderantur, ad illud ordinantur.

Quotuplex ſit obiectum. Hoc obiectũ eſt triplex in ſciẽtia, aliud materiale, aliud formale vt quo: aliud formale vt quod: materiale eſt res ipſa de qua agitur in ſcientia, non quidem per ſe, ſed ratione alicuius formalitatis in ipſa reperte, vt paries dicitur obiectum materiale viſus, quia non objicitur per ſe viſui, ſed ratione coloris. Formale vt quo eſt ratio illa ſub qua obiectũ ab aliqua ſciẽtia cõſideratur. Vna enim & eadẽ res poteſt a pluribus ſcientijs cõſiderari ſub diuerſa ratione formali; atque adeò ratio formalis ſub qua obiectũ ab aliqua ſcientia cõſideratur eſt differẽtia per quã obiectũ vnius ſciẽtiæ ab obiecto alterius diſtinguitur. Formale verò vt quod, eſt totũ illud compoſitũ ex materiali, & formali: quod vt ſic per ſe, & immediatè objicitur cognoſcendũ habitui. Declaratur hoc exemplo. Obiectũ materiale medicinæ eſt corpus, formale vt quo ſanabilitas. quia ſub hac ratione agit medicina de corpore: cum tamen de illo agat Phyloſophia ſub alia ratione formali, ſcilicet mobilitatis. Obiectum verò formale vt quod eſt totũ hoc corpus ſanabile. Hoc ergo obiectũ formale vt quod, eſt de quo paſsiones demonſtrantur in ſcientia, quia ab illius eſſentia fluunt.

Hoc rurſus obiectum in qualibet ſcientia eſt duplex, aliud eſt adæquatum, quod ſcilicet cõpræhendit omnia de quibus ſciẽtia agit, vel tamquã cauſas, & principia, ſi tale ſit obiectum quod cauſas, & principia habeat: vel tamquã partes ex quibus componitur, vel tamquã ſpecies, vel tamquam paſsiones ſeu proprietates, vel tamquã effectus, vel tãquã contraria, cũ cõtrariorũ eadẽ ſit diſputatio; & ideò appellatur etiã obiectũ attributionis, quia omnia, quæ ſciẽtia conſiderat, attribuuntur ei, ſeu in illud referũtur aliquomodo ex dictis, & de omnibus prædictis agitur, quatenus conducũt ad illius cognitionem. Aliud dicitur obiectũ inadæquatũ, ſeu partiale, & hoc eſt quælibet res de qua talis ſciẽtia diſputat. Vnde non eſt vnũ, ſed multiplex, pro pluralitate, & diuerſitate rerum de quibus agitur in ſcientia, in ordine ad obiectũ adæquatum: inter quas, quæ fuerit principalior, dicitur obiectum principalitatis. Obiectum adæquatum tres præcipuas debet habere conditiones (vt ait noſter Doctor in q. 3.) Prima quod ſit notũ quid eſt, & quia eſt, id eſt quod ſupponatur eſſe in rerum natura, ſaltim ſecundũ eſſe poſibile; de impoſibili enim, non poteſt haberi ſcientia, & ſupponatur etiã in ſcientia illius diffinitio ſeu ratio formalis, tamquam aliquid per ſe notum: tum quia natura ſubiecti non demonſtratur: tum quia per eam paſsiones de ſubiecto demonſtrantur: vnde debet eſſe vnum ſaltim eo pacto, vt aliquo modo vna diffinitione poſsit explicari. *Conditiones obiecti.* Secunda cõditio, quod per eius quod quid eſt, id eſt diffinitionem, ſeu rationem formalem demonſtrentur paſsiones in ſcientia de tali obiecto, atque adeò non ſolum res de quibus agit ſcientia, debent habere paſsiones; ſed

nes;ſed etiam ipſum obiectum,quod adæquatum dicitur vt ſic debet habere ſuas proprias paſsiones,quas ſcientia demonſtret de ipſo. Tertia conditio, quod omnia quæ in ſcientia conſiderantur, propter ipſum conſiderentur,& ſic dicitur principiũ, & radix veritatum,quæ in ſcientia reperiũtur, & adæquatum quia ita obiectum,& ſcientia debent inter ſe adæquari vt nihil cõſideretur in illa,quod ad ipſum obiectũ aliquomodo non pertineat,& nihil ad obiectum ſpectet,quod a ſcientia non conſideretur. Ad quas tres conditiones reducũtur aliæ,quas ponit Doctor 1.reporta.q. 1.ideo illas præcipuas vocat.

Quid ſit ens rationis. Secũda vox eſt,ens rationis,quæ ſic pro nunc breuiter explicatur,quod ens reale dicitur illud,quod poteſt exiſtere in rerũ natura. Ens vero rationis illud eſſe diminutum quod res acquirit,quando eſt ſub cognitione. Ex eo enim quod noſter intellectus cognoſcat v.g.hominem nihil reale in illo ponit,cum homo non mutetur realiter ex eo quod intelligatur, tribuit tamẽ illi quoddam eſſe rationis quod tantum habet quandiu cognoſcitur, vt quod homo ſit ſubiectum,vel prædicatum,vel ſpecies,nihil eſt reale a parte rei, ſed ſolum quia intellectus id in homine fingit. Et ſic ſolet dici ens reale habere eſſe factum;ens vero rationis habere eſſe fictũ ab intellectu ad ſimilitudinẽ entis realis.His præiactis

1. Opinio. Tres ſunt præcipuæ in hac quæſtione opiniones. Prima aſſerit obiectum logicæ non ſolum materiale,ſed etiam formale eſſe ens reale, de ente autem rationis ſolũ per accidens agere logicam. Quæ opinio ſic probatur.

1. Argu. Primò. Omnis ſcientia dicit relationem realem ad ſuum obiectum,ergo & logica. Ergo obiectum formale illius nequit eſſe ens rationis,cum relatio realis nequeat ad ens rationis terminari,& ab illo dependere,vt dicetur in cap. de relatione.

2. Argu. Secundò. Quia agere de ente rationis eſt proprium Methaphyſicæ, ſicut & agere de ente reali,cum oppoſitorum cõſideratio,ad eandem ſciẽtiam pertineat, quod ſi Methaphyſica de aliquo ente rationis agit, cur non de omnibus, cũ vnius ſint naturæ?Eò maximè quod logica nullibi cauſas,principia, & naturã entis rationis ſpeculatur.

3. Argu. Tertiò.Si aliquod ens rationis eſſet obiectũ logicæ maximè illud,quod operationes intellectus diffinientis,diuidẽtis,& ſyllogizantis cõſequitur,ſed hoc nõ,ergo nullũ. Minor probatur. Prius natura eſt conficere diffinitionẽ,diuiſionẽ &c. quam prædictũ ens rationis. Tũ quia illud eſt fundamentũ illius;fundamentũ autẽ prius natura eſt,quã id quod ſupra ipſum fundatur. Tum etiã quia non habent eſſe talia entia rationis,niſi quãdo per reflexionẽ ſupra ipſos actus,illa cognoſcit intellectus, ac ſi eſſent:ſed in illo priori datur logica, cum in ipſo priori poſsit quis documenta logicæ obſeruare,in conſtructione ſyllogiſmi;ergo in illo priori datur obiectũ logicæ,ante quam ſit ens rationis. Ergo erit ens reale.

Quartò.Talia entia rationis,ſeu formæ fictæ ad nihil ſunt neceſſariæ;quia nõ ad dirigendos actus intellectus:ſi enim actus voluntatis in ſcientia morali,nõ dirigũtur per entia rationis: ergo nec actus intellectus in logica. Si enim actus iſti ſunt priores quam tales formæ fictæ:quomodo poſſunt per id,quod eſt poſterius dirigi? *4. Argu.*

Quintò. Tandem quod illud formale, quod in iſtis actibus reperitur,illud ſcilicet artificium,& diſpoſitio actuum,eſt quid reale(vt infra probabimus)ergo obiectum logicæ vndequaque eſt ens reale. *5. Argu.*

Secunda. Opinio aſſerit obiectum logicæ eſſe ens rationis,quæ quia verior,& antiquior eſt,& a noſtris patribus tradita,quibus magis credendum eſt, ideò a nobis ſequenda. *2. Opinio.*

Tertia opinio vtramque complectitur, quia obiectũ logicæ vtrumque,nempe ens reale,& ens rationis complecti affirmat, quæ ſic probatur. *3. Opinio.*

Primò correlatiua æquè primò pertinẽt ad eandẽ cõſiderationẽ,ſed logica agit primo,& per ſe de entibus rationis,quatenus ex actibus intellectus prodeũt; debet ergo de ipſis etiã actibus intellectus agere, qui correlatiui ſunt talium entium rationis. *1. Argu.*

Secundò. Rem intelligere,& rẽ eſſe intellectã ſunt omnino idẽ,vel ſaltem habent neceſſariã cõnexionẽ:ſicut enim nõ poteſt dari bonꝰ intelligẽs,ſine re benẽ intellecta, ita nec è contra:ſed logica agit primò, & per ſe de ſecundo,quod eſt ens rationis;ergo & de primo,quod eſt ens reale. *2. Argu.*

Prima cõcluſio.Obiectũ materiale logicæ poteſt eſſe ens reale,imo omnes res ſcibiles,ſiue reales,ſiue rationis poſſunt dici obiectũ materiale logicæ. Hæc patet quia quidquid eſt ſcibile poteſt eſſe materia diffinitionis, diuiſionis, & demõſtrationis,in quo ſenſu dixit Ari. Dialecticã nõ eſſe vnius generis,& diſputare de omni ente;& ſi hoc tãtũ intẽdũt, q̃ aſſerunt logicã non habere *1. Conclu.*

obiectum determinatum, benè procedũt, ſi verò aliquid amplius intendunt, nõ ſunt audiendi; alias enim ſi logica omnium rerum cognitionem includeret, nulla eſſet alia ſcientia præter logicam. Tum etiam quia determinata ſcientia, & ars determinatum obiectum debet habere, a quo poſſit ſumere ſuam vnitatem, & diſtinctionẽ ab alijs, ſicut & quæuis potentia.

2. Conclu. Secunda concluſio. Obiectum formale logicæ eſt ens rationis: vnde ſimpliciter, & abſolutè dicendum eſt, obiectum logicæ de quo paſsiones demonſtrantur, eſſe ens rationis, etiam ſi pro materiali dicat ens reale, quia concretum denominatur a forma, cum ergo hæc in obiecto logicæ ſit ens rationis, etiam ſumptum in concreto, abſolutè denominabitur ens rationis. Quę concluſio ſic probatur.

Primò. Ex progreſſu ipſius logicæ: omnia quæ logica conſiderat, conſiderat ſub iſtis formalitatibus, genus, ſpecies, & differentia, propoſitio &c. Sub quibus diſputat de naturis rerum, & agit de diffinitione, prout eſt quid compoſitum ex genere, & differentia, & de ſyllogiſmo in quantũ eſt quoddã artificiatum cõſtãs maiori, minori & cõſequẽti, ſed totum hoc artificiatum eſt ens rationis, cum nihil reale ponat in rebus, quæ ab iſtis formis denominantur: ergo obiectum logicæ eſt ens rationis.

Confirm. Confirmatur. Logica agit de rebus ipſis vt de homine, animali &c. de conceptibus, & vocibus, vt quæſtione ſequenti videbitur, non quatenus conueniunt in ratione entis realis, cum de illis vt ſic agat methaph. ergo in quantum conueniunt in ente rationis, cum non ſit dari medium.

2. Proba. Secundò. Quælibet res ſecundum hoc eſſe rationis, habet veras paſsiones ex proprijs principijs demonſtrabiles, vt genus quod eſt prædicabile &c. Sed nulla ſcientia agit de tali eſſe formali præter logicã: ergo illius obiectum eſt tale eſſe rationis.

Ad. 1. Argumen. 1 Opinio Ad argumenta reſpondetur. Ad primum primæ opinionis pro nunc in noſtra doctrina. Quod quando obiectum eſt ens rationis, ſcientia non refertur ad illud relatione prædicamentali, ſed tantum dicit ordinem tranſcendentalem.

Ad. 2. Argumentũ. Ad ſecundum. Nego antecedens, & ad probationem, quod ens reale, & ens rationis non habent veram oppoſitionẽ, atque adeò de illis non intelligitur illa maxima, quæ tantum procedit in verè oppoſitis.

Ad aliud. Quod ſicut methaphyſica licet agat de ente in cõmuni, & de paſsionibus entis vt ſic; non tamen propterea agit de omni ente ſecũdum proprias rationes, ſic etiam agit de ente rationis ſecundum rationem communem, & de paſsionibus illius vt ſic: ſecundum verò particulares rationes pertinet ad diuerſas artes, ſcilicet grammaticam, Rethoricam, & Dialecticã: vnde licet in tota logica nulla fiat mentio de ente rationis in communi, benè tamen de tali ente rationis, ſcilicet ſyllogiſmo, & alijs.

Ad. 3. Argum. Ad tertium. Negatur minor, & ad probationem, quod ſine talibus entibus rationis vel formaliter, vel fundamentaliter diffinitiones, diuiſiones, & ſyllogiſmi non poſſunt dari: cùm diffinitio debeat conſtare genere, & differẽtia: genus autẽ, & differẽtia, nõ dãtur ſine operatione intellect9. An autem iſtæ formæ rationis vt dicãtur eſſe: requiratur alius actus reflexus intellectus, quo cognoſcantur; an verò reſultẽt ad primum actum, quo res ipſæ cognoſcuntur, ſeu conceptus accipiuntur in ratione ſyllogiſmi: infra.

Ad. 4. Argum. Ad quartum. Quod ipſa forma, ſeu diſpoſitio reperta in ipſis actibus, quæ tãtum eſt ens rationis (vt dicemus) eſt ipſa directio vt quæſtione nona iſtius diſtintionis explicabitur. Cum ergo ſine tali forma, & diſpoſitione rerum, aut actuum intellectus nõ poſsit ſtare ratio diffinitionis, ſyllogiſmi &c. ideò talia entia rationis ad hoc munus ſunt neceſſaria, & in hoc ſẽſu intelligitur eſſe neceſſaria ad directionẽ actuũ intellect9.

Ad. 5. Argum. Ad quintum. Negatur antecedens; illud enim formale, tantum eſt quid rationis vt dicemus.

QVÆSTIO IIII. QVOD ENS rationis ſit obiectum logicæ.

HVC vſque ſolum determinatum eſt, obiectum logicæ eſſe ens rationis, in determinãdo autem quod ens rationis habeat conditiones obiecti in logica. Hoc opus, hic labor eſt, tot enim ſunt in hac re ſententiæ, quot capita, quæ vt intelligãtur nonnulla conſtituere neceſſarium erit.

1. Suppoſitio. Primo eſt cõſtituendũ. Iſtos terminos ſubiectum, prædicatũ, genus, differentia, diffinitio, propoſitio, ſyllogiſmus &c. poſſe tripliciter ſumi, vel mentaliter, vel obiectiuè vel vocaliter, vt in ſummulis de diuiſione terminorũ diximus; & vt clarius procedatur, loquamur de diffinitione (quod enim de illa dictũ fuerit etiã de alijs). Diffinitio mẽtalis eſt act9 intellect9, ex vi cui9 intelligibiliter explicatur eſſẽtia rei; ſũpta verò obiectiuè, eſt quædã cõiũctio generis, & differentiæ diffiniti

nitiex vi quorum illius natura eſſentialiter innoteſcit, vt cum quis dicit homo eſt animal rationale, intelligibiliter elicit conceptum, ſeu conceptus ordinatos ſignificātes iſta duo prædicata, quæ ſunt genus, & differentia hominis. ipſa vero prædicata quæ in ipſa re ſunt, in quantum coniunguntur per modum generis, & differentiæ; cōſtituūt diffinitionem obiectiuam hominis. Diffinitio vero vocalis ſunt iſtæ voces inter ſe ordinatæ, quibus ſignificatur ipſa diffinitio obiectiua, ſeu mentalis, & ad hanc reuocatur diffinitio ſcripta.

2. Suppo. Secundò eſt conſtituendum: diffinitionem (& idem iudicium ſit de propoſitione ſyllogiſmo, & alijs) ſiue mentalem, ſiue obiectiuam, ſiue vocalem, poſſe dupliciter conſiderari, primò entitatiuè, ſeu materialiter: ſecundo formaliter: diffinitio mentalis materialiter ſumpta, ſunt ipſi actus intellectus quatenus ſunt formæ extrinſecæ rerum, vel formaliter & ſic ſunt actus intellectus, prout ſic vel ſic diſpoſiti, & ordinati ſecundum formam ſubiecti, & prædicati, quæ ordinatio, & diſpoſitio talium actuum cum nihil reale ponat in ipſis actibus eſt ens rationis. Similiter diffinitio obiectiua materialiter ſumpta, & ſunt ipſæ res ſeu realitates identifiicatæ cum ipſa re quæ diffinitur; formaliter vero dicit illas formas rationis generis & differentiæ, & in diffinitione vocali, materiale ſunt ipſæ voces ſignificatiuæ rerum, formale verò rationis eſt illa ordinatio, & diſpoſitio talium vocum ſecundum formam ſubiecti, & prædicati, quibus ſic explicatis, & conſtitutis ſit.

1. Opinio Prima opinio aſſerit eſſe ens rationis logicum, prout ſcilicet eſt commune ad omnia quæ in logica cōſiderantur, ſiue ſint modi ſciendi, ſiue non, vt genus, ſpecies, propoſitio &c. quæ omnia conueniunt in ratione entis rationis logici. Vnde hæc opinio conſtituit obiectum logicæ quid communius quam eſt modus ſciendi.

Fundam. illius. Fundamentum potiſsimum eſt, quod habet omnes conditiones obiecti logicæ: eſt enim vnum quid, cum vnica poſsit diffinitione explicari, continet omnia quæ in logica tranctantur, vt quid commune illis quod eſt de ratione obiecti, vt patet in Geometria, cuius obiectum eſt figura in communi, & in Arithmetica numerus. Nihil autem præter ens rationis poteſt in logica aſsignari, cui conueniat hæc conditio.

2. Opinio. Secunda opinio magis reſtringit obiectum logicæ, & illud modum ſciendi conſtituit. Et fundamentum eſt illud commune quod illi conueniunt omnes conditiones obiecti logicæ: & finis in quem tota Dialectica incumbit eſt modos, & inſtrumenta ſciendi tradere; & cum in logica æquè primò conſideretur natura diffinitionis, diuiſionis, & argumentationis, quatenus ſunt inſtrumenta & modi ſciendi interſe diſtincti, a ſe inuicem independentes, ad diuerſos fines deſtinati, nō erit maior ratio cur vnus potius quam alter conſtituatur obiectum logicæ, ſed quid communè illis nempe modus ſciendi, qui ſic diffinitur: eſt oratio alicuius ignoti manifeſtatiua. *Fundam. illius.*

Confirmatur ex ipſo progreſſu logicæ quæ in tres partes diuiditur, iuxta triplicē operationem intellectus. Sed cū modus ſciendi ſit in triplici differentia, mentalis ſcilicet, obiectiuus, & vocalis, in conſtituēdo quis illorum potius debeat dici obiectum logicæ, valde diſcrepant.

1. Modus defendendi modum ſciēdi eſſe obiectū logicæ. Quidam dicunt ſolum modum ſciēdi vocalem, eſſe obiectum logicæ. Hoc enim eſt quod intendunt, qui voces eſſe obiectum logicæ affirmant, nō quidem materialiter ſumptas, ſic enim agit de illis Phyloſophia nec quoad illorum ſignificationē, quia ſic ſpectant ad grammaticam; & quoad illarū ornatum ad Rhetoricam. Ad logicam ergo pertinent quatenus tales voces ordināntur ſecundum formam modi ſciendi diffinitionis ſcilicet, diuiſionis, & argumentationis vocalis.

Fundam. Fundamentum eſt quod logica primo, & principaliter de vocibus ſub hac forma in omnibus ſuis partibus diſputat, quia voces vt ſic ſunt primò, & per ſe dirigibiles: ſi ergo ſonus ex quo eſt primò, & per ſe dirigibilis datur ſpecialis ars, quæ illum dirigat ſcilicet muſica: ergo, & voces quæ ſunt ſpecies quædam ſoni, & primò, & per ſe dirigibiles, ab aliqua ſpeciali arte debent dirigi primò, & per ſe; hæc autem nulla alia eſt niſi logica, vnde dicitur a logos, quod ſermonem importat.

2. Modus Alij dicunt, ſolum modum ſciendi mentalem, actus ſcilicet intellectus, quatenus ordinantur ſecundum formam rationis modi ſciendi, eſſe obiectum logicæ. Quod probant multis rationibus, ſed potiſsimæ ſunt hæc.

1. Argu. Prima. Operationes noſtri intellectus prout poſſunt dirigi, & artificioſe diſponi, ſunt obiectum per ſe ſcibile: ergo per aliquam ſcientiā, quæ nulla alia eſt niſi logica: impoſibile enim eſt quod aliquid ſit

ſim.

ſimpliciter ſcibile, quin poſsit aſsignari aliqua ſcientia, quæ ſimpliciter habeat illud pro obiecto. Tum etiam quia ſcientia de anima agit de illis ſecundum ſuam naturam conſideratis: ergo quatenus poſſunt in artificium dirigi pertinent ad aliam ſciētiam, quia quando in aliquo obiecto materiali eſt ſpecialis difficultas propter diſtinctam rationem formalem, de illa vt ſic debet agere ſcientia diſtincta, quod poteſt multis exemplis comprobari; de actibus enim voluntatis ſecundum ſuam naturam agit phyloſophia naturalis, quatenus verò poſſunt dirigi ſecundum rectam rationem, pertinent ad ſcientiam diſtinctam ſcilicet moralem, actus potentiæ motiuæ quatenus poſſunt variè & artificioſè dirigi, pertinent ad varias artes, de vocibus, ſonis, operationibusque exterioribus hoc etiam conſtat.

2. Argu. Secundo nec valet dicere ideò modum ſciendi obiectiuum eſſe obiectum logicæ quia ad dirigenda opera intellectus eſt neceſſarium agere de illo hoc enim ſic facilè euertitur. Hac ſecunda ratione, obiectū artis directiuæ non eſt id quo aliquid dirigimus, ſed id quod dirigimus: vt licet pharmaca ſint inſtrumenta quibus ordinatur ſanitas corporis, non tamen ſunt pharmaca obiectum medicinæ, ſed corpus ſanabile quod dirigitur, & licet gladio aptemus calamum ad ſcribendum, obiectum tamen artis, quæ docet aptare calamum non eſt gladius, quo aptatur, ſed calamus benè aptatus: ergo ſimiliter in propoſito licet modo ſciendi obiectiuo dirigamus opera intellectus non tamen ille, ſed iſta, quæ diriguntur, ſunt obiectum logicæ. Et ratio a priori eſt quod illud eſt obiectum adæquatum, cui deſeruiunt omnia, quæ in tali ſciētia tractantur: ergo ſi de modis ſciendi obiectiuis, & de formis rationis agit logica quatenus ſubſeruiunt dirigendis actibus intellectus, iſti vt dirigiles erunt obiectū adæquatum logicæ.

Confir. Confirmatur munus logicæ potius eſt conſtituere me benè intelligentem quàm res benè intellectas extrinſecè; licet enim hoc ſecundum ex illo primo ſequatur illud tamen eſt quod primo & per ſe intenditur, quia in illo quieſcit noſter appetitus non verò in hoc, vnde phyloſophia moralis non dirigit actus voluntatis, vt ſunt formæ extrinſecæ rerum, ſed vt intrinſecè perficiunt operātem: & ſic obiectum phyloſophiæ moralis non ſunt res amatæ, vel repudiatæ per actus voluntatis, ſed ordinatus amor. Ergo & obiectum logicæ non ſunt res intellectæ extrinſecè, ſed ordinata intellectio, atque adeo nec actus intellectus vt ſunt formæ extrinſecæ rerum, ſed vt ſunt formæ intrinſecæ intellectus.

Tertio paſsiones, quæ demonſtrantur in logica non conueniunt rebus intellectis ſed tantum operationibus intellectus. De propoſitione enim oſtenditur quod ſit affirmatiua vel negatiua, vera vel falſa; rei autem intellectæ non conuenit, quod ſit affirmatiua, vel negatiua, ſed affirmata vel negata, veritas autem formalis vel falſitas non conuenit ipſis rebus intellectis, ſed tantum propoſitioni; vnde ſolet dici veritatem formalem eſſe in intellectu, bonitatem verò in rebus. De diuiſione oſtenditur, quod exhaurit partes diuiſi. De diffinitione quod explicat eſſentiam rei; res autem, quæ diuiditur vel diffinitur vt ſubeſt tali denominationi extrinſecæ non exhaurit, ſed exhauritur; nec explicat eſſentiam, ſed explicatur. De demonſtratione oſtenditur, quod generat ſcientiam; res autem ipſæ non generant ſcientiam. *3. Argu.*

Confirmatur ſcientia, ſiue actualis, ſiue habitualis conſiſtit in actu vel habitu intellectus: ergo propria inſtrumenta ſciendi debent eſſe in ipſo intellectu. *Confir.*

Alij dicunt tantum modum ſciendi obiectiuum eſſe logicæ obiectum, quod probant. *3. Modus.*

Primo Logica non agit de diffinitione (& ſic de alijs) vt ſe tenet ex parte intellectus, ſed ex parte obiecti: quia in logica oſtēditur de diffinitione, quod conſtat genere, & differentia diffiniti, diffinitio autem vt ſe tenet ex parte intellectus nō cōſtat genere, & differētia diffiniti, ſed vt ſic eſt quedā operatio accidentalis attingens naturā rei conſtantem genere, & differentia. *1. Argu.*

Tum etiā quia omnia entia rationis logicalia primò & per ſe tātum denominãt ipſas res; actus vero intellectus ſolum per acidēs quatenus ſignificāt ipſas res. Denominatio enim ſubiecti. l. prædicati non tribuitur principaliter huic conceptui hominis, vel animalis; cum conceptus formalis hominis nō prædicetur de cōceptu formali animalis; ſed đ ipſis rebus; vnde ſolet dici voces & cōceptus ſubijci, & prædicari tātū vt quo ſignificatiuè, & inſtrumētaliter; & idē de forma ſyllogiſmi, a parte rei enim res ſignificata per cōcluſionē infertur ex rebus ſignificatis per præmiſſas: ergo illud primò, & per ſe erit obiectū logicæ, in quo primò, & per ſe reperitur ratio formalis obiecti logicæ.

Secun-

2. Argu. Secundò Modus ſciendi vt ſe tenet ex parte obiecti eſt ſcibilis, & habet paſsiones demonſtrabiles, cum de diffinitione, vt ſe tenet ex parte obiecti oſtendatur, quod conuertitur cum diffinito, ſic, omne quod adæquatè eſt idem cum diffinito cõuertitur cum illo, ſed diffinitio eſſentialis eſt adæquatè idem cum diffinito; ergo conuertitur cum illo.

3. Argu. Tertio. Si propter aliquid actus noſtri intellectus vt dirigibiles eſſent obiectum logicæ, maxime propter rationem contrariorum; quia indigemus dirigente in actibus intellectus, ſed ratio hæc potius probat oppoſitum, quia dirigere actus intellectus eſt illos conformare proprijs exemplaribus: ad hoc autem prærequiritur cognitio exemplarium: ſi enim quis ignoret naturam exemplarium; ignorabit etiam talibus exemplaribus conformare actus intellectus: ergo ad hanc directionem debet logica potius agere de ipſis exemplaribus, vt ad dirigendum actum diffiniendi debet agere de natura diffinitionis in communi, & ſic de alijs: iſta autem exemplaria ſunt modi ſciendi obiectiui.

4. Modus Alij tandem dicunt obiectum Logicæ eſſe modum ſciendi prout comprehendit mentalem, obiectiuum, & vocalem.

Fundam. Fundamentum eſt quia implicat intelligere operationes intellectus eſſe rectè ordinatas, quin etiam intelligatur talem rem cognitam ab intellectu eſſe rectè ordinatam, vocibus autem cognoſcimus conceptus eſſe inter ſe rectè diſpoſitos.

Confirm. Confirmatur, quia in omnibus iſtis reperitur ratio formalis obiecti Logicæ: habitus autem, & potentia tendit in omne id in quo eſt propria ratio formalis ſui obiecti, vnde licet medicus agat primo & per ſe de corpore, in quo reperitur ſanitas formaliter, de medicina tamquam de cauſa ſanitatis, de vrina tamquam de ſigno ſanitatis; non propterea dicitur medicinam per accidens agere de vrina, ſed propter ſanitatem corporis: ita ſimiliter logica licet primo & per ſe agat de actibus intellectus, vt de ſubiecto in quo ipſa rectitudo formalis reperitur, de rebus vt de cauſa obiectiua talis rectitudinis, de vocibus vt de ſignis manifeſtantibus talem rectitudinem, non tamen agit de illis per accidens.

3. Opinio. Tertia tandem opinio magis reſtringit ens rationis ad obiectum Logicæ, in qua etiam non omnino conueniunt. Quidam enim dicunt argumentationem eſſe obiectum Logicæ. Alij ſyllogiſmum; Alij tandem demonſtrationem.

Pro propria ſententiam. Nobis autem, vt doctrinam noſtri Doctoris tueamur, qui obiectum logicæ ſyllogiſmum conſtituit; duo ſunt prænotanda.

1. Nota. Primo eſt prænotandum, quod ea, quæ in aliqua ſcientia conſiderantur ſunt in triplici differentia vnum eſt de quo primo & per ſe agitur, ſiue illud ſit commune, ſiue particulare: vt in methaphyſica primo, & per ſe agitur de ente, in Theologia de Deo, & hoc dicitur obiectum attributionis. Alia ſunt, de quibus agitur non per ſe primo ſed ordinatè ad illud primum, ita vt non poſsint intelligi abſque illo ordine, quo pacto agitur in ſciẽtia de paſsionibus quæ non poſſunt conſiderari niſi in ordine ad ſubiectum. Alia ſunt, quæ licet conſiderentur in ordine ad primum, ita tamen vt abſque tali ordine poſsint conſiderari. Cum ergo dicimus ſubiectum cõtinere omnia quæ ſcientia conſiderat, non eſt intelligendum de continentia potentieli, & vniuerſali, ſicut ſuperius dicitur cõtinere ſua inferiora de quibus prædicatur: hoc enim eſſet obiecta ſcientiarum deſtruere, vnde Deus non eſſet obiectum Theologiæ adæquatum, cum non ſit hoc pacto commune ad ea de quibus ipſa diſſerit, ſed dicitur cõmune vt benè aduertit noſter Doctor q. 3. logicæ in reſpon, ad ſecundũ quia eſt primum, in quod tamquam in ſcopum tota ſcientiæ cura dirigitur; diciturque continere virtualiter ſumpta ſimilitudine ab arbore, in qua omnes illius partes in vna radice quodammodo continentur, quæ continẽtia virtualis alibi preſsius explicabitur

2. Notabile. Scotus lib. 7. Metaph. quæſt. 13. Secundo pranotandum. Omnes in hoc vno conuenire Dialecticam directiuam eſſe opertum intellectus; ex varia tamen iſtius directionis intelligentia, tanta opinionum varietas exorta eſt, vel ergo dirigere actus intellectus ſumitur, pro eo quod eſt elicere actus intellectus conformes ſuis obiectis, & ſic certum eſt omnes ſcientias ordinari ad dirigendos actus intellectus, quamlibet ſecundum ſui obiecti exigentiam, vt phyloſophia dirigit actus intellectus tẽdentes in res naturales; ſciẽtiæ mathematicæ dirigũt actus intellectus tẽdẽtes ad diuerſas dimẽſiones, & proporciones quãtitatis. Ratio autẽ eſt quia tũc actꝰ intellectꝰ dicũtur in hoc ſenſu directi, quã do eliciuntur conformes ſuis obiectis, ſed quælibet ſcientia inclinat intellectũ ad eliciendos ſuos actus cõformes ſuis obiectis: ergo quælibet ſcientia inclinat intellectũ

ad

ad dirigendos ſuos actus ſeu eliciendos ſuos actus directos. In hoc ergo ſenſu non vna ſed multiplex ſcientia eſt inſtituenda directiua actuum intellectus, vnaquæque iuxta ſui obiecti naturam, ſed quia iſti actus ſcientiarum tendunt in ſua obiecta, prout ſunt ordinati, & diſpoſiti ſecundum formam ſeu diſpoſitionem rationis, ſyllogiſmi nempe diffinitionis &c. circa hanc ergo formam ſeu diſpoſitionem rationis, quæ nihil reale ponit in ipſis rebus ſeu actibus, ſed tãtũ quoddã eſſe artificiũ ve rationis tãquam circa propriũ obiectũ negociatur logica. Vel ergo logica dicitur dirigere actus intellectus, quatenus efficit tales formas rationis, & hoc non, vt ſupra probatum eſt: vel quia inclinat intellectum ad eliciendos ſuos actus conformes tali obiecto ſuo, & hoc habet commune cum omnibus ſcientijs, vt dictum eſt; vel quia conſiderat iſtam formam rationis, quæ diſpoſitio ſeu directio rationis dicitur, qua formaliter dicuntur actus intellectus directi & artificioſè diſpoſiti & ordinati, (quod eſt proprium logicæ) & tunc actus, quo cognoſcit talem formam, & docet quomodo ſit conficienda verbi grat. diffinitio &c. Qui directio actiua ſolet dici, non eſt obiectum logicæ: cum actus ſciẽtiæ non ſit obiectum illius. Si vero cum a ſupradictis doctoribus dicitur, obiectum logicæ eſſe directionem actuum intellectus, nomine directionis intelligant illam formam rationis, quæ directio paſsiua ſolet dici, quæ a logica conſideratur: ſolum diſſentio erit de nomine, id enim & nos dicimus. Præterea etiam dici ſolet, logicam dirigere actus intellectus extrinſecè, quatenus intellectus dialectica acquiſita, abſque erroris periculo format omnes conceptus, in quacumque re, admodum explicatum quæſtione ſecunda.

1. Concl. Prima Concluſio. Obiectum logicæ adæ
Maurici. quatum eſt ſyllogiſmus ſic noſter Doctor
Anglic. q. 3. prologi, & omnes eius diſcipuli. Proba
Sarnan. tur autem ratione noſtri Doctoris.

1. Proba. Primo ſyllogiſmo conueniunt omnes conditiones ſupra poſitæ obiecti adæquati, imprimis enim ſyllogiſmus eſt vnum quid, cum vna diffinitione, eius natura explicetur, & ſtatim poſt determinationem de eius partibus in libris prædicamentorum, & peryhermeniarũ (quos libros logicam veterem appellat noſter Doctor, non quia ſunt antiquiores duratione alijs libris logicæ: vt bene aduertunt Anglicus, & Mauritius, ſed quia agunt de partibus ſyllogiſmi, pars autem eſt prior toto, vnde libri qui agunt de toto, quod poſterius eſt partibus, priorum ſcilicet & poſteriorum in quibus agitur de ſyllogiſmo logica noua appellantur.) In primo Priorum præmittitur eius diffinitio, & in eodem multæ paſsiones de ipſo vt ſic oſtenduntur per talem diffinitionem, vt ibi videbimus; & omnia quæ in logica conſiderantur propter ipſum determinantur, cum quidquid conſiderat logica, vel ſit ſyllogiſmus, aut aliquid ipſius, ſcilicet vel vt paſsiones, vel vt partes ſubiectiuæ (ſcilicet ſpecies) vt in libris priorum poſteriorum topicorum vel tamquam partes integrales remotæ, vt termini ſimplices de quibus in prædicamentis, cui adminiculatur liber Porphyrij; vel proximæ vt propoſitiones, de quibus in libris Perier. Vnde diuiſio totius logicæ eſt ſecundum diuiſionem ſyllogiſmi, in partes ſcilicet ſubiectiuas vel integrales, & cum eiuſdem ſit cognoſcere habitum, & priuationem, ideò agit logica de ſyllogiſmo ſophyſtico, vt de priuatione illius: ergo omnia in logica determinantur propter ſyllogiſmum, & tota logicæ cura in illum, vt in ſcopum & finem dirigitur, erit ergo ſubiectum adæquationis, & attributionis illius & ſpecificatiuum, cum per ſyllogiſmum logica ab alijs ſcientijs diſtinguatur ſufficienter.

Primo Confirmatur. Hic agimus de *1. Confir.*
ſyllogiſmo vt eſt quoddam artificium a nobis factibile, ergo agitur de eius partibus vt ſunt compoſitiuæ illius: ſcientia enim quæ conſiderat aliquod totum vt eſt factibile, agit etiam de illius partibus, in quantum illius partes ſunt: ergo logica agit de terminis ſimplicibus, & propoſitionibus, in quantum ſunt partes ex quibus coaleſcit ſyllogiſmus. Tum etiam quod omnis pars ordinatur ad ſuum totum, vnde termini diffinitio importat ordinem eſſentiallem ad propoſitionem, cum eſſentia illius ſit eſſe extremum propoſitionis, in quod reſoluitur propoſitio. Agitur de genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidenti, vt ſciatur quid cuique poſsit in propoſitione attribui, & ex quibus terminis fiat propoſitio neceſſaria, contingens &c. Et diffinitio propoſitionis eſſentialiter ordinatur ad ſyllogiſmum, cum ſyllogiſmus eſſentialiter conſtituatur ex præmiſsis, & concluſione, quatenus ſunt

propo-

propoſitiones aliquid de aliquo enuncian tes, & agitur de propoſitione cathegorica, ſeu cōpoſita, neceſſaria, poſsibili &c. vt conficiamus ſyllogiſmum, hypotheticum, demonſtratiuum, topicum &c. ergo omnia conſiderat propter ſyllogiſmum: de diffinitione enim & diuiſione agit in quantum deſeruiunt artificio ſyllogiſmi, vnde de illis non extant aliqui libri particulares in logica, ſed comprehenduntur in libris ſimplicium terminorū.l. enunciationum: ergo ſignum eſt agi in logica de illis prout ſub ſeruiunt ſyllogiſmo.

2. Probat. Secundo probatur. Homo per diſcurſum ſcientiam acquirit, & ad conficiēdum diſcurſum indiget alijs prioribus operationibus. ſeu conceptionibus, & tota iſta ordinatio huc tendit, vt per primam operationem rectè apprehendamus ſimplicia, rectè que ad compoſitiones ordinentur: compoſitiones itidem in ſillogiſmum: ergo logica agit de talibus mentis conceptionibus ita ordinatis & diſpoſitis, vt ad ſcientiam comparandam per ſe & directè conducant: ergo in ordine ad ſyllogiſmum.

3. Probat. Tertio probatur. A ſufficienti partium enumeratione, obiectum logicæ non eſt ens rationis logicum in communi ſumptum, vt prima fert opinio; nec modus ſciēdi in communi, quia nullius iſtorum ſecundum rationem generalem habetur diffinitio in logica, nec præmittitur vt principiū ſcientiæ, nec paſsio aliqua de eis demōſtratur in generali. Vnaquæque enim ſcientia hæc tractat de ſuo obiecto, nec enim de ratione obiecti adæquati ſcientiæ eſt, quod ſit aliquid commune omnibus, quæ in ſciētia tractantur, vt patet de Deo in Theologia; imo ens mobile non eſſet obiectum phyloſophiæ cum non ſit commune loco, vacuo, motui, & alijs huiuſmodi, de quibus ipſa agit. Imo nec modus ſciendi eſſet obiectum logicæ cum non ſit hoc modo commune, omnibus quæ in logica tractantur, terminus enim vel propoſitiones &c. non ſunt modus ſciendi. Præterea argumentatio non eſt obiectum logicæ, quia logica non agit de omni ſpecie argumentationis, cum dilemma, ſorites, & exemplum quæ ſpecies ſunt argumentationis, ad rethoricam pertineant: ergo eius obiectum non eſt argumentatio in communi: obiectum enim non debet latius patere quam ſcientia, vt diximus.

1. Obiect. Si dicas primo Entimema pertinet ad logicam & tamen non continetur ſub ſyllogiſmo. Ergo.

Reſpon. Reſpondetur, quod licet non contineatur continentia potentiali; continetur tamen continentia virtuali, & obiectiua, cum entimema reducatur ad ſyllogiſmū tamquam imperfectum ad perfectum; poteſt enim fieri perfectus ſyllogiſmus, addita vna præmiſſa.

2. Obiect. Si dicas ſecundo logica agit de diffinitione & diuiſione, non tantum quatenus deſeruiunt ſyllogiſmo, ſed etiam in quantum ſunt eſſentialiter modiſciendi inter ſe diſtincti, ergo directè, & non reductiuè pertinent ad logicam.

Reſpondet. Reſpondetur Quod licet per ſe agat logica de illis, tandem agit vt ſubſeruiunt ſyllogiſmo, quod ſufficit. Videatur quod diximus in primo notabili.

3. Obiect. Dices tertio, ſyllogiſmus eſt obiectum partiale, cum ſit obiectum vnius partis logicæ, ſcilicet libri priorum: ergo non totale.

Reſponde. Reſpondetur cum Doctore, negando cōſequentiam idem enim poteſt eſſe obiectū totius ſcientiæ, & illius partis; vt patet in phyloſophia, in qua agitur de ente naturali, vt de obiecto partiali in octo libris phyſicorum: ſub diuerſis rationibus ergo dicitur aliquid obiectum attributionis totius ſcientiæ, quoad paſsiones omnes conſideratas, vel de ipſo, vel de ſuis partibus, ſiue integralibus, ſiue ſubiectiuis, vel de reducibilibus ad ipſum; obiectum vero partis quoad paſsiones ipſum formaliter conſequentes, & quantum ad ſpecialem ipſius conſiderationem, quia ſcilicet poſtulat multa determinari per eius cognitionem.

2. Conclu. Secunda Concluſio. Demonſtratio eſt obiectum principalitatis in logica. Sic omnes communiter, & patet. Illud eſt obiectū principale in ſcientia, quod eſt nobilius in illa, ſed talis eſt demonſtratio in logica, vt conſtat ergo.

3. Conclu. Tertia Concluſio. Obiectum formale quo, ſeu ratio formalis obiecti Logicæ, eſt forma illa rationis per modum ſyllogiſmi ordinata, materiale vero ſunt res, conceptus, & voces, quæ per talem formam ordinantur. Hæc concluſio patet ex dictis. Tum quia de omnibus iſtis agitur in logica quatenus conueniunt ſub tali forma rationis ſyllogiſmi. Tum quia quidquid induit rationem formalem alicuius obiecti, cadit ſub conſiderationem illius ſcientiæ, cuius eſt tale obiectum: ſed tam in rebus quam in conceptibus, & vocibus reperitur iſta

forma

forma rationis, vt bene probat quartus modus dicendi ſecūdæ opinionis, ergo ſub hac formali ratione logicæ conſiderationi ſub ſunt.

Ad fundamen. 1. opini. Ad fundamentum primæ opinionis patet per tertiam probationem primæ concluſionis.

Ad fundam. 2. Ad fundamētum ſecundæ opinionis patet ibidem. Ad confirmationem ex noſtro doctore, logicæ diuiſionem eſſe ſecundum diuiſionem ſyllogiſmi in partes ſubiectiuas vel integrales illius.

Ad argu. 1. modi. Ad argumenta primi modi explicandi hanc ſecundam opinionem.

Reſpondetur quod tantum probāt noſtram tertiam concluſionem, & in illius ſenſu tantum illum admittimus.

Ad argu. 2. Modi Ad argumenta ſecundi modi.

Ad Primum. Ad. 1. Reſpon. quod operationes noſtri intellectus, vt poſſunt dirigi in ordine ad ſua obiecta, pertinent ad omnes ſcientias, iuxta cuiuſque obiecti exigentiam (vt diximus) vt vero poſſunt dirigi ſecūdum formam rationis, qua formaliter dicuntur directæ, pertinent ad logicam, quæ talem directionē ſeu diſpoſitionem rationis cōſiderat, ex quo tantum ſequitur ipſas operationes eſſe obiectum materiale, formale vero talē formam rationis: obiectum enim artis domificatoriæ nō ligna, & lateres, ſed ipſa forma domus eſt, ſeu domus in concreto. Et obiectum medicinæ non corpus vt ſic, ſed prout ſanabile.

Ad 2. Ad. 2 Reſpō. diſtingo antecedens obiectum artis directiuæ non eſt, id, quo dirigimus tamquam inſtrumento concedo: tā quam forma, qua res formaliter dicitur directa, nego: vnde obiectum formale medicinæ eſt ſanitas, qua corpus eſt formaliter directum. Et obiectum formale artis. quæ docet aptare calamum, eſt ipſa formalis aptatio calami, ſic in propoſito illa forma rationis, qua operationes intellectus formaliter dicuntur directe, eſt obiectum formale logicæ, & idem de forma rationis reperta in rebus, & vocibus, ſub quibus comprehenduntur ſcripturæ.

Ad cōfir. Ad cōfir. Reſp. Nego quod hoc ſit munus ſolius logicæ: omnis enim ſcientia intendit conſtituere intellectum bene intelligentē ſuum obiectum, quod quælibet facit attingendo naturam & proprietates ſui obiecti ſed quia actus intellectus non poſſunt hoc præſtare, niſi ſint recte diſpoſiti per hanc formā rationis, logica habet pro obiecto formali talem formam rationis; ſicut ergo logica conſiderat actus intellectus, non ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed prout ſubſunt tali formæ, qua formaliter ſunt ordinati, ita obiectum phyloſophiæ moralis ſunt actus volūtatis, non ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed prout ſubſunt formæ morali, qua formaliter in eſſe moris dicuntur recte ordinati, & diſpoſiti, ſed de hoc alibi.

Ad. 3. Ad 3. Reſpō. quod illæ paſsiones paſsiue, & obiectiuè ſumptæ, conueniunt propoſitioni obiectiuè ſumptæ, ipſis ſcilicet rebus quatenus ſubſunt entibus rationis, eſt autem veritas formalis paſiuè ſumpta, rem eſſe dictam ab intellectu cōformiter, & vt ſe habet ex parte rei; de diffinitione autem videatur quod diximus in primo notabili, & idem proporcionaliter de diuiſione, & demōſtratione, quia in ipſis rebus datur illatio & conſequentia fundamentalis, quia ex rebus ſignificatis per præmiſſas infertur res ſignificata per concluſionem, in quibus intellectus format illam rationis formam ſyllogiſmi, & dicuntur cauſare ſcientiam obiectiuè.

Ad cōfir. Ad cōfir. Reſp. quod talia inſtrumēta ſciēdi, ſeu tales formæ rationis, non tantū dātur in ipſis rebus, quatenus ſubſunt noſtris cognitionibus, ſed etiam in ipſis cognitionibus, vt dictum eſt. Hinc eſt quod logica agit de ipſis rebus & actibꝰ intellectus quatenus conueniunt in tali forma rationis.

Argum. 3. modi diſſoluuntur.

Ad Arg. 3. modi. Ad. 1. Ad. 1. Quod cū difinitio intelligibiliter explicet eſſentiam rei, intelligibiliter etiā cōſtat genere, & differentia rei, quæ diffinitur; atque adeò in actibus intellectus reperiuntur iſtæ denominationes, & formæ rationis, quas conſiderat logica: Et eſt bonū exemplum de medico, qui agit de corpore, in quo eſt ſanitas formaliter, de vrina tamquam de ſigno ſanctatis, de medicina tamquam de cauſa ſanitatis, Non tamen propterea agit per accidens medicina de vrina, ſed per ſe ratione ſanitatis, ſic etiam logica agit de vocibus, & conceptibus, qui actiuè, ſeu ſignificatiuè ſubijciuntur, & prędicantur; de rebus vero, quæ paſsiue ſeu obiectiuè ſubijciuntur, & prædicantur.

Ad. 2. Ad 2. Reſpondetur id & nos intendere.

Ad. 3. Ad. 3. Idē reſpondendū; iam enim explicuimus quo pacto dialectica dirigat actus intellectus quatenus ſcilicet cōſiderat rectitudinem illam rationis, repertam in actibus intellectus, & in rebus; & hoc eſt cognoſcere exemplaria, quibus aliæ ſcientiæ conformant ſuos actus; logica in hoc paſſiue ſe habente; vt dictum eſt.

Quartus

III. Modus expli candi. Quartus modus explicandi quantum ad hanc partem, quod ſcilicet logica agit de rebus, & de actibus intellectus, quatenus ſubduntur prædictis formis rationis, nobiſcum conueniunt, ſed nos omnia hæc ad ſyllogiſmum, vt ad obiectum adæquatum referri aſſeueramus.

QVÆSTIO. V. VTRVM LOGICA ſcientificè precedat in cognitione ſui obiecti.

HOC eſt, quod communiter quæri ſolet: an logica ſit ſcientia, pro qua quæſtione nonnulla prælibãda ſunt.

I. Præſuppoſitum. Primum quod Ariſt. 6. Ethico. c. 7. quinque habitus intellectuales circa verum enumerat; nempe *ſcientiam, artem prudentiam, intellectum, & ſapientiam*: quos ibidẽ diffinit. Nos autem modò tantum inquirimus, an logica ſit ſciẽtia, vel ars, hoc enim apud Doctores controuertitur, cum apud omnes certum ſit, logicam nec eſſe prudentiam, ſapientiam vè, aut intellectum.

II. Præſuponit. Secundò. Quod nomine ſcientiæ, non intelligimus hic, quamcumque cognitionem habitam, vel per experientiam, vel per fidem, vel per opinionem de aliqua re, talis enim cognitio impropriè ſcientia dicitur, ſed cognitionem certam, & euidentem habitam per demonſtrationem, vt cum cognoſco hominem eſſe riſibilem, quia eſt rationalis; in hoc ſyllogiſmo, omne animal rationale eſt riſibile, homo eſt animal rationale, ergo homo eſt riſibilis. Cognitio illius concluſionis homo eſt riſibilis, habita per propriam cauſam (ſcilicet animal rationale) contentam in præmiſſis, dicitur cognitio ſcientifica, & totus ille diſcurſus dicitur demonſtratio. Sumpta ergo ſciẽtia in hac acceptione, ſic diffinitur, quod eſt cognitio rei per ſuam cauſam, propriam, & neceſſariã; & hæc duplex eſt, vel actualis, vel habitualis: ſcientia actualis eſt ipſa actualis cognitio rei per propriam cauſam; habitualis uerò promptitudo illa, aut facilitas cauſata in intellectu, ex ipſa actuali cognitione, inclinans illum ex ſua natura ad eliciendam actualem cognitionem ſcientificam: ſemper enim ex ipſis actibus generatur in ipſa potentia, à qua tales actus eliciuntur, facilitas quædam quam habitum appellamus, inclinans illam ad eliciendos actus ſimiles illis, à quibus fuit genitus.

III. Præſupponit. Tertiò quod ars propriè ſumpta ſic, ab Ariſtot. diffinitur. 6. Ethicor. cap. 4. *eſt habitus cum ratione factiuus.* Vbi duæ particulæ ſunt explicãdæ ſcilicet *ratione & factiuus.* pro prima notetur, quod in vnaquaq; arte tres interueniunt operationes intellectus: Pirma qua intellectus conſiderat, qualiter opus ſit conficiendum. Secunda qua opus conficitur. Tertia qua intellectus iudicat, an opus ſit confectum ſecundùm præcepta, & regulas artis. Diffinitio artis eſt intelligenda, de ſecunda operatione: prima enim, & tertia ſunt veluti quædam ſpeculationes: eſt ergo ars ratio, & regula alicuius operis faciendi, quod opus fit per operationem externam, ſeu trãſeuntem, ex quo innoteſcit illa particula *factiuus* ideſt quod ars ordinatur ad opera dirigenda, quæ per corpus exercentur, artis quoque materiã. Ariſtoteles aſsignat dicens; *quod ſemper verſatur circa contingentia eſſe, & non eſſe, & quod eius finis ordinatur ad opus.* Sunt autem aliquæ ſcientiæ, quæ aliquomodo imitantur artem in modo procedendi, quia ſcilicet procedunt dirigendo aliqua opera: deficiunt tamen ab ſtricta ratione artis, quia non dirigunt opera exteriora, ſed opera rationis; & dicuntur artes liberales. Quibus ſuppoſitis de hac re nonnullæ ſunt opiniones.

I. Opinio. Prima Opinio aſſerit logicam eſſe ſimpliciter & ſtrictè artem, & non ſcientiam.

Fundam. Fundamentum illius deſumitur ex diffinitione artis, eſt enim logica habitus cum ratione factiuus, cum doceat facere ſyllogiſmos, vnde Ariſt. 1. Priorum ait, perquæ & quomodo fiat ſyllogiſmus: & ex fine cum non ſiſtat in cognitione, ſed ad opus progrediatur, vt infra videbitur: & ex materia, quia agit de contingentibus, eſſe, & non eſſe, ea enim quæ fiunt à noſtro intellectu contingentia ſunt, cum poſsint fieri, & non fieri, & tandiù durent, quandiù fiunt.

II. Opinio. Secunda opinio. Diuidit logicam docentẽ in ſcientificã, & præceptiuam: ſcientifica dicitur, quatenus ſcientificè docet naturã diffinitionis, diuiſionis, ſyllogiſmi &c. Præceptiua verò, quatenus tradit præcepta, & regulas conficiendi tales modos ſciendi. Secundùm primam rationem aſſerit eſſe ſcientiam; vt præceptiuam verò non eſſe ſcientiam, ſed artem.

III. Opin. Sanchez. Rubio. Tertia Opinio aſſerit, logicam ſub ratione docentis eſſe ſcientiam: ſub ratione verò vtentis eſſe artem, quia vt ſic conſtruit, modos ſciendi in alijs ſcientijs, formaſque rationis in actibus intellectus introducit, quod munus proprium eſt artis.

IIII *Opinio* Quarta opinio Logicam ſub vtraque ratione, tam docentis, quam vtentis ſcientiam eſſe affirmat.

.I. *Argumẽ.* Primò. Innititur fundamẽto deſſumpto ab identitate vtentis cum docente, ſunt enim idẽ habitus, atque adeò eâdem demonſtratione acquiſitus, quod autem per demonſtrationem acquiritur ſcientia eſt.

Confirmatur. Quod eſt in aliquo genere, eſt in aliqua ſpecie illius generis, atqui logica, vt vtens eſt, eſt in genere habitus intellectualis. ergò in aliqua ſpecie illius, nõ alia niſi ſcientia, vt ex ſufficienti enumeratione habituum intellectualium facilè poteſt deprehendi.

II *Argumẽ.* Secundò probatur. Logica prout vtens demonſtrat paſsiones de ſuo obiecto, quia vt ſic vtitur demonſtratione: vti verò demonſtratione, & demõſtrare paſsiones de obiecto iddem ſunt.

Corroboratur hoc ex Ariſt. qui 2. Ethicorum ait: *quod habens ſcientiam, & non utens illa, videtur non habere ſcientiam,* neque enim ſcientia aliqua ex eo quod exerceatur, ſuam naturam ammittit, nec etiam vſus mallei deſtruit naturam illius.

Nos tamen ſequentibus concluſionibus, ſententiam noſtram ſic declaramus:

.I. *Concluſio.* Prima concluſio logica ſecũdum omnes ſuas partes eſt ſciencia. Conueniunt in hac D. Thom. & noſter ſubtiliſsimus Doctor, ille. 4. Meth. lect. 8. hic. queſt. 1. Vniuerſalium. Vnde hæc ratio fundamentalis pro illius probatione ſufficiat ex diffinitione ſcientiæ de prompta.

Probatur. Scientia eſt habitus, ſeu promptitudo inclinans ad cognoſcẽdam rem neceſſariam per propriam cauſam, ſed logica eſt habitus inclinans ad cognoſcendam rem neceſſariam (licet enim ea de quibus logica agit in ſingulari ſumpta contingentia ſint, ſumpta tamen in cõmuni, & in ordine ad ſua principia eſſentialia, neceſſaria ſunt, & perpetuæ veritatis) per proprias cauſas: in parte enim Analitica probatur demonſtrationem generare ſcientiam, quia procedit ex veris & neceſſarijs &c. Et in parte Topica, quod ſyllogiſmus Topicus generat opinionem, quia procedit ex probabilibus. Tandem in parte Sophyſtica, quod ſophyſticus generat apparentiam, quia procedit ex apparentibus: ergò ſecũdum omnes ſuas partes eſt ſcientia.

Obiectio. Si dicas logica ex Ariſt. 2. Meth. eſt modus ſciendi ergo non ſcientia.

Reſpond. Reſpondet noſter Doctor quæſt. 1. prohœmiali diſtinguendo antecedens, eſt modus ſciendi formaliter nego, materialiter, ſeu obiectiuè concedo. Logica enim docet modum ſciendi, pro quanto eſt de ſyllogiſmo, per quem habetur ſcientia.

Secunda concluſio. Logica non eſt in ſcientificam, & præceptiuam diſtinguenda, ſed ſecundùm eandem partem qua præceptiuè procedit, ſcientificè procedit, quæ ſic probatur. .II. *Concluſio.*

Præcepta, quæ tradit logica, tradit modo ſcientifico, per proprias nempè cauſas vt docet diffinitionem debere genere, & differentia cõſtare, quia explicat naturam rei, & ſic de alijs. *Probatur.*

Tertia concluſio. Logica vt docens non eſt ars ſtrictè ſumpta, benè tamen largè, & ſecundum quandam ſimilitudinem. Prima pars patet, quia logica non dirigit opera externa. .III. *Concluſio* *Prima pars & 2. patent.*

Secunda etiam quia logica dirigit opera intellectus (vt ſupra explicatum eſt) in modo autem procedẽdi ſimilitudinem habet aliquam cum vera arte, vnde ars liberalis dicitur.

Quarta Concluſio Logica in quantùm vtens non eſt ſcientia, nec ars ſi paſsiuè ſumatur. Primam partem optimè probant Sanchez, & Rubio, & alij moderni, ſed in noſtra opinione facilè ſic probatur. .IIII. *Concluſio* *Probatur*

Logica, vt vtens paſsiuè nullum actum elicit, ſed tantum ſe habet, vt regula extrinſeca, ad quam aliæ ſcientiæ, ſe conuertentes, ſuos actus eliciunt, vt explicatum eſt, atque adeò nec vt ſic erit ars, ars enim vel eſt factiua, vel actiua. Si verò ſumatur pro parte Topica, quatenus per principia communia, ab ipſa tradita, deſcendit ad probandas veritates aliarum ſcientiarum, non demonſtratiuè, ſed tantùm probabiliter procedit, non ergò vt ſic eſt ſcientia.

Ad fundamentum primæ opinionis, nõ eſt cur eadem repetamus, ex prima enim & ſecunda concluſione noſtra, facilis patet reſponſio. *Ad fũdamẽt. 1. opinionis.*

Secundæ & tertiæ opinionis argumenta nulla egent ſolutione. *Ad argũ. 2. & 3. opi*

Ad argumenta quartæ opinionis.

Ad Primum reſpõdetur, quòd licèt logica vtẽs & docens ſint idem habitus realiter diſtinguũtur tamen formaliter, vnde cum dicitur, vt docens eſt ſcientia, ergò vt vtens negatur conſequentia, procedit enim argumentum, ab iddẽtitate reali ad formalem, formaliter autẽ logica vtens paſsiuè ſumpta, non *Ad. 1. Argu. pro. 4. opinione.*

pta, non habet rationem habitus cognoſcitiui, quia vt ſic non inclinat ad aliquid cognoſcendum, ſed tantum addit quandam extrinſecam denominationem, qua dicitur vſa & reſpecta ab alijs ſcientijs.

Ad confi. Ad confirmationem. Similiter, quod ſi formaliter ſumatur, non eſt ſcientia, ſi verò ſumatur identicè, vt ſcilicet identificatur cum docente, ſic & eſt habitus, & ſcientia, ſi autem ſumatur pro parte Topica, quatenus ex communibus in quacunque materia diſputat, ſic habet rationem artis & facultatis, & non ſcientiæ, cum vt ſic nullam eliciat demonſtrationem ſed tantum ex probabilibus procedat, principia enim communia & probabilia idem ſunt.

Ad. 2. Ad ſecundum. Nego antecedens, logica enim vtens, non eſt, quæ vtitur demonſtratione, ſeu elicit actum demonſtratiuũ, in alijs ſcientijs, ſed quà aliæ ſcientiæ vtuntur in ſuis demonſtrationibus.

Ad confi. Ad Cõfirmationem, ſenſum Philoſophi eſſe, quod qui habet habitum ſcientiæ, & non vtitur illo, ideſt non ponit in vſſu, & exercitio talem habitum, eliciendo actũ talis ſcientiæ, eſt ac ſi illum non haberet, nec enim tale exercitum deſtruit rationé talis ſcientiæ, ſed potius habet rationem ſcientiæ actualis, quòd etiam eſt verum, de logica docente, reſpectu proprij actus, circa ſuum obiectum.

QVÆSTIO. VI. VTRVM LOgica ſit ſcientia ſimpliciter, & ſcientia communis.

TITVLVS hic duo querit, primò an logica habeat perfectè, & ſimpliciter, rationem ſcientiæ, ſecundò an ſit dicenda ſcientia commonis.

Circa primum ſunt aliqui, qui licèt logicam eſſe ſcientiam concedant, eam tamen non eſſe ſcientiàm ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid affirmant, ſic Mathias *Aquarius* Aquarius, in ſua Methaphiſica lib. 2. Dilucidatione. 11.

1. Argu. Probatur auté primò. Obiectum logicæ cum ſit ens rationis, eſt ens ſecundum quid, ergo eſt cognoſcibile ſecundum quid, ſicut enim res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, & cognoſcibilitas ſequitur rei entitatem, ergo cognoſcitur ſecundum quid, non ergo de logica ipſa dabitur ſcientia ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Confirmatur. Obiectum tribuit, tam denominationem, quàm ſpecificationem ſciétiæ, à fine enim, ex Ariſtot. 2. de Anima textu. 4. ſumitur rei denominatio; ſed obiectum logicæ eſt ens ſecundum quid: tribuit ergo illi denominationem, & ſpecificationem ſecundum quid. Vnde logica appellatur rationalis, & modus ſciendi à ſuo obiecto. *Confirm.*

Secundò probatur demonſtrationes logicæ, ſunt demonſtrationes ſecundum quid, ergo licet quatenus ſunt demonſtrationes, generent ſcientiam, quatenus verò ſunt demonſtrationes ſecundom quid, generant ſcientiam ſecundum quid, conſequentia patet, quia effectus non eſt perfectior ſua cauſa. Antecedens probatur demonſtratio habet vim à principio, & medio, quod aſſumitur ad probandum paſsioné de obiecto, quod eſt diffinitio obiecti, ſed hæc in logica eſt, ſecundum quid ſicut & ipſum ens rationis, quod diffinitur, diffinitio enim, & diffinitum conueniunt & ſunt eiuſdem perfectionis, ergo & ipſa demonſtratio. *2. Argu.*

Confirmatur. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere; ſed ens rationis, non habet veram cauſam, ſed tantum ſecundum quid, nec veras paſsiones, vt infra patebit, tantum ergo ſecundum quid cognoſcitur, atque adeò ſcientia de illo, qualis eſt logica erit tantum ſecundum quid. *Confirm.*

Obſeruare oportet primò, quod cum in ſcientia tria reperiantur, ſcilicet ſubiectum, proprietas, quæ de ipſo demonſtratur, & medium, ſeu principium, quo talis proprietas de ſubiecto demonſtratur, quod eſt deffinitio, ſeu formalis ratio ipſius obiecti: ſcientia non habetur de ſolo obiecto, nec de ſola proprietate, ſed de vtriuſque connexione, ſeu vt aliqui dicũt, ſcientia nõ eſt de obiecto incõplexè ſumpto, ſcilicet vt eſt terminus ſimplex, vt ſyllogiſmus, homo &c. Sed de cõplexo, coniuncto ſcilicet cum proprietate in propoſitione, in qua proprietas de obiecto demonſtratur: vt cum dicitur, homo eſt riſibilis, ſyllogiſmus conſtat tribus terminis. Ad hoc ergo, quod aliqua ſcientia ſit ſimpliciter talis, non requiritur quod illius obiectum in complexè ſumptum, ſit ens ſimpliciter, vel ſecundum quid, ſed quod obiectum complexè ſumptum ſit ens ſimpliciter neceſſarium, hoc eſt dicere, quod illa connexio proprietatis cum ſubiecto, ſit ſimpliciter neceſſaria, & perpetuæ ve- *1. Notandum.*

 ritatis,

ritatis, & quod hæc cognoſcatur per propriam, & intrinſecam rationem ipſius, ſiue hæc ſit cauſa formalis, vel ſaltim virtualis, ſiue habeat propriam rationem diffinitionis, ſiue tantum, proprij conceptus rei, dummodo illa ſit prior, & intrinſeca ratio, ad quam neceſſariò ſequitur talis proprietas vt ſuo loco explicabimus.

2. Notan. Secundò eſt obſeruandum, quod ens rationis, licèt ſit diminutè ens, eſt tamen conſiderabile, ſub proprijs, veris, & certis principijs, habetque proprietates, quæ licet non propriè dicantur paſsiones, ſunt tamen rationes quædam poſteriores à ſubiecto diſtinctæ; cum quo habent neceſſariam connexionem, quarum cauſa virtualis, ſeu ratio intrinſeca eſt diffinitio, ſeu ratio ipſius ſubiecti, per quam proprietas de ipſo demonſtratur, hæc autem connexio inter ſubiectum & proprietatē, media diffinitione, eſt æternæ veritatis, ac neceſſaria ſimpliciter, & tam independens ab intellectu, ac aliæ connexiones, vt quod genus eſt prædicabile, quod demonſtratio generat ſcientiam, ſicut quod homo eſt riſibilis. ſic modo.

1. Concl. Prima Concluſio. Logica eſt propriè & ſimpliciter, & ſtrictomodo ſcientia, probatio iſtius concluſionis ex præiactis notabilibus liquet; eſt enim logica cognitio certa & euidens rei neceſſariæ, per propriam & intrinſecam rationem cognoſcendi, diffinitionem ſcilicet ipſius obiecti: ergo eſt propriè & ſimpliciter ſcientia.

2. Conclu. Secunda Concluſio. Logica poteſt dici ſcientia communis à ſuo obiecto, quia eius obiectum, & ea de quibus logica diſſerit, ſunt applicabilia omnibus rebus, vt explicatum eſt, & omnes ſcientiæ vtuntur ſyllogiſmo, qua etiam ratione appellatur ſcientia rationis, & modus ſciendi ab obiecto, & in hoc ſenſu poteſt appellari ſcientia ſecundum quid, denominatione extrinſeca, & in obliquo.

Ad. 1. Argum. Ad Argumenta reſpondetur. Ad primum diſtinguendo conſequentiam, ſi ille terminus ſecundùm quid ſe teneat ex parte ipſius obiecti concedo, ſi ſe teneat ex parte cognitionis nego, & ſic debet intelligi illa maxima, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, id eſt, quòd eſt cognoſcibile, ſecundùm propriam entitatem, & modum eſſendi illius, ipſa tamen cognitio non determinatur admodum eſſendi obiecti, ſcientia enim de homine eſt de ente ſubſiſtenti, ipſa tamen ſcientia non dicitur per ſe ſubſiſtens: & ſcientiæ Mathematicæ ſunt de ente ſecundùm quid, de accidente ſcilicet quod entis ens dicitur, ipſæ tamē ſunt ſciētiæ ſimpliciter, & non ſecundum quid.

Ad. Confir. Ad Confirmationem. Quòd obiectum tribuit denominationem ſcientiæ, non in recto, ſed in obliquo, & ſic dicitur ſcientia de Deo vel de homine, non verò ipſa dicitur, Deus & homo, & in hoc ſenſu verum eſt, logicam eſſe ſcientiam de ente ſecundùm quid. Specificationem ſimiliter ſumit ſcientia ab obiecto extrinſecam, intrinſecam autem à propria differentia intrinſeca.

Ad 2. Argum. Ad ſecundum. Nego antecedens, & ad probationē vel ſic poſſet reſpōderi diffinitio entis rationis eſt ſecundùm quid, ſi hoc ſe teneat ex parte obiecti concedo, id eſt quod diffinit rem minimæ entitatis, & ens ſecundùm quid. Si verò ſe teneat ex parte diffinitionis nego, de ratione enim propriæ diffinitionis tantum eſt, quòd cōſtet ex proprio genere, & differentia, quod reperitur in ente rationis.

Vel ſic quod de ratione demonſtrationis ſimpliciter talis, non eſt quod medium ſit diffinitio propriè, & ſimpliciter, ſed quod ſit propria & intrinſeca ratio proprietatis, Siue illa ſit vera diffinitio, vt in rebus quæ verè, & propriè queunt diffiniri, vel ratio formalis, & intrinſecus conceptus obiecti, vt in rebus, quæ non poſſunt propria diffinitione diffiniri, vt patet in ente quod eſt obiectum Methaphyſicæ,

QVÆSTIO VII. VTRVM Logica ſit vnus ſimplex habitus, & vna ſcientia ſpecie?

QVÆSTIO hæc difficilior eſt quàm ab ingenijs minus exercitatis percipi poſsit, vnde ad amuſſim in preſenti illam diſcutere, eſſet tyronum mentes confundere, breuiter ergo illam nūc perſtringemus, quiæ difficilia ſunt proprio loco reſeruantes, nonnulla autem pro illius intelligentia obſeruare licet.

1. Notan. Primò pro tituli intelligentia. Quod vnum dicitur illud, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, ſicut hoc lignum dicitur vnum, quia in ſe non eſt diuiſum,

ſum, eſt tamen diuiſum, & diſtinctum ab omnibus alijs. Vnitas autem à qua aliquid dicitur vnum, triplex eſt, vna numerica, qua ſcilicet indiuiduum eſt vnum numero, indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio indiuiduo, alia eſt vnitas ſpecifica, qua ſcilicet plura ſolo numero diſtincta, ſunt vnum in eſſentia, & diffinitione, vt Franciſcus, & Ioannes, dicuntur, vnum ſpecie, quia licet numero differant habent tamen eandem eſſentiam ſpecificam, & diffinitionem proximam.

Tertia eſt vnitas generica, qua plura diſtincta ſpecie, ſunt vnum in aliqua ratione ſuperiori, vt homo, & leo, differunt ſpecie, conueniunt tamen in ratione animalis, quæ eſt genus reſpectu illorum. Quæſtio præſens non procedit de vnitate numerica, certum enim eſt, plures eſſe logicas numero diſtinctas, vt quæ eſt in meo intellectu, ab ea, quæ eſt in tuo, ſed de vnitate in eſſentia ſpecifica, vtrum ſcilicet omnes logicæ partes habeant eandē eſſentiam, vel diſtinctas, ſint que tantum vnum genere, ſicut homo, & leo. Duæ ſunt extremæ opiniones, & tertia media, a nobis ſequenda.

1. Opinio Prima aſſerit. Omnes partes logicæ eſſe ſpecie completa diſtinctas, & aliam eſſe logicam de prædicabilibus, aliam de prædicamentis &c. atque adeò logicam eſſe vnam vnitate generica.

Fundam. Quorum fundamentum eſt, quod in logica ſunt plures habitus ſcientifici ſpetie diſtincti, cum ſint plura obiecta eſſentialiter diſtincta, ſcilicet prædicabilia, prædicamenta, ſylogiſmi &c. ergo plures ſcientiæ eſſentialiter diſtinctæ, ergo plures logicæ.

2. Opinio Thomiſtarum. Secunda opinio aſſerit logicam non tantum eſſe vnam ſcientiam ſpecie, ſed in illa vnicum tantum dari habitum omnino ſimplicem, qui habet vim eliciendi actum circa quamlibet partem ſui obiecti, atque adeò ille ſolus ſufficit & extenditur ad cognoſcenda omnia obiecta partialia, talis ſcientiæ. Sic communiter Thomiſtæ & citant Diuum Tomā prima ſecundæ quæſti. 54. art. 4. in corpore & alibi ſæpè.

Fundam. Thomiſtarum. Fundamentum illorum eſt, quod concluſiones & obiecta partialia, quæ ſunt in logica, licèt materialiter, & in genere rei differant eſſentialiter, formaliter tamen, & in genere ſcibilis, conueniunt in vnica rætione formali ſimpliciſsima, poſſunt ergo attingi ab vno ſimplici habitu, & qualitate.

1. Confir. Tum etiam in potentijs, vnica potentia, vt vnicus intellectus, ſufficit ad tot obiecta diſtincta, & in habitibus Theologicis, habitus fidei ad aſſentiendum omnibus articulis fidei, in habitus moralibus, vna temperantia ad diuerſa obiecta, vt potum, & cibum; ergo & in habitibus intellectualibus, vnus ſimplex habitus qualitaſq; indiuiſibilis ad plura obiecta etiam ſpecie diſtincta.

2. Confir. Confirmatur. Logica eſt vna ſcientia ſpecie, ergo, & vnus habitus, & vna qualitas, cum enim qualitas ſit ſuperior ad habitum, & habitus ad ſcientiam, tenet conſequentia ab inferiori ad ſuperius.

3. Opinio Auctoris. Tertia opinio licet vnam ſcientiam ſpecie logicam eſſe teneat, in ea tamen plures habitus ad plura obiecta, vnumquenque habitū ad proprium obiectum conſtituit, quæ quia a nobis ſectanda eſt, nōnulla ſunt pro illa brebiter prænotanda.

1. Notādum. Primò notandum eſt, quod ad cognoſcenda diuerſa obiecta in adæquata, ſeu diuerſas concluſiones in ſcientia, diuerſæ requiruntur cognitiones, quia quodlibet obiectum, ſeu quælibet concluſio ad ſui cognitionem requirit proprias cauſas, & intrinſeca principia, propriam ſcilicet ſpeciem obiecti, & propriam illius diffinitionem: ergo diuerſa obiecta, & determinatæ concluſiones, ab alijs diſtinctæ, ad ſui cognitionem determinant diuerſas cauſas & principia: cognoſcuntur ergo diſtinctis eſſentialiter cognitionibus, non ſolum in genere rei, ſed etiam in genere ſcibilis, cum ſcibilitas rei nihil aliud ſit, quàm cognoſcibilitas rei per ſuas proprias cauſas, & principia. Fundare autem rationem ſcibilis in abſtractione difficile eſt, nec inter ipſos Thomiſtas conſtat, multi enim illorum id impugnant, & tandem reprobant.

2. Notādum. Secundo notandum, quemlibet actum cognitionis ab alio eſſentialiter diſtinctum producere habitum eſſentialiter diſtinctū inclinantem intellectum ad faciliter eliciendum actum ſimilem illi, a quo fuit genitus, & patet quia omnis cauſa, in quantum cauſa dicit ordinem ad effectum, quem nata eſt producere, ergò diuerſa cauſa in quantum diuerſa, dicit ordinem ad effectum diuerſum, quem in quantum diuerſa nata eſt producere, ſed cognitio ſcientifica, eſt cauſa producendi habitum ſcientificum. Ergo in quantum cognitio ab alia eſſentialiter diſtincta, dicit ordi-

nem ad habitum eſſentialiter diuerſum, quem nata eſt producere.

Nunc autem id in quo ferè omnes Thomiſtæ, & Scotiſtæ conueniunt proponamus, & poſteà id in quo eſt diſſentio. Conueniunt ergo primò in logica (ſicut & in qualibet alia ſcientia) reſpectu principiorum & concluſionum, non dari vnicum ſimplicem habitum, ſed duos habitus eſſentialiter diſtinctos, vnum inclinantem ad cognitionem principiorum, alium verò in cognitionem concluſionum, ex talibus principijs deductarum. Ratio eſt, quia habitus inclinans in cognitionem ſine diſcurſu diſtinguitur eſſentialiter, ab habitu inclinante in cognitionem cum diſcurſu, vt patet in intelligentia, & ſcientia: fide, & Theologia. Sed habitus concluſionum inclinat in cognitionem cum diſcurſu, & habitus principiorum in cognitionē ſine diſcurſu, ergo iſti habitus ſunt in logica eſſentialiter diſtincti. Eſt etiam certum non dari vnicum ſimplicem habitum reſpectu eorum, quæ tantum per opinionem cognoſcuntur, & reſpectu eorum, quæ ſcientificè cognoſcuntur. Implicat enim quod idem habitus indiuiſibilis inclinet in cognitionem certam, & incertam, probabilem, & euidentem. Diſtinctus ergo eſt habitus opinatiuus, à ſcientifico. Tota igitur diſſentio eſt, an vnus ſimplex habitus ſufficiat ad omnia obiecta partialia, vnius ſcientiæ.

Noſtra doctrina breuiter his concluſionibus aperitur.

1. Conclu. Prima Concluſio. In logica ſicut dantur plura obiecta partialia eſſentialiter diſtincta, dantur etiam plures habitus eſſentialiter diſtincti, quorum quilibet inclinat in ſuum peculiare obiectum, vt diſtinctus habitus eſt, qui inclinat ad cognitionem diffinitiònis, ab eo, qui inclinat in cognitionem diuiſionis, & ſic de alijs: ſic noſter ſubtiliſsimus Doctor Scotus.

Quem omnes eius dicipuli ſequuntur. Pro nunc autem hac vnica ratione ex notabilibus deſumpta, quæ fundamentum cōtinet noſtræ ſententiæ probatur.

Probatur. Conclu. Cognitiones logicæ in eſſe cognitionum, tam materialiter, quam formaliter, ſeu tam in eſſe rei, quam in eſſe ſcibilis differunt eſſentialiter, cum procedant per cauſas & principia eſſentialiter diſtincta, rerum ſcilicet eſſentialiter diſtinctarum, quas cognoſcit. Nec valet dicere rationem ſcibilis non ſumi ab ipſis rebus materialiter, ſed ab eádem abſtractione, aliàs enim cognitio, quæ nititur medio probabili, & quæ medio demonſtratiuo, & cognitio principiorum, & concluſionum, quæ militant ſub eádem abſtractione ſcientiæ, non diſtinguerentur eſſentialiter in eſſe ſcibilis, atque adeò pertinerent ad vnum ſimplicem habitum.

2. Conclu. Secunda Concluſio. Omnes iſti habitus qui in logica reperiuntur, non ſunt totales ſed partiales, ſpecie partiali, & in completa diſtincti, talemque inter ſe connexionē habent, vt vnum habitum totalem conſtituant. Explicare autem connexionem hāc ad Methaphyſicam ſpectat, pro nunc autem ſic explicatur, quod ſicut omnia obiecta partialia inadæquata hūc habent inter ſe ordinem, quod cognoſcuntur in ordine ad vnum obiectum attributionis, quod omnia illa ſub ſe continet admodum explicatum, ſic etiam & habitus partiales inclinātes ad ſcientificam cognitionem taliū obiectorum, talem habent connexionem, quod omnes illi ordinantur ad tradēdam obiecti adequati exactam cognitionem.

3. Conclu. Tertia Concluſio. Logica eſt vna ſcientia vnitate ſpecifica, integrata ex pluribus habitibus partialibus, tamquàm ex partibus Ethereogeneis, ſicut ergo homo licèt integraliter componatur ex pluribus partibus eſſentialiter, atque adeò ſpecie incompleta diſtinctis, vt ex capite, manibus oſsibus, neruis, ſanguine: non tamen ideò homo dicitur vnus genere, quaſi ſit genus ad ſuas partes, ſed vnus vnitate ſpecifica, & numerica, quia omnes illæ partes integrant totum hominem & dicunt ordinem ad illum, ſic in propoſito; logica eſt vna ſcientia; vnitate ſpecifica integrata tamen ex pluribus partibus, habitibus nempe partialibus, ſpecie incompleta diſtinctis taque adeò reſpectu illorum, non ſe habet vt totum potentiale, ſed vt totum integrale.

Dubium. Quæres. Vnde ergo ſumitur vnitas iſta ſpecifica ipſius ſcientiæ totalis?

Reſpondeo. Reſpondeo. Quod ſumitur ab ordine, & attributione ad obiectum adæquatum aliquomodo vnum, quod modo explicato continet omnia, quæ à tali ſcientia conſiderantur. Notanter autem dixi, aliquomodo vnùm, non enim requiritur, quod obiectum ſit vnum eádem vnitate qua ſciētia eſt vna, ſpecificat enim aliquando obiectū vnum vnitate numerica. Vt Deus, in Theologia, aliquando vnitate ſpecifica, vel generica

nerica, & nonnunquam vnitate minori vt analogica, vt ens in tota ſua latitudine, vt comprehendit creatum, & increatum, naturale, & ſupernaturale, in quibus reperitur diuerſiſsima abſtractio (vt Theologis ſatis perſpicuũ eſt) obiectũ eſt ſpecificatiuũ intellectus creati. Illud tamen ſecundùm Thomiſtas eſt *vnum* ſecundùm quid vnitate ſcilicet analogiæ. Cum ergo dicitur, vnitatem ſcientiæ ſumi ab obiecto, non eſt ſic intelligendum, quod ab vnitate obiecti, ita debet ſumi vnitas ſciẽtiæ, quod eadem vel tanta ſit vnitas vtriuſquè. Sicut enim ipſum obiectum eſt extrinſecum ipſi ſciẽtiæ, ſic & ipſius vnitas: ſed ſic quod ab ordine tranſcendentali ad tale obiectũ, aliqua vnitate vnum, ſicut ſumitur ſpecificatio, & differentia eſſentialis ſcientiæ, ita & illius vnitas ſpecifica. Et hoc eſt, quod philoſophus dixit illam eſſe vnam ſcientiam ſpecie, quæ eſt vnius generis ſubiecti, ideſt, quæ licèt multa conſideret, cõſiderat tamen illa, prout dicunt ordinem attributionis ad vnum obiectum, ſed omnia quæ logica conſiderat referuntur ad vnum obiectum, ſcilicet ſyllogiſmum, ergo eſt vna ſcientia ſpecie athoma.

Ad. Argument Nominalium

Ad fundamentum Nominalium ex dictis patet ſolutio, quia ſicut illi habitus, ſunt partiales integrantes vnum habitum totalem, ita ſunt plures ſcientiæ partiales integrantes vnam ſcientiam totalem, cum ergo non ſe habeant, vt partes ſubiectiuæ reſpectu logicæ, ſed vt partes integrantes logicam, logica non comparatur ad illas, vt genus ad ſpecies, nec denominatio logicæ, illis tribuitur, ſicut nec denominatio hominis ſuis partibus integrantibus, caput enim non dicitur homo, hoc ergo nomen logica, ſumitur pro habitu logicæ adæquato.

Ad. Argument. Thomiſtarũ

Ad fundamẽtum Thomiſtarum quoad primam partem ſatis dictum eſt. Quoad ſecundam, diuerſam eſſe rationem de potentijs, non enim producuntur per actus, imò habent eſſe vt cauſæ vniuerſales, quæ vt concurrant ad diuerſos actus producẽdos indigent determinantione cauſarum particularium ſcilicet ſpecierum, ex qua prouenit quod hunc actum potius, quam illum producant, habitus verò producuntur per actus, & ideò ex diuerſitate actuũ infertur diuerſitas habituum, non verò diuerſitas in potẽtijs, ex diuerſis ergo actibꝰ intellectualibus nõ colligitur diuerſitas in intellectu hominis. Ad illud de fide, quod ratio ſcibilis rerũ, quæ per fidem cognoſcuntur, id eſt medium, ſeu principium, per quod cognoſcuntur, non eſt proprium, & intrinſecum ipſarum, ſicut in rebus, quæ per ſcientiam cognoſcuntur, ſed extrinſecum, authoritas ſcilicet, & reuelatio diuina, quæ cum eadem ſit in omnibus, eoſdem cauſat aſſenſus.

Virtus autem eſt vna vnitate ſimplicitatis, circa diuerſa obiecta, quia motiuum cui innititur eſt vnum, & idem reſpectu illarum.

Ad confirmationem totum illum proceſſum eſſe verum, ſi de eodem modo vnitatis intelligatur, ſicut enim eſt vna ſcientia totalis, non vnitate ſimplicitatis, ſed compoſitionis, vel coordinationis, ita eſt vnus habitus, & qualitas totalis.

QVÆSTIO VIII. VTRVM LOgica ſit ſcientia ſpeculatiua, vel practica.

VT titulus quæſtionis pateſiat nonnulla præmittere libet, primò circa nominum ſignificationem, quod ſpeculatiuum dicitur aliquid ab ſpeculando, atque adeò habitus ſpeculatiuus erit facilitas illa, quæ reddit hominem potentem ſpeculari, ſeu contemplari. *1. Notād.* Practicum verò à pratto verbo græco deriuatur, quod licèt propriè ſignificet agere, & non facere, extenſum tamen eſt, vt ſignificet quamcumque operationem, ſiue illa ſit immanens, ſiue tranſiens, in externam, materiam, quæ factio dicitur. Vnde habitus practicus, idem erit atque principium operandi, dupliciter autem poteſt intelligi, quod ſit principium operandi, primò eliciendo ipſam operationem vt habitus virtutis moralis, ſecundo regulando, & dirigendo ipſam operationem vt habitus intellectualis; omnis enim noſtra cognitio, vel tantum ordinatur ad cognoſcendam naturam rei, & illius proprietates, & in hoc ſiſtit, & talis cognitio dicitur ſpeculatiua, quia vltimum, quod intendit tantum eſt, ſpeculari rei veritatẽ, & habitus, a quo elicitur, dicitur ſpeculatiuus vel non ſiſtit in ſola cognitione, ſed præterea docet quomodo illa res ſit conficienda, cũ enim homo ſit agens intellectuale, operatur nõ temerè, ſed ratione dirigente, ideò indiget cognitione, qua dirigat ſuas operationes, & oſtendat modos operandi, ne erret

in illis, talis ergo cognitio dicitur practica, & principium operationis (intellige regulatiuum, & directiuum illius) quia id quod vltimò intendit, non eſt ſola cognitio rei, ſed opus, ſeu confectio talis rei, & habitus, à quo talis actio regulatiua elicitur dicitur practicus.

2. Notād. Secundò notandum ex Noſtro Doctore in primo ſententiarum quæſt. 4 prologi. Quod cum omnis ſcientia ex ordine ad obiectum ſuam habeat naturam, & eſſentiam ab eodem habet ſuas paſsiones, cum ergo practicum & ſpeculatiuum, ſint paſsiones ſcientiarū, ab illis inſeparabiles (ſcientia enim, quæ ſemel eſt ſpeculatiua, vel ſemel practica ſemper eſt ſpeculatiua, vel practica) vnde, quæ ſciētia ſpeculatiua ſit, quæ practica, ex obiecto erit diſcernendum. Illa ergò erit ſcientia ſpeculatiua, quæ verſatur circa obiectum ſpeculabile, illius naturam & proprietates contemplando: illa verò practica, quæ obiectum operabile ſibi vendicat, docendo quomodo debeat fieri. His ergo prælibatis in hac quæſtione diffinienda non minus, quam in alijs dialectici diſconueniunt.

1. Opinio. Ægidius initiologi. Boetius in cometarijs ſup. porph. Pereira. Lib. philoſ. Quidam enim etiam ex recentioribus logicam nec eſſe practicam, nec ſpeculatiuam, ſed tantum inſtrumentum quoddā, & adminiculum ad alias ſcientias affirmant, quibus maximè fauere videtur Ariſtoteles qui primo Topicorum capit. 9. quædam (ait) eſſe propter electionem (ſcientias ſcilicet practicas) quædam propter veritates (ſcilicet ſcientias ſpeculatiuas) quædam verò propter neutrum iſtorum per ſe, ſed per accidens adminiculantia ad aliquid iſtorum, nempe Logicam.

Sed non eſt cur multum in reſſellenda hac opinione immoremur, cum meritò ſit iandiu ab omni ſchola relegata. Cum enim Dialecticam eſſe verè & propriè ſcientiam iam probatum ſit neceſſariò vel erit ſpeculatiua, vel practica, ſicut enim inter ſiſtere, in cognitione & non ſiſtere non datur medium, ita nec inter ſcientiam ſpeculatiuam, & practicam. Speculatiua enim eſt quæ (vt diximus) ſiſtit in cognitione ſui obiecti, practica verò, quæ non ſiſtit ſed vlterius tranſit ad opus.

2. Opinio Gregori. Ocham. Dixerunt multi, tam ex recentioribus quam ex antiquis logicam ſimpliciter eſſe practicam, & non ſpeculatiuam, & licèt multis ſententia hæc firmetur argumentis, quibus redditur probabilis, & in ſcholis modò vſitata: omnia tamen ſic ad hæc reducuntur. *Venetus. Gab. Foſ. Murcia. Coimbriſ.*

1. Argu. Primum eſt. Tria ſunt de ratione ſcientiæ practicæ, primo quod ſit de obiecto operabili. Secundò quod procedat modo operabili, præceptiuè ſcilicet & regulatiuè, præſcribendo regulas, & præcepta, quibus rectè fiat tale obiectum. Et cum doceat ex quibus partibus fiat procedit modo compoſitiuo à partibus ad totum; vnum enim ex alio inferri neceſſariò notum eſt. Tertiò quod habeat pro fine opus ſeu conſtructionem ſui obiecti, ſed hæc omnia habet logica, agit enim de obiecto operabili, ſcilicet de ſyllogiſmo vel modo ſciendi, qui à nobis conficitur, & modo operatiuo, cum tota dialectica ſit plena præceptis rectè diſſerendi (hoc eſt) rectè conficiendi modos ſciendi: & procedit à partibus ad totum, vt conſtat, atque adeò non ſiſtit in ſola cognitione ſui obiecti, ſed tranſit ad opus. Cum enim doceat conficere ſuum obiectum, illius conſtructionem reſpicit vt finem: eſt ergo ſcientia ſimpliciter practica.

2. Argū. Secundum: Ille habitus cuius cognitio ordinatur ad aliquam operationem ab ipſo cognoſcente exercendam, cognitione dirigente & gubernante potentiam ad eandem operationem, eſt equidem practicus. ſed in logica cognitio artificialis modi conficiendi ſyllogiſmos eſt quoddam exemplar præſcribens regulas, & modum, quo debeant fieri, ex vi cuius cognitionis tamquàm directricis, ſequitur operatio exercenda ab ipſo cognoſcente, ipſa nempè confectio ſyllogiſmi in actu exercito: ergo logica eſt habitus practicus ſimpliciter. *Confir. 1.*

Confirmatur, idea in mēte artificis exiſtens, eſt cognitio practica; quia eſt exemplar præſcribens modum ædificandi domum; ſed idea, ſeu cognitio logicalis, ſic habet, vt exemplar, modum, & regulam ſyllogiſmum conficiendi præſcribens: ergo eſt cognitio practica.

Confir. 2. Confirmatur ſecundo. Talis cognitio, non eſt merè ſpeculatiua: ergo habet aliquid practici, antecedens probatur, cognitio enim merè ſpeculatiua illa dicitur, quæ in cognitione obiecti ſiſtit, & ad nihil vltra ordinatur, ſed cognitio logicæ ad vſum progreditur ergò.

Reſpon-

Euaſio aliquorum. Reſpondent aliqui. Logicam primò, & per ſe, ſola ſui obiecti cognitione contentam eſſe atquè adeò ex propria natura ſolum eſſe, talis cognitionis principium, per accidens autem ordinari ad prædictam confectionem ſyllogiſmi, diffinitionis & diuiſionis, operationum vè intellectus directionum.

3. Argu. & impugnatio Reſponſionis. Tertium tamen argumentum hoc ſic impugnat. Præciſſo omni accidenti cognitio ſyllogiſmi ad illam confectionem ordinatur: ergo ex propria natura ſua per ſe, & eſſentialiter ordinatur. Antecedens probatur, quidquid ex natura ſua eſt per aliud imitabile tamquàm exemplar modum operandi præſcribens; ex natura ſua ad illud ordinatur: cum enim potentia dicat ordinem ad actum, id quod per aliud eſt imitabile, potentiæ rationem ſortitur, atquè adeò dicit ordinem ad actum, ad illud ſcilicet aliud per quod eſt imitabile; ſed cognitio logicæ, docens ſyllogiſmos conſtruere præciſſo omni accidenti eſt imitabilis per prædictam ſyllogiſmi conſtructionem: ergo per ſe, & eſſentialiter ad illam ordinatur, imò talis ordo eſt ab illa inſeparabilis: eſt ergo eſſentialiter & ſimpliciter practica.

Reſponſio aliorum. Occurrunt alij, ſyllogiſmi conſtructionem (cum ſit actus intellectus) non eſſe praxim, atquè adeò logicam illius directiuam, non eſſe practicam, hæc enim apraxi, cuius eſt regula ſic dicitur. Contra iſtos procedit.

4. Argu. & impugnatur reſponſio. Quartum Argumentum. Operationes noſtri intellectus, quatenus cadunt ſub electionem & deliberationem noſtram ſunt praxes ex Ariſt. 8. Ethico. Sed logica dirigit operationes noſtri intellectus quatenus cadunt ſub electionem & deliberationem noſtram, nulla enim operatio rationis, qualis eſt conſtructio ſyllogiſmi, dirigitur ab alia operatione intellectus, niſi media electione; cum ex electione aplicet homo intellectum, ad iſtius, vel illius ſyllogiſmi conſtructionem: ergo logica dirigit praxim.

2. Opinio Secunda Opinio. Omnnò huic oppoſita; logicam ſimpliciter eſſe ſpeculatiuam defendit, & hæc eſt communior in vtraq; ſchola, tàm ſubtilis quàm Angelici Doctoris, & a nobis ſuſtinenda.

3. Opinio. Tertia opinio vtràmq; conciliare nititur aſſerens, logicam ſimul eſſe practicam & ſpeculatiuam, quam tenent aliqui ex recentioribus, licèt non eodem modo eam explicent, ac defendant. Quidam enim dicunt in logica dari duos habitus eſſentialiter diſtinctos, vnum practicum, & alium ſpeculatiuum. Alij dicunt rationem ſpeculatiuæ habere logicam, vt docentem practicæ verò, vt vtentem. Alij verò eſſe vnicum habitum ſimul practicum, & ſpeculatiuum formaliter, quorum fundamẽtum eſt; quod vtroq; modo logica procedit, ſic enim actus intellectus dirigit (quod proprium eſt ſcientiæ practicæ) vt illorũ naturas, & proprietates contempletur, (quod eſt proprium ſcientiæ ſpeculatiuæ) vnde exactè ſpeculando dirigit, & dirigendo ſpeculatur, & reſpicit ſpeculationem, & praxim vt finem: quamlibet inadæquatè, vtramq; verò rationem ſimul adæquatè. *Oña. q. 1. artic 4. praamb.* *Gabr. vaſques. 1. p. diſ 9. Suarez diſp. 44 ſect. 13 ſua Meth. Rubio. q. 5. præmia*

Pro ſtabilienda tamen ſecunda ſententia, quæ noſtri Doctoris eſt; nonnulla ſunt breuiter obſeruanda, & quidem breuiter, eſt enim res valdè Metaphyſica, & difficilis, vnde immeritò in præſenti anonnulis latè diſcutitur.

1. Nota cum ſubtili Doctore. Primò ex noſtro Doctore quæſtio. 4. prologi ſentent. & primò Methaph queſt. 7. *Quod praxis propriè dicta à qua ſcientia dicitur practica, eſt operatio alterius potentiæ quàm intellectus, prout ſubiacet imperio voluntatis, & eſt nata conformiter fieri rationi recta*, Vnde pronunc duo ſunt præcipuè de ratione praxis, primum quod ſit operatio alterius potentiæ ab intellectu, atquè adeò nulla operatio intellectus poteſt eſſe propriè & eſſentialiter praxis, dicitur tamẽ cognitio practica, illa quæ eſt regulatiua praxis. Secundò ait Noſtor Doctor, *Quod contingat in ea errare, & rectè agere id eſt quod poſsit benè vel malè fieri, atq; adeò ſit regulabilis vt rectè fiat, à recta ratione, illiq; conformabilis*, Vnde operatio quæ à natura eſt omninò determinata non eſt praxis, quia non eſt per rationem dirigibilis, non enim eſt opus directione rationis, vbi nulla eſt diſformitas, vt eſt videre in operationibus vegetatiuæ, quæ ſunt à natura determinatæ, nec ſubſunt imperio voluntatis. Solum ergò operationes elicitæ vel impeatæ à voluntate ſunt praxes.

2. Nota. Secundo Nota. Quod noſter Doctor in illa quæſt. 7. 1. lib Methaphyſic. ſic ait *nulla ſcientia eſt practica, niſi conſideret operationem, vel operabile; in quantum operabile*, & in fine quæſtionis, *quia de quãtũcum-*

 que ope-

quę operabili poteſt eſſe ſcientia ſpeculatiua, vbi breuiter perſtringit, quid ſit de ratione obiecti ſcientiæ practicæ, quod ſcilicet ſit operabile, non tantum materialiter, ſic enim poteſt eſſe obiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ, ſi tantum ſiſtat in illius cognitione: ſed formaliter, in quãtum operabile, quod nihil aliud eſt quàm res operabilis, pro vt ſub eſt ordinationi ad praxim, quæ refunditur in ipſum obiectũ, & ſe habet, vt ratio formalis obiecti ſcientiæ practicæ, ſeu obiectum formale quo, hinc intelligetur quod dixit noſter Doctor. q. illa. 4. prologi Sent. *ſcientiam dici practicam non a fine, ſed ab obiecto, atq; adeò a praxi, non vt habet rationem finis ſed obiecti*. i. Non quatenus exercet cauſalitatem finis mouendo voluntatem, ad illius affectum, vel amorem (vt nonnulli dixerunt) hoc enim impertinenter ſe habet ad ſpecificationem ſcientiæ. Verum eſt quod obiectum habet aliquam rationem finis, quatenus omnia quæ in ſcientia tractantur ad illud ordinantur, in quo ſenſu dixit noſter Doctor. 6. lib. Metaphyſ. q. 1. §. ſecundo videndum, *quod ſcientia ſpeculatiua ex natura ſui, & ſui obiecti* (Hoc eſt non ex ſola extrinſeca intentione addiſcentis, ſed ex propria ratione ſua) *ordinatur tamquã ad finem ad ſcire tantùm, practica verò, ad ſcire directiuum in aliqua operatione, quę non eſt eſſentialiter ſpeculatio*, & Ariſtot. 2. Metaphyſ. cap. 1. text. 3. ſic ait *contemplatricis enim finis veritatis eſt, practicæ verò opus*, operatio ſcilicet aliqua, alterius potẽtiæ ab intellectu: debent ergo intelligi de fine obiectiuo, qui idem ferè eſt ac obiectum formale.

3. Notan. Tertiò notandum. Scientiam practicã, & eſſe ſcientiam, & practicam, quatenus ſcientia eſt, habet hoc commune cum ſpeculatiua, quod vtraq; eſt cognoſcitiua veritatis per cauſam: in hoc enim ratio ſcientiæ conſiſtit. Vnde practica vt ſcientia eſt, naturas, & proprietates rerum, de quibus agit conſiderat, rationemq;, & cauſam, ſiuè propter quid res ita ſit conficienda reddit; alias nulla daretur ſcientia practica, cum nulla ſit, quæ quatenus ſcientia, hoc non habeat. Phyloſophia enim moralis, ex Ariſtot. 2. Ethicor. cap. 2. ſimpliciter practica eſt, quia licet aliquæ eius partes, naturas, & proprietates virtutum per ſuas cauſas conſideret, ex his tamen omnibus, vt ex principijs, & cauſis, elicit præcepta & regulas rectè viuendi. Medicina ſcientia practica eſt, licèt aliqua eius pars proximè, & immediatè regulas medendi non curet; ſed tantum humani corporis ſtructuram, temperamentum, & alia huiuſmodi conſiderat. In quantum practica verò, totum hoc ad praxim refert, in quo ab ſpeculatiua diſtinguitur quæ in ipſa cognitione ſiſtit: quia non docet conficere ſuum obiectum, ſicut practica, & ſic ſubdit Ariſtot. loco citato, *& ſi practici conſiderent, quo pacto res habeant, non tamen contemplatur cauſam ipſam per ſe, ſed ad aliquid*. Ex quo fit, quod ex ſolo modo procedendi quantumuis directiuo, præceptiuo, & compoſitiuo, non dicitur ſcientia practica, niſi ab obiecto formaliter operabili ab alia potentia quàm ab intellectu, & à praxi ſupra explicata, quibus ſic poſitis ſit.

Prima Concluſio. Logica non eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed vel ſolum practica, vel ſolum ſpeculatiua. In hac conueniunt omnes Doctores primæ & ſecundæ opinionis. Quæ hac vnica ratione ſic probatur, quod ſcientia ſit practica, aut ſpeculatiua deſſumitur, non ab obiectis particularibus ſingulorum habituum, ſed a ſubiecto attributionis totiuſque diſciplinæ, & artis fine, ſed attributionis obiectum, & finis vnius artis eſt tantum vnus; vel ergo in illius cognitione tantum ſiſtit, & ſic erit ſpeculatiua: vel talem cognitionem refert ad opus, ad dirigendam ſcilicet conſtructionem talis obiecti, & ſic erit practica. Inter cognitionem enim propter ſe & propter aliud, non eſt dare medium. 1. Conclu.

Secunda Concluſio. Logica abſolutè, & ſimpliciter eſt ſcientia ſpeculatiua, licet impropriè & ſecundum quid poſsit dici practica, ſic noſter Doctor in prologo ſententiar. quæſt. 4. & expreſsius libr. 6. Methophyſ. quæſt. 1. in reſponſione ad. 1. vbi ſic ait. *Licet poſsit dici, quod logica eſt practica, quia non eſt tantum propter ſcire proprium, ſed propter ſcire directiuum in aliquo actu, quia enim intellectus in actu proprio diſcurſiuo poteſt errare indiget habitu directiuo &c.* Quia tamen iſte actus in quo dirigit nõ eſt niſi ſpeculatio ideò logica propriè non eſt practica. Penent etiã omnes eius diſcipuli et, D. Th. & communiter eius diſcipuli, nonnullis exceptis, qui relicto ſuo duce Nominalibus adhærent. Relictis autem multis rationibus, quibus ſolet probari iſta ſententia 2. Concl. *Scotus. 6. Meth. q. 1 Ad. 1. Mauritius q. 1. logic. Orbellus. Tartaretus. q. 2. dub. 3.*

tentia: probatur hac ratione noſtri Doctoris.

Probatur ratione Doctoris. Scientia practica eſt directiua praxis, ſed logica etiam ſi ſit primò & per ſe directiua, non tamen praxis, ſed actuũ intellectus, qui eſſentialiter ſunt ſpeculatiónes: actus enim intellectus licèt quoad exercitium cadat ſub electione, ſed quantum ad ſuam ſpeciem non cadit ſub conſilio, aut electione, ſed logica datò quod dirigat actus intellectus, illos dirigit ſecũdùm ſuam ſpeciem. Tum etiam quia practica, verſatur circa operabile ab alia potentia, quàm intellectus, obiectum autem logicæ eſt operabile ab intellectiua. Tandem quia habitus, qui eſt principium ſpeculandi, eſt ſpeculatiuus, ſed talis eſt logica cum doceat ſpeculari, quod maxima ſpeculatio eſt.

2. Pars cõclu. proba. Secunda pars Concl. Probatur quia logica vt ſupra diximus habet quandam ſimilitudinem cum vera arte, & in modo procedendi conuenit cum practicis, cum non ſiſtat in cognitione ſui obiecti, ſed aliã dirigat, conſtructionem ſcilicet ſyllogiſmi.

Ad argu. Reſp. Ad prim. ſecũdæ opinio. Ad Argumenta Reſpondetur. Ad Primum ſecundæ opinionis, quod logica agit de obiecto operabili ab intellectu, & dirigit ſpeculationem. Modus autem directiuus, & compoſitiuus cadens ſupra materiam praxis, pertinet ad ſcientiam practicam, non verò cadens ſupra materiam ſpeculationis, qualis eſt modus procedendi logicæ.

Ad. 2. Argum. Ad Secundũ. Diſtinguo maiorem, ſi illa operatio ſit actus alterius potentiæ ab intellectu concedo; ſi verò ſit actus intellectus nego: licèt ergo logica tribuat modum conficiendi ſyllogiſmum, hoc nihil aliud eſt quàm docere ſpeculari, ne intra limites ſpeculationis error contigat.

Ad prim. cõfirm. Ad Confirma. Similiter, illud eſſe verum de idea, quæ modum præſcribit operandi res artificiatas, quæ fiunt ab alijs potentijs quàm ab intellectu, non verò quæ fiunt ab intellectu.

Ad. 2. cõ. Ad Secundam confirma. Negatur antecedens ad probationem, quod tantum probat tertiam concluſionem, ſcilicet ſecundum quid habere rationem practicæ, quia tamen ille vſus quem dirigit, eſt ſpeculatio, non dicitur propriè reſpectu illius progredi, aut extendi; ſed intra ſe ipſam manere, intra limites ſpeculationis.

Ad. 3. ar. Ad Tertiũ. Quod & ſi detur, logicam per ſe ad confectionem ſyllogiſmi ordinari, & ad dirigendas operationes intellectus, quatenus conſiderat directionem illam paſsiuam, ſeu formam rationis, non tamẽ inde ſequitur eſſe practicam vt viſum eſt.

Ad Quartum. Diſtinguo maiorem per accidens, & ſecundum quid concedo, intrinſecè & eſſentialiter negò; & hoc ſecundo modo actus noſtri intellectus diriguntur à logica, ſecundùm ſcilicet ſuam naturam, & ſpecificationem, qui vt ſic eſſentialiter ſunt ſpeculationes.

Fundamentum tertiæ opinionis Per primam concluſionem conuellitur.

QVÆSTIO IX. VTRVM LOgica ſit ante omnes alias ſcientias priùs addiſcenda, & an ſit pars phyloſophiæ.

CIRCA primum quod quæſtio præſens quærit, partem negatiuam ſuadent hæc argumenta.

Primum Logica agit de ſecundis intentionibus, ſed iſtæ nequeunt cognoſci niſi cognitis primis (vt communiter dicitur) & cognitio entis rationis, quod eſt obiectũ logicæ pendet à cognitione entis realis, quod eſt obiectũ aliarũ ſcietiarũ, cũ ens rationis non poſsit immutare intellectum per ſe, ſed per ſpeciem ſui fundamenti: ergo cognitio entis realis quam tradũt aliæ ſcientiæ debet præcedere logicam. *1. Argu.*

Confirmatur. Finis & officium logicæ eſt dirigere actus intellectus, & aliarum ſcientiarum, ſed iſti nõ poſſunt dirigi, niſi priùs cognoſcantur. ergo priùs debet tradi Phyſica, quæ docet naturam talium operationum. *Confirm.*

Secundum Argumentum. Si propter aliquam rationem priùs eſſet logica addiſcẽda, maximè, quia omnes aliæ ſcientiæ pendent ab illa in ſua cognitione, atqui ratio hæc falſum ſupponit, quia ens reale ſicut non dependet in ſuo eſſe ab ente rationis ita nec in ſuo cognoſci. Variæ extiterunt de hac re antiquorum Phyloſophorum opiniones, quas refert Maſius, nos tamen ſequentibus aſſertionibus reſpondemus. *2. Argu.*

Prima Concluſio. Logica fuit poſterior inuentione omnibus ſcientijs non loquimur hic de prima illius origine, certum enim eſt, à Deo fuiſſe ſimul cum alijs ſcientijs Primo noſtro paréti infuſam, quæ licèt poſtea non fuerit omninò extincta, ſed aliqualis illius fauilla permanſerit, *1. Conclu.*

de curſu

decurſu tamen temporis maxima ex parte fuit amiſſa, poſtea quidé iàm moribunda excitata. Loquimur ergo de hac illius excitatione, ſecluſa diuina infuſione & reuelatione, vt ex vi ſolius luminis naturalis poteſt acquiri, ſpectata natura ſui obiecti, & in hoc ſenſu dicimus, quod logica ex natura rei & per ſe loquendo, eſt poſterior inuentione omnibus ſcientijs.

Probatur. Concluſio. Probatur autem concluſio ſic, omnes ſcientiæ in hoc conueniunt, quod quælibet habet ſuas diffinitiones, diuiſiones, & demonſtrationes, vt ſupra de demonſtratione probatum eſt, logica autem ad inuenta eſt vt tractaret de hoc in quo omnes demonſtrationes diffinitiones &c. conueniunt: vt per logicam quid ſit demonſtratio, diffinitio &c. innoteſceret; ergo ex natura rei & per ſe loquendo, primum eſt quod ſint ſcientiæ, & demonſtrationes, & diffinitiones &c. in illis, quàm ſit logica tractans de illis; quod enim dependet ab alio, eſt poſterius illo à quo dependet: ſed logica dependet ab alijs ſcientijs, quia non eſſet logica, ſi non eſſent aliæ ſcientiæ, ergo logica eſt poſterior ex propria ratione ſua alijs ſcientijs.

Confirma. Confirmatur. Modus ſciendi ſeu modus ſyllogizandi, quem omnes ſcientiæ in attingendis ſuis obiectis obſeruant, eſt obiectum logicæ, ergo iſte modus ex natura ſua, preſupponitur ad actus elicitos à logica (cum obiectum ſit priùs natura quàm actus ſcientiæ) tunc ſic quandò modus rei præſupponitur ad aliquid, ipſa etiam res ad idem præſupponitur: ergo ſcientiæ reales, quarum eſt modus, prædictus modus ſciendi, præſupponũtur eiſdem actibus elicitis à logica: ergo & ipſi logicæ, atq; adeò ex propria ratione ſua ſunt priores ipſa logica.

2. Concl. Secunda Concluſio. Dederunt initium excitationi logicæ artificialis, tum ipſum lumen naturale intellectus, ſeu dialectica naturalis, de qua ſupra, tum etiam experimentum, quod ad ſcientias comparandas maximè iuuat, animaduertentes enim homines, quòd hoc modo diffinientes, & ratiocinantes alicuius ignoti naturam manifeſtabant, alio verò modo, non rectè veritatem inueniebant, ceperunt notare illum modum, quo rectè in veritatis indagine procedebant, inquiſieruntq; cauſam, ob quam vnus eſſet rectus modus procedendi, non verò alius, quibus habitis tradiderunt præcepta rectè & ſine vitio procedendi in ratiocinationibus, diffinitionibuſque conficiendis, ſic q; dialectica fuit de nouo excitata, & vt modò in ſcholis traditur aucta, locupletata, & illuſtrata, vnde Ariſtot. 1. Rhero. cap. 1. Dialecticam ex obſeruatione fuiſſe ortam & propagatam affirmat.

3. Conclu. Tertia Concluſio. Logica quo ad nos priùs eſt addiſcenda ante alias ſcientias, probatur, tum quia logica docet modum comparandi alias ſcientias, vnde dicitur inſtrumentum aliarum ſcientiarum. Tum etiam, quia multitudo confuſſa, eſt cauſa erroris, ſed in obiecto oblato, de quo volumus ſcientiam habere, occurrit intellectui multitudo confuſſa rerum; ſubſtantia ſcilicet cum omnibus ſuis accidentibus: ſi ergo non accedat certa regula diſtinguendi vnum ab alio, vnum pro alio aprehendetur, & ſic multoties intellectus errabit, ſed Dialectica tradit hanc regulam. Tandem ad facilè conficiendas demonſtrationes, tenere oportet modum, & ordinem, quo debeant diſponi: ergo logica quæ iſta docet debet præmitti, vt cum facilitate ſcientias comparemus.

4. Conclu. Quarta Concluſio. Logica non tantum dicitur inſtrumentum phyloſophiæ, ſed etiam pars illius ſubiectiua, ſi nomine phyloſophiæ inteligamus, non ſtrictè eam ſcientiam quæ de ente naturali diſputat, ſed in ampla ſignificatione, pro vt cognitionem rei per propriam cauſam, & per propria principia ſignificat, in qua acceptione, tam de Metaphyſica quàm de Phyſica, & logica dicitur: complectiturq; tam ſcientias reales, quàm rationales.

Patet concluſio. Concluſio autem ſic explicata patet, quia logica vt viſum eſt inquirit cauſas, & principia ſui obiecti. Si enim vim nominis inſpiciamus phyloſophi dicti ſunt, qui rectè cauſas rerum inquirebant, & ſecundum Ariſt. ex admiratione effectuum quorum cauſas ignorabant, ceperunt Phyloſophari.

Dicitur autem Logica ſcientiarum inſtrumentum, non quia vt inſtrumentum effectiuum concurrat ad actus aliarum ſcientiarum, vt ſupra probaui, ſed quatenus tradit præcepta rectè conficiendi ſyllogiſmos, & demonſtrationes, quibus aliæ ſcientiæ vtuntur admodum explicatum.

Ad. 1. Argum. Ad Argumenta Reſpondetur. Ad Primum concedimus quidem ad cognitionem obiecti Logicæ, quod eſt

ens

ens rationis, ſeu ſecunda intentio, premitti debere aliqualem cognitionem abſolutā entis realis, non tamen ſcientificam, quæ habetur per ſcientias reales.

Ad. Conſi. Ad confirma. Similiter non eſſe neceſſariam exactam, & ſcientificam cognitionem actuum intellectus, ſed ſufficere imperfectam.

Ad. 2. Argum. Ad ſecundum Ex dicendis queſtione ſequenti conſtabit.

QVÆSTIO. X. VTRVM LOgica ſit neceſſariò prius addiſcenda ad alias ſcientias comparandas.

VT titulus innoteſcat explicanda eſt vox illa neceſſariò. Neceſſarium authore Ariſtot. lib. 5 Methaph. capit. 5. ſumitur dupliciter vno modo abſolutè & ſimpliciter & ex ſe, quod ſcilicet ab intrinſeco & ratione ſui habet neceſsitatem, ita vt non poſsit non eſſe, vt hominem eſſe animal rationale, Deum eſſe. Alio modo ex ſuppoſitione, ſeu reſpectiuè, illud ſcilicet quod in ordine ad aliud ſeu ratione alterius dicitur neceſſarium, & hoc ad huc dupliciter, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, neceſſarium ſimpliciter reſpectiuè, in ordine ſcilicet ad finem eſt id, ſine quo res nullo modo poteſt acquiri, quo pacto cibus dicitur neceſſarius ad vitam cum ſine illo nequeat vita conſeruari. Illud autem eſt neceſſarium ſecundùm quid, ſeu ad melius eſſe, quod etiam vtile appellatur, quod non requiritur ad eſſe rei ſimpliciter, ſed ad illius eſſe ſecundum quid, vt ſcilicet res meliori modo ſe habeat, vt quòd facilè breuiter perfectè què fiat: ſic equs dicitur ad iter agendum neceſſarius, non quia ſine ipſo nequeat iter peragi, poteſt enim eſſe ſimpliciter itineris, dari ſine equo, ſed quia meliori modò equo iter agitur quàm ſine illo, atq; adeò requiritur ad eſſe itineris ſecundùm quid.

Nunc quæ certa ſunt apud omnes proponamus, certum eſt controuerſiam in preſenti procedere de neceſsitate reſpectiua in ordine ad finem, vtrum ſcilicet logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias comparandas. Similiter eſt certum, logicam non eſſe ſic neceſſariam ad cognitionem rerum, quæ per ſolam experientiam habetur. Nec ad cognitionem rerum quæ ſine diſcurſu, ſed ſola terminorum aprehenſione cognoſcuntur, qualia ſunt prima principia. Nec ad cognitionem concluſionum cuiuslibet ſcientiæ, quarum euidentia & claritas conſtat ex modis perfectis cuiuſcumq; figuræ, & præcipuè primæ, quia tales demonſtrationes ſunt adeò per ſe notæ, & innituntur principijs ita euidentibus, vt facta aprehenſione extremorum, ſtatim illis aſſentiamur; vt ſi nobis proponatur hæc demonſtratio, omne totum eſt maius ſua parte, corpus humanum eſt compoſitum ex partibus: ergo eſt maius quacumq; illarum. Eſt etiam certum logicam non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad eas ſcientias, quæ non procedunt modo ſcientifico, demonſtrationibus probando, vt ſunt ſcientiæ iuris ciuilis, & iuris pōtificij. Vnde multi eas addiſcunt ſine prævia logica, & multæ etiam ex liberalibus, vt grammatica, Rethorica, & aliæ: & aliæ diſciplinæ & artes mechanicæ, imo logica illas addiſcentibus maximo eſſet impedimento, vt ſi ſutor vellet ante ſuam artem logicam addiſcere, potius impediretur, nec enim tales artifices curant rationem, & cauſas reddere rei fabricandæ, & illarum proprietates inueſtigare. Nec quæſtionem procedere de logica naturali, certum eſt, hæc enim cum ſit ipſum lumen naturale intellectus, ita eſt neceſſaria ad quancumq; cognitionem, vt nulla ſine illa poſsit acquiri, ſed de logica perfecta & artificiali, & in ordine ad alias ſcientias quæ ſcientificè, & demonſtratiuè procedunt, & in hoc ſenſu.

Prima Opinio. Adeò ex tollit logi- *Toletus.*
cam artificialem, vt eam eſſe neceſſa- *Soto.*
riam ſimpliciter ad quaecumq; cognitio- *Sanchez.*
nem ſcientificam affirmet, ita vt ſine il- *Algazel.*
la nulla ſcientia, acquiri valeat, quam tenent multi moderni, fulcitur autem opinio hæc his argumentis.

Primũ Argumentũ. Numquam vera *1. Argu.*
ſcientia acquiritur de aliqua re niſi euidenter cognoſcatur aliter ſe habere non poſſe: ſed hoc nequit fieri, quin cognoſcatur, ſyllogiſmum neceſſario concludere; ſeu conſequutionem eſſe neceſſariam ex præmiſsis: quod non poteſt ſciri ſine logica. Item ſcientia eſt cognitio rei clara, & euidens, euidentia autem cauſæ nequit ab intellectu percipi niſi euidenter cognoſcatur modus, ſecundùm quem infertur benè concluſio ex premiſsis.

Secundũ

2. Argu. Secundũ argumentum. Ille dicitur ſcire rem aliquam, qui non ſolum illam cognoſcit, ſed ſcit ſe illam ſcire, alias enim talis cognitio non erit euidens: ſed non poteſt quis ſcire ſuam cognitionem eſſe veram ſcientiam, niſi ſciat ſuam ratiocinatio nem eſſe veram demonſtrationem, & hoc nullatenus poteſt aliquomodo ſciri, niſi ſciatur quid ſit vera demonſtratio, & qua de cauſa debeat conſtare talibus principijs, taliq; ratiocinandi forma. Demonſtratio equidem non cenſetur aptum & congruum inſtrumentuum, quin prius cognoſcatur, in quantum eſt vera demonſtratio, ſi enim quis habeat demon ſtrationem, quam tamen exiſtimat tantum eſſe probabilem, & non demonſtrationem, non generabit veram ſcientiam: ſed logica eſt quæ ſcientificè hoc docet: ergo ſine illa nulla vera ſcientia poteſt acquiri.

3. Argu. Tertiũ Argumẽtũ. Duo requirũtur ad ſciẽtiam aliquam capeſcendam inuentio ſcilicet, & iudicium, ſed hæc nequeunt ſine logica dari, & quidem quo ad inuentionem: quia inueſtigare res ſine modi ſciendi cognitione, eſt abſurdum, vt ait Ariſt. 2. Methapy. c. 3. quo ad iudicium verò, quia ille dicitur ſcire, qui non modò res cognoſcit, ſed ſcit ſe illas rectè cognoſcere, vt diximus, qui autem ignorat modum ſciendi, non poteſt ſcire ſe rectè cognoſcere.

2. Opinio. Secunda opinio. Omnes ſcientias abſolutè, & ſimpliciter ſine logica artificiali, ſolo naturalis logicæ iuuamine acquiri poſſe aſſirmat.

3. Opinio. Tertia opinio. Quaſi mediam viam inter has extremas tenet, dicit enim quod licèt vna vel alia concluſio poſsit ſciri ſine logica, tota verò & integra ſcientia quoad omnes ſuas partes, nequit ſine logica haberi.

Sed vt noſtram proferamus ſentẽtiam.

1. Nota. Notemus primò, quod ſicut eſſe alicuius rei eſt duplex. Vel eſſe ſimpliciter, illud nẽpe ſecundùm quod abſolutè dicitur eſſe, vt eſſe ſimpliciter Petri eſt eius vita, vel eſſe ſecundùm quid, & eſt illud per ꝙ res, non abſolutè, ſed cùm addito dicitur eſſe, vt recta corporis valetudo dicitur eſſe ſecundùm quid Petri, ſic etiam ſcientia habet hoc duplex eſſe, eſſe ſimpliciter illius dicitur, illud per quod abſolutè ſcientia dicitur exiſtere, vt quod ſit cognitio rei certa, & euidens per proprias cauſas: eſſe verò ſecundùm quid eſt quod ſciẽtia perfectiori modo ſe habet, in vno quàm in alio, quia plura in vno quàm in alio cognoſcit.

2. Nota. Notamus ſecũdò. Quod cum omnis noſtra cognitio intendat rei veritatem cognoſcere, tunc illam cognoſcit, quandò cognoſcit rem ita ſe habere, ſicut per propoſitionem ſignificatur, & cùm in propoſitione ſignificetur vnio prædicati cum ſubiectò, vt propoſitio vera ſit, debet res ſignificata per prædicatum eſſe vnita à parte rei, cum re ſignificata per ſubiectũ, quæ vnio, vel eſt immediata, vt cum prædicatum nõ mediante alio, ſed immediatè, & ſe ipſo conuenit ſubiecto, ſicut diffinitio conuenit diffinito, vt in hoc, homo eſt animal rationale. Similibus autem propoſitionibus aſſentimur nullo factò diſcurſu, ſola aprehẽſione terminorum: vel eſt mediata vt quãdò prædicatum conuenit ſubiecto, non immediatè, & ſe ipſo, ſed mediante alio, vt in propoſitionibus in quibus propria paſſiò prædicatur de ſubiecto, vt in hac homo eſt admiratiuus, vel riſibilis: paſsio enim ſemper conuenit rei mediante alio, quod vel eſt eſſentia rei, vel alia paſsio prior, & iſtis aſſentimur per illud medium, quo mediante prædicatum conuenit ſubiecto à parte rei, & hoc eſt cognoſci rem à priori, & per propria principia, & talis cognitio dicitur diſcurſiua.

Corolariũ. Ex quo ſequitur, quòd ſicut ad hoc vt intellectus aſſentiatur alicui principiò, ſufficit aduertere illã vnionem immediatam extremorum, quæ eſt à parte rei, ſic ad aſſentiendum alicui concluſioni, quæ ex principijs infertur, ſufficit cognoſcere illam vnionem mediatam quod ſcilicet illud prædicatum conuenit à parte rei ſubiecto, mediante illo medio, & ad hæc duo genera cognitionum reducuntur omnes habitus cognoſcitiui. ſit modo.

1. Conclu. Prima concluſio. Logica artificialis ad alias ſcientias comparandas, nõ eſt ſimpliciter neceſſaria, hæc à multis defenditur.

1. Proba. *Jandunus* *Jauellus.* *Fonſeca.* *Maſio.* Probatur autem primò. Ad habẽdam ſciẽtiam de aliqua re, requiritur inuentio rerũ & iudiciũ certum & euidens, & quod ſciẽs ſciat, ſe vti certis & veriſsimis præmiſsis ad demonſtrandam concluſionem quàm vult ſcire: ſed hæc omnia poſſunt haberi, ſine logica artificiali: non ergò eſt ſimpliciter neceſſaria, ad habendam ſcientiã de aliqua re. minor probatur quoad inuentionẽ, inuentio eſt aprehenſio rerum, de quibus eſt iudicandũ, ſed ad aprehenſionẽ ſufficit ſimpliciter loquendo, aplicatio obiecti ad potentiã apræhenſiuam, quod ſine logica

artificiali fit. Quoad iudicium patet, quia vt de noſtri conceptus veritate iudicemus, ſufficit attendere ad rem, de qua conceptum habemus, vt in ſecundo notabili dictũ eſt, quod ſine Logica, vt conſtat, poteſt fieri.

Cõfirmat. Confirmatur. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quòd illius eſt cauſa, ſed totum hoc poteſt haberi, ſine logica artificiali; non ergò eſt ſimpliciter neceſſaria logica, ad habendam ſcientiam de aliqua re. Minor probatur, ponatur quis logica artificiali deſtitutus ſupra lunam, & luna eclipſeptur, quia terra inter ipſam, & ſolem interponitur, iſte clarè videt illam interpoſitionem eclipſis, eſſe cauſam: ergò ſine logica artificiali cognoſcit iſte eclipſim per propriam cauſam, & quòd illius eſt cauſa, talis ergò ſcientia, ſine logica habetur.

.II. *Probatur.* Secundò probatur. Poſterius in quantũ poſterius, non poteſt eſſe ſimpliciter neceſſarium ad comparandum id quod eſt prius, cum prius in quantùm prius, non dependeat à poſteriori, ſed logica ex natura rei, eſt poſterior omnibus alijs ſcientijs, vt vidimus quæſtione præcedenti, in ſecunda concluſione; ergò ſcientiæ reales ad eliciẽdos ſuos actus perfectos, & directos, non dependent ſimpliciter neceſſariò à logica, atq; adeò logica ex natura rei, non poteſt eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſcientias acquirendas.

I *Confirma* Confirmatur primò. Omnes aliæ ſcientiæ, vt antecedunt logicam, ex natura rei poſſunt conſequi ab intellectu, & obiecta illarum, prout præcedunt logicam, ſunt ab intellectu ſcibilia, & id quidem perfectè, quia obiectum ſpecificat ſcientiam ſecundum perfectam rationem ſcibilis: atq; vt obiecta ſcientiarum realium, quatenus logicam præcedunt, illas ſpecificant, cum enim iſtæ ſcientiæ pro illo priori dentur perfectæ, pro tunc debent habere ſpecificatiuum ſui; poſſunt ergò ſine logica artificiali cognoſci.

II *Cõfirmat.* Confirmatur ſecundò. Logica fuit ad inuenta, cum primò homines ceperunt, obſeruare differentiam, inter conſequentias euidentes, probabiles, & fallaces: ergò ante omnem artem, logicæ artificialis fuit hæc differentia; quia aliàs non verè obſeruaretur ab arte. Nec enim poteſt dici, illas argumentationes fuiſſe euidentes, poſtquam earum euidentia eſt cognita, potiùs enim Ars vera eſt, eas obſeruans, quàm ipſæ ſint euidentes, quia ab arte obſeruẽtur: ergò ante omnem artem præceſſerunt aliquæ demonſtrationes. Præterea quòd Ars logicæ tantùm eſt neceſſaria propter rationis noſtræ imbecillitatem, ſed non eſt ita imbecillis, vt ſine arte aliquas poſsit demonſtrationes habere.

Tertiò probatur. Quia lumen naturale ſufficit ad ſciendum ſyllogiſmos, qui neceſsitatem habent colligẽdi claram, & per ſe notã, vt ſunt quatuor modi priores primæ figuræ, qui ideò perfecti ſyllogiſmi vocantur. Præterea ſi logica eſſet ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias comparandas, ſequeretur quod logica reſpectu acquiſitionis aliarum ſcientiarum ſe haberet vt potentia, & non vt habitus, conſequens eſt falſum, in hoc enim potentia ab habitu diſtinguitur, quod potentia datur ad ſimpliciter operandum, habitus verò ad faciliter: ſed logica per te requiritur, non ad alias ſcientias faciliter conſequendas, ſed tamquam ſimpliciter neceſſaria ad illas ergò. Tandem probatur forma modi ſciẽdi, quæ eſt in logica, eſt eiuſdem rationis cum forma modi ſciendi, quæ eſt in alijs ſcientijs, ſed ad ſe ipſam non eſt ſimpliciter neceſſaria logica artificalis, ſat enim eſt logicæ naturalis iuuamen, ne proceſſus in infinitum detur: ergò & illud idem ſufficiet ad alias ſcientias. Si enim logica naturalis valet per ſe formam aptæ argumentationis materiæ logicæ tribuere, cur non & materiæ aliarum ſcientiarum? .III. *Probatur*

Ex quo ſequitur non eſſe neceſſariam logicam artificialem ad quacumq; ſcientiam integram, & perfectam, vel ſaltim ferè totam ſimpliciter acquirendam, & patet: quia modi primæ figuræ ſine arte ſunt per ſe euidentes, ſed ferè omnes ſcientiæ ſuas demonſtrationes conſtruunt in prima figura: ergò ferè omnes demonſtrationes cuiuſcumque ſcientiæ ſine artificiali logica confici poterunt. *Corolarium*

Secunda concluſio. Artificialis logica eſt ſecundùm quid neceſſaria ad alias ſciẽtias capeſcendas. Seu ad melius eſſe, & valdè vtilis. Hanc docet noſter Doctor ſubtilis in 2. Methaph. q. 12. & 1. Methaph. q. 1. & hoc pacto ſunt intelligendi graues doctores, qui logicam adeò extollentes, in contrariam ſententiam, videntur propendere. Hæc patet, quia adepta logica, aliæ ſcientiæ meliori modo acquiruntur, promptè ſcilicet, faciliter, breuiter, & perfectè, & ſic Ariſt. 1. Topi. c. 2. eam vtilem vocat, ſunt enim multi alij ſyllogiſmorum .II. *Concluſio* *Probatur*

morum modi imperfecti, qui non ita clarè concludunt, & multæ obrepunt fallaciæ, & aliqui adeò apparentes paralogiſmi vt primo aſpectu longè veriores appareant quam veri, & boni ſyllogiſmi, ergo vt ſine erroris periculo ſcientiam comparemus neceſſaria eſt logica, & cum iſta neceſsitas ſit ad eſſe ſecundùm quid ſcientiarum, ideſt non ad eſſe ſimpliciter illarum, ſed ad maiorem perfectionem, logica erit neceſſaria ſecundùm quid.

I. Obiectio. Si autem inſtes, ergo ſaltim quoad hoc eſſe perfectum, vel ſecũdùm quid logica erit ſimpliciter neceſſaria.

Reſpõdet. Reſpondeo. Si obiectio hæc aliquid concluderet, nullam differentiam relinqueret inter neceſſarium, ſimpliciter, & ad melius eſſe, equs enim ad iter, ſub hac ratione commodiori ſcilicet, & faciliori ſimpliciter eſt neceſſarius. Cum ergo brebiter faciliter. &c. non pertineant ad eſſe ſimpliciter rei, ſed ad eſſe ſecũdùm quid, cum ſint modi rei ſubſtantiam comitantes, quod ad hoc ſolum eſt neceſſarium, dicitur neceſſarium ſecundùm quid.

II. Obiectio. Si iterum inſtes, ſcientia non acquiritur niſi mediantibus diffinitionibus, argument. &c. Quã cognitionẽ tradit logica, ſciẽtia autẽ nequit haberi, niſi ſciatur modus ſciendi.

Reſponde. Reſpondeo. Cognitionem modi ſciendi in communi, & in actu ſignato, quàm tradit logica, non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſcientias, benè tamen cognitionem modi ſciendi in particulari, particularium ſcilicèt diffinitionum, & argumentationum: ſed hanc habet quælibet ſcientia, cum quælibet habeat particulares modos ſciendi. Vnde ſic, ſcientia nõ poteſt acquiri niſi ſciatur modus ſciendi, in actu exercito concedo: niſi ſciatur modus ſciendi in actu ſignato nego, per modum ergo ſciendi in actu exercito acquirimus ſcientias. Verum eſt quod ea cognitio quam natura duce habemus diffinitionis diuiſionis, ſyllogiſmi demonſtrationis &c. perficitur, & fit certior per logicam artificialem, & ad hoc eſt neceſſaria logica, hoc tamen non eſt aliud quàm eſſe neceſſariã ad benè eſſe talis cognitionis.

Ad Argumenta.

I. Argum. Ad primum Argum. Reſpon. Diſtinguendo minorem. Quim cognoſcatur in actu ſignato nego: quim cognoſcatur in actu exercito cõcedo. Diffinitio, ſyllogiſmus &c. dum ſumuntur obiectiuè, & entitatiuè ſunt media, & quaſi inſtrumenta ſcientias acquirendi: ad cognoſcendum enim hominem, non eſt medium diffinitio formaliter ſumpta, de qua in communi diſputat logica, quia licèt quis probè teneat, diffinitionem eſſe orationem, quæ rei naturam explicat, eſſeque formaliter ens rationis, adhuc naturam hominis ignorabit. Eſt ergò medium ad habendam rei cognitionem, cognitio diffinitionis hominis, entitatiuè ſumptæ, cognitio ſcilicet animalis & rationalis.

Eſt etiam aduertendum pro alia parte argumenti: bonitatem illationis in modis perfectis directè concludentibus lumine naturali cauſari: logicæ ergo Artificialis ignari, licèt artificium, quod in ſyllogiſmis reperitur, non aduertant in actu ſignato, ſeu in actu reflexo, benè tamen in actu exercito.

Ad ſecundum. Quod qui ignorat logicam ſcit ſe rectè ſcire in actu exercito, imò vt ſciat ſe rectè ſcire, ſufficit vt diximus, vt ſe conuertat ad ipſa obiecta, de quibus ſcientiam habet, & per illa regulet propriã cognitionem & ſcientiam, & videat an vera ſit, vel falſa. Ad. II. Argumẽ.

Ad tertium ex dictis, & præterea quod licèt logica in actu ſignato reſolutionem, conclusionum in propria principia doceat, formaliter declarando quid ſit reſolutio, in actu verò exercito, id omnes ſcientiæ præſtant. Nec enim, vt aliquis habeat ſcientiam de aliqua concluſione requiritur, ꝙ ſciat ſoluere omnia Argumenta contraria, ſat enim eſt, vt euidenter ſciat, illas eſſe captioſas argumentationes, quod lumine naturali deprehenditur. Ad. III. Argum.

ET hæc de hac prima diſtinctione, & de prohæmialibus quæſtionibus.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DISTINCTIO SECVNDA DE natura Vniuerſalis in communi.

CVM prædicabilia ſint quædam veluti elementa ex quibus prædicamentum coaleſcit (eſt enim prædicamentum quædam prædicabilium coordinatio, ſecundùm debitam ſubiectionem, & prædicationem, atque adeò ſeries quędam generum, ſpecierũ, & indiuiduorum.) Ideò meritò prædicabilium cognitionem, quam Porphirius natione Phœnix edidit, ante prædicamentorum doctrinam doctores omnes tam antiqui, quàm moderni præmittũt, quem morem ſequutus Noſter Doctor ſubtilis, diſſerit de eiſdem; & licèt Porphirius ad quinque vniuerſalia in particulari ſtatim deſcenderit, vniuerſalis in communi tractationem prætermittens, vt nimis difficilem, maiorique indigẽtem ſerutinio, eam tamen Scotus nouem quæſtionibus explanat.

QVÆSTIO PRIMA VTRVM Vniuerſale ſit ens.

NOTANDVM pro intelligentia Noſtri Doctoris, tã in præſenti, quàm in ſequentibus quæſtionibus ſermonem eſſe de vniuerſali pro formali, pro illa ſcilicet forma rationis, ſeu ſecunda intentione à qua natura dicitur vniuerſalis, vt poſtea explicabimus.

1. Concl. *Prima Concluſio affirmatiua, & probatur. Tum quia vniuerſale ab Ariſtot. 1. Perihermе. diffinitur: non entis autem non eſt diffinitio. Tum etiam quia ſecundæ intentiones ex Boetio applicantur primis, non ens autem non applicatur enti. Tandem quia quidquid intelligitur, intelligitur ſub ratione vniuerſalis ſub ratione autem non entis nihil intelligitur.*

2. Concl. *Secunda Concluſio licèt vniuerſale ſit ab intellectu, non tamen eſt figmentum patet, quia figmento nihil correſpondet in re extra; vniuerſali autem aliquid extra correſpondet, à quo mouetur intellectus ad cauſandam talem intẽtionem. Hæc habetur in reſponſione ad. 3. Arg.*

3. Concl. *Tertia concluſio vniuerſale effectiuè eſt ab intellectu, ſed materialiter, ſiue originaliter, ſiue occaſionaliter eſt à proprietate in re, quod nõ habet figmentum. Ibidem.*

QVÆSTIO SECVNDA AN vniuerſale ſit per ſe intelligibile.

Concl. *CONCLVSIO affirmatiua, probatur quia intellectus ponit differentiam inter naturam, & modum illum vniuerſalitatis in ipſa fundatum: ſed potentia cognoſcens per* A *ſe differentiam inter aliqua duo, cognoſcit vtrumque extremum ſub propria ratione, ex Ariſt. 2. de anima: ergo intellectus cognoſcit modum illum, ſeu rationem vniuerſalitatis ſub propria ratione.*

QVÆSTIO TERTIA VTRVM vniuerſale habeat aliquas proprietates.

CONCLVSIO affirmatiua. Probatur omne quod habet diffinitionem ſufficienter indicantem eſſentiam eius, & præter hoc aliud conuertibile, & per eandem diffinitionem de ipſo demonſtrabile, habet proprietatẽ, ſcilicet illud conuertibile, ſed de vniuerſali dicit Ariſt. 1. Periher. quod eſt prædicabile de pluribus, & 1. poſter. quod eſt vnum in multis, ſi illud primum fuerit diffinitio illius, hoc ſecũdum erit proprietas illius, vel econtra, ſi hoc ſecundum fuerit diffinitio vniuerſalis, illud primum erit proprietas, atque adeò vnum per B *aliud poterit demonſtrari, & ſciri.* Concl.

QVÆSTIO QVARTA VTRVM vniuerſale ſit vniuocum adquinque prædicabilia.

HANC quæſtionem reſeruamus ad vltimam diſtinctionem iſtius libri, & ideò ab ea modò ſuperſedemus.

QVÆSTIO QVINTA AN VNIuerſale ſit obiectum iſtius libri Porphirij.

CONCLVSIO affirmatiua, & probatur, quia hæc ſcientia eſt vna: ergo habet vnum ſubiectum: ergo quinque prædicabilia non ſunt obiectum niſi in quantum conueniunt in vno communi, quod erit primum ſubiectum, & illud eſt vniuerſale. Concl.

QVÆSTIO SEXTA IN QVO C *ſit vniuerſale tanquam in ſubiecto.*

NOTAT noſter Doctor quod cum vniuerſale pro formali ſit accidens quoddam rationis, quærit in quo ſit vt in ſubiecto, an in ipſis rebus, an in intellectu.

Prima Concluſio vniuerſale eſt in re tanquã in ſubiecto, in intellectu autem vt cognitum in cognoſcente. 1. Concl.

Secunda Concluſio quælibet natura poteſt tripliciter conſiderari, primo modo quatenus eſt in ſuppoſitis, ſeu in ſingularibus, & vt ſic conueniunt illi accidentia communia. Secũdo modo poteſt conſiderari abſolutè ſecundum eſſe quidditatiuum, & ſic cõueniũt illi prædicata eſſentialia. Tertio modo in quantum per formam 2. Concl.

intelligibilẽ ab intellectu apprehenditur, quod eſt eſſe cognitum, & ſic conueniunt ei ſecundæ intentiones.

3 Concl. *Tertia Concluſio. Secunda intentio vniuerſalis ſic fit, quod intellectus conſiderans naturã hominis v.g. vnam in multis, & de multis ab aliqua proprietate reperta in natura ſic conſiderata mouetur ad cauſandam intẽtionem, & illam cauſatam attribuit illi naturæ.*

QVÆSTIO SEPTIMA AN SIT vera propoſitio in qua ſecundæ intentiones prædicantur de primis.

Concl. *CONCLVSIO affirmatiua, & probatur primò. Secũda intentio eſt in re primæ intentionis cognita, & ab intellectu apprehenſa: ſed ad inhærentiam alicuius accidentis ſequitur prædicatio de eodem. Secundò de quocunque prædicatur diffinitio, & diffinitum, ſed homo prædicatur de pluribus differentibus numero: ergo eſt ſpecies.*

QVÆSTIO OCTAVA AN TAlis prædicatio ſit per ſe?

Concl. *CONCLVSIO negatiua, quam ſic probat Doctor: omnis prædicatio per ſe, vel eſt in primo modo perſeitatis, in quo prædicatur de diffinito. l. diffinitio, vel pars diffinitionis. l. in ſecũdo, in quo ꝓpria paſsio prædicatur d̃ ſubiecto; ſed ſecũda intẽtio nec eſt diffinitio, nec pars diffinitionis rei primæ intentionis, quia alias ens reale eſſentialiter eſſet ens rationis, vel partim ens reale, & partim ens rationis, nec eſt propria paſsio illius, cum ſecunda intentio non cauſetur ex per ſe principijs ſubiecti: ergo non prædicatur de illo per ſe in primo, vel in ſecundo modo, nec in quarto modo, cum res non ſit cauſa intentionis, ſed intellectus.*

QVÆSTIO NONA VTRVM vniuerſalia ſint tantum quinque.

HANC etiam quæſtionem ad vltimam diſtinctionem reſeruamus.

COMMENTARIVM.

MATERIA hæc difficilis eſt, & diffuſa, nos tamen vt clariori methodo procedamus, breuitatem amplectentes quæſtiones Methaphyſicas ſummis tantum (vt dicunt) labijs degustabimus, vt mediocri illarum cognitione inſtructi, quæ neceſſaria ſunt ad vniuerſalium intelligentiam percipiamus, ſicque pedètentim tyrones noſtri procedant ad ea, quæ in noſtra Methaphyſica latius ſumus diſputaturi. Gratia ergo claritatis diſtinctionem hanc in quinque articulos diuidemus, cum enim vniuerſale concretum quoddam ſit, duo dicit, pro materiali naturam, quæ vniuerſalis deno-

A minatur: pro formali ſecundam intentionẽ vniuerſalitatis, quæ ſe habet vt forma à qua formaliter natura vniuerſalis dicitur. In primo articulo agemus de natura quæ fundamentum eſt, & ſubiectum vniuerſalitatis, ſeu de vniuerſali pro materiali. In ſecundo agemus de forma hac vniuerſalitatis, ſeu de vniuerſali pro formali. In tertio de toto illo coniuncto ex natura, & vniuerſalitate. In quarto de illius ſubijcibili. In Quinto De modis prædicationum.

ARTICVLVS. I. DE VNIVERſali pro materiali

ARTICVLVM iſtum in quo vniuerſalis pro materiali cognitionem tradimus in aliquas quæſtiones diuidemus, in quibus inquirendum erit, an detur in rebus vniuerſale pro materiali, & quid illud ſit? An aliquo modo à ſingularibꝰ diſtingua-

B tur? Habeat ne aliquam vnitatem formalem, vnitate numerali minorem? Sit ne in natura verum fundamentum vniuerſalitatis? An habeat aptitudinem & indifferentiam ad ſingularia? Poſsit nè talis natura dici verè vniuerſalis? Quæ natura ſit capax vniuerſalitatis?

QVÆSTIO PRIMA VTRVM detur in rebus vniuerſale pro materiali, & quid illud ſit.

CVM ea ſit humanæ mentis imbecillitas *Epicurus.*
vt nihil ſit tã apertũ, in quo nõ hæreat: *Cratillus.*
in hac re tam aperta multi fluctuarũt. *Heraclitꝰ*
Quidã enim ex veteribus phyloſophis vni- *Efeſius.*
uerſalia omninò negabant, ſed omnia eſſe *1. Opinio.*
ſingularia, & ſenſibilia perpetuis mutationibus ortus, & interius ſubiecta fatebãtur, quibꝰ fauere videtur Ariſt. 3. Meth. c. 16. vbi ni-

C hil eſſe præter ſingularia affirmat, ꝗ ſic poteſt probari: quidquid creatur, aut generatur ſingulare eſt; ſed omne quod eſt in mundo, aut creatur, aut generatur: ergo quidquid eſt in mundo ſingulare eſt.

Nominales qui eò quòd plus nimiò no- *2. Opinio.*
minibus adhærerẽt, hoc nomẽ ſortiti ſunt; vniuerſalia tantùm eſſe voces, aut nomina ipſa affirmabant, nullamque in re dari naturam vniuerſalem, atque adeo vniuerſale tãtum eſſe in ſignificando non verò in eſſendo; fulciunturquè.

Primò autoritate Ariſt. qui. c. de ſubſtãt. *1. Argum*
ait *ſecundas ſubſtãtias ſignificare qualequid;* *Ockã No*
quæ ſecundum omnes vniuerſales ſunt, ſig- *minalium*
nificare *princeps,*

nificare autem propium eſt vocum. ex Phyloſopho ergò vniuerſalia ſunt voces. & 4. Politi.c. 2. ait *de optimo ſtatu rei publicæ diſſerere, nihil aliud eſt quàm de his nominibus diſputare.*

II. Argu. Secũdò. Si aliqua natura eſſet vniuerſalis, vel illa eſſet ſeparata à ſingularibus & ſic de illis non poſſet prædicari; vel identificata cum illis, & ſic omnia ſingularia eſſent realiter idem inter ſe: quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

III. *Opin* Alij dixerunt vniuerſalia nihil eſſe præter ipſos formales conceptus noſtri intellect9. Quod poteſt probari ſic.

I. Argum Primo ex Ariſtot. qui 1. de anima. c. 1. ait *Vniuerſale nihil eſt aut poſterius eſt.* ſed quod poſterius eſt, eſt conceptus, quem de rebus ipſis format intellectus: eſt ergo vniuerſale conceptus exiſtens in intellectu.

II. *Argũ.* Secundò. Vniuerſale eſt, quod de multis prædicatur; atqui non res ipſa, ſed conceptus eſt, qui prædicatur; cum id quod prædicatur debeat eſſe in intellectu: prædicatio enim eſt actio quædam intellect9, in intellectu quidẽ nihil eſt præter cõceptũ noſtrum.

4. Op. Platonis de Ideis. Opinio tandem illa non minus celebris quam delyra, in contrariam omninò partẽ inclinans, dari quidem vniuerſales naturas in rebus, ab ipſis ſingularitatib9 realiter abſtractas, in concauo lunæ exiſtentes à loco, & tempore independentes, affirmat; tenuerunt eam omnes Stoici, Platoniſque diſcipuli, qua propter Ariſt. 7. Meth. tex. 17. vſque ad 32. & alibi ſæpe, eam Platoni tribuit: ſed creditu difficile eſt, tãtum phyloſophũ ſententiam ſtoliditate, & errore plenam ſuſtinuiſſe, luminique naturali repugnãtem. Vnde meritò grauiſsimi viri vindicant ab hac calumnia Platonem: tãtumque de ideis Diuinis fuiſſe loquutum, dicunt. Cuiuſcumque autem ſit opinio hæc, poteſt ſic probari.

I *Argum* Primò. Si vniuerſalia eſſent in ſingularibus, eſſent corruptibilia ſicut & ipſa ſaltim conſequenter, aut per accidens, atque adeò corruptis ſingularibus corrumperẽtur, ſicq; non poſſent eſſe ſcientiarũ obiecta; ſi enim tandem corrumpuntur, quid quæſo refert, quòd per ſe vel per accidens corrumpãtur?

II. *Argũ.* Secundò. Quidquid eſt tale per participationem, reducitur ad id quod eſt tale per eſſentiam, ſed omnia ſingularia ſunt talia per participationẽ, vt homo v.g. ſingularis, eſt talis per participationem, quòd ſi eſſet talis per eſſentiam à nullo alio depẽderet; debet ergo reduci ad id quod eſt homo per eſſentiam: hoc autem nihil aliud eſt quàm prædicta natura vniuerſalis ſeparata.

A Tertiò. Si vniuerſalia eſſent realiter coniũcta cum ſingularibus, eſſent multiplicata in ſingularibus, atque adeò tot eſſent ſpecies, & genera, quot & ſingularia. *III. Arg.*

Quartò. Nulla eſt in hoc implicatio, poteſt enim talis natura à Deo produci. Tum quia prius poteſt ſine implicatione eſſe ſine poſteriori, ſed vniuerſale eſt prius ſingulari; Tum etiam per noſtrum intellectum talis natura á ſingularibus ſeparatur; ergo multò magis per intellectum & voluntatem Diuinam, prout ſunt cauſæ rerum, nõ enim ſunt minoris virtutis. IIII. *Arg.*

Sed ne in æquiuoco verſemur, vniuerſale aliud eſt cõplexum, propoſitio ſcilicet vniuerſalis, cuius veritas ex multarum propoſitionum ſingularium veritate conſurgit; vt hæc omnis homo eſt animal, omnis homo currit. Aliud eſt vniuerſale incomplexum B illud ſcilicet, quod cum vnum ſit, dicit ordinem ad plura, quia autem iſte reſpectus ad plura, poteſt eſſe quadruplex, ideo quadruplex eſt vniuerſale incomplexum: vel enim aliquid dicit ordinem ad plures effectus, quos cauſat, vel poteſt cauſare, & hoc dicitur vniuerſale in cauſando, vt Deus & virtutes cœlorum. Vel aliquid dicit ordinem ad plura, quæ ſignificat, & hoc dicitur vniuerſale in ſignificando, vt vox iſta canis ſignificat plura. Vel aliquid dicit ordinem ad plura quæ repræſentat, & quorum eſt ſimilitudo, & imago, vt idea & imago exiſtens in mente artificis exemplar eſt & ſimilitudo multorum exteriorum artificiatorũ, vel etiam ſpecies aut conceptus repræſentans vnam rationem vel naturam communem pluribus, & hoc eſt vniuerſale in repræſentando vel tandem eſt vnum aliquid dicens ordinẽ prædicationis & eſſendi in multis vt homo, C qui de Petro, & Paulo prædicatur, in quib9 eſt, & hoc dicitur vniuerſale in eſſendo, vel in prædicando. Præſens autem quæſtio de hoc vniuerſali procedit.

Prima Concluſio ſit in hac re. Præter res ſingulares datur vniuerſale pro materiali in rebus. Hæc patet, ex Ariſt. qui. 1. poſter. c. 2. docet vniuerſalia eſſe remota à ſenſibus, & intellectum verſari circa vniuerſalia. Nec etiam darentur ſcientiæ, quæ circa vniuerſalia verſarentur. Tãdem quia Petrus, & Paulus v.g. à parte rei conueniunt in natura humana: illud autem in quo plura conueniunt vniuerſale eſt. *I. Conclu.*

Secunda Concluſio. Vniuerſalia in eſſendo & prædicando non ſunt voces, nec con- *II. Conclu*

ceptus noſtri intellectus, ſed natura, in qua plura æqualiter conueniunt. In hac conueniunt omnes cũ ſubtili, & Angelico Docto. A

I. pars pat Prima pars patet, quia id, quod prædicatur a nobis de aliqua re, eſt vnum cum ipſa re de qua prædicatur: ſed vox aut conceptus non idẽtificatur cum ipſa re, ſed potius ab illa realiter, & eſſentialiter diſtinguuntur: ergo id quod prædicatur de aliqua re, quod vniuerſale dicitur, non eſt vox, aut conceptus. Præterea vel vox aut cõceptus, quem iſti dicunt eſſe vniuerſalem, & cõmunem, vel ſignificat, aut repræſentat aliquod ſingulare, & ſic non eſſet communis ſed ſingularis; vel ſignificat, aut repræſentat plura ſingularia, & tunc vel in quantum ſingularia & diſtincta ſunt, & ſic talis vox, vel conceptus eſſet æquiuocus repræſentans vel ſignificans plura in quantum plura ſunt, atque adeo inter terminum vniuocum, & æquiuocum nulla eſſet differẽtia, & in mente eſſet æquiuocatio. Vel ſignificat illa quatenus cõueniũt in aliqua ratione communi; & illa ratio communis, in qua plura iſta conueniunt, erit vniuerſalis. B

II. Pars. Probatur Secunda pars probatur ex dictis, vniuerſale eſt id, quod eſt in multis & de multis prædicatur, ſed quælibet natura, in qua plura conueniunt, eſt in illis, & poteſt de illis affirmari ergo eſt vniuerſalis.

III. Conc. Tertia cõcluſio omnino abhorret ab ipſo lumine naturæ aſſerere vniuerſalia eſſe naturas á ſingularibus realiter ſeparatas, & probatur. Quia tales naturæ ſunt quidditates ſingulariũ: ergo non ſunt ab eis ſeparatæ *Probatur. Concluſio.* quia nulla quidditas eſt ſeparata ab eo, cuius eſt quidditas, & natura. Imo quod omnis res quæ exiſtit, eſt neceſſario ſingularis & indiuidua: ergo illa natura hominis ſic ſeparata à ſingularibus, exiſtit in rerum natura: ergo eſt ſingularis. C

IIII. Con. Quarta concluſio. Nec de potentia abſoluta Dei poſſunt fieri talia vniuerſalia ſeparata. & probatur, quia id inuoluit contradictionem, illa enim forma ſeparata eſſet vniuerſalis, vt ſupponitur, & ſimul ſingularis, vt probatum eſt, & multæ aliæ implicationes videantur apud Doctores.

Ad fundamentum primæ opinionis quid *Solutio I. Opinio.* quid eſt in mundo eſt ſingulare per ſe, vel per accidens: vnde licèt naturæ rerum ſint in re indiuiduæ & ſingulares; hoc tamen habent ratione ſingularium, in quibus ſunt, & quatenus in rerum natura exiſtunt: alia tamẽ ratione ſunt vniuerſales: & hoc eſt quod modo explanandum ſuſcepimus.

Ad Argumenta Nominalium.

Ad. I. II. Opini. Ad Primum, quòd ex eàdem authoritate A probaretur, primas ſubſtantias eſſe etiam voces, de eis enim Ariſt. ſignificare hoc aliquid aſſerit: dicendum ergo eſt, ibi Ariſt. diffinijſſe nomina ſecundarum ſubſtantiarum, & primarum, Ad illud ex politicis, aliquando apud Phyloſophos accipi nomẽ pro re.

Ad. II. Ad Secundum. Negatur ſequella, illa autẽ maxima intelligi debet, de his quæ identificantur in eadem omnino entitate in re, in indiuiduis autem, non eſt eadem numero natura in re, ſed fundamentaliter vna vt dicemus.

Ad Arg. III. Opino Ad fundamenta tertiæ opinionis. *Ad. I. Ar* Ad primum, Quòd locus ille Ariſto. eſt contra Platonem, & aſſerit quod ſi vniuerſale ſecundum figmentum Platonis ponatur, nihil eſt ſi autem ponatur ſecundum veram ſententiam, tãtum eſt poſterius per operationem intellectus.

Ad. II Ad ſecundum. Negatur minor, & ad pro B bationem: debet eſſe obiectiuè in intellectu concedo: ſubiectiuè nego. Licèt enim prædicatio ſit actio intellectus; quæ tamen prædicantur, ſunt ipſæ res.

Ad argũ IIII. Opin Ad argumenta quartæ opinionis. *Ad I. arg* Ad primum Poſteà videbimus quo pacto vniuerſalia ſint ingenerabilia, & incorruptibilia.

Ad. II. Ad Secundum Omnia creata reduci ad Deum, qui eſt ens per eſſentiam, qui ſua infinita perfectione, & virtute omnium rerũ perfectiones continet eminenter.

Ad. III. Ad. 3. Quomodo hoc ſit intelligendũ infrà

Ad. IIII. Ad 4. Id implicare diximus, quia eo ipſo quod natura in re exiſtit, eſt indiuidua & ſingularis, ñ tamen implicat naturam per rationem præcindi à ſingularibus, hoc enim tãtũ eſt vnum ſine alio intelligi.

QVÆSTIO II. NVM NAturæ quæ vniuerſales denominantur ſint aliquo modo á ſingularibus in quibus ſunt diſtinctæ. C

CON trouerſiam hanc ad vnguem dirimere, non logici ſed Methaphyſici inſtituti eſt, vbi copioſius ex inſtituto diſcuſſam offeremus, curſim tamen eam modo expendere non parum iuuabit ad naturã vniuerſalis in noſtra doctrina exactius capeſcendam.

Opi. Tho. Opinio eſt Thomiſt. aſſerens naturás nullo pacto in re ſed ſola ratione à ſingularibꝰ in quibus ſũt ſecerni, ex varijs argutis quæ ꝑ hac ſtabilienda aſciſci poſſũt prætermiſsis ea dũtaxat proferamus quibus ſolet a dialecticis comprobari.

I Argum I. Quia alias non poſſent ſuperiora prædicari

dicari de inferioribus; quia quando duo à parte rei diſtinguūtur vnum nequit de alio prædicari.

II. Argum. Secundum. Idem eſt à parte rei eſſe hominem, & eſſe hunc hominem.

III Argum. Tertium Si diſtinguūtur à parte rei: ergo diſtinguūtur realiter; atqui falſum eſt, eſſentiam reliter diſtingui ab eo cuius eſt

IIII. Argum. Quartum. Ad hoc quod vniuerſale fiat, requiritur abſtractio intellectus. ſola ergo ratione natura ab indiuiduo diſtinguitur.

Notabile. Pro noſtra ſtatuenda ſententia obſeruare licet: quod cum diſtinctio ſit paſsio entis ſicut ens in latiſsima ſua diuiſione in ens reale, & ens rationis diuidicur, ita etiam & diſtinctio Vna ergo eſt realis, alia rationis; realis eſt, quæ nulla interueniente intellectus functione, in re datur: rationis verò, quam facit intellectus in aliqua re, in qua realiter nō eſt talis diſtinctio. Diſtinctio autem realis eſt duplex; vna quæ datur inter duas res ad inuicem ſeparabiles vt inter Petrum & Paulū, & hæc nomen generis ſibi retinet, B diſtinctioque realis ſtricto modo ſumpta appellatur. Alia verò formalis, quæ in eadē entitate reperitur inter duas rationes formales illius, vt in eádem entitate Petri, reperitur formalitas rationalis, formalitas animalis &c. quæ tamen identicè ſunt eádē entitas Petri. Quod ſi benè percepiſſet. Murcia non ita perperam hoc falſum impoſuiſſet Scoto, quòd dixerit diſtinctionem formalem, nec eſſe realem nec rationis, ſed mediam inter illas.

I. Conclu. Prima Concluſio. Si de diſtinctione reali loquamur, natura, quæ vniuerſalis denominatur, & ſingularis, non diſtinguūtur realiter, ſed ſunt idem, ſeu eádem entitas realiter. Hæc apud omnes eſt certa. & patet, quia natura eſt de eſſentia ſingularis, ergo ſunt idem realiter.

II. Conclu. Secunda Concluſio. Natura vt ſic de ſe C non eſt ſingularis, ſed hoc prouenit illi à ſingularitate, quæ eſt quid ſuperadditū ipſi naturę, ab ipſa natura formaliter diſtinctū. Sic noſter Doctor in. 2. ſentē d 3. q. 1. § ad quæſtionē igitur, vbi ſic ait. *Subſtātia materialis ex natura ſua nō eſt de ſe hæc* Et cū eo omnes eius diſcipuli. Probatur autē ratione noſtri Doctoris, quā ibi ſubdit. *Quia non poſſet intellectus intelligere ipſam (ſcilicet naturā) ſub oppoſito.* Quæ ratio ſic formatur: aliàs non poſſet natura cōcipi ſine ſingularitate, quod eſt falſum, cū poſsit homo diſtinctè cōcipi, imò & eſſentialiter diffiniri, ſine aliqua ſingularitate. Quia enim Deus de ſe, & eſſentialiter eſt hoc ſingulare indiuiſū, ideò nec poteſt in pluribꝰ ſingularibus multiplicari, nec A cōcipi ſine hac indiuiduatione.

Secūda pars probatur pro nūc ratione fūdamētali noſtri Doct. pro hac diſtinctione. A parte rei ſingularitas Petri non eſt de intrinſeca ratione, & eſſentia naturæ humanæ nec é cōtra, alias enim vnū ſine alio nō poſſet cōcipi ergo à parte rei vnū eſt extra rationē formalē alterius: ergo à parte rei diſtinguūtur formaliter. Tū etiā omnis natura v. g. humana nō eſt intrinſecè & eſſentialiter indiuidua; cū ergo ſit indiuidua, additur ei aliquid extra illius eſſētiā. Tādē quia multa in re cōueniūt naturæ, quæ nō cōueniūt ſingularitati, vt eſſe principiū cōuenientiæ, fundamētū vniuerſalitatis, cōſtitutiuū in eſſe eſſentiali & ſpecifico, principiū proprietatū: ergo diſtinguūtur formaliter, hoc enim eſt manifeſtū ſignū diſtinctionis à parte rei. Præterea fundamētū & ſubiectū ſimilitudinis inter duo indiuidua, nō eſt tota entitas cuiuſlibet indiuidui; ſicut nec fundamētū & ſubiectū diuerſitatis, alias enim ſecūdū totā ſuā entitatē eſſent ſimilia & diſsimilia, átque adeò eſſent primò diuerſa & nō primò diuerſa, quod cōtradictionē inuoluit: ergo ſecundū vnā rationē formalē, indiuiduū eſt fundamētū, & ſubiectū relationis ſimilitudinis, & ſecūdū aliā diuerſitatis. ergo iſtæ rationes formales, ſecluſa operatione intellectꝰ, diſtinguūtur, cū in re aliquid cōueniat vni quod nō alteri: quia enim relatio diſsimilitudinis Petri, albi v. g. ad nigrū fundatur & recipitur in tota albedine Petri, ideò ſecūdùm totā entitatē albedinis diſtinguitur à nigro; quod autē in re dentur iſtæ relationes ſimilitudinis, aut identitatis, & diuerſitatis fundatæ in ſubſtātia, ſuo loco.

Ad argumēta reſpōdetur. Ad 1. quod cū diſtinctione formali ſtat realis idētitas, ſūt enim eádem entitas & hæc ſufficit ad prædicationem eſſentialem. Ad Arg. Ad. I.

Ad. 2 In ſēſu formali negatur illud aſſūptū Ad. II.

Ad. 3. Verā eſſe cōſequētiā ſi ſermo ſit de diſtinctione reali latè ſumpta, prout à diſtinctione rationis condiſtinguitur: falſam verò ſi ſenſus ſit de diſtinctione reali ſtrictè ſumpta. Ad. III.

Ad quartū reſpōdeo: imò inde etiā colligi diſtinctionē formalē, & ex natura rei, inter naturam & ſingulare, ex eo enim natura abſtrahitur à conditionibus indiuiduantibus, ſine illiſque concipitur, quia ab eiſdē formaliter ex natura rei diſtinguitur, tamquam à rebus quæ ſunt extra illius eſſentiam. Ad. IIII.

QVÆSTIO TERTIA VTRVM natura in re habeat vnitatem formalem minorem vnitate numerali

A

CVM vnitas formalis ſit dupplex, vna per quam res aliqua dicitur vna in ſe formaliter, alia per quam dicitur res vna formaliter multis cōmunis. Quæſtio præſens de prima vnitate formali procedit, de ſecunda verò poſteà. De illa ergo Angelicus Doctor varijs in locis, nunc hanc vnitatem formalem concedere, nunc illam negare videtur. Opuſculo enim de natura generis c. 7. ait naturam de ſe habere vnitatem propriam. c. autem. 4. de ente & eſſentia ait quod natura de ſe, nec eſt vna nec plures, ideò eius diſcipuli fuerũt varij in hac re: qui

Caietanus *Suarez,* *Maſi9* *Rubio.* *Murcia.* *Oña.*
dã enim illorum talem vnitatem admittunt vt Caietanus de ente, & eſſentia c. 4. Suarez tomo. 2. diſput. 6 Sectione. 1 eam eſſe dicit communem inter Thomiſtas, & omnes ferè dialecticos in hoc loco Maſi9, Rubio, Murcia, Oña, & alij.

Sonzinas. *Iabellus.*
B
Alij autẽ eã negãt: ſic Iauellus 8. meth. q. 13. & non nulli moderni quorum ſentencia ſic poeſt ſuaderi.

•I• *Argumẽ.* Primò. Quidquid eſt in re eſt ſingulare: ergo quidquid eſt in re eſt vnum vnitate ſingulari, & materiali, ens enim & vnum conuertuntur, & proportionãtur.

Cõfirmat. Cõrfimatur. Quidquid eſt in re, eſt ſingulare atq; adeò vnũ numero; repugnat autem quod vnitas formalis ſit vna numero; alias enim contradictoria hæc, poſſe diuidi per principia materialia, quod eſt propriũ vnitatis formalis, & nõ poſſe diuidi per principia materialia, quod eſt propriũ vnitatis numericæ, de eodem verificarentur.

•II• *Argumẽ.* Secũdò probatur. Conſequentia hec exacta eſt, Pertus eſt vnus numro, & Paulus eſt vnus numero: ergo habent ſingulares vnitates numericas: ergo diſtinguũtur numericè: ergo & hec, Petrus eſt vnus formaliter, & Paulus eſt vnus formaliter: ergo habẽt ſingulas vnitates formales: ergo diſtinguntur formaliter:

C

•III• *Argumẽ.* Tertio probatur Iſtæ duę vnittates diſtinguntur ratione fũdamenti, quòd vnitas numerica importat pro materiali ens ſingulare, vnitas verò formalis entitatẽ cõmunẽ: ſed in rè non datur entitas communis: ergo nec vnitas formalis.

Notabile. Notandũ pro nũc, quod cum tot modis dicatur vnum oppoſitũ, quot modis & alterũ, diuiſio cui vnitas opponitur eſt duplex, materialis quę fit per principia materialia per proprietates ſcilicet ſingulares, vt natura ſpecifica qualis humana, diuiſa eſt in Petro & Paulo per ſingularitates ipſorum: diuiſio verò formalis, quæ fit per principia eſſentialia, ſeu formalia, differentias vè eſſentiales, & hæc conuenit naturę genericæ, vt animal diuiditur in homine, & equo per rationale, & inhibile. Totidem modis ſumitur vnitas quæ licèt poſitiuam dicat, ſecundùm veriſsimam ſententiá noſtri Doctoris, explicatur tamen per negationẽ, quam importat; ſicut contingit in multis alijs poſitiuis. Vnitas materialis erit, quæ dicit negationẽ diuiſionis materialis, vt vnitas numerica, & ſingularis, quę nõ poteſt diuidi per alias ſingularitates & indiuiduationes: vnitas verò formalis dicit negationem diuiſionis formalis, negatio autem hæc, quam vnitas importat, nec eſt propriè priuatio, cũ nõ ſit in ſubiecto apto habere talem diuiſionem. Priuatio autem propriè ſumpta determinat ſubiectum aptũ ad talem formam, qua priuat. Vnde duo dicit, ſubiectum determinatum, & potentiã aptitudinéquè in eo. Nec eſt propriè negatio, hæc enim tollit totam formam non determinando ſubiectum aptum ad talem formam: vnde duo etiam habet ſcilicet nõ determinare ſubiectum, nec dicere aptitudinem in illo. Datur autem aliud genus negationis, quale eſt quod importat vnitas; medium inter vtramque, quia partim accipit à priuatione, ſcilicet determinare ſubiectũ, & partim à negatione, quod ſcilicet non dicit potentiam in ſubiecto ad formã, quam tollit

Prima Concluſio. In rebus datur verè vnitas formalis minor vnitate numerali, quæ conuenit naturæ, etiam prout eſt in indiuiduis. Sic noſter Doct. in 2. d. 3. q. 1. vbi ſic ait, *aliqua eſt vnitas realis in re abſque omni operatione intellectus, quæ vnitas eſt naturæ ſecundùm ſe.* & 7 Meth. q. 16. & omnes eius diſcipuli Antonius Andreas Lichetus & alij. Eſtque modo communis inter Thomiſtas, quam multis rationibus probãt, atque adeò in re tam aperta ſufficit nobis vna.l. altera. •I• *Concluſio.* *Scotus.* *Antonius.* *Andreas.* *Lichetus.*

Probatur ergo ſic. Natura humana de ſe eſt ens reale ergo de ſe eſt quid vnum reale; cum vnum neceſſariò conſequatur naturã entis; habet ergo de ſe vnitatem, non numericam, quia alias natura humana non poſſet concipi, niſi vt vna numero: ergo formalẽ *Probatur Conclu.*

Tum etiam quia Petrus v.g. non tantum habet negationem diuiſionis materialis, ſed etiã eſt vnus eſſentialiter: ergo vn9 formaliter: ergo natura in rebus habet vnitatẽ formalem. *Confirmatur.*

Secunda

Secunda Concluſio. Hæc vnitas formalis eſt diſtincta formaliter, & ex natura rei ab vnitate numerali. Hæc ſequitur ex quæſtione præcedenti; hæc vnitas formalis ſequitur ipſam naturam, ſed natura diſtinguitur ex natura rei ab ipſa vnitate numerica, ſeu proprietate ſingulari; ergo & vnitas formalis.

III. Concluſio. Tertia Concluſio. Hæc vnitas formalis eſt à parte rei diuiſa & multiplicata in ſingularibus, ita vt in vno quoque ſingulari ſit ſua vnitas formalis, diſtincta numero per proprietatem ſingularem, cum qua identificatur realiter, eſt que eadem entitas realiter. Hæc probatur ex noſtro Doctore lib. 7. Meth. q 13. in fine reſponſionis ad tertiũ vbi ſic. *Reſpondeo ſi loquamur realiter humanitas quæ eſt in Sorte non eſt humanitas quæ eſt in Platone, & eſt realis differentia ex differentijs indiuidualibus.* Tum ſic quotieſcumque duo ad inuicem conuertuntur multiplicato vno, & alterum multiplicari neceſſe eſt, vt multiplicata natura hominis, multiplicatur riſibilitas, ſed natura humana v. g. & vnitas formalis ſe habent conuertibiliter; ergo ad multiplicationem illius multiplicatur hæc; ſicut ergo tot ſunt humanitates, quot ſunt indiuidui homines, ita tot ſunt vnitates formales, quot numerales.

IIII. Concluſio. Quarta Concluſio. Quodlibet prædicatum eſſentiale habet ſuam vnitatem formalem; vnde quot ſunt prædicata eſſentialia in vno indiuiduo, tot ſunt vnitates formales, & ſicut prædicata eſſentialia quæ ſunt in vno indiuiduo diſtinguuntur formaliter, ſic & illorum vnitates formales; quæ omnia patent ex dictis: & probatur ex noſtro doctore, loco modò citato vbi §. intelligendum, ſic ait *cuicumque enim gradui reali entitatis correſpondet vnitas.*

Ex quo ſequitur, quod inter vnitates formales, datur maior, & minor vnitas, vt maior eſt vnitas formalis naturæ ſpecificæ quam genericæ; quia excludit omnem diuiſionem formalem, & eſſentialem, generica verò, vt natura v. g. animalis, licèt dicat in diuiſioné alicuius prædicati eſſentialis, dicit tamen diuiſionem per differẽtias ſpecificas & quò prædicatum eſt ſuperius, & remotius ab ipſa ſingularitate eò habet minorem vnitatem formalem quia dicit maiorem diuiſioné per plura ſcilicet principia eſſentialia.

Ad argũ. Ad argumenta reſpondetur Ad primum.

Reſpōdet. *Ad. I.* Quod quidquid eſt in mundo eſt ſingulare aut primò, & per ſe, vt indiuiduum; aut ſecũdariò, & per accidens, id eſt, per aliquid quod eſt extra eſſentiam illius, vt natura

A vniuerſalis.

Ad Cõfirmationé. Non repugnare quod ſicut eadem res, ſecũdùm diuerſas rationes formales habeat vnitatem formalem, & numeralem, ita nec quod eidem ſecũdum diuerſas vnitates, formaliter à ſe inuicé diſtinctas, illa conueniant. *Ad. Cõfir.*

Ad ſecundum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: ratio autem differentię eſt, quòd vnitas materialis, ſeu ſingularitas, eſt principium diſtinctionis numericæ, & indiuidualis: ideò quæ habent diſtinctas vnitates numerales, diſtinguuntur numero; nõ tamẽ eſt principium diſtinctionis formalis. Cum ergo vnitas formalis, quæ eſt in Petro & ea quæ, eſt in Paulo ſolum diſtinguantur per vnitates materiales, & differentias numericas, & non per principia eſſentialiter diuerſa; hinc fit non rectè inferri conſequẽtiam illam: ſicque diſtinguere oportet pro- *Ad. II.*

B poſitionem illam. Petrus, & Paulus habent ſingulas vnitates formales ſolo numero diſtinctas, concedo: formaliter diſtinctas, nego. Et ſic negatur illa conſequentia ergo diſtinguuntur formaliter; tãtum enim infertur inter Petrum, & Paulum eſſe diſtinctionem formarũ; non verò diſtinctionem formalé.

Ad tertium quod vnitas formalis importat pro materiali entitatem, aliquomodò communem. *Ad. III.*

QÆSTIO QVARTA VTRVM in natura prout eſt in re ſit fundamentum vniuerſalitatis.

PRIMA opinio eſt in hac re aſſerẽs; naturam prout eſt in re nullam habere aptitudinem, vt fiat formaliter vniuerſalis per intellectum; quæ poteſt probari. *I. Opinio.*

Primo Nullum ſingulare habet aptitu- *I. Argumẽ.*

C dinem ad hoc, quod ſit vniuerſale; ſed natura humana in Petro eſt intrinſecè ſingularis, cum non ex vi alicuius formalitatis ex natura rei diſtinctæ, ſed per ſe ipſam ſit ſingularis, ergo.

Cõfirmatur. Singularitas & natura in re, ſunt omninò idẽ: ergo eſt impoſibile, quod aliqua forma, vel quaſi forma qualis eſt illa aptitudo afficiat naturã, & nõ ſingularitatẽ. Quia vel id quod formaliter à prædicta aptitudine afficitur vt ſic, eſt ſingulare, & hoc eſt impoſibile; cum in re ſingulari potius ſit oppoſita repugnantia ad talẽ aptitudinẽ eſſendi in multis. Vnde Petrus vt ſic, non poteſt cõcipi vt vniuerſalis: vel illud afficit ſe- *Confirma.*

cundum aliquam rationem, & ſic ratio illa, quæ a tali aptitudine afficitur, erit diſtincta in re á ſingularitate.

II. *Argumẽ.* Secundò. Quia ad ens rationis, qualis eſt vniuerſalitas non poteſt dari potẽtia realis ex natura ſua receptiua illi; quidquid enim cõuenit naturæ præciſsè ex vi ſuæ entitatis realis, eſt quid reale: ergo ex vi illius vt ſic non poteſt habere potentiam ordinatam ex natura ſua ad recipiẽdam vniuerſalitatem.

Solutio. Dices quod natura obiectiuè ſumpta, habet ex vi propriæ entitatis talem aptitudinem.

Obijcitur. Impugnatur, ſed hoc implicat in adiecto, quia natura etiam obiectiuè ſumpta ex vi propriæ entitatis realis præciſsè nõ dicit negationem ſingularitatis; quia alias hoc eſſet ei aliquid reale; atq; adeò conueniens naturæ ante operationẽ intellectus; quod enim habet natura ex vi ſuæ entitatis realis, eſt quid reale.

Notabile. Suppoſsito quod intelligibile ſequitur ens, vt paſsio illius, tot erunt gradus intelligibilitatis, quot ſunt gradus entis: & cum in vno ſingulari, vt in Petro .v. g. dentur plura prædicata eſſentialia, vt ratio entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, hominis, denique ſingularis; quemlibet gradum ex his, ſua propria intelligibilitas conſequitur formaliter, & ex natura rei ab alia diſtincta; ſicut & ipſe gradus. Vndè falſum eſt, quod Thomiſtæ aſſerunt, ex vi cuiuſdam intelligibilitatis conſtitui Petrum in re intelligibilem in ratione entis, viuentis. &c. alias enim nulla ratio ſine allia poſſet intelligi: quia ergo ex natura rei diſtinguuntur, ideò effectum, quẽ vna intelligibilitas efficit, non poteſt alia efficere; intelligibilitas ergo, quæ ex ratione hominis procedit, conſtituit Petrũ intelligibilẽ tantùm prout homo eſt, & ex vi illius, natura humana, quæ eſt in Petro eſt ſine ſua ſingularitate, intelligibilis.

.I. *Concluſio.* Prima Concluſio. Natura in re habet potentiam ad eſſe vniuerſalis logici, & eſt fundamentũ vniuerſalitatis. In hac, ineo videri omnes conuenire debent; diſſentio eſt autẽ, non modica in determinãdo, quæ ſit iſta potentia, & fundamentũ, de quo quæſtione ſequenti. Probatur autem noſtra concluſio.

.I. *Probatur.* Primo. Vniuerſale logicũ, vt poſteà videbimus, & præcipuè articulo ſequenti, dicit negationẽ, & præciſsionẽ ſingularitatis: ſed natura in re habet fundamentum, & potentiam ad hoc; quia natura in re, eſt intelligibilis ſine ſingularitate, ſeu abſtrahibilis á ſingularitate; ſic enim de facto ſine ſingularitate cognoſcitur: ergo erat ſic cognoſcibilis ante cognitionẽ. Nec valebit dicere hanc cognoſcibilitatem, ab ipſa cognitione oriri, quia ab A actuali cognitione, tãtũ habet natura, quod actũ ſit cognita, non verò, quod ſit cognoſcibilis, ſine ſingularitate. Tum etiam quia actus nõ poteſt tribuere ex vi ſua, de nominatione ſuo ſubiecto, quod per modum potentiæ ſe habet ad ipſum actum recipiendũ, vt calefactio, non tribuit ligno eſſe calefactibile, quod potentia quædam eſt ad recipiendam ipſam calefactionẽ: atqui intellectio actus quidã eſt: nequit ergo tribuere naturæ quod ſit intelligibilis; quæ eſt potentia quædam ad ipſam intellectionem recipiendam extrinſecè.

II *Probatur.* Secũdo. Sub eádem natura ſpecifica poſſunt multiplicari indiuidua: habet ergo natura ſpecifica aptitudinẽ, vt pluribus cõmunicetur: quia poſſe indiuidua ſub eádem natura ſpecifica multiplicari, & poſſe in illis naturã cõmunicari, vel ſunt prorſus idem, vel vnum ex alio neceſſariò ſequitur. Tandem B ſi in re nullum eſſet fundamentũ ad eſſe vniuerſale actuale vt benè infert noſter doctor q. 4. vniuerſalium in reſponſione ad 3. (vt vidimus) eſſet merum figmentũ: correſpondet ergo illi aliquid in re, á quo mouetur intellectus, ad cauſandam, & tribuendam illi talem intentionem.

Corolarium. Ex quo ſequitur naturam ex ſe non eſſe ſingularem; alias non poſſet intelligi, ſine ſingularitate; nequit enim res intelligi, ſine eo quod eſt ſibi eſſentiale. Vnde quia Deus ex ſe eſt eſſentialiter hoc indiuiduum ſingulare, non poteſt verè, & propriè concipi, ſine ratione hac indiuidua; atque adeò nulla ratione poteſt fieri vniuerſalis.

.II. *Concluſio.* Secunda Concluſio. In re tantum eſt aptitudo, ſeu fundamentum remotum ad eſſe vniuerſale formale. Sic expreſsè noſter Doctor multis in locis 7. meth. q. 18. ad quæſtionem, ait *eſt ergo natura in potentia remota* C *ad indeterminationem vniuerſalis*, & alijs locis infrà citandis.

Probatur. Probatur autem noſtra concluſio. Si natura in re eſſet fundamentum proximum vniuerſalitatis, ex vi ſuæ propriætatis præciſsè illam reciperet. Hoc porrò falſum eſt cum natura in re ſit contracta, & impedita per ſingularitatem.

Ad. Arg. Ad argumenta reſpondetur. Ad primum minor negatur ex dictis. *Ad. I.*

Ad. Cõfir. Ad cõfirmationẽ. Nihil cõtra nos, id enim libenter concedimus.

Ad. II. Ad ſecũdũ, ad ens rationis eſſe quidẽ in re aliqualẽ potentiã, ſaltim remotã. I. ſecundò

dò reſpõderi poteſt, potẽtiã illã naturæ directè, & per ſe terminari ad ens reale, ad cognitionẽ ſcilicet, quæ ꝓximè fundat ens rationis: indirectè verò, & quaſi per accidens ad ens rationis.

A

QVÆSTIO QVINTA QVOD ſit hoc fundamentum vniuerſalitatis.

QVÆSTIO hæc celebris eſt duas habẽs ſatis pugnantes opiniones; vnam Angelici, alteram ſubtilis Doctoris, & in hoc (meo videri) totum diſsidium poſsitũ eſt inter hos inſignes Doctores. Conueniunt enim in hoc, quod in rebus datur fundamẽtum aliquod vniuerſalitatis actualis, ratione cuius fundamenti, natura dicatur vniuerſalis in potentia, vt vidimus quæſtione præcedenti. Conſitit ergo tota difficultas in aſſignando hoc fundamento: an ſcilicet ſit aptitudo aliqua remota, aut indifferentia ſaltim, quam habet natura in re, ante intellectus operationem, ratione cuius moueatur intellectus ad cauſandam hanc actualẽ vniuerſalitatẽ; an verò aliquid aliud; & hoc eſt quod in ſchola Scotiſtarũ ſolet inquiri, an natura ſecũdũ id, quod habet ex ſe, habeat aptitudinẽ, & indifferentiã, vt per hanc, vel illam ſingularitatem contrahatur?

B

Opinio Thomiſtarum. Opinio ergo eſt communis Thomiſtarũ aſſerentiũ fundamẽtũ hoc, nõ eſſe aptitudinẽ aliquã, cõuenientẽ naturæ, prout a parte rei exiſtit; quã ita tenaciter defendũt, vt nõ tantũ rationibus labefactare, ſed etiã verborum contumelioſo ſtrepitu (vt multi illorũ aſſueſcũt) ſententiã ſubtiliſsimi Doctoris oppoſitã annullare conarentur, vt falſiſsimã, & ab omni phyloſophia & ratione alienã; accumulantque innumera argumẽtorũ tormenta, quibus ſe facilè, contrariam Scoticam ſtructuram arietaturos arbitrantur, & ſic probant.

I *Argumẽ.* Primò. Omne prædicatũ quod conuenit naturæ ſecundum ſe, conuenit illi in primo, aut in ſecundo modo dicendi per ſe, & quod ſic naturæ conuenit, in quocumque ſtatu illi conuenit: iſta aptitudo conueniens naturæ ſecundũ ſe, cõuenit illi, vt proprietas illius, etiam prout ẽſt in ſingularibus contracta: ergo conuenit omni indiuiduo talis naturæ; ſicut riſibile, & aliæ ſimiles proprietates: atq; adeò Petrus eſt hoc modo communicabilis ex illo communi proloquio, quidquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de omni cõtento ſub illo.

C

II *Argumẽ.* Secundò. Nunquã natura tribuit aptitudinẽ ad actũ omninò impoſibilẽ, cũ fruſtra ſit potẽtia, quæ nõ reducitur ad actũ, ſed eſt impoſibile, quod natura, quæ eſt in vno indiuiduo, vt humanitas, quæ eſt in Petro amittat hanc ſingularitatem, & acquirat aliam ſcilicet Pauli, vel ſimul, vel ſucceſsiuè vt cõſtat, cũ humanitas quæ eſt in Petro ſit iddẽtificata cum illo; vnde nec per Diuinam potentiam poteſt hoc fieri.

Cõfirmatur. Confirmatur. Natura quantumuis præciſſe ſumatur, vt eſt in re, eſt omnino ſingularis tum quia humanitas quæ eſt in Petro præſciſſè ſũpta: diſtinguitur realiter ab humanitate, quę eſt in Paulo etiã præciſſè ſũpta ſũt eñ vt ſic ſimiles realiter: atqui ſimilitudo extrema poſtulat diſtincta, ſed nõ diſtinguũtur genere, aut ſpecie: ergo numero. Prætereà illa humanitas, ꝓut diſtincta à ratione indiuidua eſt vna, nõ vnitate vniuerſali: ergo ſingulari; inter vtramque enim nulla media vnitas dari poteſt; ſicut nec inter cõmunicabile, & incõmunicabile, vniuerſale, & ſingulare.

.III. *Argumẽ.* Tertiò. Quando aliquid conuenit alicui per ſe, eius oppoſitum negatiuũ, nec per ſe, nec per accidẽs poteſt cõuenire; vt ſi homini per ſe cõpetit eſſe rationalẽ; nõ eſſe rationalem nec per accidẽs poteſt illi conuenire ſi ergo naturæ cõuenit perſẽ eſſe cõmunicabile, nec per accidẽs poterit eſſe ſingulare.

.IIII. *Argumẽ.* Quartò. Hæc aptitudo cum ſit proprietas naturæ cum illa identificata, ad illius multiplicatur: tot ergo ſunt aptitudines, quot indiuidua, atque adeò tot erunt vniuerſalia naturæ humanæ, ſeu tot ſpecies hominis; quot ſunt indiuidua; imò ſingula indiuidua erunt vniuerſalia.

.V. *Argumẽ.* Quintò. Nihil poteſt aliquid in ſe recipere, quin in ſe prius ſaltim ratione intelligatur exiſtere, cum cauſatio realis exiſtentiã realem cauſæ ſupponat; ſed ante principiũ indiuiduationis, non poteſt natura exiſtens intelligi: ergo non poteſt illud recipere niſi per mentis functionem.

Hoc ergo inter omnes Thomiſtas cõuenit, nullam in natura, prout eſt in ſingularibus eſſe aptitudinem, vel indifferentiã, ſiue proximam, ſiue remotam, ſiue poſitiuam, ſiue negatiuam, quæ per non repugnantiã declaratur; Prædictæ enim rationes, quæcumque aptitudinem in re, ſeu indifferentiã refellunt; ſed illam conuenire naturæ, ſola vi operationis intellectus cõſiderantis naturã ſine indiuiduis ꝓbãt, ex qua præciſsione ſequitur indifferentiam in natura, quam in re nequit habere propter omnimodam contractionem, & determinationem naturæ, tali indifferentiæ repugnantem. Ne autem illam indifferentiam fictam eſſe

aſſeuerare cogantur; cōſtituūt aliquod fundamentum illius in re. Si autem ab eis exigas, quod ergo eſt hoc fundamentum? Varie tibi reſpōdebūt. Fōſeca lib 5. Methaph. q. 3. & 4. aſſerit fundamentum hoc eſſe vnitatem vniuerſalitatis, cum aptitudine reali; cum diuerſæ naturæ diuerſas habeant aptitudines, vt ſint in his, & non in illis ſingularibus ſecluſa operatione intellectus, vt natura animalis, quod ſit in animalibus, nō verò in plantis. Fit ſubinde vt aptitudo hæc realis ſit. Tum etiam quia natura de ſe non eſt incommunicabilis multis, alias multiplicari nō poſſet in ſingularibus; de ſe ergo eſt communicabilis, quia communicabile, & incommunicabile ſunt contradictoriè oppoſita, reſpectu eiuſdē naturæ ſine medio: hanc tamen aptitudinem; & vnitatem, non habet natura in inferioribus; cum in illis talis vnitas vniuerſalitatis, & aptitudo, non poſsit multiplicari, vt benè probant argumēta ſupra poſita; ſed quatenus ordine naturæ prę- B cedit contractionem ſui ad particularia, antequam exiſtat: in illo ergo ſolo ſtatu talē aptitudinem ſortitur natura, quia actus eſſendi in pluribus, qui eſt fundamentum prædicationis de pluribus, eſt à parte rei ſecluſa operatione intellectus: ergo aptitudo ad talem actū, prioritate naturæ præcedit hūc actum contractionis, ſecluſa operatione intellectus; illam autē ammittit dum contrahitur, quia homo vt iam contractus ad ſingularitatem Petri, non eſt aptus vt diuidatur in Petrum, & Ioannem.

Sed modus hic explicandi hoc fundamētum diſplicet ferè omnibus Thomiſtis; & meritò ſanè. Tum quia quod naturæ per ſe & de ſe conuenit, eſt ab illa inſeparabile, & in quouis ſtatu illud retinet: habet ergo natura illam realem aptitudinem etiam in ſingularibus; vel dicendum eſt nec in illo ſtatu eam per ſe conuenire naturæ. Tum etiam quia non eſt aliquid ens reale, niſi in ordine C ad exiſtentiam realem, vel actualem, vel aptitudinalem: vnde id cui repugnat in re exiſtere, quo pacto ens reale erit? Sed ex ipſo Fonſeca aptitudo hæc nunquā exiſtit in re, imò repugnat ei exiſtere: implicat enim naturā exiſtere ſine contractione ad ſingulare, vt contra Platonem probatum eſt, quæ cōtractio pugnat per ſe cū tali aptitudine: nō ergo talis aptitudo eſt realis. Quapꝑter

Alij dicunt fundamētū hoc nihil aliud eſſe, quam eſſe intelligibile ſine ſingularitate, ſeu abſtrahibile à ſingularitate, ad quā ſufficit diſtinctio potentialis in re, quæ ſumitur ex diuerſis operationibus quæ reperiuntur in ipſa re.

A Alij dicunt hoc fundamentū in eo cōſiſtere quod vnumquodque indiuiduū v.g. naturæ humanæ talis eſt cōditionis, ſiue quia eſt finitæ & limitatæ perfectionis, & quodlibet illorū non includit totam perfectionē poſſibilē ſpeciei, ſiue quia eſt materialis naturæ, vt nō repugnet illi habere aliud indiuiduū ſimile in ſpecie, ex quo prouenit ſimilitudo realis in eſſentia inter plura indiuidua, quæ à nobis concipitur ad modū vnitatis, & idētitatis, in aliqua re multis communi. Naturā ergo cōmunem poſſe multiplicari in re; nihil aliud eſt, quam aſsimilatio inter ipſa indiuidua; & aptitudo naturæ communis à parte rei nihil aliud eſt, quàm non repugnātia ipſorum indiuiduorum, vt habeant alia ſibi ſimilia in eſſentia: in quo ſenſu datur aptitudo fundamentalis in natura à parte rei, vt conditio, & proprietas quædam naturalis ipſius naturæ.

Vt autem noſtri ſubtilis Doctoris ſententiam ſtatuamus. Primo obſeruare oportet. I
Notab. Quod ex his, quæ in compoſitione phyſica reperiuntur, manu ducimur ad intelligēda ea, quæ ſunt in cōpoſitione Methaphyſica, inter rationes ſuperiores, & inferiores: genus enim, & differētia, ſpecies, & differētia indiuidualis; ſimilitudinem quandàm materiæ, & formæ habent; quatenus inter ſe, vt duæ partes ad vnam conſtituendam vel ſpeciem, vel indiuidum coeūt: vt rectè Porphyrius. c. de differentia. Sicut ergo in compoſito phyſico dupp liciter dicitur materia prima in potentia ad formam aliquam primò remotè, ſecundò proximè: hæc enim materia v.g. ligni, ad huc ſub forma ligni exiſtens eſt in potentia ad alias formas, vt ad formā ignis &c. Sed talis potentia remota eſt cū ſit impedita per formam ligni: ſi verò expellatur talis forma erit in potentia proxima ad formam ignis: potentia ergo remota dicitur, quæ aliquo impedimento eſt ligata: proxima verò, quæ ab omni impedimēto libera eſt; ſic in propoſito aliquātulū phyloſophari libet, licèt non omnino eodē modo, natura humana, quæ exiſtit in Petro aptitudinem habet ex ſe, ideſt ex propria ſua ratione, ad hoc, ꝙ cōmunicetur Paulo; iſta tamē pōa, & aptitudo remota eſt cū ſit impedita ſingularitate Petri; erit tamen proxima, cum per intellectum ab illa fuerit denudata. Ex quo prouenit quod cū natura cōparetur ad vniuerſalitatē, ſicut materia in ordine ad formā duplex poteſt in illa cōſtitui

potentia

potentia ad eſſendum vniuerſale: vna remota, quam ſcilicet habet natura exiſtés ſub ſingularitate, quia ea ſuppoſita ad actum vniuerſalitatis reduci nequit: cũ talis actus ad ſui quaſi introductionem expulſioné ſingularitatis, cum qua repugnat, prærequirat. Alia verò proxima, quam nempe habet natura, vt dicit præſciſsionem à ſingularitate, quam habet ex vi abſtractionis per intellectum.

·II· *Notab.* Secundò eſt obſeruãdum. Quod cum iſtæ rationes ſuperiores, & inferiores nõ ſint entitates ad inuicem ſeparabiles, ſicut materia & forma; ſed tantùm quædã realitates, rationes vè formales, aut cõceptibilitates, eiuſdem entitatis, nec in illis reperitur vera & propria ratio potẽtiæ receptiuæ, ſicut in materia phyſica; ſed tantum ſecũdùm quid, & ſimilitudinariè, atque adeò in illis non datur vera, & propria cauſatio receptionis, & informationis; ſed coeunt in vnum per identitatem; vnde aptitudo hæc indeterminatio indifferẽtia, aut nõ repugnãtia appellatur.

·III· *Notab.* *Lichetus* *Baſolis.* *Niſa.* *Rada.* Tertiò nota. Cum omnibus Scotiſtis, Licheto, Baſoli, Niſa & alijs in 2. ſent d. 3. q. 1. Doctiſsimo ac Reuerendiſsimo Magiſtro D. Ioanne de Rada tomo. 2. controuerſi. controuer. 3. art. 1. notab. 2. Indeterminationé hanc naturæ, poſſe dupplicíter ſumi, vel priuatiuè, vel poſitiuè, de indeterminatione poſitiua, poſtea erit ſermo; hanc enim habet natura per operationem intellectus, eſtque contraria determinationi ſingularitatis, quia dicit abſtractionem ab omni ſingularitate, atque adeò ſe habet ad quodcũque ſingulare indifferenter, & omnia æqualiter reſpicit. Indeterminatio priuatiua eſt ſecundum quam natura ex ſe non eſt determinata.

·IIII· *Notab.* Quartò. Tandem notandum eſt proprietates conuenientes naturæ ex ſe in ſecundo ſcilicet modo perſeitatis, eſſe in dupplici diſcrimine, quædam conueniunt illi ſecundùm id, quod indiuiduis communicat, & hæc indifferenter ſe habent, tam reſpectu naturæ, quam reſpectu indiuiduorũ, & de vtriſque prædicantur; aliæ verò conueniunt naturæ, ſcilicet vt natura eſt, nõ ſecundum id quod cõmunicat indiuiduis, ſed ſecundum id, ſub cuius ratione diſtinguitur, & quodãmodo repugnat indiuiduo vt ſic, vt eſſe fundamentũ ſimilitudinis, & cõueniẽtiæ; ſicut etiã quædã cõueniũt indiuiduo vt ſic, quæ repugnãt naturæ, vt eſſe incõmunicabile: habemuſq; aliquale exẽplũ in Diuinis: eſſentię enim Diuinæ conuenit communicabilitas, quæ non cõuenit perſonæ, inquãtũ perſona eſt: cũ potiꝰ vt ſic, ſit incõmunicabilis: poteſt ergo intelligi aliquid cõuenire naturæ, vt ſic quod tamen non conuenit indiuiduo vt ſic.

Prima Conclusio ſit. Natura etiã in particularibus exiſtens, habet indifferentiam, vt poſit per hanc, vel illã rationẽ particularem determinari; quæ concluſio de quacumque ratione ſuperiori reſpectu differentiæ, ſiue eſſentialis, ſiue numericæ procedit. Hæc eſt ſententia expræſſa noſtri Doctoris, multis in locis lib 7. Met q. 13. §. intelligedũ vbi ſic *In Sorte enim non ſolũ ſecundùm conſiderationem intellectus, ſed ſecundùm ordinẽ naturalẽ perfectionũ vnitiuè contentarum, prius eſt animal, quam homo, & homo quam hic homo, quod patet ex operationibus proprijs, & homini ſecundùm proprium gradum naturaliter priorem gradu ſingularitatis, non repugnat in multis eſſe; quia in ipſo vt ſic nihil continetur per quod repugnet ſibi* Et q 18 in 1. parte quęſtionis. §. ad quæſtionem igitur, explicando dictum Auicenæ in. 5. Meth c. 1. quòd *natura de ſe non eſt vniuerſalis, nec particularis, ſed tantum natura* Sic ait. *Iſta indeterminatio eius eſt priuatiua* Et in 2. ſent d. 3. q. 1 §. ad quæſtionem cuiꝰ verba placet adducere *Et dico quod ſubſtantia materialis ex natura ſua non eſt de ſe hæc, quia tũc, ſicut deducit prima ratio, nõ poſſet intellectus intelligere ipſam ſub oppoſito &c.* Et poſteà ſubdit. *Aliqua eſt vnitas realis in re, abſque omni operatione intellectus, minor vnitate numerali, ſiue vnitate propria ſingularis, qua vnitas eſt natura ſecundũ ſe. & ſecundùm iſtam vnitatem propriam naturæ, vt natura eſt: eſt indifferens ad vnitatem ſingularem;* Et tandem concludit. *Itaque non repugnat illi vnitati de ſe, quod cũ quacumque vnitate ſingularitatis ponatur.* Tenẽt cũ Scoto omnes eius diſcipuli Lichetus Baſolis, Bargius, Nicolaus de Niſa, Rada, Herrera, ibi. Antonius Andreas 7. Meth. q. 16. Ioãnes Canonicus fideliſsimus Scoti interpres libr. 1 Phyſi. q. 6. artic. 3. & Franciſcus de Marchia in expoſitione huius q.

Leichetus. *Baſolis.* *Iacobinus Bargius.* *Nicolaus de Niſa.* *Ioanes de Rada.* *Frãciſcus de Herera* *Antonius andreas.* *Ioanes Canonicus* *Frãciſcus de Marchia.*

Probatur autem Cõcluſio hac ratione deſumpta ex noſtro Doctore: vnitas formalis naturæ, non eſt ex ſe indiuidua (vt ſupra probatum eſt) ergo etiam in re ipſa ex vi ſuæ vnitatis formalis, natura non eſt incommunicabilis; cum hoc habeat ex vi vnitatis indiuidualis: ergo ex vi vnitatis formalis habet hanc indifferentiã, ſeu non repugnantiã, vt determinetur, quantũ eſt ex vi ſuæ rationis formalis per hanc, vel illam ſingularitatem, & hæc ratio maiorẽ vim habet

ſuppoſita

ſuppoſita diſtinctione formali, & ex natura rei inter naturã, & rationẽ indiuidualẽ, quã licèt, à rebus ſpiritualibus ferè omnes Thomiſtæ excludãt: In qua doctrina, in ipſa natura angelica nullum datur fundamentum vniuerſalitatis; multi tamen ex Thomiſtis eam concedunt in rebus materialibus. Præterea in ipſis indiuiduis per vos datur aptitudo eſſendi in multis fundamentaliter & remotè, ſeu fundamentũ remotũ formalis aptitudinis eſſendi in multis; & illud eſt cõditio naturalis, ſeu proprietas talis naturæ, ratione cuius nõ repugnat tali naturæ eſſe in multis. ſed hoc non conuenit naturæ, ratione indiuidualis differentiæ, cum in indiuiduis vt ſic, potius reperiatur fundamentũ oppoſitæ repugnantiæ eſſendi in multis: indiuidua enim formaliter vt talia ſunt, ſunt primò diuerſa: ergo illis vt ſic repugnat habere aliud ſimile in ſpecie: tale ergo fundamentum indifferentiæ, ſeu non repugnãtiæ conuenit naturæ, vt natura eſt, ex vi ſcilicet ſuæ vnitatis formalis, ratione cuius licèt natura ſit (vt ſubtiliter docet Scotus) determinata in quolibet indiuiduo ad illud tãtum, ita tamẽ eſt in illo vt ex vi ſua nõ repugnet eſſe in alio, átque adeò ex vi ſua dicit hanc indeterminationem, & non repugnantiam. Tandem ideò intellectus non poteſt concipere Petrum in quantùm eſt indiuiduum vt commune aptum eſſe in multis, quia vt ſic non habet de ſe hanc indifferentiam; ſi ergo concipit naturam vt cõmunem aptã eſſe in multis, ideò eſt, quia in ipſa hanc indifferentiam, quæ fundamentum eſt iſtius aptitudinis comperit. Multas alias rationes congerũt Scotiſtæ, ſed prædictæ nobis ſufficiant, vtpote quæ fundamentum continẽt noſtri Doctoris.

II. Concluſio. Secunda Concluſio. Hæc indifferẽtia quã natura habet in ipſis indiuiduis, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hæc ſic explicatur. Indifferentia poteſt ſumi dupppliciter, vel ſecundum quid, quando licèt ex vna parte non repugnet naturæ communicari indiuiduis, ex alia tamen parte illi repugnat: indifferentia verò, ſeu non repugnantia ſimpliciter, quandò ex nulla parte pluribus cõuenire repugnat naturæ, neque ex ſe, neque ex indiuiduis. Primã habet natura in quolibet indiuiduo contracta, quia naturæ humanæ in Petro licèt ſecũdùm ſuam eſſentiam, non repugnet multis cõmunicari, ex parte tamen differẽtiæ indiuidualis, cũ qua idẽtificatur, repugnat illi talis cõmunicatio. Secundam verò indifferentiã habet natura in ſolo intellectu; cum in ſolo illo habeat abſtractionẽ ab indiuiduis. Et in hoc ſẽſu intelligendũ eſt, quod diximus, aptitudinẽ eſſendi in multis, quam natura habet à parte rei in indiuiduis eſſe remotam; proximam verò in intellectu. Quod autem hic fuerit ſenſus noſtri Doctoris, ipſe manifeſtis indicat verbis, quæſtione illa citata 18. libr. 7. Metaph. §. ad quæſtionem: quæres, quæ ſit cauſa illius indeterminationis quam habet natura in intellectu? Reſpondet *non ſola res, quia non eſt eius in ſe tanta indeterminatio*, & paucis interpoſitis ſubdit, *intellectus igitur concurrens cum natura aliquomodo indeterminata ex ſe, eſt cauſa integra effectiua obiecti in intellectu poſsibili ſecundùm eſſe primum, & hoc ſecundùm completã indeterminationẽ vniuerſalis*, & paulò poſt *Et iſta indeterminatio eius eſt priuatiua, alia verò maior, quæ eſt vniuerſalitas cõtraria.* Ecce quomodo indifferẽtiã quã habet natura in intellectu, vocat cõpletã, quia ex vtraque ratione, nõ eſt repugnãtia, vt dictũ eſt.

III. Concluſio. Tertia Cõcluſio. Cõſimilẽ indeterminationẽ, indifferentiã, ſeu non repugnantiam negatiuã habet natura reſpectu vniuerſalitatis. Sic noſter Doctor loco citato 2. lib. Sẽt. vbi ſic: *Non ſolum autem ipſa natura eſt de ſe indifferens, ad eſſe in intellectu & in particulari, & per hoc ad eſſe vniuerſale, & ſingulare,* Et in quæſtione illa. 18. 7. Methaphy. *Eſt ergo natura in potentia remota ad determinationem ſingularitatis, & ad indeterminationem vniuerſalis, & ſicut à producente coniungitur ſingularitati, ſimiliter ab intellectu coniungitur vniuerſalitati.*

Ad argumentum. Reſpon. Ex dictis, argumẽta oppoſita non erit difficile ſoluere; omnia enim illa præuidit Scotus, & ſibi oppoſuit, ac ſatisfecit.

Ad. I. Ad primum. Indifferentiam quidem illã habere naturam, etiam in indiuiduis, quaſi paſsionem ab illa inſeparabilem. Ad id verò, quod dicitur inferrè ex notab. 4. quod talis indifferentia conuenit naturæ vt ſic, ratione ſuæ fœcunditatis, quæ non cõuenit indiuiduis vt ſic. Hæc ergo erit regula obſeruãda: quod quando indiuiduum ex ſua propria ratione habet aliquid oppoſitũ ꝓprietati naturæ cõmunis vt ſic, tũc nõ poteſt illi attribui talis ꝓprietas, benè tamẽ quãdo nõ eſt repugnans propriæ rationi indiuiduali.

Ad. II. Ad ſecundũ. Maiorẽ verã quidẽ eſſe de vera, & ꝓpria actione, põa, & aptitudine ad recipiẽdũ, l. eliciẽdũ aliquẽ actũ; qualis eſt põa phyſica; nõ verò de aptitudine Methaph. & ſecũdũ quid, fũdata in prædicta nõ repugnã

tia ex

tia ex parte ſui, licet enim ex parte ſui, non repugnet, repugnat tamen ex parte cōtradictionis per differentiam indiuidualem, cum qua identificatur, vt bene ait noſter Doct. 7. illo Metaph. q. 13. §. intelligendo. *Et ita ſtat in ſeparabilitas propter continentiam vnitiuam, in mutatione enim oportet ſubiectū realiter differre ab vtroque termino.* Vnde cum dicitur natura Petri eſt indifferens ad ſingularitatem Pauli: ergo poteſt à Deo ſub illa poni; negatur conſequentia: procedit enim argumentum à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Naturæ licet ſecundū quid id eſt, quantum eſt ex ſe nō repugnet determinari, ſimpliciter tamē repugnat. Cum ais fruſtra eſt potentia quæ non reducitur ad actum. Diſtinguo, quæ nullo modo reducitur concedo, quæ aliquo ſaltim reducitur, nego: vt omnis homo naturaliter ſcire deſiderat: non tamen requiritur, quod actus talis appetitus in quocumque homine reperiatur: nec reſpectu cuiuſcumque obiecti. Sic vt aptitudo naturæ non ſit vana, non requiritur quod per omnes differentias indiuiduales determinetur, ſed ſufficit, quòd in aliquo impleatur per vnam ſcilicet, cum qua identificatur.

Ad. Conf. Ad Confirma, egregiè ſatis Reſpondet Doctor loco dudum commemorato, aſſerens diuerſum prorſus eſſe, naturam ſumi præcisè, aut in re. in re enim licet natura ſit à ſingularitate formaliter diſtincta, non tamen præciſa (hoc enim habet in intellectu) ſed potius per illam determinata. *Si ergo* (ait Doctor) *loquamur realiter, humanitas quæ eſt in ſorte, non eſt humanitas quæ eſt in Platone, & eſt realis differentia in differentiis indiuidualibus vnitiuè contentis inſeparabilibus* i. diſtinguuntur realiter per differentias indiuiduales cum quibus realiter identificātur *Si autem ſumatur vt præciſa à differentiis indiuidualibus, ſicut nec natura intelligitur vna maxima vnitate in ſe.* i. non intelligitur ſingularis *ſed tantum illa vnitate minorique eſt communis, ſic nec eſt diuiſa ab humanitate Platonis diuiſione numerali, cum ab illa præcindat, nec ſpecifica, cum conueniat in principiis eſſentialibus. erunt ergo idem vnitate ſpecifica.*

Ad. III. Ad tertiū reſpōdeo primò, negādo minorem cū noſtro Doct. q. 18. ſuæ metha. lib. 7. §. quo ad ſecundum membrum vbi ſic: *determinatum, & indifferens non habet oppoſitione repugnantiæ in indiuiduo, quia non inſunt ei ſecundum idem, quia vnum ſecundum vnū eſſe, & aliud eſſe: tātum ergo oppōnūtur in ſuis rationibus formalibus.* Et eſt manifeſta inſtātia in materia & forma in cōpoſito, illa dicit in determinationē, hæc determinationē reperiuntur tamen in eodem compoſito, ſimiliter eſſe vnū numero, & non eſſe vnū numero, eſſe fundamētum ſimilitudinis, & nō eſſe fundamentum ſimilitudinis, ex ſe ſunt oppoſita, & tamen natura ſecundum ſe, nō eſt vna numero, & eſt fundamentū ſimilitudinis; vt indiuidua verò, eſt vna numero, & non eſt fundamentum ſimilitudinis.

Alia reſponſio. Vel reſpondetur & ferè in idem recidit: diſtinguo maiorem ſub eadem ratione formali qua illud per ſe conuenit cōcedo, ſub diuerſa ratione formali nego. Cum ergo natura ex propria ratione formali ſit indifferens, ex eadem ratione formali nec per ſe, nec per accidens eſt principium determinationis. Vel tandem quòd illa maior vniuerſaliter intellecta eſt falſa, aqua enim per ſe eſt frigida, cum frigiditas per vos ſit paſsio aquæ, & tamen per accidens poteſt calefieri & materia prima per ſe eſt indifferens, per accidens tamen eſt determinata.

Ad. IIII. Ad 4. Concedo primam conſequentiam, & nego ſecūdam, quia ad rationem vniuerſalis requiritur omnimoda indifferētia per abſtrationem ab indiuiduis, vt dicemus.

Ad. V. Ad. 5. Ex ſupradictis, illud eſſe verū de vera potentia phyſica, quæ verè induit recipiendo.

QVÆSTIO VI. NVM NAtura in re actu ſit ac formaliter Vniuerſalis.

CVM duo claudat vniuerſalitas in ſua ratione vnitatem nimirum, ac eſſendi in multis aptitudinē, idem ſane eſt peruestigare, ſit ne natura in re vniuerſalitate prædita, ac num illam habeat vnitatem ac aptitudinem ex quibus vniuerſalitas eſſentialiter coaleſcit.

I. Opinio. Quatuor ſunt in illa opinantiū claſſes. Prima aſſerentium obnixè, naturam in re exiſtentem actu eſſe vniuerſalitate affectam ac pro in ante omnem mētis opem actu & formaliter eſſe vniuerſalem, in eamque tam iſtius placiti aperti ſectatores, quā Thomiſtæ ſubtilē Doct. (inuita vt aiunt Minerua) inflectere contendunt. planèq; id pleriq; ex Scotiſtis libenter admittunt; quinuſquam cū Thomiſ conſentire iuraſſe videntur, niſi in his in quibus fidē habemus magiſtram orthodoxorū mentes quantūuis diſsidētes in ſuis dogmatibus firmiſsima pace conſiliatſ. *Venetus. Rodolphus Aſculani. Ant. And. 7. met. q. 16*

Primum. Quia id ſaltim expreſſe, & neceſſariò videtur ſequi ex ſententia noſtri Docto

Doctoris, qui vnitatē admittit à parte rei minorem vnitate numerali, & indifferentiam in natura ad eſſendum in multis, quid quæſo amplius ad rationem vniuerſalis?

II. *Argu.* Secundò. Natura, quæ eſt in Petro, & natura quæ eſt in Paulo ſunt ſimiles inter ſe, ſicut duo alba: ergo in illis reperitur relatio ſimilitudinis, ſed hæc fundatur in vnitate poſitiua communi illis, cum ſimilitudo hæc poſitiua ſit, quia ponit entitatem poſitiuam in rebus ſimilibus. Tum etiam quia relatio ſumit ſuam realitatem, & radicem à fundamento: relatio ergo poſitiua in vnitate poſitiua fundatur.

3. *Argu.* Tertiò, de eſſentia vnitatis eſt indiuiſio, vt ex ipſius diffinitione conſtat, vnum eſt indiuiſum in ſe, ſed natura humana in Petro & Paulo eſt indiuiſa ſpecie cum non ſit eſſentialiter diuiſa, ergo vna vnitate ſpecifica atque adeo vniuerſalis ab inferiori ad ſuperius. nec enim obſtat quod ſit numero diuiſa, quia multitudo oppoſita vnitati naturæ eſt multitudo in natura, & non multitudo numeralis, quæ ſolum vnitati numerali opponitur, ergò illa vnitas & hæc multitudo non ſunt in compoſsibiles, ſed diſparatè ſe habent, & vna per aliam non deſtruitur, ſi enim coniunctio ad indiuidua tolleret vnitatem ſpecificam, nec per intellectum poſſet fieri vniuerſale, cum natura ad huc in re maneat materialiter multiplicata, nec per intellectum fit vna numero, ſed tātum vna ſpecie.

Confirma. Confirmatur. Petrus, & Paulus in ratione hominis ſunt formaliter indiſtincti, ſed ea quæ nō differūt, ea ratione, qua nō differūt, cōueniūt in aliqua vnitate cōmuni illis.

Dices quod fundamentaliter. Vrgeo, illa eſt ratio formalis formaliter vna quæ in ſe eſt indiſtincta formaliter, & diſtincta formaliter à quauis alia. Sed Petrus & Paulus habent rationem eſſendi formalem viuendi, ſ. rationaliter & negationem cuiuſque alterius rationis eſſendi formaliter á ſe diſtinctæ.

Si rurſus reſpondeas Petrum & Paulum eſſe quidem inter ſe vnum formaliter non quidem poſitiuè cum non ſit aliqua natura quæ eadem omnino manens exiſtat in ſingularibus, ſed tantum vnitate negatiua. Oppono ſic, vnitas formalis non aliter poteſt rebus cōuenire quàm per diuiſionis negationem, & vt ſit vna ſpecie poſitiuè nō requiritur quòd ſit eadem indiviſa numero, hoc eſſet myſteriū Trinitatis. ſed ſpecie.

Quartò. Aptitudo, quæ conſtituit vniuerſale formaliter, eſt per modum cuiuſdam potentiæ paſsiuæ, vt natura cōmunis informetur à pluribus differentijs, aut ſpecificis aut indiuidualibus, ratione cuius dicitur cōmunicabilis pluribus poſitiué; ſed hæc datur à parte rei (vt ex ſupra à nobis conceſsis conſtat) cum à parte rei ſit contrahibilis, & determinabilis vt dictum eſt. Nec enim obſtat quod ſit in re contracta per differentias. Tum quia hoc ipſum etiam habet natura quæ obiectiuè eſt in intellectu, quod in re eſt determinata, Tū etiam quòd cum hac contractione ſtat per nos diſtinctio formalis ex natura rei.

Secunda ſententia præcedētem veluti temperare conatur: aſſerit enim, naturam ante omnem intellectus conſiderationem actu, & formaliter vniuerſalem eſſe, non quidem vt exiſtit in indiuiduis, ſic enim eſt contracta, ſed in priori illo antequam contrahatur ad indiuidua; quia natura in illo priori habet vnitatem, & aptitudinem eſſendi in multis: ergo & vniuerſalitatem. Hanc latè explicat & defendit D. Fonſeca eſt tamen ſupra ſufficienter impugnata: ſi enim talem vniuerſalitatem implicat in re exiſtere, eſt ergo impoſsibilis. Impoſsibilitas enim rei per ordinem ad exiſtentiam venari debet. II. *Senten* *Fonſeca.*

Tertia eſt Magiſtri Soto q. 2. vniu. aſſerentis, naturas quidem in re non eſſe actu vniuerſales, dici tamen veré genera & ſpecies. Sed hunc Soti logizandi modum prorſus eſſe in intelligibilem fatetur Sanchez, aut enim ſunt formaliter genera & ſpecies, ergo & formaliter vniuerſalia, quia ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè efficaciter concludit Argumentum, vel fundamētaliter, ſic vtique dātur vniuerſalia in reb9. III. *Sent.* *Soto.*

Quarta Tandem Sententia vniuerſale formaliter intellectus opificio fieri fatetur, & quidem re bene perpenſa vt eruditè noſter Rada nouiſsimus ac fideliſsimus Scoti interpreſ. in 2. controu. 3. animaduertit cum alijs Sapientiſsimis Scotiſtis nulla eſt inter Doctores Angelicū & Subtilem diſſentio. 4. *Senten.*

Vt autem dilucidam proferamus huiuſce rei veritatem Seriò adnotare oportet, bifariam poſſe aliquid dici vnum, vno modo abſolutè in ſe, quia nempe in ſe eſt Indiuiſum, ſic vidimus iam naturā v. g. humanā in ſe ſpectatam, ſuam vnitatem formalem habere in quolibet indiuiduo, de qua eſt verum, quod dixit noſter Doctor de ipſa natura, de ſe neque eſſe ſingularem, nec vniuerſalem, ſed vtrumque aduenire illi per accidens, licèt numquam ſit ſine aliquo iſtorū I. *Notabi.*

atquè

atque adeò nõ eſſe hãc vnitatẽ propriã rei ſingularis in quantũ ſingularis, nec propriã rei vniuerſalis vt ſic, ſed eſſe propriã ipſius A naturæ, quæ vel eſt ſingularis in re, vel vniuerſalis in intellectu: alio modo quatenus cum alio confertur, & ſic quæri poteſt an ſcilicet quatenus Petrus cum Paulo confertur detur aliqua natura illis communis, vnitate communi vtrique indiuiduo.

2. Notab. Præterea notandum eſt. Dupliciter poſſe dici commune aliquid vel poſitiuè, vel negatiuè. Illa res diciturcommunis poſitiuè, quæ vna & eadem indiuiſa in pluribus reperitur; & hac ratione ſola eſſentia Diuina dicitur communis tribus Diuinis perſonis; illa verò dicitur communis negatiuè, quandò ſcilicet plura dicuntur conuenire, non quia conueniunt in aliqua natura indiuiſa in illis, ſed quia non diſtinguũtur per principia formalia: & totidem modis dicitur aliquid vnum; vel poſitiuè quandò ſcilicet plura participant aliquid reale, quod vnum & indiuiſum manet in participanti- B bus, vel negatiuè per prædictam non diſtinctionem; vnitas enim poſitiua, per poſitiuũ aliquod conſtituitur, vnde nõ meram negationem pro formali importat. ſit.

1. Conclu. Prima concluſio. Ante omnem operationem intellectus datur aliqua cõmunitas, & vnitas, qua vna natura v.g. humana quæ eſt in indiuiduo, comparata cũ alia, quæ eſt in alio, dicuntur conuenire, & eſſe vnum. Hæc eſt noſtri Doctoris locis citatis, quã probat in 2. d. 3. q. 1. quinque rationibus, quas optime explicant ipſius diſcipuli ibidem Tataretus, Lichetus, & alij: quæ ſi bene expẽdantur, non procedunt de ſola illa vnitate formali, quã, quælibet natura habet in ſuo indiuiduo, ſed de vnitate & cõuenientia, quam habent illæ naturæ ſingularizatæ inter ſe, quam vnitatem, ſpecificã vocat noſter Doctor, ſed vt ſtatim explicabitur ſecũdum eius mentem. Probatur autem concluſio ſic vni C uerſaliter intellecta.

Tatareto. Lichetus

1. Probat. Primo, quia ſine tali vnitate non poſſunt ſaluari multa, quæ communiter dicuntur, & ab Ariſtot. edocẽtur quia ex Ariſt. 2. Phyſ. in ſpecie athoma fit cõparatio, quia eſt vna natura, non verò in genere, quia non habet talem vnitatẽ, ex quo ſic colligit noſter Doctor; Ariſ. nõ loquitur đ vnitate rationis alias enim, ita perfectè poſſet fieri cõparatio in genere ſicut in ſpecie, cũ genus ita dicat vnitatẽ rationis ſicut ſpecies ſpecialiſsima; cũ ratio generica per intellectũ preciſa habeat rationem vniformẽ ęqualiter a pluribus participabilẽ, tum etiã ex Ariſt. c. de ad aliquid relationes ſimilitudinis cum dentur à parte rei ſunt reales: ergo fundãtur in vnitate nõ ſingulari quia vt ſic ſunt primò diuerſa: ſed in alia aliquomodo cõmuni illis: Tum etiã quia ex Ariſt. 7. Metaph. tx. 39. *Unum numero non diffinitur*, Diffinitio enim eſt naturæ communis. Item in rebus dantur aliquæ generationes vniuocæ: fundantur ergo in aliqua vnitate communi.

2. Probat. Secũdò ꝓbat. Diuiſio formaliũ vnitatũ nõ ex parte ipſarũ, ſed ex parte differentiarũ cõtrahẽtiũ fit: vt vnitas ſpecifica non diuiditur per differentias ſpecificas, ſed numericas; & generica non per genericas, ſed per ſpecificas: ergo iſtæ vnitates formales non ſunt ex ſe diſtinctæ, habent ergo inter ſe aliquam conuenientiam, & vnitatem.

Cõfirmat. Confirmatur, à Petro, & Paulo eſt abſtrahibilis natura communis ſpecifica, quæ non poteſt abſtrahi à Petro, & lapide, abſtractio autem fit à conuenientibus vt ſic, relictis differentijs: datur ergò in re aliqua vnitas conuenientiæ.

2. Conclu. Secunda Concluſio. Hæc conuenientia, & vnitas nõ eſt poſitiua in aliqua ſcilicet natura poſitiua, quæ éadem ſit indiuiſa in indiuiduis, ſed negatiua per nõ diſtinctionẽ; quæ ab aliquibus vnitas, & cõmunitas fundamẽtalis, ſeu virtualis appellatur; hãc tenẽt multi Scotiſtæ, ſic Ioannes Canonicus fideliſsimus Scoti interpres lib. 1. Phyſic. q. 6. art. 3. & Franciſcus de Marchia in expoſitione huius quæſtionis qui affirmãt nullibi Scotum voluiſſe aliquam vnitatem poſitiuam cõmunem ponere, quod ego certiſsimum reputo vt eſt videre in omnibus locis, in quibus de vniuerſali differit noſter Doctor. In. 1. enim Metaph. q. 6. §. Duo igitur, ſic ait *Unitas obiecti ſenſus, non eſt aliqua vnitas vniuerſalis in actu, ſed aliquid vnum alia vnitate priori, ſcilicet realiá, qua mouetur intellectus ad cauſandum aliquid cõmune abſtractum ab hoc, & illo ſingulari eiuſdẽ ſpeciei magis quã diuerſarũ: aliter vniuerſale eſſet fictio ſolũ; circũſcripto enim intellectu illud albũ magis cõuenit cũ alio quã cũ aliquo alterius generis: vnde dico quod illud vnũ reale precedẽs ante intellectũ eſt vnũ in multis, nõ tamẽ de multis, ſed fit vnũ đ multis per intellectũ, & tũc eſt vniuerſale, prius nõ, quia ex. 1. Poſter. ambæ cõditiones requiruntur ad vniuerſale*, Ecce quomodo hanc vnitatẽ ait eſſe diſtinctã ab vnitate vniuerſalis in actu, fundamẽtũ tamẽ illius. Eſt ergo ſecundum Doctorẽ vnitas fundamẽtalis, & illam dicit eſſe vnam in multis, id eſt diuiſam in multis

Ioanes Canonicus. Frãciſcus đ March.

multis, non tamen de multis ideſt, non eſſe vnam in diuiſam poſitiuè de multis prædicabilem, ſed hoc fit per intellectũ, vt ſe magis explicat locis concluſione ſequẽti citandis; & in eadẽ quæſtione propè finem quæſtionis, loquendo de hac vnitate, ſic ait. *Principium enim potentiale materiale, non dicitur primò eſſe idem formarum talis generis, vt genus eſt aliqua intentio cauſata ab intellectu, ſed tantummodò formarum habentium vnam naturam tali vnitate reali, quæ ſit fundamentum vnitatis generis quando intellectus illam naturam conſiderat*, & in. 7. Meth. q. 3. hanc vnitatem in negatione differentiæ conſiſtere docet. ¶ Alia reſponſio, vbi ſic. *Natura eſt vna quia non diuiſa in naturas ſpecificas.* §. ad Damacenum; *comparatio non eſt illorum in quantum habent differentias indiuiduales, ſed ſecundum gradus eiuſdem naturæ, quorum differentia in intentione, & vnitas in non de ſe differre procedit naturaliter hoc, & hoc*; & in Teorematibus ait. *Naturam non eſſe vnam per inexiſtentiam ſed per indifferentiam*, & idem docet in. 2. d. 3. q. 1. vbi docet illam vnitatẽ non eſſe veram vnitatem, littera enim F. ſic ait, *nihil enim ſecundum quamlibet vnitatem in re eſt tale, quod ſecundum vnitatem præciſſam ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum, vt dicatur de quolibet ſuppoſito, prædicatione dicente hoc eſt hoc, quia licèt alicui exiſtenti in re non repugnet eſſe in alia ſingularitate ab illa in qua eſt; non tamen illud verè dici poteſt de quolibet inferiori; quòd quodlibet eſt ipſum; hoc enim ſolum eſt poſibile de obiecto eodem indifferenti actu cõſiderato ab intellectu quod quidem vt intellectum habet etiam vnitatem numeralem obiecti ſecũdum quam ipſum idem eſt prædicabile de omni ſingulari dicendo quòd hoc eſt hoc.* Ecce quam apertè noſter Doctor aſſerit vnitatem quam natura habet in re non eſſe talem, qualis eſt in vniuerſali in actu: hæc enim vt ipſe ait, eſt quæ cõſtituit naturam vnam, & eandem de multis prædicabilẽ, vt benè explicat magiſter Rada loco ſupra citato; naturæ ergò exiſtenti in ſingulari ſecundum quid & remotè nõ repugnat eſſe ſub hac vel illa ſingularitate, abſolutè tamen, & ſimpliciter repugnat, propter identitatem, cũ hac ſingularitate & idẽ Scot. paulò infra clariùs exprimit littera H. ſic, *hanc communitatem quam dicimus eſſe in re, non habere illam vnitatem, ſecũdum quam ipſum idem aliqua identitate eſt prædicabile de quolibet indiuiduo, ita quòd quodlibet ſit ipſum*, Et paulò infra littera I. Tamquàm maximum inconueniens infert dari in re aliquam entitatem realem vnam, & eãdem in pluribus, ſic: *manifeſtum eſt quod nul*
A *lum vniuerſale in creaturis eſt realiter vnum, hoc enim ponendo, eſſet ponere quod aliqua natura creata, non diuiſa prædicaretur de multis indiuiduis prædicatione dicente hoc eſt hoc; ſicut dicitur Pater eſt Deus, & filius eſt idem Deus. Tamen in creaturis eſt aliquod commune vnum, vnitate reali minori vnitate numerali, & illud quidem commune non eſt ita commune, quod ſit prædicabile de multis.* Et ſubdit paulò infra rationem cur non ſit prædicabile, quia ſcilicet eſt determinatũ de facto.

Probat autem ſic Franciſcus de Marchia, *1. P. Prob.* & quidem efficaciter, quod ſcilicet iſta vnitas non ſit poſitiua, ideſt naturæ, quæ vna & eadem indiuiſa manẽs, dicat omnimodam indifferentiam. Nullum diuiſum actu in aliquam eius vnitatem, remanet vnum poſt factam diuiſionem, illa eádem vnitate ſecundum quam diuiſum eſt. Omnis enim diuiſio tollit vnitatem aliquam à diuiſis, ſed natu-
B ra ſpecifica eſt diuiſa in indiuidua ſecũdum vnitatem ſpecificam: ergo natura ſpecifica diuiſa in indiuiduis, nõ remanet vna ſpecie in eis: probatur minor, quia de ſe non habet vnitatem numericam, qua diuidatur: ergo ſecundum vnitatem ſpecificam.

Secunda pars quod ſcilicet ſit aliqua vni- *2. P. Prob.* tas vel negatiua, quæ explicatur per nõ differre, vel poſitiua fundamentalis in re. Probatur ratione noſtri Doctoris: quia ſi nullũ eſſet fundamentum, talis vnitatis, & conuenientiæ, non eſſet maior ratio cur vna natura ab his indiuiduis præſcinderetur, & non ab illis. Tum etiam, hanc partem probant, rationes concluſione prima adductæ. Tandem quia Petrus, & Paulus non diſtinguntur per principia formalia: ergo ſunt vnum & conueniunt ſaltim fundamentaliter. Ex hoc ergo quod humanitas Petri, & huma-
C nitas Pauli non diſtinguntur eſſentialiter, præbent fundamentum intellectui, vt eas poſsit tamquam vnam vnitate poſitiua formali, & ſpecifica abſtrahere, & conſiderare ſine indiuiduis, ſub qua tamen poſitiuè, plura indiuidua conueniunt. Nec volumus hanc vnitatem negatiuam eſſe vnam in indiuiduis, quaſi vna & eadem ſit negatio, abſit: in qualibet enim eſt ſua negatio, aliàs enim deberet dari natura aliqua communis poſitiuè vna, in qua fundaretur: ergo per mutuam negationem Petrus non diſtinguitur à Paulo, nec écontra.

Tertia Concluſio à parte rei non datur *3 Concl.* actu, & formaliter vniuerſale, atque adeò

nec

nec formalis vniuerſalitas. Hęc eſt expreſſa mens noſtri Doctoris innumeris in locis, quæ ſi Thomiſtæ legiſſent, nunquam oppoſitum ſubtili Doctori impoſuiſſent. 1. enim Methaph. q. illa 6. ſic ait *quod ſit vnum de multis per intellectum, quod eſt vniuerſale*, & in 7. q. 13. §. intelligendum ſic ait: *vniuerſale completum eſt, quod eſt in pluribus, & de pluribus, non actu, ſed potētia propinqua, tale nihil eſt niſi conſideratione intellectus*, & q. 18. §. ad quæſtionem *quod natura per intellectum ſit vniuerſale actu*. Et in 2. diſt. 3. q. 1. litera F. *licet alicui exiſtenti in re non repugnet eſſe in alia ſingularitate, ab illa in qua eſt: non tamen illud verè dici poteſt de quolibet inferiori*; & paucis interpoſitis, *non tamen eſt tale, cui potētia proxima conuenit dici de quolibet, ſed tantum eſt in potencia proxima, vt eſt in intellectu poſsibili: eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc, & per conſequens ei non repugnat eſſe non hoc: ſed tale commune non eſt vniuerſale in actu, quia deficit ei illa indifferentia ſecundū quam completiuè vniuerſale*; & in reſponſione ad 1. obiectionem littera G. & H. & in fine eiuſdem q. in reſponſione ad cōfirma. ſic: *vniuerſalitas non conuenit rei ex ſe*, quæ omnia verba noſtri Doctoris retulimus, vt manifeſté compræhendatur, quantùm diſtet Doctor ab illo placito conſtituente in re, ante omnem intellectus operationē actù vniuerſale.

Probatur. Concluſio.

Probatur autem concluſio ratione hac noſtri Doctoris. Vniuerſale eſt illud, quod eſt vnum indifferens poſitiuè ad plura, ex illo Ariſt. 1. Poſter. Vniuerſale eſt, quod eſt vnum in multis; quam difinitionem in propia queſtione explicabimus: vbi de ratione vniuerſalis actù duo ſunt, ſcilicèt vnitas poſitiua, & aptitudo: vnde de ratione vniuerſalis eſt, aptitudo proxima ad eſſendum in multis, & vnitas poſitiua præciſſa à conditionibus indiuiduantibus, indiuiſa & æqualiter participabilis à pluribus; ſed non datur in re talis vnitas: cum natura ſit diuiſa in inferioribus, ſed tantū fundamentalis vt diximus; nec eſt potentia proxima ſed remota, cum in re ſit contracta, atque adeò quidquid eſt commune reale in creaturis, eſt determinatum, & in vno ſecundū Scotum: ergò.

Corolariū.

Ex dictis ſequitur ſecundū noſtrum Doctorem triplicem vnitatem, ſ. communitatem poſſe conſiderari, à numerali diſtinctam, in natura; quarum vna fundatur in alia. Prima eſt formalis, quæ pro materiali tātū dicit ens formale, quæ de ſe nec eſt ſingularis, nec vniuerſalis, ſed per accidens, vt ait noſter Doctor, vtrumque

A

illi aduenit, & ad vtrumq; eſt in differens, de qua verificatur quod dicit Auicena, quod equinitas, tantùm eſt equinitas, nec ex ſe vna, nec plures, nec vniuerſalis, nec particularis; & talis vnitas ſequitur naturā vt natura eſt, & eam habet in quocumque ſtatu conſideretur, habetq; quamdā communitatem, ſeu non repugnantiam ſupra dictam; quæ communitas non eſt vniuerſalitatis, cū hæc ſit per modū totius, quod in recto de pluribus prædicatur: illa verò per modum partis Methaphyſicæ quæ ſimul cum differentia conſtituit compoſitū methaphyſicum vt humanitas &c. ſicut materia prima proportionaliter loquēdo, dicitur communis, & indifferens ad formas, non tamen vniuerſale logicum, vt ſubtiliter docuit noſter Doctor cùm dixit. 7. Metaph. q. 13. §. ad argum. *dico quòd quodlibet indiuiduum habet naturam ſpecificam*

B

integraliter, ſed non quantùm ad totolitatem prædicationis, quod articulo ſequenti magis explicabitur: alia eſt vnitas, & cōmunitas negatiua, quam habet natura comparata cum alia in re, cuius fundamentum eſt prima vnitas: ex eo enim quod humanitas in Petro conſtat ex principijs eſſentialibus naturæ humanæ, ſimiliter humanitas Pauli ſequitur quod mutuò ad inicem nō diſtinguantūr eſſentialiter, ſed habeāt ſimilitudinem inter ſe: alia verò eſt vnitas rationis, quæ conſtituit formaliter vniuerſale, fundata in prædictis, quæ ſpecialem rationē addit ad illas, & fundatur in præciſsione de qua poſteà.

Ad argumenta. Ad. I. Reſpōdet.

Ad argumenta reſpondetur. Ad primū quòd manifeſte ſequitur, id non inferri ex ſententia noſtri Doctoris; cum ex ipſa, illa vnitas, & indifferentia non ſufficiat ad rationem vniuerſalis.

C

Ad. II.

Ad ſecundum. Quod relatio ſimilitudinis fundatur in vnitate poſitiua fundamentali, vel ſic quod aliud eſt fundamentum, & aliud ratio fundandi: illud quidem poſitiuum eſt, nempe hæc vel illa albedo; ratio verò fundandi eſt vnitas negatiua; relatio autem realitatem ſuam ſumit áb illo, non áb hac, & ſic nihil inconuenit quòd hæc ſit negatio.

Ad. III.

Ad tertium. Diſtinguo maiorē, de ratione vnitatis cōmunis poſitiuæ eſt ſola indiuiſio, nego: quia hæc requirit vnam, & eandem naturam indiuiſam: de ratione vnitatis negatiuæ, vel fundamentalis concedo,

non benè infertur Petrus, & Paulus non differunt formaliter in re; ergò in re conueniunt formaliter, plus enim ad hoc ſe- A cundùm requiritur, ſicut nõ valet lapis eſt non videns: ergo cæcus, quia ad hoc ſecundum plus requiritur, ſic ad hoc quod ſint vnum formaliter poſitiuè Petrus, & Paulus nõ ſufficit, quod non diſtinguantur formaliter, ſed præterea quod habeant vnam entitaté indiuiſam à parte rei. De ratione ergò vnitatis vniuerſalis eſt omnimoda indiuiſio, nõ tantũ indiuiſio formaliter, ſecũdùm propriã rationem formalẽ, vt quod ratio generica v. g. animalis dicat negationẽ diuiſionis, per rationes genericas, & natura ſpecifica, vt natura humana negationem diuiſionis in rationes ſpecificas; ſicut etiã ſingulare, quod eſt vnum numerò dicit negationẽ diuiſionis per differẽtias numericas, & ſicut indiuiſio numerica conſtituit vnitatem numericã: ita, & illa vnitaté formalem non tamen vnitatem vniuerſalis. Sed preter hanc indiuiſioné requiritur indiuiſio per rationes cõtrahentes, vt quod natura generica nõ ſit diuiſa per differentias ſpecificas, per quas tamen eſt diuiſibilis; vt natura animalis per rationale, & irrationale, & natura ſpecifica non ſit diuiſa per differentias indiuiduales, per quas tamen eſt diuiſibilis, & hanc indiuiſionem non habet natura à parte rei cum actualiter ſit diuiſa & contracta. Hoc eſt quod dixit noſter Doctor in illa diſt. 3. lib. 2. q. 6. §. ad Argumẽta, loquens de natura ſpecifica, quod eſt indiuiſibilis in plures ſpecies, diuiſibilis tamen in plura indiuidua.

Ad. Cõfir. Ad confirmationem ex dictis. Ad obiectionem, propriam vnitatem non in ſola negatione cõſiſtere, ſed in poſitiuo vt veriſsima fert noſtri Doctoris opinio; nec illa vnitas, quam negatiuam appellamus eſt vna aliqua negatio, eadem exiſtens in pluribus, ſed mutuam dicit negationé extremorum, & mutuam ſimilitudinem, ratione cuius dicitur etiàm vnitas fundamentalis, vel virtualis poſitiua.

Ad. IIII. Ad quartum. Illam aptitudinem in re eſſe remotam, & contractam & ſecundùm quid, & dato quod in natura ſit aptitudo, & potentia poſitiua, illa eſt per modũ partis, non verò per modum totius.

QVÆSTIO VII. QVÆ NATVR. ſit capax vniuerſalitatis.

Opinio. Caietani. & Toleti. CAIETANVS in cap. de ſpecie, & Toletus ibidem: defendunt naturas incompletas (quales ſunt partes v. g. phyſicæ vt materia & forma) nõ poſſe eſſe vniuerſalitatis ſubiectum: hiſq; nituntur fundamentis.

Primò. Si partes ſunt vniuerſales. ergò ſunt genera, & ſpecies: ponuntur ergò in prædicamentis. *I. Argumẽ.*

Secũdò. Eſſe partiũ eſt, eſſe totius: ergò intelligibilitas partium eſt intelligibilitas totius, cũ intelligibilitas ſequatur eſſe rei; vnde partes concipiuntur conceptu, quo totũ concipitur. Tum ſic, totũ dicitur vniuerſale ex vi cõceptus cõmunis, quo cõcipitur; ergò ex vi eiuſdẽ conceptus, partes non dicũtur vniuerſales, ſed partes vniuerſalis, cũ ab vno conceptu totali non poſsit niſi vnica tantũ denominatio totalis oriri. *II. Argumẽ.*

Tertio res incompletæ nequeunt eſſe ſpecies, cum ratio ſpeciei dicat naturã perfectam, & completam. *III. Argumẽ.*

Aliorum Opinio. Dixerũt alij entia rationis nõ poſſe eſſe ſubiectum vniuerſalitatis; alias enim dare- B tur proceſſus in infinitum. Sit tamen.

I. Conclu. Probatur. Prima conc. Æquiuoca nullo pacto poſſunt dici vniuerſalia, & probatur. Quia vniuerſale eſt vnum nomine, & ratione, æquiuocũ autem licèt ſit vnũ nomine, non tamẽ ratione, ſed ſimpliciter plura: nequit ergò vniuerſale denominari.

II. Concluſio. Secunda conc. Naturæ analogæ, illæ ſcilicet, quæ non eodem modo participãtur à pluribus (ſicut pes dicitur analogicè de pede hominis, & de pede menſæ, quia non eódem modo participatur ab illis) vt ſuo loco explicabitur, non ſunt vniuerſalitatis capaces, niſi largo modo.

I. p. ꝓbat. Prima pars patet, illa natura eſt capax vniuerſalitatis ſubiectũ, quæ ex vi ſuæ vniuerſalitatis, æqualiter, & vniformiter reſpicit ſua inferiora, & quæ poteſt præſcindi, vt ratio omninò vna, & indiuiſa; ſed ana- C loga non ſunt vnum, ſed plura habẽtia proportionem inter ſe, nec dicunt rationẽ omninò vnam, ſed inæqualem, quæ inæqualiter, & diformiter reſpicit plura.

II p. ꝓbat. Secunda pars patet. Quia dicunt aliqualem rationẽ conuenientiæ: ergò rationẽ aliquomodo communem: ergò & aliquomodo capacem alicuius vniuerſalitatis, non propriè & ſtrictè, ſed largè ſumptæ.

III. Concluſio. Tertia Conc. Quæcumq; natura, ſiue ratio in qua vniuocè conueniunt plura, fundamentali conuenientia, ſiue illa ſit cõpleta, ſiue incõpleta, ſiue ens reale, ſiue rationis, poteſt propriè eſſe ſubiectum vniuerſalitatis, & ab illa denominabilis eſt.

Proba-

Probatur Concluſio. Probatur hac vnica ratione. Ad hoc vniuerſalitas denominat naturam, vt poſsimus illam de multis affirmare, & prædicare: vnde id quod intelligi poteſt, vt dicens ordinē ad plura, & vt quid potens eſſe in illis, & de illis prædicari, & poteſt concipi vt ratio omninò vna vniformis, & indiuiſa eſt ſubiectum capax vniuerſalitatis: ſed nō tantum in rebus completis ſed etiam in incompletis, & entibus rationis, datur talis ratio abſtrahibilis à pluribus, cum vnitate vniformi, & æquali communi pluribus, vt inductione ſatis conſtat; hæc enim & illa anima conueniunt in ratione animæ, quæ conuenientia poteſt ab illis præſcindi relictis differentijs, & ab hac & illa materia ratio materiæ omnino vniformis, & æqualiter participabilis ab illis. Idem de punctis, quæ conueniunt in ratione puncti; eſſe enim completum vel incompletū eſt quid materialiter ſe habens in vniuerſali; cum illius ratio formalis conſiſtat in ordine vniformi ad plura; ſicut ergò eo ipſo, quod albedo intelligitur, aliquod corp9 informās ſiue completum ſiue incōpletum tale corpus intelligitur album, ſimiliter eo ipſo quod ordo vniformis ad plura, ſeu vniuerſalitas intelligatur, vt informans naturā, ſiue illa ſit completa, ſiue incompleta, talis natura verè intelligetur vniuerſalis. Et iddē patet in ente rationis; cum hoc, & illud ſingulare entis rationis conueniant in ratione entis rationis, quæ poteſt concipi, vt vniformiter reſpiciens illa plura, à quibus eſt abſtracta.

Tandem probatur. Quia omnes partes phyſicæ licèt ſint incompletæ phyſicè loquendo, metaphyſicè tamen ſunt completæ, cum conſtent genere, & differētia, ſeu actu & potentia; vt anima ex ratione animæ vt ſic, & ex ratione talis animæ ſcilicet rationalis, vel equinæ &c. Sed omne compoſitum metaphyſicum poteſt denominari ab vniuerſalitate.

IIII. Concluſio. Quarta Concluſio. Huiuſmodi partes licèt poſsint eſſe vniuerſales prædicabiles, non tamen prædicamentales, ſeu vniuerſales, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali. Hæc patet, quia in recta linea prædicamentali ſolum ponuntur naturæ omnino completæ, partes vero reductiuè.

Corolariū Ex dictis ſequitur quod ſubiectum vniuerſalitatis poteſt eſſe, vel ſubſtantia, vel accidens, vel ens reale, vel rationis, quatenus concipitur ſub ratione communi à pluribus contrahibili.

Ad argu. Ad argumenta in principio poſita.

A Ad primum reſpondetur. In prædicamentis tantum poni genera & ſpecies, quæ dicunt naturas omninò completas, non tantū metaphyſicè ſed etiam phyſicè. *Ad I. Reſpōdet.*

Ad II. Ad ſecundum. Quod ſi partes concipiantur eodem conceptu quo totum, vt ſcilicet ſunt partes totius, non denominantur ſimpliciter vniuerſales, ſed partes vniuerſalis: ſi verò ſeparatæ à toto conſiderentur & in ordine ad ſua inferiora quatenus ſcilicet ab hac, & illa parte abſtrahitur ratio communis; tunc poſſunt dici ſimpliciter vniuerſales; cum vt ſic habeant diſtinctam, ſeu ſeparatam intelligibilitatem; atquè adeò poſſunt terminare diſtinctam cognitionem, ab ea qua cognoſcitur totum.

Ad tertium. Quod licèt entia imperfecta tàm phyſicè, quàm metaphyſicè, non poſsint eſſe ſpecies; cum non conſtent actu, & potentia, genere, & differentia; entia verò, quæ ſolum phyſicè ſunt imperfecta; cum metaphyſicè poſsint eſſe perfecta, cōpoſita ſcilicet genere, & differentia, benè B poſſunt ſimpliciter eſſe vniuerſalia.

QVÆSTIO VIII. QVEM MOdum eſſendi debeat habere in rebus vt fiat vniuerſales.

NOTANDVM eſt, quòd ſicut vnū cōtingit eſſe multipliciter in alio, ita etiā aptitudinē ad eſſēdū in multis, nō vnā ſed multiplicē eſſe oportet; vel enim eſt aliquid in alio per inhærētiā, ſicut accidens in pluribus ſubiectis; vel per locationē, quo pacto vnū corp9 ſolet eſſe in multis locis, vel per identitatem, partiū metaphyſicarū, quæ ſibi inuicē identificatæ, l. ſaltim ratione tertij, in quo ſunt illud conſtituunt. Quærimus ergò quis modus eſſendi ex his debeat conuenire naturæ vt fiat vniuerſalis. Pater Suar. in ſua metaphyſica diſput. 6. q. 4. aſſerit hūc actū eſſendi debere eſſe C per iddētitatē, ſi enim de aliquibus poſſet eſſe difficultas, maximè de ꝓprio, & accidēti ſed ꝓpriū, & accidēs ñ habēt rationē quarti, & quinti prędicabilis in abſtracto, riſibilitas enim ñ prędicatur de homine; nec albedo đ pariete, ſed in cōcreto, atqui certū eſt riſibile iddētificari cū homine, ratione ſuppoſiti, aut ſubiecti. Tū etiā quòd relatio vniuerſalis accidentis, qua vniuerſale eſt, per ſe, & eſſentialiter ad plura inferiora terminatur, per accidēs autē ad plura ſubiecta, in quibus ſunt particularia accidētia, quod hoc exēplo declaratur, albedo ſingularis nequit plura ſubiecta informare, ſed albedo in cōmuni: ideo hæc tantū eſt vniuerſalis, quia exiſtit, vel poteſt exiſtire in pluribus

 bus

bus albedinibus ſingularibus, quia autē diſtinctæ albedines ſingulares diuerſis inhærent ſubiectis, ſubinde fit vt mediatè, & ꝑ accidēs relatio vniuerſalitatis terminetur ad ſubiecta.

I. Concl. Prim. Cōcl. Actus eſſendi proprius, & peculiaris naturæ, quæ vniuerſalis dicitur, eſt actus eſſēdi abſolutè, ſiue per idētitatē, ſiue per inhærētiā, prout ſcilicet abſtrahit ab vtroq; : actꝰ autē eſſendi quē abſolutè vt ſic requirit neceſſariò eſt per multiplicationē in pluribus. Naturæ ergò, quæ vniuerſalis dicitur, vt ſic, accidit quod inhæreat, l. idētificetur; quòd verò poſsit multiplicari neceſſariò requiritur. Hæc autem concluſio ſic.

Probatur. Probatur quoad primā partē, quia vniuerſalia quædā ſūt accidētia, alia verò prædicata eſſētialia: ergò ad hoc quod res aliqua denominetur vniuerſalis ſufficit, quòd ſit in alio vel per inhærentiā, vel ꝑ idētitatē; tū quia ſi nullo ex his modis eſſet in particularibus, nullo modo poſſet de eis prædicari: prædicatio enim nō eſt vera, niſi in his, quæ aliquomodo ex dictis ſunt in alio. Tandē eò præciſſè, quod natura aliqua poſsit multiplicari in ſingularibus; poteſt conſtitui vniuerſalis, & eo ipſo, quòd nō poteſt multiplicari, & diuidi quātumuis idētificetur cū pluribus, nō poteſt vniuerſalis fieri. Vnde natura diuina licèt ſit in perſonis per identitatē, nō tamē eſt vniuerſalis. Quia nō eſt multiplicata aut diuiſa in illis, ſed vna & eadē numero indiuiſa in tribus Diuinis perſonis.

Prima pars.

II. Conc. Secunda cōc. Talis actus eſſendi, quem habent à parte rei naturæ quæ vniuerſales fiunt; eſt ſicut pars in toto, licèt enim genus, & ſpecies, & omnia vniuerſalia vt ſupra diximus, & ampliꝰ dicemus, ſint quoddā totū actuale in cōparatione ad partes, quibus conſtant. vt gradus animalitatis reſpectu gradus viuentis, & ſenſibilitatis; reſpectu tamen eſſentiæ quam cōſtituunt, vt gradus ſenſibilitatis reſpectu naturæ humanæ habet rationem partis eſſentialis eſtq; in illa vt pars in toto.

Notandū Notandū autē eſt, quod vt aliqua natura conſtituatur vniuerſalis per intellectū, nō requiritur, vt actu ſit in multis, eo modo quo dictū eſt: ſed ſufficit quòd poſsit eſſe in multis, vnde natura abſtracta à ſingularibus cōditionibꝰ poteſt prædicari de ſingularibus, non ſolum exiſtentibus, ſed etiā poſsibilibus. Quod verum eſt etiam ſi indiuiduum exiſtens vnicum eſſet, vt in natura ſolis in vnico exiſtente ſole conſpicitur.

Fundamentum oppoſitū, ex dictis patet.

ARTICVLVS II. DE FORMA vniuerſalitatis, ſeu de vniuerſali pro formali

A POSTQVAM in præcedenti articulo de vniuerſali pro materiali, ſeu de ſubiecto vniuerſalitatis diſſeruimus, quod vniuerſale pro ſubſtracto, ſeu ſubſtractum vniuerſalitatis appellatur; quia ſubſternitur, & veluti procumbit, ſub forma vniuerſalitatis: dicitur etiam vniuerſale pro connotato; quia ſubiectum eſt illud, quod in concreto connotatur, diciturquè pro denominato; quia id quod eſt ſubiectum vniuerſalitatis, eſt id, quod ab ipſa denominatur. Nunc occurrit nobis agendum de ipſa forma vniuerſalitatis, ſeù de vniuerſali pro formali; pro ſecunda vè intentione vniuerſalitatis, de qua inquiremus quid ſit. An ens reale, vel rationis? An forma abſoluta vel reſpectiua? quomodo, & per quam operationem fiat ab intellectu? in quo ſit, vel inhæreat tamquam in ſubiecto? & alia ſimilia.

B *QVÆSTIO I. QVID ENS ratioins ſit?*

QVÆSTIO hæc metaphyſicæ conſiderationis eſt, quæ naturam entis in communi, tam realis, quam rationis conſiderat; vnde eam latè diſcutere eſſet logicæ limites progredi, leuiter eam attingere neceſſarium erit. Ad pleniorem vniuerſalitatis intelligentiam; quam dicemus eſſe ſecundam intentionem, & ens rationis. Supponimus autē ex Ariſt. Diu. Thoma, & ſubtili Scoto, omniumquè dialecticorū cōſēſu, paucisſimis exceptis, dari ens rationis, indeterminādo tamen quid illud ſit, & quomodo fiat, à qua potētia, per quā actionem, in varias, ſatiſq; diſſentiētes ſententias diſtrahuntur; vt operoſſum ſatis ſit in tanta varietate, veritatē inuenire, relictis autē multis opinandi modis, eos tantū
C ſine argumentorū ſtrepitu proponam, qui frequentiùs in ſcholis circumferuntur.

Primus ergò in hac re opinandi modus eſt, ens rationis nihil aliud eſſe, præter denominationem extrinſecā prouenientem à forma extrinſeca. Dantur enim multæ formæ, quæ denomināt intrinſecè ſubiectum, in quo ſunt, extrinſecè verò aliud ſubiectum, in quod tendunt, vt viſio, quæ inhæret oculo intrinſecè denominat oculum videntem; parietem verò, in quem tendit, vel qui per talē viſionem videtur, denominat extrinſecè viſum. Iſtæ ergò formæ prout extrinſecè denominant res, dicuntur entia rationis, quia ſic nihil reale ponūt in rebus denominatis: ſed tātum eſſe rationis *Primus modus explicandi, ens rationis.*

Secun

II Modo explicãdi Secundus modus aſſerit, tales extrinſecas denominationes ante operationem intellectus, eſſe quidem reales, fieri tamẽ entia rationis, quandò ab intellectu concipiũtur, ac ſi eſſent formæ intrinſecè inhærentes rebus, quas anteà extrinſecè denominabant: quia cũ ens rationis ſit illud, quod in re nihil eſt, conſideratur tamen ab intellectu per modum entis, ens apparens, & ad ſimilitudinem entis realis confictum appellatur: ergò illæ formæ extrinſecæ cõſideratæ ab intellectu, ac ſi eſſent intrinſecæ; cum tamen in re non ſint intrinſecæ, ſunt entia rationis.

III. Modus. Exponendi. Alij verò dicũt; non ipſam cognitionem in abſtracto, ſed ipſum concrætum, ipſum ſcilicet obiectum cognitum prout de formali dicit cognitionem, de materiali verò rem cognitam, eſſe ens rationis.

IIII. Modus. Alij tandem. Entia rationis dari quidem à parte rei ſecluſa intellectus functione quoad conuenientiam, quia antè operatione intellectus conueniunt ſuo ſubiecto (vt antè operatione intellectus relatio dominij, qua Deus denominatur Dominus, quoad conuenientiam datur) quoad exiſtentiam verò fieri ab intellectu, vel habere eſſe per intellectum affirmant.

Dubitatur etiam. De cauſa entis rationis. Pro vna parte. De cauſa etiam entis rationis, & modo quo fit, diuerſiſsimo etiam modo loquuntur Doctores. Quidam enim dicunt ens rationis fieri per cognitionem intellectus, qua ipſũ cognoſcitur per modũ entis, cum tamen non ſit, hoc enim eſt quod communiter dicitur, ens rationis tantũ habere eſſe obiectiuũ, & eſſe ens in anima; hic modus dicẽdi, eſt qui in ſchola D. Thomæ frequentius, & ꝓbabilius circũfertur. Vnde per ſolá intellectus operationẽ fit ens rationis, quia nullum aliud habet eſſe, quam cognoſci, & intelligi.

Dubitatur pro Alia. Alij autem dicunt fieri conſequenter ad cognitionem, qua ipſa res cognoſcitur, qui modus dicẽdi mox a nobis explicãdus eſt. Vt autẽ explicetur, quid a nobis ſecũdum noſtri Doctoris mentem tenendum ſit.

I. Notab. Notandum eſt primò. Quòd cum nomẽ hoc (ratio) à quo ens rationis dicitur, intellectum ſignificet: generaliter loquendo, ens rationis poteſt vocari, quidquid aliquo modo ad intellectũ pertinet, ſiue vt actus illius, ſiue vt effectus ab illo productus, vt ſpecies, verbũ &c. ſiue ab illo directus, vt res artificiatæ, ſiue quidquid in illo recipitur, vt habitus, artes ſcientiæ: ſed non ꝑut eſt præſentis inſtituti, cum omnia prædicta ſint verè entia realia; ſicut & actus effectus, & accidentia cuiuſcũq; alterius potentiæ realis. ens autẽ rationis, de quo modo loquimur, eſt quoddam ens à ratione entis realis deficiens.

Nec eſt animus de quouis ente rationis modò agere; vnde modò non diſcutimus an per quamcunq; aliam potẽtiam immanẽter operantem, fiat ens rationis ab ente reali diſtinctũ, de hoc in metaphyſica; ſed tantũ procedit noſtra controuerſia, de ente rationis, quod ab intellectu fit, cum vniuerſalitas ab intellectu tantum fiat.

II. Notab. Notandum præterea; eſſe cognitũ poſſe tripliciter ſumi, vel pro ipſa re, quæ cognoſcitur, & hæc vel erit realis, l. rationis, juxta exigentiã naturæ ipſius rei, quæ cognoſcitur. Secundò pro cõcreto ex ipſa re, quæ cognoſcitur, & ex ipſa cognitione, qua talis res cognoſcitur, vt paries cognitus: ſicut enim duplex eſt denominatio, vna intrinſeca, quæ prouenit à forma intrinſeca, habente ſcilicet realẽ vnionẽ cum re, quæ à tali forma denominatur; vt cũ res dicitur alba ab albedine cũ qua eſt vnita, alia eſt extrinſeca, quæ prouenit à forma extrinſeca, ideſt, quæ nõ eſt in re, quæ denominatur, ſed eſt extra illã, vt eſſe viſum, inde, ſic duplex etiã eſſe concretorũ genus; vnũ quod ſignificat formã intrinſecã, aliud verò extrinſecã. Tertiò modo eſſe cognitũ ſecundũ noſtrũ Doct. ſumitur, pro quodam eſſe quod res, acquirit in cognitione, quandò cognoſcitur, quod etiã ſolet vocari eſſe obiectiuũ. Quibus præiactis, quibuſdã concluſionibus quæſtionẽ abſoluemus.

I. Conclu. Prima conc. ens rationis nõ eſt ipſa cognitio intellectꝰ, quatenꝰ extrinſecè denominat rem cognitã. l. prout tendit in obiectũ; nec eſſe cognitũ prout eſt concretum ex ipſa cognitione, & re, quæ cognoſcitur. Hæc ꝓbabilior pleriſq; Doctorib. apparet.

I. Pars Probatur. Prima pars ꝓbatur. Tũ quia idẽ prorſus ſunt in re intellectio actiua, & paſsiua, ſeu intelligere obiectũ, & obiectũ intelligi; ſed primum eſt quid reale: ergò & ſecundum.

Cõfirmat. Præterea denominatio, qua aliquid tale dicitur, effectꝰ eſt formalis formæ, ſiue intrinſecæ, ſiue extrinſecæ, vt eſſe dulcè effectus eſt formalis intrinſecus dulcedinis, & eſſe viſum, eſt effectus formalis extrinſecus viſionis; tunc ergò iſte effectus, ſeu denominatio realis erit, cũ cauſa, ſeu forma, & ratio cauſandi informandi vè, & habitudo ad rem quæ denominatur, fuerint reales: ſed inquacũq; extrinſeca denominatione for-

ne forma eſt realis, vt cognitio, viſio, &c. & illius ad obiectum habitudo eſt realis; cum ex propria natura cognitio v. g. tendat in ſuum obiectum, & illud reſpiciat tanquam illius naturalis ſimilitudo, ergò eſt realis.

II. Pars probatur. Secunda pars probatur. Quia tàm cognitio, quàm res quæ cognoſcitur, ſunt entia realia, vel ſaltim ipſa cognitio, cum id, quod cognoſcitur, non eſt ens reale, ſed ex partibus realibus, vt ex forma reali, & materia reali; nequit niſi ens reale conſurgere: ergo eſſe cognitum, non ens rationis, ſed ens reale eſt; cum totum non ſit minus quàm ſua pars; imò ſemper maius: ſi ergo pars aliqua eſt ens reale, totum nō poterit eſſe minùs quam ens reale: non ergò ens rationis.

II. Concl. Secunda cōcluſio. Ens rationis formaliter eſt eſſe obiectiuum, quod habet obiectum in cognitione, ex eo quod cognoſcatur actù; ratione cuius eſſe, dicitur eſſe præſens animæ, quod eſſe non eſt ipſa cognitio realis, etiamvt repræſentatio eſt; nec ipſum obiectum in quod tendit cognitio: nec coniunctum formaliter ex vtroque (ex cognitione ſcilicèt, & re, quæ cognoſcitur) hæc enim entia realia ſunt, vt concluſione præcedenti probatum eſt, ſed eſſe quoddam ab his diſtinctum, quod habet res in cognitione quando actù cognoſcitur. Hoc enim habet intellectus, quod per ſuam cognitionem facit res; quas cognoſcit ſibi præſentes, non realiter ſed ſecundum rationem; illa enim res, quæ cognoſcitur præter eſſe quod anteà habebat (ſi aliquod habebat) habet eſſe præſens cognoſcenti; & quodammodo vitam habet in cognitione. Illud eſſe, cum non ſit verum ens reale, nec purum nihil, erit ens rationis, & ens metaphoricum, & quodammodò ſimile enti reali, & tale eſſe dicitur ens diminutū, & ſecūdùm quid, & eſſe cognitum, (id eſt, eſſe quod res habet in cognitione) ens in anima, eſſe obiectiuum rerum in intellectu, vmbra entis realis, ens non verum, ſed apparens. Hæc eſt ſententia noſtri Doctoris, in. 1. enim diſt. 36. q. vnica, litera G. ait *creaturas, per diuinam cognitionem qua primò cognoſcuntur acquirere, quoddam eſſe* non quidem reale (vt perperàm illi Caietanus imponit, 1. p. q. 14. Art. 5. & alij Thomiſtæ;) cum hoc ab eodē noſtro Doctore contra Henricum latè impugnetur, eiſdem porrò rationibus, quibus ipſi inuehunt in Scotum, quod ſi benè perpendiſſent non ita carperent Doctorem non minus catholicum, quam ſubtilem. Nec medium inter ens reale, & rationis, ita vt vtriuſque naturam redoleat; hoc enim implicat. *Sed eſſe diminutum, ſeu eſſe rationis*, ſic enim ens rationis à noſtro Doctore appellatur in 4. diſt. q. 1. §. hic primo: vbi ſic *ens rationis quod eſt tantum ens diminutum.* Tenent hanc, Doctiſsimus Archiepiſcopus Rada, & omnes Scotiſtæ in illam diſt. 36. lib. 1. ſenten. quæ ſic. *Rada.*

I. Probat. Primò probatur. Ens rationis eſt quid medium, vt omnes fatentur inter purum ens reale, & purum nihil, ita vt nec ſit ens reale, nec purum nihil; ſed illud eſſe obiectiuū, quod habet obiectum quandò actù cognoſcitur, non eſt ens reale: cum non ſit ens extra cauſas, ad modum, quo ens reale: quia quandò ego v. g. cognoſco Antichriſtum nō propterea, Antichriſtus habet eſſe reale extra cauſas, nec purum nihil; quia quandò Antichriſtus, non cognoſcebatur actù, non erat in anima, nec quodammodò viuebat in potentia; quando verò cognoſcitur actu, quodammodò viuit in potentia, & quodammodò eſt in illa: ergò tale eſſe, nō eſt purum nihil: eſt ergò medium inter ens reale, & purum nihil, ac ſubinde ſit, eſſe ens rationis.

II. Probatur. Secundò probatur ratione noſtri Doctoris. Creaturæ dicuntur eſſe ab æterno in mente Diuina; ſed nulla creatura fuit ab æterno ſecundùm eſſe reale: ergo tantùm ſecundùm eſſe rationis. Et tale eſſe diffinitur ſic à noſtro Doctore, eſt ens diminutum, vel ſecundùm quid, aut eſſe cognitum, ſeu obiectiuum, conueniens rei prout eſt in cognitione, atque adeò non eſt pura extrinſeca denominatio; cum hæc nihil aliud ſit quam forma denominans, & denominatum ab illa, quod totum ens reale eſt; ſed quoddam eſſe rationis, & ideò multos ſubterfugit eſſētia entis rationis, quia nō percipiunt illud eſſe obiectiuum.

Obietio Thamiſt. Obijciunt Thomiſtæ, quod malè audit in fide dicere, res produci ab æterno in hoc eſſe diminuto, & quòd ſicut omnium rerum cognitio in Deo eſt neceſſaria, ita datur etiam in eo, vis effectiua ad extra, neceſſaria.

Solutio. Reſpondetur. Si illud eſſe diminutum eſſet aliquod ens reale (vt non nulli volunt temerè, & abſque ratione vlla, Scoto imponere) malè audiret; ponere autem illud eſſe rationis, quod in cognitione res acquirit, non ſolum non malè audit, ſed eſt neceſſariò

ceſſariò dicendum, ſicut & quòd Deus ab æterno omnia cognoſcit.

Alia. Obiectio. Si rurſus obijcias. Ergò columnam eſſe A dextram, & aliæ ſimiles denominationes, erunt entia rationis, quia nihil reale ponunt in rebus, vt patet, nec purum nihil, quia columna eſt mihi modò dextra, quod non habebat, quandò nō erat iuxta dexteram meam: ergò ens rationis.

Solutio. Reſpōdetur. Quod mera denominatio extrinſeca qualis eſt iſta, columnam eſſe dextram, non eſt ens rationis, cum mera denominatio extrinſeca, non dicat illud viuere, aut eſſe obiectiuum rei, in forma denominante, in qua repræſentatur, quod inuoluit cognitio, qua res cognoſcitur, & tale eſſe, eſt ens rationis.

III. Conc. Tertia concluſio. Licèt intellectus reſpectu entis rationis, non ſit vera cauſa realis, nec verè illud producat per veram, & realem actionem, benè tamen impropriè, & quodammodo. Intellectus ergo eſt vera cauſa realis reſpectu intellectionis, at B verò reſpectu entis rationis, non eſt vera, & realis cauſa. Vnde eo ipſo quod in intellectu ponitur vis realis ad producendam intellectionem, debet conſtitui quaſi metaphorica vis, ad producendum impropriè ens rationis, Sic noſter Doctor, qui in 1. diſt. illa 36. q. vnica, ait *intellectum non cauſare ens rationis realiter, ſed quodammodo.*

Probatur Concluſio. Probatur. Vnum quodque producitur ſecundùm ſuæ naturæ exigentiam, ſed ens rationis, non eſt verè, & realiter ens, ſed tantum metaphoricè; ergò non habet per ſe primò veram, & realem cauſam reſpectu ſui, nec per veram, & propriam actionē producitur. Sed ſicut quodammodò, & impropriè eſt ens, ita & impropriè, & quodammodo producitur.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio. Ens rationis produci tur conſequutiuè, ſeu quaſi conſequentèr C per reſultantiam ad ipſam cognitionem; non quidem per veram, & realem reſultātiam, vt à nonnullis paſsiones dicuntur reſultare, vel relationes: cum iſtæ reſultent per veras, & reales actiones, ſed metaphoricè. Et hoc iddem erit dicendum de quacumq; alia potentia, de qua teneatur, ens rationis cauſare. Concluſio autem eſt noſtri Doctoris, in 2. diſt. 1. q. 2. littera C.

Obiectio. Si dicas relatio realis eſt illa, quæ producitur conſequenter ad alterius productionem; cum ad relationem non ſit per ſe motus: ergò iſtæ relationes, quæ ad actionem intellectus conſequuntur, erunt reales. Cum præterea per nos habeant eſſe antequàm à noſtro intellectu cognoſcantur; A quod proprium eſſe entium realium, omnibus proditum eſt.

Solutio. Cæterum ad hæc, & alia, quæ Sanchez tamquā demoſtrationes accumulat, nō eſt ſanè difficile reſpōdere ex noſtro D. quod potentia, quæ non eſt realiter tranſmutatiua obiecti, circa quod operatur, qualis eſt intellectus, per ſuā actionē, nullā relationē realē cauſat in obiecto; ſed quia habet hoc ſpeciale quod facit ſibi obiectū præſēs nō realiter, ſed ſecūdū rationē acquirit obiectum in tali cognitione hoc eſſe rationis.

V. Concl. Quinta cōc. Alia ſunt entia rationis, quæ fiunt, quatenus cognoſcuntur per modum entiū, vt priuationes, negationes, & entia rationis omninò ficta, quæ non habent rationē entis, niſi in quātū actū cognoſcūtur, ac ſi eſſent. Vt cæcitas v. g. quæ in re eſt non eſſe viſus, eſt ens rationis, quando actu cognoſcitur, ac ſi eſſet forma aliqua po B ſitiua afficiens oculum.

Probatur Concluſio. Prob. Quia cū iſta nō cōſequātur ad cognitionem, & ante illam, à parte rei nō ſint entia; tunc ſunt quandò cognoſcuntur per modum entis.

VI. Conc. Sexta conc. Ens rationis in tota ſua latitudine, diuiditur in ens rationis, quod in re nō habet fundamentū; quod ens fictū, ſeu figmētū dicitur, vt chimæra, & tale ens rationis poteſt multiplicari ſine numero, per omniaq; predicamenta diuagari. Similia enim entia rationis facilè eſt intellectui, fingere ſine fūdamēto, & ordine: aliud eſt ens rationis habens fundamentū in re, quod ſcilicet nō ad libitū fingit intellectus, ſed reperto fundamēto in ipſis reb9, quod licèt à Thomiſtis in relationē, negationem & priuationē diuidatur; in doctrina tamen noſtri Doct. in abſolutū, reſpectiuū, & ne C gationē diuidēdū eſt. De ente rationis abſoluto diſſerit noſt. Doct. in 1. diſt. 36. vbi, §. ad 2. dico, litera A. ſic ait. *ad ſecundum dico, quod productio iſta eſt in eſſe alterius rationis ab omni eſſe ſimpliciter, & non eſt relationis tantū ſed etiam fundamenti abſolutè, non quidem ſecundùm eſſe eſſentiæ, vel exiſtētiæ, quod eſt verum eſſe: ſed ſecundùm diminutum, quod eſt eſſe ſecundùm quid, etiam entis abſoluti, quod tamen ens abſolutum ſecundū iſtud eſſe diminutum, cōcomitatur relatio rationis*, & idem docet diſt. 35. & in 2. diſt. 1, q. 1. & ibi omnes illius expoſitores: tale ens rationis eſt illud eſſe rationis, quod res acquirit per cognitionem abſolutam,

qua res ſecundum ſe cognoſcitur, ens verò rationis reſpectiuum eſt relatio rationis, quam res acquirit in cognitione, qua in ordine ad alterum cognoſcitur: quando ergò intellectus confert vnam rem alteri, quæ à parte rei ad illam non referebatur, præbet tamē ipſa res, quæ per intellectum ad aliā refertur occaſionem, & fundamentum aliquod, vt referatur, reſultat relatio rationis in ipſa re, quæ comparatur ad aliam.

Ex dictis patet falsū eſſe, id quod nonnulli dicunt, ens rationis dari ſecluſa omni operatione intellectus, quantum ad conuenientiam, implicat enim quòd prædicata accidentalia conueniant alicui ſubiecto à parte rei, & non exiſtant, & quòd prædicetur de aliquo & nō ſint in illo: ſed ens rationis eſt prædicatū reſpectu ſui ſubiecti.

QVÆSTIO II. QVID SIT *prima, & ſecunda intentio.*

Opere prætium erit nonnulla tam pro præſentis quæſtionis, quàm ſubſequentiū intelligentia obſeruare; vt dum hic obiter manſerint expedita, ea, quæ inſequentibus ſumus diſcuſſuri facilius percipiantur.

I. Notab. Obſeruandum eſt primò: quod cùm omnis noſtra cognitio (ſumendo cognitionem largo modo ſecundùm Ariſt.) ſit pœnes hoc, quod ſpecies rerum recipiūtur in cognoſcente: itaque vt omnis potentia quæcūque ſit, cognoſcat ſuum obiectum, debet prius recipere ſpeciem illius, & acceptis ſpeciebus in ſenſibus exterioribus v. g. in viſu, ſtatim in interioribus ſenſibus producuntur aliæ ſpecies ſimiles illis, repræſentantes eadem obiecta ſingularia, quas omnes ſpecies omnium ſenſuum internorum phātaſmata appellamus. Intellectus igitur noſter, cùm etiam ad hoc, quòd cognoſcat huiuſmodi res, requirat etiam ſpecies, quibus poſsit eas cognoſcere, non poteſt intelligere huiuſmodi res per ſpecies iſtas, ſeu phantaſmata: quia eſt ſpiritualis, & immaterialis; & tales ſpecies, & ſimilitudines ſunt materiales; ideò non poſſunt recipi in illo, & cum eo vniri; ideò requirit alias ſpecies ſpirituales, & immateriales, quæ in ipſo recipiantur, quibus cognoſcat huiuſmodi res.

II. Notab. Ideò obſeruandum eſt ſecundò, duplicē in anima conſtitui intellectū, vnū agentē, & aliū poſsibilē, intellectus agens eſt vis quædam, & potentia actiua cuius propriū munus, non eſt intelligere. ſed quaſdā qualitates immateriales, & ſpirituales producere medio phantaſmate, vt inſtrumento in intellectu poſsibili, quæ ſpecies intelligibiles, ſeu imagines quædam intelligibiles obiecti dicuntur, repreſentātes ſcilicet obiectum, quæ an repræſentent ſingularia immediatè, & directè, an verò ſolas naturas cōmunes, non repræſentatis conditionibꝰ ſingularibus, ſub lite eſt. Thomiſtæ enim aſſeueranter affirmant, in intellectu propriam ſpeciem rerum ſingularium non dari; arbitrantur enim ſub intellectū directè & per ſe ſolas naturas cōmunes, non verò res ſingulares cadere; atq; adeò in intellectu ſolas ſpecies cōmunium naturarum dari. Scotiſtæ tenent, percipi quidem ab intellectu ſingularia directè, & per ſe; atque adeò dari ſpecies intelligibiles primò, & directè res ſingulares repreſentantes, quam etiam defendunt nō pauci recētiores Thomiſtæ. Et hi quidē docent, ſpeciem intelligibilem medio phantaſmate ab intellectu agente productam, eſſe ſingularem, non tantùm in eſſendo, ſed etiam in repreſentando; atq; adeò non repræſentare naturā cōmunē abſtractā; ſed directè, & per ſe ſingulare, & in eo omnia prædicata ſuperiora, quæ in ipſo ſingulari reperiuntur, nō vt abſtracta, ſed prout in illo ſunt, atq; adeò abſtractionē intellectus agentis, nō intelligēdā eſſe de abſtractione à repræſētatione phantaſmatis, in quo ſingulare repræſentatur, ſed de abſtractione, à materialitate ipſius phantaſmatis: hoc eſt quod phantaſma eſt ſpecies materialis tàm in entitate, quàm in repræſentando, quia repræſentat rem ſingularem. Intellectus verò agens producit ſpeciem, in eſſendo quidem ſpiritualem, & immaterialem, repræſentantem tamen idem omnino ſingulare, quod phantaſma repræſentabat. Intellectus poſsibilis eſt potentia, quæ tales ſpecies ab intellectu agente productas recipit, & illis mediantibus res cognoſcit; huius autem cognitio pronunc duplex eſt, vna ſimpliciter abſoluta, per quā aliquid cognoſcitur ſimpliciter, & abſolutè prout in ſe, non in ordine ad aliud: alia eſt cognitio comparatiua, per quam cognoſcit intellectus vnum in ordine ad aliud, vt cum cognoſcimus hominem in ordine ad ſua ſingularia.

III. Notabile. Tertiò eſt obſeruandum noſtrates acutiſsimos ſecundarum intentionum indagatores, illarum cauſalitatem perſpicuè explanare cupientes, innumera ſigna conſtituiſſe; ex quibus diffinitionem quandam

proli-

prolixam ſatis excerpũt, quod vt bene aduertũt Mauricius, & Sarnanus q. 3. vniuerſalium potius eſt iuuenibus ad literam noſtri Doctoris intelligendam, obicem inducere. Intentio ergo largè ſumpta vt benè adnotat, noſter Doctor in 2. d. 38. q. vnica. §. reſpondeo: ſignificat operationem, qua in aliquod obiectum tendimus; intendere enim dicit in aliud tendere, & ſic quælibet potentia in ſuum obiectum tendit, & ſpecialiter actus voluntatis: quo in finem tendit, intentio dicitur; logici autem non loquuntur de intentione in hoc ſenſu, ſed tantum prout ad intellectum ſpectat, & licèt intentio in ſua primæua ſignificatione actum intellectus, quo in rem aliquam tẽdit, illam cognoſcendo, ſignificet: ſed quia ferè ſemper obiecta ex actibus, qui circa illa verſantur, capiunt denominationem, vt paries dicitur viſus à viſione qua videtur; ipſæ etiam res per actus intellectus perceptæ, intentiones appellãtur. Verum eſt, actum intellectus, intentionem formalem appellari; ipſam verò rem cognitam, intentionem obiectiuam. Rurſus vtraque bipartita eſt in primam, & ſecundam intẽtionem, quæ diuiſio ex rebus ipſis penſanda eſt. Sunt enim quædam res, quæ alicui conueniunt ex ſua propria entitate, ſecluſa omni intellectus operatione; vel quæ primo aſpectu cognoſcuntur, vt eſſe animal riſibile, album &c. aliæ verò, quæ rei conueniunt ſecundùm eſſe, quod habent in intellectu, vt eſſe genus ſpeciem &c. quæ nequeunt cognoſci, niſi priora fuerint nõta, non enim poſſumus exactè cognoſcere animal eſſe genus, quin prius nouerimus quid animal ſit: res ergò primi generis dicuntur primæ intentiones obiectiuæ, & illarum cognitio prima intentio formalis: res ſecundi generis ſecundæ intẽtiones obiectiuæ, illarum verò cognitio ſecunda intentio formalis. Iam tamen communi omnium phyloſophorum vſu nominibus primæ, & ſecundæ intentionis res ipſæ intelliguntur, & quidem prima & ſecũda intẽtio formalis ſunt quid reale, vt potè reales actus intellectus. Præſens ergo difficultas tantùm de ipſis rebus, ſeu obiectiuis intentionibus procedit.

I. Conclu. Prima Concluſio. Prima intentio eſt obiectum cognitum vel cognoſcibile, ſuper quod poteſt fundari ſecunda intentio. Sic Scotiſtæ Mauricius, Tataretus, Anglicus, Sarnanus &c. vel clarius prima intẽtio eſt id quod primo cõceptu concipitur, vt animal homo, album. Vel vt alij, eſt id quod conuenit rei, ex eſſe quod habet in re: vnde iam nomine primarum intentionum intelligimus entia realia. *Mauricius. Tataretus. Anglicus. Sarnanus.*

A

II. Concl. Secunda Concluſio. Secunda intentio ſiuè notio eſt relatio rationis ſecundùm eſſe. Sic noſter Doctor in 1. d. 23. & d. 45. & in 4. d. 1. q. 1. & omnes eius diſcipuli.

Probatur. Probatur genereitas, ſpecieitas &c. ſunt ſecundæ intẽtiones; ſed illæ ſunt reſpectus quidam rationis: cum totum eſſe illarum ſit ad aliud ſe habere, ſeu eſſe rationes referendi vnum ad aliud, ad ſimilitudinem relationum realium: & illarum concreta per aliud diffiniũtur, vt genus per ſpecies, ſpecies per indiuidua, vt ex infra dicendis latius conſtabit.

III. Cõcl. Tertia Concluſio Secundæ intentiones habent fundamentum remotum à parte rei, ſic noſter Doctor q. 3. vniuerſalium ad tertium argumẽtum, vbi ait; *Dico ergo quod effectiuè eſt ab intellectu, ſed materialiter, ſiue occaſionaliter eſt à proprietate in re, figmentum verò minime.* Probatur ratione noſtri Doctoris: quia aliàs eſſent figmenta, quæ ad libitum fingit intellectus. Præterea eſſet in poteſtate noſtra, tales intẽtiones, cuicũque placuerit applicare, atque adeò intẽtionẽ vniuerſalitatis cuicũque ſingulari. *Probatur.*

B

IIII. Cõcl. Quarta Concluſio. Secunda intẽtio ſemper fundatur in re prout cognita, atque adeò rem eſſe cognitam eſt fundamẽtum proximũ ſecũdarũ intentionũ. Sic omnes Scotiſtæ Mauritius vbi ſupra; Anglicus q. 4. vniuerſ. Tataretus q. 3. proœmial. dub. 2. Nicolaus de orbellis tractatu de vniuerſali, Ioãnes Vallõ ſuper formalit. Scoti, Frãciſcus Mairõ in cõflatu, d. 46. q. 1. & 2. Et noſter Cardinalis Sarnanus q. 3. vniuerſ. Hoc docet, & illuſtrat exẽplo pictoris, exigẽtis ad inferendos colores parietẽ nõ rudẽ, ſed benè præparatũ, & diſpoſitũ: ſic intellectus vt veluti inſerat in re ſecũdas intẽtiones, vt in proprio illarũ fundamẽto, debet eſſe veluti induta, & preparata, cognitione: ita vt niſi prima intẽtio cognita fuerit, ſuper eã nõ poterit ſecũda intẽtio applicari, hãc docet optimè noſt. Doct. in 1. d. 36. q. 1. & præcipuè q. 11. vniuer. *Mauricius. Anglicus. Tataretus. Orbellius. Vallon. Mairon. Sarnanus.*

C

Probatur. Concluſio. Probatur autẽ cõc. iſtæ proprietates intẽtionales, ſiue notiones cõueniũt rebus prout ſunt in intellectu, ſed nõ ſunt, niſi media cognitione: ergo fundãtur in re prout cognita. Tũ etiã quia ideò tales relationes rationis, ſecũdæ intentiones appellãtur, quia reſultãt ex ſecũda intẽtione formali, ſeu ex ſecũda cognitione

intellectus,qua ſupra rem cognitam veluti reflectitur.

V. Concl. Quinta Concluſio. Intentiones iſtæ ſecũdæ fiunt per cognitionem intellectus collatiuam,ſeu comparatiuam,conſequenter & per quandam quaſi reſultantiam.

I.p.ꝓbat. Primam partem docet noſter Doctor multis in locis in 2.ſ.d. 1.q.1. §.quantum ad hoc litera C. vbi ſic. *Tolle actum comparatiuum,ponẽdo tantummodo abſolutos quoſcumque,lapis erit notus,intentio autem ſecunda ſine actu comparatiuo numquam erit.* Probatur autem ſic: ſecunda intentio eſt relatio quædam rationis vt diximus , & quædam veluti comparatio obiectiua vnius ad aliud:ergò fit per cognitionem quaſi relatiuam,qua vnum in ordine ad aliud cognoſcitur, & per formalem comparationẽ.

Cõfirmat. Confirmatur,totũ eſſe relationis (teſte Ariſt.in cap. de relatione) eſt in ordine ad aliud,atque adeò conuenit rei,per comparationem ad aliam:ergò & eſſe relationis rationis.

II. pars. Probatur. Secundam partem docet etiam noſter Doctor ibidem,vbi ſtatim ſubdit, *ſimiliter intentio ſecunda fit per intelligentiam in vero ſuo eſſe,& non in eſſe cognito, ideo prius eſt quam in cognitione, quia cognoſcitur actu reflexo.* Vbi duplicem cognitionẽ aſſignat vnam,qua fit in ſuo eſſe,quam vocat intelligentiam,& hæc eſt comparatiua,per quã res ad aliam comparatur. Ad hanc igitur cognitionẽ non præſupponitur,ſed potius per illam reſultat,& veluti pullulat in eſſe ſibi debito. Alia cognitio eſt quaſi reflexa, qua intellectus ſupra talem intentionem reflectitur,vt illam cognoſcat,ad hanc autem præſupponitur. Vnde per illam nõ fit in eſſe ſibi debito; ſed tantùm in eſſe cognito,ſicut & quælibet alia res cum cognoſcitur ; acquirit eſſe obiectiuum. *Probatur.* Probatur autem , hac ratione; quia iſtæ ſecundæ intentiones,cum relationes ſint,fiunt ſecundùm omnes per actionẽ comparatiuam, ſed talis actio comparatiua tendit vt in proprium obiectum quod cognoſcit , in ipſa extrema,quæ comparantur,cum comparatio ſit vnius extremi in aliud ordinatio,ad quam ſequitur ordinatio,ſeu comparatio paſſiua,nõ ergò fiunt per actionẽ, qua vt obiectum ipſæ cognoſcuntur, ſed conſequenter,& quaſi per reſultantiam ad actionem, qua ipſa extrema comparatiuè cognoſcuntur.

VI. Cõclu. Sexta Concluſio.Cum in prima intellectus operatione comparatio reperiatur,vt infra dicetur, ſecundùm triplicem operationem intellectus , nimirum ſimplicium A apprehenſionem , compoſitionem, ſeu diuiſionem,& diſcurſum:triplex genus relationum rationis,ſecundarum vè intentionum conſtituitur : per primam operationẽ intellectus,non tamen quancumque (hoc propter cognitionẽ abſolutam dixerim) ſed comparatiuam , reſultat primũ genus ſecundarum intentionum , ſub quo cõprehendũtur intẽtiones generis,ſpeciei,differẽtiæ proprij, & accidẽtis &c. de quibus logica diſſerit in libris prędicabiliũ & prædicamentorũ. Per ſecundã intellectus operationẽ fit ſecũdũ genus ſecũdarũ intẽtionũ, ſub quo cõtinẽtur relationes partiũ propoſitionis inter ſe, prædicati ſcilicet, ſubiectĩ, & copulæ, & relatio totius ꝓpoſitionis ad partes,de quibꝰ agit logica in lib. de interpretatione .Per tertiam verò intellectus operationem tertium intentionum genus reſultat , ſub quo ſunt relationes toB tius ſillogiſmi ad ſuas partes,& partium inter ſe maioris,minoris, & cõcluſionis &c. de quibus diſputat logica in lib. priorum.

I. Corolar. Ex dictis primò ſequitur corollariũ,quòd omnes iſtæ relationes cum ſimilitudinem habeãt,cum relationibus realibus in actione,vel paſsione fundatis,ſicut iſtæ fundamentum habent remotum,& proximũ. Sic & illæ fundamentũ habent remotũ,vt vel pluriũ conuenientiam in vno, vel realem vnionẽ vnius cum alio , vel emanationem vnius ab alio,& fundamentũ proximum.

II. Corolarium. Secundò ſequitur,quòd licèt communi vſu,primæ intentiones pro entibus realibus vſurpentur;ſecundæ verò intentiones pro relationibus rationis modò explicatis,contingit tamen,ipſas etiam ſecundas intentiones nonnunquam primarum habere conditionem, quandò ſe habent vt ſubſtractum materiale aliarum ſimilium ; quia C vt benè aduertit Mauritius q.3. vniuerſ. in omni illo quod poteſt concipi ab intellectu actu ſimplici,ſiue ens reale ſit , ſiue rationis , poteſt fundari aliqua ſecunda intentio , & in ipſis ſecundis intentionibus proceſſus poteſt fieri in infinitum , cum iterum , atque iterum poſsit ſe intellectus reflectere ſupra ipſas ſecundas intentiones , & toties negotiari comparatiuè , & tunc primeitas , & ſecundeitas poſſunt competere prædictis notionibus , aut ratione ſubſtracti , aut rationis formalis ſignificati : Cum ergo intellectus ſupra ipſas intentiones reflectitur illas

illas diffiniendo, diuidendo, conueniētias illarum abſtrahendo, ex illis que propoſitiones extruendo, aut ſillogiſmos: reſultant in illis aliæ ſimiles ſecundæ intentiones, vt ab hac, & illa genereitate abſtrahit intellectus, & comparat rationem genereitatis in communi, in qua cōueniunt, & in illa reſultat relatio ſpecieitatis, à qua ſpecies denominatur. Illa ergò quæ in ſimili caſu habet ſe vt materiale, & ſubſtractum; rationem primæ intentionis habebit, cùm propriū ſit primæ à ſecūda intētione denominari: illa verò quæ denominat, vt ratio formalis, rationē habet ſecūdæ intētionis.

III. Corolarium. Tandem ſequitur ordinem ipſorum actuum intellectus ſecundum quem in formam diffinitionis, propoſitionis, ſillogiſmi &c. rediguntur, relationem eſſe rationis; quidquid nōnulli quidam reluctentur: licèt enim intellectus, actus ſeu conceptus reales producat; ex eo tamen quod ſic, vel ſic illos ordinat per modum prædicati, ſubiecti, diffinitionis, maioris, minoris, concluſionis in ſyllogiſmo ſecundùm talem ſitum, & collocationem nihil reale illis tribuit; ſicut nec vocibus, ex eo quod in formam propoſitionis, vel ſillogiſmi coaleſcant: hi enim conceptus, animal, & rationale niſi in formam diffinitionis ab intellectu ordinentur non habent hoc ex propria natura; ſed quatenus ſic vel ſic ab intellectu diſponuntur. conceptus enim hominis, non ſignificat hominem, vt ſubiectum vel prædicatum ex propria natura; cum ex ordinatione ſola intellectus poſsit modò eſſe ſubiectum, modò prædicatum. Propoſitio etiam licet materialiter quoad cōceptus ſcilicet, vel voces quibus cōponitur ſit aliquid reale, formaliter tamen quid rationis eſt, cum accidat illis ab intellectu, quòd ſic, vel ſic, ordinentur ſecundùm formam propoſitionis. Idem etiam dicimus de diſcurſu ſeu ſillogiſmo, materialiter quidem eſſe quid reale, formaliter verò quid rationis; cum vnam propoſitionem eſſe maiorem, aliam minorem, quid rationis ſit, quia eadem præmiſſa, quæ modo eſt maior, poteſt eſſe minor, & ècōtra, ex vi actꝰ intellectus præmiſſarum ordinem trāſmutantis. Ergò in quantum eſt artificiū quoddam ab intellectu extructum, eſt quid rationis. Præterea, quòd ratio formalis termini eſt ens rationis, propoſitio ergo quatenus ex terminis conſtituitur eſt aliquid rationis, & ſillogiſmus prout ex propoſitionibus maiori ſcilicet, & minori fit, quid rationis eſt. Si autē nobis nonnulli qui aſſeueranter, tuentur oppoſitum, obijciant.

A Primò operationes eſſe artificioſè compoſitas ſecundùm formam diffinitionis ſillogiſmi &c. eſt perfectio ipſarum operationum: ergò eſt quid reale, ſi enim operationes ipſæ reales ſunt, & perfectio illis debita, realis erit. *I. Obiectio.*

Reſpondetur, perfectionem conuenientem operationibus intellectus ſecundùm propriam ſubſtantiam, realem eſſe; quæ verò illis conuenit quatenus, extrinſecè ab intellectu ordinantur, tantùm eſſe ens rationis. *Reſponſio.*

Secundo obijciunt: quod fit per ſe à cauſa reali, eſt que cauſa effectus realis, reale eſt: ſed ſyllogiſmus tali modo, & figura diſpoſitus fit ab intellectu, & non fingitur, in eoq; exiſtit, verè enim intellectus, dicitur ſyllogizare ab aliquo ſibi inhærente; & illa diſpoſitio ſyllogiſmi, eſt realis ſcientiæ effectiua cauſa, cum ex vi formæ & diſpoſitionis præmiſſarum in demonſtratione, in intellectu generetur ſcientia cōcluſionis. *II. Obiectio.*

B Reſpondemus tamē, propoſitiones materialiter ſumptas pro ipſis ſcilicet operationibus primò & per ſe fieri ab intellectu: quoad formale verò conſequenter vt diximus ſimiliter ſyllogiſmū materialiter ſumptum pro principijs ſcilicet & operationibꝰ realibus generare ſcientiam, aſſenſum vè euidentem concluſionum. nō verò formaliter, quia ordinatio illa, ſeu forma rationis licèt modus ſit, aut conditio neceſſaria vt operationes illæ reales cauſent, non tamen eſt cauſatiua effectus realis. *Solutio.*

QVÆSTIO TERTIA QVID *ſit vniuerſalitas.*

IVXTA varios opinandi modos de ente rationis, ac de ſecundis intentionibus ſunt etiam variæ ſententiæ de vniuerſa-C litatis natura; relicta autem ea, quæ vniuerſalitatem proprietatem eſſe quandam realem naturæ profitetur, quam ſupra ex noſtro Doctore exploſimus, qui non ita obſcurè, & ambiguè loquitur de illa, vt perperàm nonnulli Thomiſtæ illi imponunt, cum manifeſtè neget, illam in re dari in locis ſupra adductis, vbi de vniuerſali loquitur, vt manifeſtū erit, illū vel leniter cōſulenti. in. 2. d. 23. q. 1. litera. I. hæc verba profert: *Sic Sorti vniuerſalitas repugnat, quæ tamē nō cōuenit homini, niſi per actū intellectus operantis, & negociantis circa hominem:* opiniones ergò quæ cōmuniter in ſcholis circumferuntur tres potiſsimæ ſunt.

Prima

I. Opinio. Prima & quidẽ non paucorũ recentiorũ aſſerit, vniuerſalitatẽ eſſe aliquid reale, nõ intrinſecũ in natura ſed extrinſecũ, ipſam (A) nimirũ cognitionẽ abſtractiuã qua dicitur natura extrinſecè cognita. Probant autẽ.

I. Argumẽ. Primò ex noſ. Doct. in 2. d. 3. q. 1. vbi aſſerit *vniuerſalitatẽ eſſe modũ intelligẽdi rẽ, & tũc naturã intelligi ſub vniuerſalitate, quãdo ſecũdo actu concipitur ſub modo intelligẽdi ipſam.* Et D. Th. 1. p. q. 85. art. 2. pro eodẽ accipit abſtractionem & vniuerſalitatem.

II. Argumẽ. Secũdò probatur, vniuerſalitas habet eſſe antequam cognoſcatur ab intellectu: ergò erit ens reale, ens enim rationis ſolũ habet eſſe ex hoc ꝙ cognoſcatur ab intellectu antecedẽs ꝓbatur, quæuis natura eo ipſo quòd eſt abſtracta ab indiuiduis antè aliã quãcũque cognitionẽ, qua reflexè cognoſcitur, eſt vniuerſale, ſaltim metaphyſicũ: ergò ab aliqua vniuerſalitate in ipſa exiſtẽte vt enim nequit albũ ſine albedine dari: ita repugnat dari vniuerſale ſine vniuerſalitate.

III. Argumẽ. Tertiò probatur ſi vniuerſalitas eſſet ens rationis, daretur eſſentia ſine paſsione vel ècõtra, quia ens rationis in tantùm eſt, in quãtum cognoſcitur; poteſt autẽ intelligi vniuerſalitas ſine prædicabilitate, & ècõtra.

IIII. Argumẽ. Quartò ꝓbatur. Nullũ ens rationis cõſtituit naturã vnã in multis: ſi enim intellectus nullũ ens rationis cõſideraret, ex hoc præciſè, quod intelligeret naturã ſine ſingularitate, eam videret vnam in multis.

Obiectio. Et ſi illis obijciatur, ſi vniuerſalitas eſt aliquid reale, ergò iam vniuerſale datur à parte rei, quod ab omnibus negatur.

Solutio. Reſpondẽt: id quod negatur, eſt vniuerſale, & vniuerſalitatẽ eſſe extra animã, aut eſſe cõditionẽ aliquã, & proprietatẽ realem exiſtẽtẽ in re: cognitio autẽ abſtractiua in ipſa anima eſt, idcircòque fieri vniuerſale obiectũ aliquod, non intrinſecè, ſed extrinſecè; id eſt quod ſit cognitum, & repræſentatum in conceptu formato ab intellectu. (C)

Obijcitur ipſis. Si autem ab illis petas, quomodo ergò dicitur vniuerſalitatem eſſe ens rationis?

Solutio ipſorum. Reſpondẽt, quod ſicut quæuis denominatio extrinſeca, licèt formaliter ſumpta realis ſit, quatenus tamen à nobis cõcipitur ac ſi eſſet forma quædã, quaſi informãs intrinſecè, & inhærẽs rei, quã denominat (cũ tamẽ in re ſit forma extrinſeca nihil realẽ ponẽs in re denominata) eſt ens rationis: illa ergò informatio & cõcretũ, eſt quid fictũ, nullũ aliud eſſe habens, quã cognoſci: ſic ergò cognitio abſtractiua intellectus, licèt in re ſit realis, dicitur tamen ſecunda intẽtio, & ens rationis, non expectata præciſè ſecundũ ſuam entitatẽ, ſed in quantũ ab intellectu cõcipitur per aliã cognitionẽ reflexã vt forma afficiens, & intrinſecè informãs naturã; cum tamen re vera tantũ denominet extrinſecè. Dicunt præterea, quod cũ cognitio abſtractiua intellectus ſit veluti relatio quædã realis, naturã ſecundũ eſſe abſtractũ, quod habet in intellectu, refert ad omnia indiuidua; quatenus, vt ſic, eſt omniũ imago, & ſimilitudo; eſt tamen relatio rationis, ea ratione, qua vt diximus intelligitur in natura abſtracta, & licèt nõ poſſit dari in natura cõmuni relatio realis intrinſeca ad indiuidua cũ identificetur cũ illis poteſt tamẽ dari relatio realis extrinſeca, & quæ ex parte naturæ cognitæ, ſit tantum relatio rationis.

II. Opinio. Secũda opinio aſſerit vniuerſalitatẽ eſſe formã quandã rationis abſolutã, atq; adeò nõ eſſe relationẽ ſecũdũ eſſe, ſed tãtũ ſecũdũ dici; & ideò explicari per modũ reſpectus, fundatur tamẽ in illa, ſicut & in quauis alia (B) potentia relatio ſecundũ eſſe, & cũ potẽtia illa rationis ſit, relatio in illa fundata rationis erit; quæ relatio cũ ſit ordo vnius ad multa, vniuerſalitas poteſt appellari; non tamen eſt forma per quam formaliter conſtituitur vniuerſale.

I. Argu. Fũdamẽtũ eſt, ꝙ duo ſũt de ratione vniuerſalitatis vnitas ſcilicet & aptitudo ad eſſẽdũ in multis, & in duobus iſtis cõſiſtit, ſed vtraq; ratio eſt abſoluta, de vnitate res eſt clara, cũ hæc in indiuiſione cõſiſtat: de aptitudine autẽ patet quia potẽtia omnis, & aptitudo realis, eſt abſoluta in ſe, ad qualitatẽ pertinens, & nunquã in relatione ſecũdũ eſſe cõſiſtit; dicitur autem relatio ſecũdũ dici, quia per modũ relationis à nobis explicatur. Ergò & potentia rationis quæ ad ſimilitudinem potentiæ realis ſit, eſt forma quædã rationis abſoluta. Cũ autẽ graues auctores illã relationẽ appellãt, intelligunt eſſe relationẽ, non ſecundũ eſſe, ſed ſecundùm dici, & ideò relationis inſtar, per correlatiuũ diffinitur, & explicatur.

Confirm. Confirmatur. Quia aptitudo & potẽtia, nõ poteſt eſſe relatio ſecũdũ eſſe, cũ eſſentia relationis cõſiſtat in actuali exercitio, eſt enim actualis ordo ad terminũ. Præterea ꝙ relatio ſolũ refert ſubiectũ in quo eſt ad multa, & nõ facit vnũ, ſed ſupponit illud iã factũ, ideò enim intellectus tribuit talẽ relationẽ ad inferiora naturæ abſtractæ, quia videt illã, vt ſic, eſſe vnã, & aptã eſſe in illis: ergò talis relatio ſupponit vniuerſale

ſale conſtitutũ, atque adeò vniuerſalitatẽ

Notab. Suppoſito autem, quod licèt totum eſſe relationis ſecundùm eſſe ſit actualis ordo ad aliud; eſt tamen in duplici diſcrimine: quædam enim eſt quæ per modum aptitudinis ſignificatur, vt relatio tertij generis, menſurabilis ſcilicet ad menſuram, quæ non dicit actuale exercitium menſurabilitatis; licèt enim ſcientia, non menſuretur actù ab obiecto, dicit relationẽ ſecundum eſſe menſurabilitatis ad illud, quę licèt actù referat ſcientiam ad obiectũ, ſed non in quantùm actù menſuratur, ſed in quantum menſurabilis eſt; vnde actus iſte referẽdi, nõ eſt per modum actualis exercitij, ſed per modum actualis aptitudinis: vnde alia relatio eſt, quæ per modum exercitij ſignificatur, vt relatio ſimilitudinis, quæ non in aptitudine, vt aſſimiletur, ſed in actuali aſſimilatione conſiſtit.

I. Conclu. Prima concluſio vniuerſalitas eſt ens. Sic noſter Doctr q.4. vniuerſalium, quæ in noſtro ordine eſt prima, eã que ſic probat:

Probatur Concluſio. Quidquid eſt intelligibile eſt ens, quia ens & verum conuertuntur & ſimiliter verũ, & intelligibile: ergo & ens & intelligibile ſed vniuerſalitas eſt intelligibilis: cũ experiamur nos diſputare đ vniuerſalitate, & illã intelligere. Tũ etiã nõ ẽtis nõ eſt diffinitio, ſed vniuerſale diffinitur: ergò eſt ens.

II. Concl. Secunda Concluſio. Vniuerſalitas logica eſt relatio rationis ſecundùm eſſe. Sic expræſſè noſter Doctor in 1.d.23.§.cõtra iſtud litera C. vbi ſic. *Omnis ſecunda intẽtio eſt relatio rationis, non quæcumque, ſed pertinens ad extremum, vel actus intellectus componentis, vel diuidentis, vel ſaltem conferẽtis vnum ad alterum. Hoc patet quia intentio ſecunda, ſecundùm omnes cauſatur per actum intellectus negociantis circa rem primæ intentionis, qui non poteſt cauſare circa obiectum niſi tantum relationẽ rationis*, Et 7. Metaph. q.18. §. circa huius, vbi ait *quod vniuerſale vel poteſt ſumi pro intentione ſecunda quæ ſcilicet eſt quædam relatio rationis in prædicabile, ad illud de quo eſt prædicabile.* Eam tenet D.Thom. expræſſe. 1.p.q.28 artic.1. & cũ eo communiter Thomiſtæ &.

Probatur Concluſio. Probatur. Quia totum eſſe relationis ſecundũm eſſe, eſt ad aliud ſe habere, vt totum eſſe patris eſt ad filium; ſed totum eſſe vniuerſalis logici, eſt ſe habere ad inferiora, cum vniuerſale in actu ſit eſſentialiter vnum de multis, vt patet ex difinitione vniuerſalis tradita à phyloſopho: vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis: ergò vniuerſalitas, qua vniuerſale eſt forma liter tale, eſt relatio ſecundùm eſſe.

Cõfirmat. Cõfirmatur hoc, duo ſunt de ratione vni- A uerſalitatis, vnitas ſcilicet & aptitudo eſſẽdi in multis; ſed totum hoc in relatione rationis ſecundùm eſſe conſiſtit: ergò & vniuerſalitas. Maior ab omnibus conceditur, minor in quo eſt difficultas probatur, & quidẽ de vnitate: vnitas vniuerſalis nõ eſt qua vniuerſale eſt ad ſe vnum, ſed qua eſt vnũ in ordine ad inferiora, ſeu vnitas inferiorum, quæ in ea vnum eſſe dicuntur: ergò vnitas illi9 eſſentialiter eſt relatiua. De aptitudine etiam patet, hæc enim non eſt per modum potentiæ de prædicamento qualitatis, vt benè probat Rubio, ſed per modum relationis, cum illã tribuat intellectus naturæ, referendo illã ad inferiora.

Proba. vlti. Tandem probatur, ipſam cognitionem intellectus non poſſe eſſe vniuerſalitatẽ. Quia hæc tãtũ tribuit denominationẽ cogniti abſolutè, & in ſe, vniuerſale autem eſſentialem ordinem dicit ad inferiora.

III. Conc. B Tertia Cõcluſio duplex relatio in re vniuerſali datur, vna aptitudinalis, per quam cõſtituitur eſſentialiter vniuerſale in eſſe vniuerſalis, qua nimirũ ad plura refertur particularia, ſecundùm potentiam vt ſit in illis, & de illis prædicetur. Alia verò relatio actualis, qua actu dicitur eſſe in ſuo particulari, i. de illo prædicari, quæ relatio actualis prædicationis dicitur, acciditque naturæ vniuerſali in quãtũ eſt vniuerſalis.

Ad argu. I. Opinio. Ad. I. Ad argumenta primæ opinionis reſpondetur. Ad primũ. Nomine modi intelligẽdi, numquam intellexiſſe noſtrum Doctorem ipſam intellectionem, ſed aliquid reſultans ex ipſa, in natura, ſecundã, ſcilicet intentionem vniuerſalitatis, & illam vocat modum accidentalem ipſius naturæ. q.5. vniuerſalium, & in illo loco 2. ſſ. d.3. q.1. §. ad quæſtionem, ait *eſſe modum intelligendi ipſius naturæ, non tamen modum intel-* C *lectus*, ideſt eſſe modum ſub quo natura intelligitur vt vniuerſalis, non tamen modum intellectionis, tenentem ſe ex parte intellectus. Hunc autem eſſe ſenſum noſtri Doct. ex alijs locis ſupra adductis clarè deprehenditur: vbi illam per cognitionẽ cõparatiuã, reſultare docet, & cõſequẽter fieri, ꝙ de intellectione neq; intelligi.

Ad. II. Ad II. ex ſupradictis: diſtinguo antecedens, eſt antequã cognoſcatur: indepẽdenter ab omni cognitione nego: cum dependentia à cognitione aliqua ad quã ſuo modo reſultat, cõcedo: & in hoc ſenſu negatur cõſequtio; ens enim rationis licèt ſupponatur eſſe ante cognitionem reflexã, qua cognoſ-

cognoſcitur,nõ tamen ante cognitioné ad quam reſultat. Ad tertium infra.

Ad.IIII. Solutio. Ad 4.Nego ãtecedẽs;vnitas enim rationis qualis eſt vniuerſalitas cõſtituit vnũ ratione

Argumẽ. II.Opinio. Ad argumenta ſecundæ opinionis. Ad primum negatur minor,vt probatum eſt.

Ad. I. Cõfirm. I. Ad primam confirmationem ex notabili facilis redditur reſponſio.

Ad Cõfirmatio II. Ad ſecundam confirmationem. Negatur antecedens: ad probationem, ideò ab intellectu tribui vniuerſalitatem naturæ, non quia illam ſupponat formaliter vniuerſalem,ſed quia in illa reperit fundamẽtum ad prædictam formam.

QVÆSTIO IIII. QVOMODO natura ſit ſubiectum vniuerſalitatis.

DVO inuoluit præſens quæſtio. Primũ an natura ſit ſubiectum inhæſionis vniuerſalitatis,quod quærit noſter Doctor.q.9.vniuerſalium ſub his verbis,in quo ſit vniuerſalitas,vt in ſubiecto vtrum in re vel in intellectu:cum enim omne accidens habere debeat aliquod ſubiectum, cui inhæreat,& vniuerſalitas ſit accidens quoddam intentionale;ideò ait noſter Doctor. *Quærimus vtrum inhæreat alicui ſubiecto, & quid illud ſit?* Secundum,an natura ſecũdũm ſe,vel ex vi ſuæ propriæ entitatis ſit ſubiectum vniuerſalitatis.

I.Opinio. Circa primum Sarnanus.q.9. vniuerſalium refert quorumdam opinionem: aſſerentium vniuerſalitatem eſſe ſubiectiuè in intellectu,quæ opinio ſic probatur.

I. Argumẽ. Primò authoritate Ariſtot.Qui diuidit ens in ens in anima,& in ens extra animã: vbi per ens in anima intelligit ens rationis ergò ens rationis eſt in anima ſubiectiuè, hoc eſt in intellectu.

II. Argumẽ. Secũdò probatur ratione intellectus non operatur extra mittendo, cum operetur per actionem immanentem, eſt enim virtus actiua,& non effectiua,vt ſupra diximus: ergò ens rationis, quod ab illo fit illi met inhæret.

III. Argumẽ. Tertiò.Ex Aberroe. 3.de anima cõmentò. 7.ex intellectu,& intelligibili fit veriꝰ vnum,quàm ex materia,& forma: ſed forma non eſt extra materiam, nec materia extra formã:ergò nec intelligibilis,forma quæ eſt ens rationis eſt extra intellectum.

IIII. Argumẽ. Quarto.Saltim hoc ens rationis ſcilicet vniuerſalitas erit ſubiectiuè in intellectu. Omne accidens aut eſt in intellectu,aut in re ſed vniuerſalitas eſt accidens ad noſtrũ modum concipiendi, & non poteſt eſſe in rebus: quia omnes res quæ ſunt in mundo ſunt ſingulares, ergò ſi vniuerſalitas eſt in rebus,eſt in ſingularibus, & ſic denominat eas: & res ſingulares erunt vniuerſales, quod eſt abſurdum: ergo eſt in intellectu.

II. Opinio. Maironis Secunda opinio eſt Franciſci Maironis relati à Sarnano eadẽ quæſtione aſſerẽtis, quod iſta entia rationis ſunt ſubiectiuè in ipſis rebus,quas denominãt; in quam opinionem videntur propendere aliqui Scotiſtæ,quam ſic probant.

I. Argumẽ. Primò authoritate Doctoris,qui in quæſtionibus vniuerſaliũ ait quod ſecũdæ intẽtiones,obiectiuè ſunt in intellectu, & in rebus ſubiectiuè.

II. Argumẽ. Secũdò.Accidẽtia realia ſunt inhæſiuè in rebus,quas denominant:ergò multò magis accidẽtia rationis. Patet conſequentia ideò accidẽs inhæret ſubſtãtiæ,quia habet debilioré,& imperfectioré entitaté: ergo quò accidens eſt imbecillius eò magis requirit ſubiectũ; ſed accidẽtia rationis ſunt minimæ entitatis: ergò requirũt maximè ſubiectum cui inhæreant.

III. Opinio. Comunis. Tertia opinio cõmunis eſt aſſerẽs, vniuerſalitaté denominatiuè,& extrinſecé eſſe tãtùm in natura;ita vt natura tãtùm ſit ſubiectũ denominationis, & nullo modo inhæſionis vniuerſalitatis.Quia inhærentia eſt accidẽtis realis proprietas,& pura extrinſeca denominatio nullum habet ſubiectum cui inhæreat.

Circa ſecũdũ,videtur naturã ex vi ꝑpriæ entitatis præciſſè eſſe ſubiectũ vniuerſalitatis;quia natura ex vi ſuæ entitatis præciſſè denominatur ab illa,cum ſola natura ex vi ſuæ entitatis ſit,quæ poteſt eſſe in ſuis inferioribꝰ:quia,cũ dicimus Petrũ eſſe hominẽ,ſolã rationé hominis de Petro affirmamus,aliàs enim dicẽdũ eſſet,Petro non ſolum realem hominis entitatem conuenire,ſed etiam aliam rationis, quod quam falſum ſit;palàm eſt.

Cõfirmat. Cõfir.Naturã eſſe cognitã vel abſtractã, eſt quædam extrinſeca denominatio,quæ nequit eſſe ſubiectum vniuerſalitatis;alias illa vniuerſalis diceretur; quo quid abſurdius? Nihilominus tamen ſit.

.I. Concluſio. Pri.cõc. Vniuerſalitas licèt nõ ſit per verã inhærẽtiã in natura,nèc purè extrinſecè per modũ extrinſece denominationis,habet tamẽ modũ intrinſeci accidentis. Hæc eſt expreſſa mẽs noſtri Doct. q.illa.9.vniuerſal. nec enim Scotiſtæ aliquid aliud intendunt. Hæc autem concluſio ſic.

Probatur. Probatur.Vniuerſalitas(& idẽ de quauis alia ſecũda intentione)eſt relatio rationis referẽs naturã ad ſua inferiora, ſed nihil

referri

referri poteſt, niſi per formam inhærētem, vel ſe habentem per modum inhærentis: ergo vniuerſalitas non conſiſtit in pura extrinſeca denominatione; ſed formæ inhærentis modum habet; ita vt ſi vniuerſalitas eſſet forma realis, eſſet intrinſeca conueniens ex ſe naturæ: cum ergò ſit forma rationis, habet modum formæ, non extrinſecæ, ſed intrinſecæ: & cum formæ accidentalis ſimilitudinem habeat; ſic ſe debet habere ad ſubiectum, quod denominat; ac ſi ei inhæreret. Adde etiam, quod eſſe taliũ entium rationis; vt etiam contrarij admittunt, eſt cognoſci per modum formæ intrinſecæ, id quod ante talem cognitionem habebat eſſe formæ realis extrinſecæ: non ergò eſſe illorum conſiſtit in pura extrinſeca denominatione, id enim per vos anteà habebāt, & nullú ſanè eſſe de nouo haberent per intellectum: totum ergò eſſe illorum eſt, eſſe formæ intrinſecæ, rationis quidèm, in quo à denominatione extrinſeca reali diſtinguuntur. Habèt ergo ſuo modò vniuerſalitas, quamdam inhærentiam, nō veram, & realem (hæc enim eſt propria accidētis realis) ſed ſimilitudinariam, & ſecundùm quid, ſeù diminutam.

II. Concluſio. Secunda Concluſio. Subiectum proximè aptum ad formam vniuerſalitatis eſt natura; non quidem ſecūdùm ſe, ſed prout cognita ab intellectu. hæc colligitur ex ſupradictis, eamque optimè docet noſter Doctor q. 9. vniuer. §. ad primam quæſtionem vbi ſic. *Sciendum tamen, quod ſignificatum termini communis, ſignificantis veram naturam, tripliciter poteſt conſiderari. Vno quidem modo ſecūdùm eſſe in ſuppoſitis, quod dicitur eſſe materiale eius; & hoc modo inſunt ſibi accidentia communia. Secundo modo conſideratur abſolutè, ſecundum eſſe quidditatiuum; & ſic inſunt ei prædicata eſſentialia. Tertio modo vt per formam intelligibilem ab intellectu apprehenditur, quod eſt eſſe cognitum, & ſic inſunt ei intentiones.* Natura ergò ſecundùm noſtrum Doctorem triplicem ſtatum habet, ſecundùm quod trifariam poteſt cōſiderari, vel ſecundùm eſſe quod habet in inferioribus, vt natura humana prout eſt in Petro, & in Paulo; & ſic conueniunt ei prædicata accidentalia, ratione ſingulariũ, in quibus eſt, vt eſſe albũ, currere, diſputare &c. quæ primo, & per ſe cōueniũt indiuiduis. Vel abſolutè, & ſecundũ ſe, cuius ſtatus duplex poteſt eſſe ſenſus: primus, quòd natura ſolitariè ſumatur, vt ſeparata ab inferioribus, & cũ vt ſic includat cognitionē abſtractiuā intellectus pertinet ad. 3. ſtatũ, atque adeò nō eſt illius

A ſecundi. Secundus ſenſus eſt abſolutè, & ſecũdùm ſe, id eſt ex ſe, ſeu in eſſe naturę, & eſſentiæ ſibi propriæ; & ſecũdùm id, quod habet natura ex ſuis proprijs principijs vbicũque illa ſit, ſiue in cognitione, ſiue in ſingularibus; & vt ſic conueniũt illi ſua prędicata eſſentialia, & proprietates ex principijs eſſentialibus promanantes. Tertio tandem modo poteſt ſumi prout eſt cognita ab intellectu; & ſic conueniunt illi proprietates, ſeu prædicata rationis. Primus ſtatus dicitur exiſtentiæ; ſecundus dicitur ſtatus eſſentiæ: tertius verò eſt ſtatus exiſtentiæ obiectiuæ hinc fit naturæ conuenire duplex eſſe exiſtentiæ ex noſtro Doctore, vnũ reale à parte rei, quod habet in ſingularibus, plurificaturque ad indiuiduorũ multiplicationē: aliud eſſe exiſtētiæ rationis, quod eſt eſſe obiectiuum in cognitione.

Probatio. Probatur autem Cōcluſio ſic. Tum quia

B ſecundæ intentiones ſunt in re, prout cognita, vt ſupra probatum eſt: atqui vniuerſalitas eſt ſecunda intentio. Tum etiā vniuerſalitas cum ſit oppoſita ſingularitati, nequit naturæ conuenire, niſi vt à ſingularitate auulſæ, hoc autem habet natura per cognitionē abſtractiuā; nequit ergò vniuerſalitas conuenire niſi naturæ vt cognitæ.

III. Concluſio. Tertia Concluſio. Etiam ſi eſſe cognitũ vel abſtractum naturam conſtituat in genere cauſæ formalis, ſubiectum aptum ad vniuerſalitatem recipiendam; ipſum tamē vt ſic, non eſt quod recipit in ſe, vt quod ſecundam intentionem vniuerſalitatis; poteſt tamen dici vt quo, ſeu eſſe rationem recipiendi. Primò autem illuſtratur concluſio hoc exemplo; punctum lineæ continuatiuum, reddit lineam formaliter capacem diuiſibilitatis; ipſum tamen punctum

C non recipit in ſe talem diuiſibilitatem.

Probatio. Probatur autē ſic: quia ipſa natura carēs ſingularitate eſt, quæ denominatur vniuerſalis ab vniuerſalitatis forma: ergo natura ipſa eſt ſubiectũ vniuerſalitatis; & nō eſſe cognitũ. Sicut ergò in accidētibus quātitas eſt primũ accidēs, nō præſupponens aliud ſubiectũ capax ad alia materialia accidētia recipiēda, ita in præſenti eſſe cognitũ, eſt reſpectu ſecũdarũ intētionũ ſuo modo: nec enim exēplis pari pede currere cōceditur.

IIII. Concluſio Quarta Cōcl. Vniuerſalitas eſt in intellectu, nō tāquā in ſubiecto, ſed vt veluti in efficiēte, & etiā vt cognitũ in cognoſcēte.

Sic noſter Doct. loco citato; quod intelligendū ſecūdū ſenſum ſupra ex poſitū. I. tā quā in cognoſcēte ipſā, cognitione reflexa, A in qua cognitione habet eſſe cognitū. Vel

Ad argu. Solutio. tāquā incognoſcente rem ad quam cognitionem reſultat.

Ad. I. pro I. Opinio. Argu. oppoſita facilè habent ſolutionem. Ad primum intelligēdum eſſe Ariſt. per eſſe in anima, iuxta ſenſum tertiæ concluſi.

Ad. II. Ad ſecundum reſpondet noſter Doctor; intellectum non attribuere aliquam proprietatem rei per eius tranſmutationem: cum non ſit virtus factiua, poteſt tamen aliquam attribuere rei, prout eſt in cognitione ſeundùm eſſe obiectiuum, quæ licèt nō verè inhęreat, habet tamen modum formę intrinſecæ, vt diximus.

Ad. III. Ad tertium reſpondet Doctor, dictum commentatoris non intelligi de compoſitione, ita vt ex intellectu, & intelligibili, fiat vnū cōpoſitum veriùs, quàm ex materia, & forma, ſed quoad prędicationē; quòd ſcilicet intellectus in actu, veriùs recipit B prædicationem vnius cum intelligibili in actu; quàm materia cum forma: quia intellectus in actu, eſt intellegibile in actu per ſpeciem intelligibilem, quam includit intellectus in actu; & per illam poteſt ſe intelligere reflectendo: materia autem, non eſt forma, per hoc quod ponatur cum forma.

Ad. IIII. Ad quartum. Vniuerſalitatem eſſe in natura, & illam denominare vniuerſalem, nō prout eſt in ſingularibus, ſed prout eſt in ſtatu abſtractionis, & cognitionis p intellectū.

Ad argu. p. II. Opi. Solutio. Argumenta ſecundæ opinionis tantùm probant primam concluſionem imò; quia ſecundæ intentiones ſunt entia accidētalia ſecundùm quid, & ſimilitudinariè, habent ſuum modum inhærendi ſimilitudinarium & metaphoricum; & hoc pacto intelligitur fundari in ipſa re; per cognitionem.

Ad. Argū p III. parte. Ad argumenta circa ſecundam partem, C per tertiam concluſionem: naturam cognitam, & abſtractam eſſe, quæ vniuerſalis denominatur; licèt tale eſſe obiectiuum denominationi vniuerſalitatis non ſubſit.

Ad confirmationem. Quod licèt eſſe obiectiuum, ſit ratio per quam homo, vt quid diſtinctum, prædicatur de Petro; non tamen eſt id, quod prædicatur; vt quod; ſed ipſa natura.

QVÆSTIO V. VTRVM SEcunda intentio vniuerſalitatis fiat per abſtractionem intellectus agentis vel poſsibilis.

HÆC eſt quæſtio illa, ſatis inter Dialecticos controuerſa, quæ ſub his verbis ſolet inquiri: per quam intellectus operationem fiat vniuerſale logicum.

A Explanādū petit tituli intelligentia, quid nomine abſtractionis intelligēdū ocurrat. *I. Notab.* Abſtractio latè ſumpta duarum rerum coniunctarum ſeparationem indicat; quæ duplex eſt vna realis, alia rationis; illa eſt qua verè, & realiter vnam rem ab alia ſeparamus, vt cum triticum à palea ſecernimus: iſta verò eſt ſeparatio intelligibilis vnius ab alio, qua ſcilicet per intellectum vnum ab alio præſcindimus; cum tamen in re coniuncta maneant, & ideò non realis, ſed intelligibilis dicitur; & quidem ſuppoſita opinione cuius deciſionem modò non curo, quæ aſſerit intellectum agentem, vim eſſe productiuam ſpecierum, quæ non ſingularia, ſed ſolas naturas ſine conditionibus indiuiduantibus repræſentāt: abſtractio hæc intelligibilis in eam, quæ per intellectum agentem fit, & in illam quæ per intellectus poſibilis functionem, primò diuiditur; illa B nihil aliud eſt quàm productio ſpeciei, naturam ſine ſingularitatibus repræſentātis, quæ etiam phantaſmatum illuminatio ſolat appellari. Abſtractio autem intellectus poſibilis in negatiuam, & præſciſsiuam diuiditur: abſtractio negationis eſt, quando vnum de altero negamus dicendo, hoc nō eſſe illud, in propoſitione negatiua; & ideò abſtractio hæc diuiſiua, ſeu compoſita, nūcupatur, ac proinde in illa poteſt eſſe veritas, vel mendacium: tunc erit vera, cum aliquid negamus de aliquo, quod in re illi nō conuenit; vt cum dicimus homo, non eſt equs: falſa verò cum id quod de aliquo negamus, re vera, coniunctum eſt cum illo vt cum dicimus, homo non eſt riſibilis. Abſtractio verò præſciſsiua, ſiue præſciſsionis quæ etiā ſimplex dicitur, eſt cognitio vnius non cognito alio, ut quandò intellectus nihil affirmat, nec negat, ſed ſimpliciter è C duobus coniunctis, vnum cognoſcit, non cognoſcendo aliud: vt cum cognoſco pariетem, non cognita albedine: in hac, cum nihil affirmetur, vel negetur ſed ſit ſimplex rei appræhenſio, nihil eſt mendacij. Vnde illud Ariſt. iam tritum commune proloquium profluxit: abſtrahentium nō eſt mēdaciū. Abſtractio hæc duplex eſt, vna totalis, alia formalis, ſeu vt alij dicunt vna præſciſsiua, & alia non præſciſsiua: abſtractio formalis, quæ præſciſsiua appellatur eſt, quæ in omnimoda præſciſione cōſiſtit; ita vt id quod ſic abſtrahi dicitur, nullo modo, vt ſic, cōtineat id, à quo abſtrahitur: vt cum

eum cognoſcitur ratio animalis, nõ per modũ totius, & ſuperioris, ſed præciſsè quatenus importat gradum ſenſibilitatis, & nihil aliud. A Totalis verò eſt qua aliquid cognoſcitur per modum ſuperioris, & communis pluribus, ſub illa contentis, per modum totius potentialis in potentia continentis; & in confuſo talia inferiora, à quibus abſtrahitur: atq; adeò conſiſtit in cognitione vnius, & in confuſione multorum ſub illo contentorum. Sic què non purè præciſsiua dicitur, quia id quod ſic abſtrahitur, confũdit, ſeu continet ſub ſe in confuſſo ea, à quibus abſtrahitur. Abſtractio formalis eſt cõmunis ſenſibus, qui etiam ſic abſtrahunt, vt cum oculus videt colorem ſine ſapore; totalis verò abſtractio, ſolius intellectus eſt.

Quibus ſic præiactis quidam confeſſum habent, vniuerſale logicum, atque adeo ſecundam intentionem vniuerſalitatis, fieri formaliter per abſtractionem intellectus agentis, per actionem ſcilicet, qua intellectus agens ſpeciem producit naturam communem, ſine conditionibus indiuiduantibus repræſentantem. B

Argumenta pro hac ſententia eadem ſunt, ac quæ pro ſequenti militant: cum natura in ſpecie repræſentata, nihil amplius habeat, quàm in prima cognitione abſtractiua intellectus poſsibilis; id enim intellectus cognoſcit, quod per ſpeciem intelligibilem repræſentatur: tãtumq; differunt, vt magis, vel minus perfectum. Noſter Doctor planè videtur iſtius ſententiæ, qui q. vniuerſalium in reſponſione ad ſecundum ſic ait. *Ad ſecundum dicitur, quòd intellectus poſsibilis eſt virtus paſsiua, & illa præſupponit ſuum obiectum; ſed intellectus agens non præſupponit; quia non eſt virtus paſsiua: vniuerſale etiam, non eſt obiectum eius ſed quidquid eſt in phantaſmatibus, & vniuerſale eſt, finis eius.* Et 1. metaph. q. 6. C ſic ait *Ad primum dicitur quòd ſi actu vniuerſale eſt per ſe obiectum intellectus poſsibilis, & cauſaretur per ſe ab intellectu agente, tunc non ſequeretur inconueniens;* & clarius 7. metaph. q. 18. §. ad quæſtionem ſic quærens. *Sed quæ eſt cauſa illius indeterminationis, qua obiectum cum habet eſſe primum in intellectu, eſt completè vniuerſale.* Reſpondet ex propria ſententia. *Reſpondeo quod non ſola res, quia non eſt eius in ſe tanta indeterminatio, vt probat illa prima ratio, nec etiam intellectus poſsibilis, quia non reciperet indeterminatius quam obiectum eſſe factiuum*; & paucis interpoſitis *Intellectus igitur agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex ſe, eſt cauſa integra effectiua obiecti in intellectu poſsibili, ſecundum eſſe primum, & hoc, ſecundum completã indeterminationẽ vniuerſalis; nec eſt alia cauſa quòd intellectus agens, cũ natura facit obiectum ſic eſſe, niſi quia eſt talis potentia,* & in fine eiuſdem quæſtionis ſic: *terminus actionis intellectus agentis, non eſt phantaſma, in quod agit, ſed vniuerſale.*

Alij quidem, & nõ pauci, nec infimi nominis, tenent fieri per primã abſtractionẽ intellectꝰ poſsibilis, ita vt natura fiat vniuerſalis in actu primo in ſpecie intelligibili: in actu verò ſecundo, & perfecto quando cognoſcitur abſtracta. Species ergò, ſeu cõceptus licet ſint ſingulares in eſſendo, dicũtur tamen vniuerſales, in repræſentando; quia imago vnica exiſtẽs, plura repræſentat ſub vna ratione, qua ratione dicitur vnũ repræſentatum. Et modus vniuerſalitatis, qui eſt ex parte cognitionis, tranſit in rem cognitam, atq; adeo, ſicut cognitio eſt vniuerſalis in eſſe cognitionis; ita res eſt vniuerſalis in eſſe cognito; & obiectum vniuerſalis in repræſentando, eſt vniuerſale in eſſendo, quod vt ſic poteſt de multis prædicari. Pro hac citantur D. Thom. & Scotus locis q. præcedenti adductis, vbi ipſam abſtractionem vocant vniuerſalitatẽ. Imò & ipſe Scotus 1. metaph. q. 6. ſic ait: *aliter dicitur q intellectus agens, non cauſat vniuerſale: ſed intellectus poſsibilis conſiderans illam quidditatem illimitatam, cauſat in eo vniuerſale: ita q vniuerſale, non eſt per ſe obiectum intellectus; ſed conſequitur etiam actionem primam intellectus poſsibilis*, actio autẽ prima eſt abſtractio, & 7. metaph. q. 18. §. circa huius quæſtionis ſolutionẽ aſſerit, completã rationem vniuerſalis præcedere vniuerſalitatem logicã ſiue habitudinẽ de multis ſic enim ait: *nec ſecunda opinio loquitur de completa ratione vniuerſalis, vt quæſtio habet difficultatem, ſed de quadã intentione, poſteriori naturaliter, ratione eius cõpleta; nam indeterminatio, quaſi cõtraria, qua homo eſt, ſic indeterminatur, vt vnica intellectione conceptus quidditatiuè inſit omni: præcedit naturaliter illam intentionẽ ſecundam, quæ eſt vniuerſalitas logica ſiue habitudo de multis*; vbi nota quod indeterminatio quaſi priuatiua, vel contradictoria, quæ cõuenit naturæ de ſe nõ conſtituit vniuerſale completè; quia per illam natura non eſt ſufficiẽter indeterminata; quia aliunde eſt determinata per ſingularitatẽ, indeterminatio vero contraria conſtituit vniuerſale

Opinio.

completè, & totaliter; quia hæc excludit omnem determinationem, & illam, vt ſic, ait noſter Doctor præcedere relationem vniuerſalitatis: ergò antè illam ex noſtro Doctore, datur completè vniuerſale.

A

Doctores autẽ moderni qui in hac eadẽ ſententia cõueniunt, nõ eodẽ innituntur fũdamẽto: quidã enim ideò ſic opinãtur, quia vniuerſalitatẽ nihil aliud eſſe, quàm ipſam cognitionẽ, qua natura cognoſcitur, ſine cõditionibus indiuiduãtibus ſibi perſuadent.

Alij verò quia vniuerſalitatẽ in ente rationis abſoluto conſiſtere arbitrantur, ſiue illud ſit vnitas, & aptitudo in negatione cõſiſtens, ſiue in poſitiuo.

Alij verò qui licèt vniuerſalitẽ relationem eſſe rationis ad plura intelligant; illam tamen ad ipſam abſtractionem conſequi, fatentur. Vnde argumẽtorum pro hac ſententia, non modica copia eſt, iuxta varios hos ſentiendi modos.

I. *Argumẽ.* Probatur ergò ſic primò. Prima cognitio ſeu abſtractio intellectus poſsibilis, non tantum eſt cognitio, ſed talis cognitio, ſcilicet vniuerſalis in repræſentãdo actũ, & ex præſè, naturam ſine conditionibus contrahentibus: ergò obiectũ talis cognitionis, nõ tantũ denominabitur cognitum, ſed taliter cognitũ, ſcilicet vniuerſaliter, & natura vt ſic erit vna poſitiuè; cũ cognita ſit per cognitionẽ poſitiuè vnam. Tum etiã, quòd non eſt multiplex, cum libera ſit à multiplicitate conditionum plurificantium: & cum nudata ſit à difformitate, habet rationem vniformem, ſiue vniformitatem, & conſequẽter eſt communicabilis: ſi enim per impoſſibile natura realiter exiſteret eo pacto, quo intelligibilitèr eſt abſtracta, eſſet multis communicabilis: obiectum ergò cognitionis, quæ vniuerſalis eſt in repræſentãdo, eſt vniuerſale in eſſendo; cum non ſit ſingulare; inter hæc enim nullum eſt medium. Adde ſi placet quòd oppoſitæ conditiones, & defectus ex oppoſitis cauſis emergunt, & oppoſita oppoſitis rationibus conſtituuntur; ſed ſingulare fit per contractionem; ergò vniuerſale per abſtractionem.

B

II. *Argumẽ.* Secundò rurſus idem probatur, naturam ſcilicet per abſtractionem habere vnitatẽ, & aptitudinẽ vniuerſalitatis: abſtractio intellectus poſsibilis ſe habet admodum actionis agentis naturalis, vnientis duas naturas, & vnitates partiales; ex qua reſultat vnitas totalis; ſic intellectus per abſtractionem vnit intelligibiliter naturã, quæ. v. g. eſt in Petro, & eam quæ eſt in Paulo, non quidem per compoſitionem, ſed per identitatem; quia tollit ab illis rationẽ multiplicationis: ſicut ergò in opinione in qua ſubſtãtia materialis eſt extenſa per quantitatẽ, & quaſi multiplicata in partes: ablata quantitate manet indiuiſibilis, & non multiplicata extenſiuè: ſic natura humana, quæ veluti extenditur, & verè multiplicatur, ratione ſingularitatũ, illis ſublatis, quaſi fluit in vnitatem, non realem: ergò rationis. De aptitudine ſic etiã probari poteſt: eo ipsò quod lapis. v. g. extrahitur à ſuo centro, intelligitur pullulare in illo appetitum quendam quaſi elicitum, quo appetit ſuum centrum; in quo cõſeruatur. Eo ergò ipſò quòd per abſtractionem natura quaſi extrahitur à ſuis ſingularibus, in quibus vt in proprio centro conſeruatur; ſubitò intelligitur, in illa reſultare appetitum quendam ad illa. Tũ maximè quòd id quòd naturæ erat impedimento in ſingularibus, nè haberet proximam aptitudinem, erat cõtractio, atqui ex vi abſtractionis tollitur hoc impedimẽtũ: ſtatim ergò fluit aptitudo hęc proxima.

III. *Argumẽ.* Tertium argumentum hoc magis explicat, & corroborat, vnitas vniuerſalis propria, prout ſingulari opponitur, quam ſcilicet habet ſecũdùm eſſe obiectiuũ, & prout mentis conceptibus ſubſtat: nihil aliud eſt, quàm priuatiò ſeu carentia diuiſionis numericæ in multa, indiuiſio vè in plura. Vnde vnitas præciſionis dicitur, nec enim vnitas vnquàm aliquid aliud addit, quàm indiuiſionem: diuiſio enim, & multiplicatio eſt, quæ repugnat vnitati; vnde ex vi illius res deſinit eſſe: vnitas ergò vniuerſalitatis tantùm addit ſupra naturã, negationẽ diuiſionis, ſeu multiplicitatis repugnantis vniuerſalitati; quod magis ſic illuſtratur. Diuiſio eiuſdem naturæ per differentias reddit naturam plurificatam: ergò negatio talis diuiſionis in natura tollit hanc pluralitatem, & multitudinem, & reddit naturam vnam vnitate vniuerſalitatis; & cum natura ſemper in re ſit diuiſa, in re nõ datur hæc vnitas vniuerſalis: ſed per rationem, per quam tollitur iſta diuiſio, atque adeò eſt vnitas rationis, ſimilitèr aptitudo eſſendi in multis negatio eſt repugnantiæ, quæ ex principijs indiuiduantibus oritur; & indifferentia, ſeu indeterminatio naturæ ad plura, vt ſcilicet poſsit in pluribus eſſe, vt ex Scoto conſtat. 1. lib. metaph. q. 7. & li. 7. q. 18: ſed ex vi abſtractionis manet natura, intelligibiliter priuata ab omni diuiſione, & determinatione ſingularitatum; atque

C

atque adeò à poſsitiua repugnantia; ſicut ex vi extractionis lapidis à cētro ſequitur priuatio realis exiſtendi in centro: ergò intelligitur formaliter vniuerſalis.

Cōfirmat. Confirmatur, ante abſtractionem natura erat fundamentaliter vna, & apta, & cum indifferentia ſecundùm quid propter impedimentum contractionis: ergò abſtracto tali impedimento manet formaliter, & proximè vna; & apta eſſendi in pluribus; nouū enim modum eſſendi, ſequitur noua vnitas, & noua proprietas, & aptitudo; eò maximè quòd naturam cum hac vnitate indiuiſionis, & aptitudine non repugnantiæ poſſumus actù prædicare de ſingularibus, quod ſi ita eſt, quorsùm ſuperaddemus relationem: cum vniuerſale proximū ad prædicationem ſit, quod logica conſiderat.

Certū eſt apud omnes vniuerſale nō fieri per abſtractionē realē: hæc enim eſt impoſſibilis, ſicut eſt impoſſibile dari naturas realiter à ſingularibus auulſas, & euidenter contra Platonicos demonſtratum eſt ab Ariſt: nec per abſtractionē negatiuam; aliàs enim talis abſtractio falſa eſſet; cum prædicata eſſentialia neceſſariò inſint ſuis particularibus: falſum enim eſt dicere, Petrum non eſſe hominem; ſed de abſtractione præciſſionis, & quidem in præſenti de abſtractione puræ præciſsionis, ſeu de abſtractione formali. Qeæſtione verò ſequēti de abſtractione totali, quia eam reputo à cōparatione non diſtingui.

I. Notab. Notandū eſt cū noſtro Doctore 7. metaph. q. 18. §. circa huius quæſtionis &c. vniuerſale poſſe ſumi tripliciter, vel formaliter pro intētione ſecūda, de qua diximus eſſe relationē rationis naturæ vniuerſalis, & prædicabilis ad inferiora, de quibus poteſt prædicari. Et hunc reſpectum ſignificat hoc nomen vniuerſale in cōcreto: & vniuerſalitas in abſtracto. Alio modo ſumitur vniuerſale pro ſubſtracto, vel denominato; pro illo ſcilicet, quod ſubſternitur tali intētioni vniuerſalitatis, & ab illa d̄nominatur, quod eſt aliqua res primæ intentionis; cum ſecundæ intentiones applicentur primis: & hoc modo adhùc poteſt dupliciter ſumi pro ſubiecto remoto, & hoc eſt natura prout cōtracta, & determinata in ſingularibus, & hæc non fit vniuerſalis, niſi fiat actù indeterminata, & vnū intelligibile numero, vnitate ſcilicet rationis, quam ad numericam reuocari poſſe poſtea dicemus. et ſic fit completè vniuerſale. naturæ tamen in hac ſecunda conſideratione non repugnat quātùm eſt ex ſe determinari per ſingularitates, vt explicuimus. Tertio tandem ſumitur pro ſubiecto proximo, quæ diuiſio, eadem eſt, cum ea, quam dialectici communiter tradunt vniuerſalis, in phyſicum, metaphyſicum, & logicum. Sit modo.

I. Conclu. Prima concluſio. Vniuerſale actù, & ſimpliciter tale, non fit per intellectus agentis abſtractionē; ſiue per repræſentationē ſpeciei intelligibilis; idem enim ſunt. Hanc tenent communiter Doctores: ſic noſter Doctor in 2. diſt. 3. q. 1.

Probatur. Probatur. Tum quia ſub iudice lis eſt, an ſpecies productæ ab intellectu agente medijs phātaſmatibus repræſentent primò, & per ſe ſingularia? Imò ſi detur, tales ſpecies repræſentare naturas iſtas ſine differētijs indiuidualibus: dubium adhuc eſt, an iſta repræſentatio ſit tantùm in genere cauſæ efficientis, & ſic per ſpecies non propriè dicentur abſtrahi naturæ; ſed ſpecies B eſſe inſtrumenta, quibus medijs natura cōtracta abſtrahitur ab intellectu poſsibili; & etiam ſi ſit ſimilitudo formalis, erit tamen imperfecta, & non vt terminus intellectionis, ſed vt principium efficiens.

II. Concl. Secunda concluſio. Per abſtractionē formalem, ſeu puræ præciſsionis, non fit natura actù, & formaliter vniuerſalis.

Probatur. Probatur autē concluſio primò: quia vniuerſale, vt ſic, eſt totū potentiale; atq; adeò fit, dum per modū totius potētialis cognoſcitur, cum in re nō habeat hoc: ſed per præciſsionē formalem tantū cōſideratur natura abſolutè, & in ſe, ſecundū ſuam rationē quidditatiuam, & formalem: in qua ratione nō includitur vniuerſalitas, ſicut nec ſingularitas; ſed ab iſtis omnibus ſecundùm hanc rationem abſtrahit: equinitas enim præciſsè ſumpta tantū eſt equinitas, & humanitas tantùm eſt humanitas.

II. Proba. C Tum etiam, natura vt ſic ſub metaphyſicæ conſiderationē cadit: atqui vniuerſalitas non includitur in re, quæ à metaphyſica cōſideratur; cum illa ſit logicæ conſiderationis. Natura ergò ſumpta præciſsè ſecundùm ſuam quidditatem, per præciſsionem formalem, non eſt vniuerſalis.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Per prædictā abſtractionē intellectus poſsibilis, natura manet indifferens, & indeterminata; & vt ſic, nec eſt ſingularis, nec vniuerſalis logicè; ſed in potētia ꝓpinqua, vt per modū totius potentialis cōmunis concipiatur; & acquirat formam vniuerſalitatis: dicitur autem, vt ſic, vniuerſale metaphyſicum; quia ſcientiæ

omnes, & præcipuè metaphyſica, conſiderant naturas rerum ſine conditionibus indiuiduantibus, ſecundùm propriam quidditaté, & prædicata abſoluta, & eſſentialia. Concluſio autem ſic explicata.

Probatur. Probatur, materia prima ad introductionem nouæ formæ requirit expulſionem formæ præcedentis, contrariæ, formæ aduenienti de nouo. Vnde ex vi expulſionis præciſsè, ſolum acquirit formæ expulſæ negationé, qua negatione poſita intelligitur in potentia proxima ad recipiendam ſubſequentem formá. Sic ergo natura, quæ ſuppoſita ſingularitate ad actũ vniuerſalitatis reduci non poterat: quoniã actus iſte ad ſui quaſi introductionem, ſingularitatis (cum qua repugnat) præexigit expulſionem, ex vi talis expulſionis, quæ per abſtractionem fit, nihil poſitiuum ſed ſolam negationé, & á ſingularitate ſeparationem intelligibiliter acquirit, atque adeò; vt ſic, manet in potentia proxima ad actum vniuerſalitatis. Ex quo ſic poteſt argumentum in formam reduci. In phyſicis prior eſt, in genere cauſæ materialis, expulſio formæ antecedentis; quàm introductio formæ ſubſequentis: ergò in metaphyſicis expulſio ſingularitatis, quæ eſt quaſi forma antecedens, præcedit in natura intelligibilé introductioné formæ ſubſequentis, quæ eſt vniuerſalitas: ſed in illo priori, intelligimus naturam eſſe abſtractam: prius ergò eſt naturam eſſe abſtractam, quàm habeat vniuerſalitatem, quæ cum forma relatiua ſit ad inferiora; non poteſt introduci, niſi per actionem aliam, qua comparatiue cognoſcatur, vt dicemus quæſtione ſequenti.

Corollariũ Ex dictis ſequitur, vt benè aduertit Rubio; ex vi ſimplicis abſtractionis naturam, ſolam vnitatem negatiuam acquirere; nimirùm; quod non ſit multiplex; aut diuiſa; per quam non poteſt actũ vniuerſale conſtitui, ſed tantum in potentia: cùm per illã non conſideretur natura, cum habitudine ad ſingularia; ſed ſolum vt præciſsè abſtracta ab illis, non cognitis indiuiduis alias eſſet actio comparatiua, & non merè præſciſsiua, & abſtractiua; de qua præſens quæſtio procedit: & potentia, quam natura, vt ſic, habet non eſt potentia vniuerſalitatis ad actualem prædicationé, ſeu vt actu prædicetur de inferioribus; ſed potétia ad ipſam vniuerſalitaté. Duplex enim poteſt potentia cõſiderari, vna ad actum primum, qui comparatus ad actum ſecũdum habet rationem potentiæ: alia verò ad actum ſecundum. Potétia ergò ſeu aptitudo, in qua dicuntur conſiſtere eſſentiæ rerum, non eſt prima, ſed ſecunda: quia ex vi prioris poté tiæ non dicitur res actu, & ſimpliciter talis, ſed in potentia talis: vnde eſſentia hominis, non conſiſtit in potentia ad rationalitaté, ſed in potétia & aptitudine ad actualem ratiocinationem: ſic ergò natura ex vi abſtractionis prædictæ, dicitur eſſe in potétia proxima; non quidem immediatè ordinata ad actum ſecundum actualis prædicationis; in hac enim conſiſtit eſſentia actũ vniuerſalis, ſed in potentia proxima ad recipiédam formam, & quaſi actum primum vniuerſalitatis. Vnde vt ſic, non eſt actũ vniuerſalis, ſed in potentia vniuerſalis. Cũ ergò natura, vt ſic abſtracta, ſit vniuerſale metaphyſicum illius vniuerſalitas negatiua eſt; quippè cum vnitas, & potentia illius in priuatione conſiſtat.

IIII. Cõcl. Quarta cõcluſio. Natura ex vi repræſentationis in ſpecie intelligibili, ſuppoſito quod ſine differentijs indiuiduãtibus repræſentetur, id ipſum habet, quod in ſimplici dicta cognitione, ſed nõ ita perfectè, & ex præſsè, ſed veluti in virtute, & in potentia, iuxta modum diſtinctionis, repræſentationis, ſpeciei intelligibilis, & ipſius cognitionis, quæ actualis ſimilitudo & expræſſa ſpecies dicitur, vt optimè noſter Doctor lib. 7. metaph. q. 18. vbi ſic *de illo igitur tertio modo accipiendi vniuerſale, reſtat videre, an ſit primo in intellectu* (per vniuerſale antè tertio modo intelligit Doctor vt vidimus, naturam in potentia proxima, iuxta ſenſum ſupra expoſitum, de illa ergò vt ſic ſubdit: *& diſtinguo quòd dupliciter poteſt eſſe in intellectu obiectiuè, ſicut modò loquimur de eſſe in. Vno modo habitualiter, & alio modo actualiter; ſiue in actu primo, & ſecundo: primo modo eſt, ibi quando eſt ibi vt immediatè motiuum ad intellectionem*, (ſcilicet in ſpecie intelligibili) *ſecundo modo quando actualiter intelligitur.*

Ad. Argũ reſpõdet. Teſtimonia autem adducta ex noſtro Doctore, ſic ſunt intelligenda.

Ad I. Primum ex quinto vniuerſalium cum Mauritio, & Sarnano: quòd loquitur noſter Doctor de obiecto motiuo per ſpeciem intelligibilem; & hoc præſupponitur ad intellectum poſsibilem qui reſpectu ſpecierum, non eſt virtus actiua, ſed paſsiua: ad intellectum verò agenté, non præſupponitur: eſt enim vis productiua illius in eſſe intelligibili, ſeu ſpeciei in qua intelligibiliter

relucet

ſcilicet in actu primo, vnde nullum vniuerſale; ſiue reale in potentia proxima; ſiue logicum, eſt obiectum præſuppoſitum reſpectu agentis (niſi tantum in potentia remota) dicitur tamen terminus intellectus agentis, natura quidem in potentia proxima, quatenus producit ſpeciem, in qua repræſentatur; & ſi de vniuerſali logico intelligere vellis, notanter dixit noſter Doctor, eſſe finem intellectus agentis, & non effectum; quia ad illum tandem tendit operatio illius, excluſiuè, vt aduertit Mauritius.

Ad. II. Ad ſecundum teſtimonium quod ibi nihil determinat de vniueſali, ſed iuxta varias opiniones loquitur; vt ex ipſo contextu planè conſtat; ſic enim ait *ad primum dicitur alıter dicitur.*

Ad. III. Tertiũ teſtimonium arctius nos premere videretur, niſi ibi loqueretur de vniuerſali tertio modo ſumpto, quod ſupra dixerat eſſe ſubiectum propinquum, ſeu naturam in potentia proxima ad vniuerſalitatẽ; quæ vt ſic habet indeterminationem completã vniuerſalis methaphyſici, non verò logici, quod aliquid amplius requirit vt dicemus. talis ergò indeterminatio naturæ, vel eſt in ſpecie intelligibili, quæ eſt immediatè motiua intellectus, & vt ſic nõ cauſat eam intellectus poſsibilis, ſed intellectus agens: vel eſt in intellectu actualiter intelligente, & ſic certum eſt, fieri ab intellectu poſsibili qui ſolus eſt intellectus intelligens, non verò intellectus agens.

Ad vltimum. Ad vltimum teſtimoniũ, tantũ ibi voluiſſe Doctorem, quod diximus ad primum.

Ad argu. Teſtimonia autem, quæ pro ſecunda ſententia adducuntur in eundẽ ſcopũ tendunt; tantùm enim in illis loquitur de vniuerſalitate, & in determinatione vniuerſalis metaphyſici, quod fundamentũ eſt logici. Sed vt benè aduertit. Suar. diſp. 6. ſuæ metaph. ſect. 6. quod de vniuerſali potentiali relucẽte in ſpecie intelligibili dictũ eſt, id quidẽ ſolum eſt intelligendum, de vniuerſali ſpecifico: cum natura, quã repræſentat ſit abſtracta à differentijs indiuiduantibus; & hoc quidẽ ſuppoſita illa opinione. Nos enim illã modò non determinamus, cum habeat proprium locum.

Ad argu. p. II. Opi. Reliquum eſt vt argumenta pro ſecunda opinione obiecta diluamus.

Ad I. Argumẽ. Ad primũ: illam cognitionẽ abſtractiuã eſſe abſolutam, atq; adeò ex vi illius tantũ cognoſci naturam ſecundùm ſe: hoc eſt ſecũdũ ſua prædicata eſſentialia, ex vi quorũ non dicitur natura formaliter vniuerſalis: per illam ergò non cognoſcitur, vt formaliter vniuerſalis, & cõmunis cũ aptitudine ad (A) plura; alias non abſoluta, ſed cõparatiua, & reſpectiua eſſet, vt dicem9; aptitudo enim hæc, quid reſpectiuũ eſt, in eſſentiali ordine ad inferiora conſiſtens, atq; adeò nec ex vi illius cõſtituitur formaliter vniuerſale, cũ natura per aptitudinẽ ad multa in eſſe vniuerſalis formaliter conſtituatur. Nec hoc mirum eſſe debet, prius enim ſine poſteriori exactè valet intelligi, vt animal ſine homine; atqui naturam eſſe abſtractam ab indiuiduis, præſupponitur ad hoc quod ſit apta pluribus cõmunicari; benè ergò poteſt natura intelligi, vt abſtracta, quin intelligatur, vt apta pluribus communicari.

Ex vi ergò prædictæ abſtractionis tantũ cõſtituitur abſtractiuè cognita; nec dicens ſingularitatem, nec vniuerſalitatem, ſed ad vtrũq; indifferens. Indifferens porrò, vt ſic nõ habet id ad quod eſt indifferẽs: & ex vi (B) illius conſtituitur vna negatiuè, reducta de potentia remota, ad potẽtiã proximã; vt in illa, inducatur forma vniuerſalitatis, atque adeò illa ſola non ſufficit ad conſtitutionẽ actu vniuerſalis. Vniformitas etiã & cõmunicabilitas, quã tunc habet, negatiua tantũ eſt, quæ in hoc conſiſtit, quod natura nõ ſit incõmunicabilis, quippè, cum libera ſit à ſingularitatis incõmunicabilitate.

Ad figmentum autem illud Platonicum naturarum à ſuis ſingularibus ſeparatarum realiter; quod in exẽplum adducitur; fatemur quidem, illo impoſsibili admiſſo, non ſolũ negatiuè, ſed etiam poſitiuè fore vniuerſales, participabiles nimirùm per poſitiuam aptitudinem, & hoc ideò, quòd ex vi ipſarum naturarum tales fluerent aptitudines; quia quando aliquid eſt in potentia reali ad aliquem actum ex vi ipſius naturæ pullulat in ipſa aptitudo ad illum. Cæte- (C) rum vniuerſalitatis aptitudo cum quid rationis ſit, nequit ex ſola vi entitatis naturæ formaliter oriri, & cum relatiua ſit, nequit ex ſola cognitione abſoluta, qualis eſt abſtractio formalis conſurgere.

Ad aliud tamẽ de ſingularitate, illud verum eſſe de oppoſitis propriè; vnde ſingularitas ſumpta pro modo reali contrahente, & determinante naturam, & vniuerſalitas metaphyſica, quæ in indifferẽtia, & indeterminatione, ſeu negatione intelligibili ſingularitatis conſiſtit, opponuntur, & ſic conſtituuntur oppoſitis rationibus, illa per contractionem, hæc per abſtractionẽ. Similiter

ſingularitas ſumpta, pro reſpectu rationis ad ſuperius; & vniuerſalitas reſpectiua opponuntur, oppoſitis quę rationibus conſtituuntur; illa per comparationem inferioris ad ſuperius; hæc per comparationem ſuperioris ad inferius.

Ad. II. Secundi argumenti progreſsio, ſolā vnitatem indiuiſionis & proximam potentiā, & quaſi appetitum intelligibilem ad ſingularitatem, & vniuerſalitatem concludit, qui non ſufficit conſtituere actū vniuerſale, cuius aptitudo, & vnitas relatiua & poſitiua immediatè ordinata ad actum ſecundum debet eſſe: illa autem tantùm eſt in ordine ad actum primum, atq; adeò cōſtituit vniuerſale in potentia. Carentiam enim aptitudinis formalis, quis vnquam ſibi in animum poterit inducere, poſſe; naturam formaliter, & in actu primo aptam, & communicabilem conſtituere?

Ad. III. Ad tertium argumentum. Illud quidem verum eſſe de vnitate vniuerſalis metaphyſici, quæ in ſola indifferētia, & negatione ſingularitatum conſiſtit; cùm vniuerſale metaphyſicū tantùm ſit, natura denudata ab omni ſingularitate: vnitas verò vniuerſalis actū, plura reſpicit poſitiuè. Negamus autē in ſententia noſtri Doctoris, omnem vnitatē in negatione formali conſiſtere.

Ad. Cōfir. Ad confirmationē, aliquid amplius habere naturam in ſtatu abſtractionis, quā in re; in re enim erāt multiplicata, & diuiſa, in abſtractione autem indiuiſa, (vt benè probat ſecundum argumentū) & per impedimenti ſecretionē, in potētia proxima ad actum vniuerſalitatis, non tamen immediatè ad actū prædicationis. Vnde falſum eſt, ſuppoſita ſola abſtractione, poſſe immediatè fieri prædicationē; cū eo ipſo ꝙ intellectus prædicet naturā de ſingulari, prius videat, talē naturā eſſe aptam ad exiſtendū in illo, quæ cognitio eſt comparatiua.

C

QVÆSTIO VI. AN FORMA *vniuerſalitatis per actionem cōparatiuā fiat?*

Quæſtionem hanc quiſq; poſſet ex præcedenti diffinire, nonnulla tamē diſſerere licèt, vt controuerſia hæc omninò maneat expedita, nec enim res difficiles paucis dirimi poſſunt. Pro tituli ergò intelligentia.

Nota Per inteligentia tituli. Explicandum eſt quid ſit cōparatio. Eſt ergò cōparatio actus intellectus poſsibilis, quaſi reflexus, quo in rem cognitam iterū quaſi reflectitur, eam in ordine ad alteram cognoſcendo. Notāter autem dicitur, quaſi reflexa; cum actus propriè reflexus, ſit cognitio cognitionis, quo nempè intellectus ſupra ſuam cognitionem reflectitur, vt eam cognoſcat, per actionem verò comparatiuam, non in primam cognitionem, ſed

A

in rem cognitam per ipſam reflectitur: cōparatio enim extremorum eſt, quæ per talē cognitionē conferuntur. Vnde collatio, ſeu actio collatiua etiam appellatur; & hæc eſt duplex, vna ſimplex, alia cōpoſita (cum cōparatio, vt ſupra diximus non ſolū in ſecunda, ſed etiam in prima operatione reperiatur) quā diuiſionem ſub his verbis cōprehendit Scotus in 1. d. 23. q. vnica litera C. *omnis ſecunda intentio eſt relatio rationis, non quacumq; ſed pertinens ad extremū, vel actus intellectus componentis, vel diuidentis, vel ſaltim conferentis vnum ad alterum.* Comparatio ergo, ſeu collatio ſimplex, ſeu ad ſimplicem operationem ſpectans eſt, qua intellectus vnum in ordine ad aliud cognoſcit ſimplici noticia ſine affirmatione, vel negatione; vt cum cognoſcit vnum relatiuum in ordine ad aliud, vt patrem in ordine ad filium; nec enim ideò prima operatio dicitur ſimplex apprehenſio, quia per illā nequeant plures res apprehendi, ſed quia per illam nihil affirmatur, vel negatur. Cōpoſita verò cōparatio eſt, qua intellectus vnū cū altero intelligibiliter connectit, per actualem, & expreſſam compoſitionem, & prædicationē, in propoſitione dicente hoc eſt hoc, atq; adeò cū actuali, expreſſo, & formali iudicio de tali conuenientia. Illa ſolet dici comparatio virtualis, ſeu in actu ſignato, cum per illam maneat res, vt ſic, comparata, prædicabilis. Hæc verò actualis, & in actu exercito pertinens ad ſecundam intellectus operationem.

B

Pro parte ergò negatiua adhuc ſuperſunt argumenta.

Primum eſt, quādo intellectus ſupra hominem ſic abſtractè conceptū reflectitur iterum, conſiderando conditionē, & veluti ſtatū illius, cognoſcit illū, cōmune quid eſſe omnibus ſingularibus: ſed in hac cognitione non fallitur intellectus, vt liquet: nec homini ſic cōcepto aliquid nouum tribuit; ſed concipit conditionem, & ſtatum præexiſtētem ex vi prioris cognitionis adeptum: reflexio ergo intellectus nō facit, ſed iam factam vniuerſalitatē ſupponit, & cognoſcit. *I. Argumē.*

Confirmatur. Actus, quo cōparamus naturā cum inferioribus, nō facit illam magis cōmunē, quā fecerat intellectus abſtrahēs, ſed ſolū illā refert ad inferiora, quæ tamen non poſſet referri, niſi prius ſupponeretur *I. Cōfirmat.*

vna, apta

vna apta eſſe in illis; hæc enim cauſalis eſt vera; ideò natura hæc, refertur ad hæc ſingularia, quia eſt vna, apta eſſe in illis; relatio quippè numquam conſtituit ſubiectum vnum, ſed illud vnum refert.

II. Cõfir. Rurſus actualis prædicatio, & cõparatio ſunt idẽ: cum actualis prædicatio ſit cognitio, qua intellect9 cognoſcit duo extrema, vnũ in ordine ad alterũ, ſed per cõparationẽ cognoſcit intellectus naturã in ordine ad inferiora, & idẽ eſt dicere homo eſt animal, ac dicere animal eſt in homine, quod fit per cõparationẽ. Tum etiã; quòd in cõparatione reperitur verũ, vel falſum; quandò enim intellectus cõparat naturã humanam ad ſingularia, in quibus eſt, dicit verũ; quandò verò ad illa, in quibus non eſt, dicit falſum; imò quod cõparatio eſt iudiciũ quoddam intellectus, quo iudicat naturã abſtractam inferioribus conuenire: ſed vniuerſale nõ fit per actualem prædicationem: ergò nec per comparationem.

Quidam modus explicand comparationem. Quidã cõparationẽ, qua vniuerſale fit, dicũt illã eſſe, qua cognitis prius ſingularibus per proprias illorũ ſpecies, vt Petro & Paulo; cõparat illos inter ſe, & videt illos cõuenire in natura humana, vt in ratione cõmuni; & per prædictam cognitionem efficitur actu vniuerſalis.

Alius modus. Alij autẽ, vt pacis amatores, hanc litẽ cõponere, & diſſentientes opiniones in cõcordiã ita redigere conantur, vt vna quæq; in ſuo ſenſu verũ proferat. Quã obrẽ duplicẽ conſtituunt vniuerſalitatẽ; vnã abſolutam; quæ in vnitate, & aptitudine abſoluta cõſiſtit; & aliã reſpectiuã, ex quibus duplex concretũ vniuerſale extruitur: illã relatiuã eſſe tantũ ſecundũ dici; hanc verò ſecundùm eſſe fundatã in prima, ad modũ relationis realis, quæ fundatur in potentia; primã dicunt fieri per abſtractionẽ præciſiuã intellectus; ſecundã verò per cõparationẽ. Nos tamen ſequentibus cõcluſionibus, rem hãc iuxta placitũ noſtri Doctoris expẽdemus.

I. Conclu. Prima cõc. Actualis vniuerſalitas, ſeu immediata aptitudo, immediatè ordinata ad actum prædicationis, & vnitas poſitiua multorũ, in quibus cõſiſtit eſſentialiter vniuerſalitas, non fit per cõparationẽ cõpoſitã, ſeu actualẽ prædicationẽ. Hæc ſatis nota eſt inter eos, qui de rebus logicis bene ſentiunt, eamq; multis rationibus probat; ſed nobis

Fũdamẽtũ huius cõcluſioni hæc ſufficiat. Inter actũ ſecundũ, & primũ eſt eſſentialis ordo, ita vt actus ſecundus, qualis eſt operatio neceſſariò ſupponat actum primum, ſeu potentiam, à qua oritur; ſed actualis prædicatio eſt actus ſecundus; ergo neceſſariò ſupponit actũ primũ, ſeu proximam potentiam, & aptitudinẽ immediatè ordinata ad actualem prædicationẽ; ab actu enim ad potentiam euidens eſt conſequentia; currit, ergò prius ſupponitur potens currere: ergò prius quàm natura actù prædicetur, ſupponitur in illa aptitudo prędicabilitatis, ſeu poſſe actu eſſe in multis, .l. prædicari; in illa autem aptitudine conſiſtit eſſentia vniuerſalitatis.

Secunda concluſio. Vniuerſalitas fit per actionẽ cõparatiuã ſimplicem, qua intellectus poſsibilis poſtquàm naturã præciſè apprehendit, illã abſtractè conceptã, confert cum inferioribus, in quibus eſt; ſeu illam in ordine ad inferiora cognoſcit, & cõtẽplatur: & vt verbis noſtri Doct. loquar 7. metaph. q. 18. natura acquirit hanc ſecundã intentionẽ vniuerſalitatis, prout in intellectu cõparãte. Et colligitur apertè, hanc ſententiam eſſe noſtri Doctoris, ex locis ſupra adductis; vbi de ſecũdis intentionibus agit; ſentiuntq; cum eo, non ſolum Scotiſtæ, ſed etiã multi ex Thomiſtis imò D. Thomas apertè videtur eſſe in hac ſententia. 1. p. q. 18. art. 1. vbi ait relationes rationis tãtum eſſe in apprehenſione rationis, conferentis vnũ ad aliud; & opuſcu. 55. c. 1. ſpecies (ait) non eſt vniuerſalis, ex eo quòd ſit in anima, ſed ex eo quòd comparatur ad res. *II. Concl.*

Probatur autẽ cõc. ſic: vniuerſale, vt vniuerſale, eſſẽtialiter reſpicit inferiora, vt cõſtat ex illius diffinitione ab Ariſt. tradita quæ eſt, vnũ aptũ eſſe in multis, .l. prædicari de multis; vbi per ordinẽ ad inferiora diffinit; quòd etiã cõſtat; ex peculiaribus diffinitionibus quinq; vniuerſaliũ: gen9 enim per ſpecies, & ſpecies per indiuidua diffiniũtur; nõ ergo aliter poteſt vniuerſale cognoſci, niſi in ordine ad inferiora: ergò nec poteſt fieri aut eſſe, niſi per cognitionẽ relatiuã, ſeu cõparatiuã. Tunc enim eſt, aut fit quãdò cognoſcitur per vos: adde etiã, quod relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione: non ergò poterit eſſe relatiuũ rationis obiectiuè in intellectu, quin etiã eodẽ modo ſit ſuũ correlatiuũ; hoc autẽ modo nequeũt obijci, niſi in cognitione, qua vnũ cũ altero cõfertur. Quod idẽ ſic poteſt amplius illuſtrari, & cõfirmari: de eſſẽtia vniuerſalis ſunt vnitas, nõ quæuis; ſed vnitas, qua in eſſe vnius, in multis cõſtituitur, & aptitudo qua d. multis eſt prædicabile; aptitudo autẽ cũ dicat ordinẽ ſiue ſecũdũ eſſe, ſiue ſecũdũ dici, vt ad minꝰ tenentur fateri ad id, ad ꝙ eſt aptitudo, & *I. Probat. Concluſio.*

 potentia,

potentia, non poteſt cognoſci, niſi cum tali ordine: vnde ſcientiæ per obiecta, & potentiæ per actus cognoſcuntur; non ergò poſſunt vnitas, & aptitudo vniuerſalis cognoſci niſi in ordine ad inferiora: ergò per cognitionem comparatiuam. Itidem natura non eſt abſtracta niſi quandò abſtractè, & præſciſsè cognoſcitur: ergò ad hoc quod ſit apta eſſe in multis, debet ſic cognoſci, ſed ex vi abſtractionis formalis nō intelligitur cum hac aptitudine; quia aliàs talis cognitio eſſet comparatiua; imò ex vi illius abſtractionis inferiora auferuntur, & intelligitur natura ſine illis: ergò ex vi actionis collatiuæ, & non abſtractiuæ, ſeu purè præſciſſiuæ, fit vniuerſale.

II. Probatur. Secundò probatur: termini formaliter diſtincti, ab actionibus formaliter diſtinctis debent procedere; ſed vniuerſale metaphyſicum, & logicum diſtinguūtur formaliter: cum ergò illud fiat per abſtractionem, hoc fieri debet per comparationem.

III. Probatur. Tertiò tandem probatur concluſio; forma non cōſtituit proprium receptibile formaliter tale, niſi pro vnita illi: ſed aptitudo vniuerſalis actu, & formaliter, nō vnitur intelligibiliter naturæ, niſi per cōparationem? Ergò talis forma, aut aptitudo vniuerſalitatis, non conſtituit intelligibiliter naturam formaliter vniuerſalem, niſi ex vi comparationis.

III. Concl. Tertia concluſio. Cum abſtractio totalis ſit cognitio quædam comparatiua; natura fit actu, & formaliter per abſtractionem totalem, quod idem eſt, ac fieri per cōparationem.

Probatur. Hanc mihi ſic perſuadeo. In hoc potiſsimè diſtinguitur abſtractio totalis ab abſtractione formali, quòd hæc in mera ſeparatione intelligibili vnius ab alio conſiſtit, quorum neutrum, vt ſic, continet illud, à quo abſtrahitur; vt cùm abſtrahimus abſtractione formali albedinē à pariete, vt ſic, non continet illum, nec poteſt de illo prædicari. Vnde res abſtracta, tantùm habet id, quod ſibi ex ſe conuenit, & ſolum acquirit negationem intelligibilem illius, à quo abſtrahitur: abſtractio verò totalis eſt cognitio naturæ per modum totius potētialis, rationis que ſuperioris, communis pluribus inferioribus ſub illa contentis; ideò enim totalis dicitur; aliàs in nullo à priori diſtingueretur: ergò talis cognitio non eſt in re abſoluta, ſicut formalis, ſed comparatiua; natura enim licèt ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, & ſecundùm ſuā quidditatem poſsit cognoſci, cognitione merè abſoluta, & præſciſsiua: vt ſuperior tamen, & vt communis, totumq; potentiale nequit merè abſolutè cognoſci, ſed in ordine ad illa reſpectu quorum eſt communis, & ſuperior, vt ex dictis conſtat, & ex infrà dicendis magis patefiet.

A

I. Corolar. Ex dictis licet colligere quæ ſequuntur. Primum, naturam in ſingularibus exiſtentem, eſſe vniuerſalem, in potentia remota; dici que vniuerſale phyſicum; quia cum ſit in ipſis ſingularibus, ſenſibilibus mutationibus ſubditur; de quibus agit pyhloſophia; eandem verò, abſtractione formali, cognitam, denudatam que à quacumque indiuiduatione, & ſingularitate eſſe in potentia proxima vniuerſalem; cæterum actione cō paratiua cognitam, ex vi cuius accipit relationem ad plura eſſe vniuerſale logicū. Vnde ſicut actio productiua caloris in genere cauſæ efficientis, conſtituit lignum (exempli gratia) calidum; calor verò per illā productus in genere cauſæ formalis. Sic etiam

B

actio comparatiua intellectus, & quaſi productiua vniuerſalitatis aptitudinis ve ad plura, naturam cōſtituit vniuerſalē, quaſi in genere cauſæ efficiētis, vniuerſalitas verò per illam reſultans in genere cauſæ formalis; hoc q; ordine fieri tale vniuerſale; quòd prius intellectus cognoſcit naturā præciſſe ſecundùm ſuam eſſentiam, non conſiderando conditiones indiuiduantes, qua cognitione natura acquirat aliquod eſſe rationis, hoc tamen abſolutum eſt, vt diximus, atque adeò non eſt forma vniuerſalitatis, requiritur autē quòd cognitio hæc, omnes alias antecedat: cum non poſsim ego cognoſcere an duo ſingularia ſint eiuſdem naturæ, niſi præuideam, quæ natura ſit hæc. Tādem ſequitur cognitio, qua illam naturam cognoſcit intellectus, in ordine ad inferiora per modum totius ſuperioris.

C

II. Corolarium. Secundum eſt, quòd licèt natura in re multiplicetur, cum vnitate ſua formali, & indifferentia illa negatiua ſupra expoſita: non tamen ideò multiplicantur, vniuerſalia, v.g. naturæ humanæ, quia vnitas formalis, non eſt vnitas vniuerſalitatis; hæc enim fundatur in natura, prout facta vna per indiuiſsionem, & negationem multitudinis.

Obiectio. Si autē dicas: ſaltem multiplicabitur vniuerſale, ad multiplicationem cognitionum, quibus fiunt, atq; adeò, tot erunt vniuerſalia, aut ſpecies hominis, quot ſunt comparationes.

Solutio. Reſpondeo. Solum ſequi ipſam vniuerſalitatem multiplicari, ſecundùm comparationum

rationum multitudinem: ſed non multiplicari vniuerſale in concreto: cũ ad hoc quòd concretum accidentale multiplicetur, non ſufficiat ipſam formam multiplicari. ſed requiritur multiplicatio ſubiecti; vt licèt in eodem homine, ſint plures ſcientiæ; nõ ſunt plures ſciẽtes; ſed vnus ſciens Quia ergò ſubiectum vniuerſalitatis ſcilicèt natura, vt abſtracta, manet vna, & indiuiſa, & indiſtincta, quippè cum omnia principia diſtinctionis ſint ſeparata intelligibiliter. Ideò vniuerſale talis naturæ eſt vnum.

3. Corollarium. Tertium tandem eſt, vnitatem vniuerſalitatis vocari à noſtro Doctore vnitatem præſciſsionis hic, in 2. diſt. 3. quæſt. 1. non quia ipſa formaliter cõſiſtat in abſtractione, & præciſsione, ſed quia illam neceſſariò præſupponit, & fũdatur in natura præſciſſa. Vnde vniuerſale logicum dicit negationem, & præſciſsionem ſingularitatis, nõ formaliter, ſed præſuppoſitiuè, & vt fundamentum. Vocari etiam vnitatem numericam; non ſimpliciter, & realiter, ſed rationis, vel obiectiuam, ſic enim ait loco dudũ commemorato, *quod quidem vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti, ſecundum quam ipſum idem eſt prædicabile de omni ſingulari, dicendo, quod hoc eſt hoc.* Et patet ratione noſtri Doctoris, quia natura, vt vniuerſalis concipitur ac ſi eſſet vna numero: quapropter cum illam intellectus ſingulis attribuat indiuiduis dicendo, hoc eſt hoc, procedit ac ſi prædicatũ eſſet quoddam indiuiduum.

Argumẽta ſoluuntur. Ad argumenta in principiò obiecta.

Ad I. Ad primum, quod per hanc reflexionẽ tantùm cognoſcit intellectus in ipſa natura eſſe potentiam ſuprà expoſitam ad formam vniuerſalitatis, atq; adeò non cognoſcit tunc illam, vt præſuppoſitam logicæ cõmuné, ſed per hanc cognitionem cõſtituit.

Ad. Cõfir. Ad confirmationem: illam comparationem, nõ facere naturam magis communé, ſed formaliter communem.

Ad. II. Ad ſecundum, negatur antecedens, loquendo de cõparatione ſimplici, vt in principio quæſtionis vidimus, quæ comparatio non conſiſtit in affirmatione, vel attributione vnius ad alterũ, ſed in cognitione vnius in ordine ad alterum. Dupliciter ergò poteſt cognoſci, naturam eſſe in multis inferioribus, vel cõuenire inferioribus. Primò ſimplici intuitu; ideſt non actualiter, & expræſsè affirmando; ſed cognoſcendo illam in ordine ad inferiora, quod ſimplici cognitione fit, vt patet in cognitione relatiuorũ. Secundò per expreſſam, & actualem attributionem, quæ in actuali prædicatione cõſiſtit. In prima cõparatione datur indiciũ, attributio, & veritas, vel falſitas, formaliter, & expreſsè: in primo verò, tantùm virtualiter; ex vi ergò prioris comparationis reſultat vniuerſalitas, quæ in aptitudine relatiua conſiſtit: ex vi verò ſecũdæ reſultat relatio actualis prædicati, ex quibus ſequitur actualem prædicationem iddẽtificari, cum comparatione compoſita; nõ verò cũ ſimplici.

QVÆSTIO VII. VTRVM vniuerſalitas ſit per ſe intelligibilis.

QVæſtioné hanc mouet noſter Doctor, q. 5. vniuerſalium, ſub his verbis: an vniuerſale ſit per ſe intelligibile (vti ipſe ſupponit) quæſtionem procedere de ipſo vniuerſali pro formali, ſeu de ipſa forma vniuerſalitatis. Videtur autem nullo modo eſſe intelligibilem.

Primò. Secundum Ariſt. de ſenſu, & ſenſato: nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu; ſed vniuerſalitas nunquam fuit in ſenſu, non enim datur à parte rei, vt viſum eſt: ergò nec in intellectu. Quãdò enim ſunt duæ potẽtiæ eſſentialiter ordinatæ, nihil poteſt eſſe in potentia poſteriori, quin prius fuerit in potentia priori. *I. Argu.*

Secundò. Omnis potentia paſsiua, ſuum obiectum in actu ante eius operationé ſupponit, ſed intellectus poſsibilis eſt potẽtia paſsiua ex Ariſt. 3. de anima textu, 5. ergò ante omnem ſuam operationem ſupponit ſuũ obiectum in actu; ſed vniuerſalitas nõ ſupponitur, vt patet, ſed fit ab eo; non ergò eſt per ſe intelligibilis. *II. Argumẽ.*

Tertiò. Intelligibilitas eſt paſsio entis realis: ergò non competit per ſe enti rationis. Conſequentia patet: quia ens reale, & ens rationis opponuntur: ergò propria paſſio vnius oppoſiti, non poteſt eſſe alterius. *III. Argumẽ.*

Confirmatur. Obiectum intellectus eſt ens reale, vt omnibus metaphyſici proditum eſt; ergò ſoli illi conuenit intelligibilitas. *Confirm.*

Quartò. Vniuerſalitas, (ſicut & quæuis alia intentio) intelligitur per ſuum fundamentum: ergò non per ſe. Cõſequentia clara eſt; cũ per ſe, & per aliud ſint oppoſita. *IIII. Argumẽ.*

Quintò. Sic probatur, ratione quadam noſtri Doctoris, qua quæſtione 4. vniuerſalium vniuerſalitatem eſſe ens, oſtendit ſic. *dicendum quod vniuerſale eſt ens, quia ſub ratione non entis nihil intelligitur, quia intelligibile mouet intellectum, cum enim intellectus* *V. Argumẽ.*

ſit virtus paſſiua, per Ariſt. 3. de anima, non operatur, niſi moueatur ab obiecto: non ens non poteſt mouere aliquid, vt obiectum; quia mouere eſt entis in actu.

Corollari. Ex his ſic colligo, intelligibile debet mouere intellectum ad ſui intellectionem, quod de motione per productionē ſpeciei intelligibilis, & receptionem illius in intellectu poſſibili neceſſariò intelligēdum eſt: quia ſecundùm hanc motionem, tātùm eſt potentia paſſiua, cum tamē aliàs ſit actiua, vt ipſe Scotus eiſdem verbis affirmat. *Non operatur niſi moueatur ab obiecto intellectus:* Ergo eſt operatiuus, & actiuꝰ. Tunc ſic vniuerſalitas, non poteſt ſic mouere intellectū (ſicut nec quodlibet aliud ens rationis) productio enim ſpecierum, nequit eſſe niſi à cauſa reali: vnde nec reſpectu illius intellectus eſt potentia paſsiua: ergò non eſt intelligibilis.

Controuerſiæ illius intelligentiā, ex verbis noſtri Doctoris aliquos vexaſſe Scotiſtas, aſſerit Sarnanus, ita vt in varias ſententias ſint diſtracti. Nos tamē rem hanc paucis dirimemus, cum illius ex acta intelligentia, ne queat modò tradi: dependet enim ex multis, quæ in phyloſophia, & metaphyſica edocentur. Pro intelligentia tamē noſtri Doctoris operæ pretium erit nonnulla obſeruare ex eodem.

I. Notab. Primum quòd ſicut ens conuenit æquiuocè analogicè enti rationis, & enti reali; enti quidem reali principaliter, & antonomaticè, enti verò rationis reductiuè, ſic etiā intelligibilitas, quæ ens ſequitur. Hinc eſt, quod obiectum adæquatum intellectus eſt ens reale; & iſtius entis realis paſsio, eſt intelligibilitas: ens verò rationis pertinet ad hoc obiectum reductiuè, & ſic ſuam habet intelligibilitatē proporcionalem; quia vnū quodque, vt ait Ariſt. 2. metaph. tex. 4. *ſicut ſe abet ad eſſe, ita ad intelligi*; cum ergo ens rationis tenuem habeat entitatem, intelligibilitatem etiam habet tenuem, & iſta tenuis intelligibilitas competit ſecundis intētionibus.

II. Notabile. Secundum eſt, obiectum quoddam eſſe motiuum, & terminatiuum ſimul, quod ſcilicet non ſolum terminat intellectionem, ſeu intelligitur, ſed etiam per propriā ſpeciem præmouet intellectum ad ſui intellectionem; aliud verò terminatiuum ſolū ſit.

I. Conclu. Prima concluſio. Vniuerſalitas ſicut & quælibet alia ſecunda intentio eo modo, quo & eſſe, & diffiniri, ita & intelligi, & ſciri ſortitur.

Probatur. Concluſio. Probatur autē ratione noſtri Doctoris: Omnis potentia cognoſcens per ſe differētiam inter aliqua duo, cognoſcit vtrumque extremū ſub propria ratione; qua ratione probat Ariſt. 2. de anima dari ſenſum communē, qui per ſe appræhendat omnia obiecta aliorū ſenſuū, quia per ſe percipit differētiā inter illa; ſed intellectꝰ per ſe cognoſcit differētiā inter naturā, & ipſam vniuerſalitatē, à qua denominatur vniuerſalis, & cognoſcit hāc nō eſſe de eſſentia illius; ſed modū quendā accidētalē ab intellectu ei attributū: ergō per ſe intelligit vtrūq; extremū; quod autem intelligitur, intelligibile eſt.

Vnde falsò nonnulli aſſerunt intelligibilitatem, non eſſe paſsionem entis rationis actualis; ſed ſolum entis rationis poſsibilis, totāque eſſentiā entis rationis actualis cōſiſtere in actu cognoſci, & non in eſſe cognoſcibili: eſſentiam verò entis rationis poſsibilis conſiſtere in intelligibilitate; hoc inquā falſum eſt. Tum quod res quæcumq; ſit, ſiue in eſſe poſsibili, ſiue in eſſe actuali eādem eſſentiam habet: tum quod cognoſci, eſt fieri entis rationis, aut acquirere ſuum eſſe obiectiuum, vt ipſe ait, ſed hoc variabile eſt; eſſentia verò entis rationis inuariabilis eſt; vnde exiſtentia rei eſt extra rationē eſſentiæ. Tādē ſi ens rationis actuale, nō eſt intelligibile: ergò nō poteſt actu intelligi.

II. Cōclu. Secunda concluſio, Vniuerſalitas eſt intelligibilis perſeitate terminationis, & non perſeitate motionis. Hoc eſt quod per ſe terminat intelligibiliter cognitionem intellectus; non tamen mouet per ſe illum; per propriam ſpeciem ad ſui intellectionem.

Probatur. Probatur prima pars. Tùm quòd cognitio, qua vniuerſalitas cognoſcitur; ita eſt ipſius quòd non alterius; & licèt vniuerſalitas, ſeu relatio rationis per accidens reſultet ex operatione intellectus, per quam cōparatur natura, poteſt tamen intellectus eam, vt proprium, & per ſe obiectum ſuæ cognitionis aſſumere; ſicut licèt relatio realis ex abſoluti accidentis productione per accidens reſultet, poteſt tamen per ſe intelligi ab intellectu, vt obiectum.

Reſpōdet. Ad. Argū. Ad I. Argumenta autem ſic ſoluūtur. Primum maiorem eſſe veram de obiectò motiuo intellectus, ſeu de rebus ſenſibilibus, quæ vt ab intellectu percipantur debent prius ſenſibus percipi.

Ad II. Secundo reſpondet noſter Doctor ſic; quòd intellectus poſsibilis eſt virtus paſsiua, & illa præſupponit ſuum obiectum: ſed intellectus agens non præſupponit, quia

non eſt

non eſt virtus paſsiua, quæ ſolutio difficultatem ingerit non modicam; in illa enim A manifeſtè innuere videtur noſter Doctor, vniuerſalitatem præſupponi ad intellectũ poſsibilem, vt obiectum illius. Atque adeò quidam dixerunt loquutum fuiſſe ſecundũ opinionem attribuentem actiuitatem omnem intellectui agẽti. Sed melius dicendũ cum Anglico, Mauritio, & Sarnano ibi voluiſſe Doctorem noſtrum, intellectum poſſibilem eſſe paſsiuum, vno modo, & actiuũ alio modo, aſſerit enim in q. 4 vniuer. *intellectus non operatur, niſi moueatur*: eſt ergò paſsiuꝰ, vt recipit ſpecies; actiuus, verò, vt operatur: habet ſe ergò reſpectu intellectꝰ poſsibilis ſecunda intentio vniuerſalitatis, vel quaſi effectiuè, ſeu in eſſe effectus iuxta modum ſupra expoſitum, & ſic non præſuppon it illum, cum ab illo fiat: vel obiectiuè quatenus per actionem reflexam cognoſcitur, & ad talem intellectionẽ ſupponitur, & vt ſic habet ſe intellectus quaſi paſsiuè, B ſaltim quatenus in ſe recipit hanc intellectionem, qua vniuerſalitatem cognoſcit.

Ad. III. Ad tertium. Quòd intelligibilitas per antonomaſiam eſt paſsio entis realis, & non entis rationis. Habet tamen ens rationis ſuã intelligibilitatem propriã proporcionatã ſuæ entitati, & hæc eſt paſsio illius.

Ad Cõfir. Ad confirmationem ex dictis.

Ad. IIII. Ad quartum. Tranſeat antecedens, conſequentia autẽ diſtinguitur, ſi per ſe, ſumatur prout diſtinguitur contra per aliud concedo: ſi ſumatur prout diſtinguitur contra per accidens nego: hoc eſt quod licèt ens rationis per aliud cognoſcatur, non tamen per accidens; quia ſecundùm ſuam propriã entitatem, inteligibilitatem, diffinibilitatẽ, & proprietatem cognoſcitur.

Ad. V. Ad quintum reſpondet benè Anglicus, ibi doctorem noſtrũ largè vſurpaſſe illud C verbum mouere, quod idem eſt ac ratione propriæ entitatis terminare actum intelligendi, & hoc mouere eſt quòd cõuenit cuicũq; ẽti, nõ enti verò nõ poteſt cõuenire.

ARTICVLVS TERTIVS DE vniuerſali in concreto.

De quo videndum eſt, quæ ſit diffinitio eſſentialis illius, quod ſit diffinitum in illius diffinitione, an dicat pro materiali vnam naturam; quomodo contineat ſua inferiora; quas paſsiones habeat.

QVÆSTIO I. QVÆ SIT DIffinitio eſſentialis vniuerſalis logici.

Vt Quæſtionem hanc aperiamus (quæ non mediocrem difficultatem habet, (quia in ea cum Thomiſtis nobis agendum eſt.) A Præmittendum eſt, duplicem tradi vniuerſalis diffinitionem.

Duplex diffinitio vniuerſal Prima eſt, eſſe aptum, dici vel prædicari de multis. Secunda eſt, quod aptum eſt eſſe in multis. Primam tradit Ariſt. 1. lib. de interpræta. c. 5. & 7. metaph. tex. 5. ſecundam autem 7. metaph. tex. 45. & 4. metaph. tex. 14. Inde ergò oborta eſt controuerſia, quæ nam ex his duabus ſit diffinitio eſſentialis vniuerſalis.

Opinio. Thomiſt. Oppinio eſt communis Thomiſtarum aſſerens, ſecundam hanc, quæ per aptitudinem eſſẽdi in multis datur, eſſe eſſentialẽ: primam verò, quæ per aptitudinem prædicandi datur, deſcriptiuam eſſe, vt potè quæ datur per propriam paſsionem, qualis eſt prædicabilitas.

I. Argumẽ. Primum argumentum eſt, quod Achilæũ cenſetor ad huius ſententiæ ſuffragium: illa cenſetur diffinitio eſſentialis, quæ exB plicat eſſentiam rei: quia datur per eſſentialia ipſius: deſcriptiua verò, quæ rei proprietatẽ indicat: ſed diffinitio hæc quæ per aptitudinem eſſendi in multis datur, explicat vniuerſalis eſſentiam; quæ verò per aptitudinẽ prædicãdi, ſeu per prædicabilitatem, explicat vniuerſalis proprietatem. Illa ergò cenſenda eſt eſſentialis; hæc verò deſcriptiua. Minor in qua totum difficultatis pondus iacet, probatur. Id quod primò concipitur de vnaquaque re, habet rationem eſſentiæ. id verò quod ſecundò, & vt neceſſariò ſupponens primum, à quo veluti fluit, rationem habet proprietatis; ſed id quod primo cõcipitur de vniuerſali eſt, eſſe aptum in multis, eſſe autẽ prædicabile ſecundariò, vt neceſſariò præſupponens illud primum, ad quod ſequitur. Quod ſic patet, vniuerſale eſſentialiter eſt vnum C multis cõmune: ergò poſt vnitatem, propria, & immediata ratio illius eſt, vt ſic, in eiſdem, quibus eſt cõmune; nulla enim alia ratione commune dicitur, niſi quia in pluribus eſt, & ex hac ratione tamquam ex cauſa naſcitur prædicãdi aptitudo, cum ex eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio vera, l. falſa dicatur.

Cõfirmat. Corroboratur hoc, & amplius explicatur, illum ordinem in prædictis intentionibus naturæ conceptæ attribuendis, obſeruat intellectus, quẽ ipſa natura tenet in modo eſſendi reali; ſed in quauis natura prius eſt eſſe ſpecificum, & ratio eſſentiæ; quam ratio paſsionum, & prius habet in re quod ſit in

ſit in ſuis ſingularibus, quàm quòd ſit apta de eiſdem prædicari: hæc enim cauſalis eſt vera; ideò natura eſt prædicabilis de his potius ſingularibus, quã de alijs; quia in illis potius eſt, quã in alijs: prius ergò intellectus iuxta primum fundamẽtũ concipit naturam, eamque cum ſingularibus à quibus abſtraxit, cõfert & tribuit formam vniuerſalitatis, quæ in ordine ſecundarum intentionum modum habet eſſentiæ, cum ſit primum eſſe ſpecificum. Poſtea autem iuxta ſecundum fundamentum, tribuit reſpectũ prædicabilitatis, vt paſsionẽ exprima eſſẽtia conſequentem. Tum etiam operari ſequitur eſſe: ergò aptitudo operandi ſupponit aptitudinem eſſẽdi; prædicabilitas autẽ aptitudo eſt operandi, vniuerſalitas autem aptitudo eſſendi.

II. Argumẽ. Secundum. Si prædicabilitas habet rationem eſſentiæ vniuerſalis; aſsigna paſsionẽ aliquã, quòd ſi nullam aliam dederis, vt re vera nequaquam aliã dabis; cum quidquid ad prædicabilitatem immediatè ſequitur, ad actum, & exercitiũ illius potius quàm ad paſsionem pertineat: nulla ergò poterit de vniuerſali ſcientia dari, quæ in demonſtrãda paſsione aliqua, de eſſẽtia cõſiſtit.

Opinio aliquorum Scotiſtar. Nonnulli autem moderni Scotiſtæ ſic noſtrum Doctorem interpretari, & cum Thomiſtis conciliare nituntur ſupponendo prædicabilitatem poſſe dupliciter conſiderari, vel formaliter, vel radicaliter; ſi illo primo modo ſumatur eſt paſsio, ſi verò ſecundo modo eſt eſſentia vniuerſalitatis, quæ eſt radix prædicabilitatis: ſicut riſibilitas licèt formaliter ſumpta pro aptitudine proxima, & immediata ad actum ridẽdi ſit paſsio: radicaliter tamen ſumpta eſt de eſſentia hominis: diffinitio ergò vniuerſalis, quæ per vnum, aptum prædicari de pluribus, datur: ſi de prædicabilitate formali intelligatur, deſcriptiua eſt, ſi verò de radicali, eſt eſſentialis; ac eadem cum ea, quæ per aptum eſſe in multis, datur enim per eſſentialia vniuerſalis.

Facilis quidem explicatio, & quæ aliquãdo nobis placuit; re tamen maturius conſiderata; & litera noſtri Doctoris luculẽtius inſpecta, minimè ipſius menti cohæret, vt certum reputo cum veris Scoticæ ſentẽtiæ proffeſſoribus. Pro cuius dilucidatione.

I. Notab. Obſeruare oportet, ſuppoſita diſtinctione formali, & ex natura rei partium metaphyſicarum inter ſe, ex quibus totum metaphyſicum coaleſcit, quarũ vna ſe habet per modum contrahibilis; alia verò per modũ contrahentis; quod actus eſſẽdi in ſingularibus, ſeu hoc quod eſt naturam humanam eſſe in Petro, & Paulo contractam, & multiplicatã, eſt quid reale: cum detur à parte rei citra mentis operã. Cõſiſtit què in hoc quod ſit in inferiori, vt pars in toto, ſicut gradus animalitatis eſt in natura humana, quæ ex illo conſtituitur. Vnde aptitudo, quam habet natura ex ſe, tali actui correſpõdens in indifferentia conſiſtens, vt explicuimus non eſt aptitudo eſſẽdi in inferioribus per modum totius; (cum hoc habeat ex vi intellectus ſic illã concipientis) ſed per modum partis, ſumpta ſimilitudine, & proporcione ex materia prima in rebus phyſicis; cuius communitas, & aptitudo cum nõ ſit per modum totius, ſed per modum partis potentis determinari per formas, ideò ex vi illius non conſtituitur vniuerſalis: aliàs enim hęc eſſet vera, homo eſt materia: hinc fit talem actum eſſendi realẽ, non poſſe eſſe effectũ vniuerſalitatis, ſed aptitudinis realis conuenientis naturæ ex ſe: cum effectus realis ab ente rationis nequeat prouenire: eſt tamẽ fundamentũ ad illam; ex eo enim quod natura humana eſt in Petro, & Paulo realiter abſtrahit ab illis noſtra mẽs rationẽ conueniẽtiæ, quam concipit per modum prædicabilis de illis, in quibus realiter eſt.

II. Notab. Notãdum ſecundò. Quòd cum prædicta aptitudo ad eſſendum realitèr in inferioribus ſit proprietas conſequens naturam ſecundùm ſe, eam habet vbicumque ſit, in re quidem impeditam, in intellectu præſcindente expeditam per expulſionem intelligibilem differentiarum: atque adeò factã omnino vnam: & cum natura, vt ſic conſiderata; vniuerſale metaphyſicũ dicatur: ideò dicimus, de ratione vniuerſalis metaphyſici eſſe, aptitudinem eſſendi in multis, modo ſupra dicto per modum partis materialis aptæ informari, & actuari per plures differentias, ad plures ſpecies componendas, in quibus eſt vt talis pars materialis. Ideò talis aptitudo non eſt cõſtitutiua vniuerſalis logici, cum enim logicæ munus ſit conſiderare prædicationes, & enunciationes, vt ex illis ſillogiſmi fiant: hoc enim eſt vltimatus finis illius, & ex vi naturæ prædicto modo conſideratæ, non poſsit ipſa actualiter prædicari, ideò dicitur non eſſe vniuerſale logicum, ſed fundamentum illius, niſi prædicta natura per modũ totius concipiatur, & ex vi talis cõceptionis apta ad prædicationes.

III. Notabile. Notandum tertiò. Quòd obiectum, quodvis à potentia, quæ circa illud verſatur, reſ-

piciatur

picitur in quãtũ eſt ab illa attingibile, obiectum autẽ intellectus tãtũ eſt ab illo attingibile, in quantùm habet rationem cognoſcibilis : & cum actualis prædicatio actiuè ſumpta, cognitio quædã ſit intellectus attribuentis, & aplicantis prædicatum ſubiecto prædicabilitas, quæ eſt illius obiectũ, nihil aliud eſt, quàm quædam intelligibilitas, ſeu aptitudo, vt per actualem prædicationem attribuatur, ſeu intelligibiliter vniatur ſuis inferioribus: prædicatio ergò actiua nihil aliud eſt, quàm quædam intelligibilis vnio, qua natura quæ intelligibiliter erat, veluti ſeparata à ſuis inferioribus, vnitur intelligibiliter cum illis; quæ vnio explicatur per verbum eſt, in propoſitione affirmatiua.

I. Conclu. Prima concluſio. Vniuerſalitas quæ nimirũ conſtituit vniuerſale logicũ formaliter, & eſſentialiter nihil aliud eſt, quã prædicabilitas, ſeu aptitudo qua natura cõſtituitur ꝓximè, & immediatè apta, vt poſsit inferioribus attribui, ſeu intelligibiliter vniri per prædicationẽ actualem. Hæc concluſio eſt expreſſa mens noſtri Doctoris. q.6. vniuerſal. & q.7. ꝗ. habet etiam, vbi ſic, *ſi quæ paſsio vniuoca iſtis quinque de his oſtenditur per rationem vniuerſalis, illa per hoc oſtenditur de vniuerſali, tanquàm de proprio, & primo ſubiecto, & ſic de vno aliqua paſsio demonſtratur per rationem vniuerſalis, quæ eſt prædicari de pluribus* &. q.14. vbi quærit an diffinitio generis, quæ per prædicari de pluribus datur ſit quidditatiua, affirmatiuè reſpondet: & reddit rationem dicens *ratio vniuerſalis eſt prædicari de pluribus*, per Ariſt. 5. Perier. quæ concluſio ſic.

Probatur Concluſio Probatur ratione quidẽ ex notabilibus ſubducta: aptitudo hæc, qua natura redditur per intellectum, potens eſſe in multis, non habet eſſe reale, ſed intelligibile ſeu rationis: ergò actus tali aptitudini correſpõdẽs, quo veluti ad ſuã perfectionẽ reducitur debet eſſe intelligibilis, ſeu per rationẽ eò maximè quòd ſecundũ cõtrarios, actus & potentia aliquomodo proporcionatur: ergò talis actus, nullus alius eſt, quàm ille, quo intellectus per prædicationẽ intelligibiliter vnit; vel ponit naturã in ſuis inferioribus; dicendo hoc eſt hoc; ſed aptitudo, cui talis actus prædicationis immediatè correſpondet, prædicabilitas eſt formaliter, vt aptitudo cui correſpõdet actus riſus, eſt riſibilitas: ergò aptitudo per quam vniuerſale logicum in eſſe talis conſtituitur, eſt prædicabilitas formaliter.

Corroboratur hoc amplius; actus correſpondens vniuerſalitati, & prædicabilitati, eſt omninò idem formaliter: vtraque ergò eſt eadem aptitudo formaliter; cum illæ aptitudines identificentur, quibus idem actus formaliter correſpondet. Antecedẽs probatur: actus immediatè correſpondens prædicabilitati, eſt actualis prædicatio: ſed hic idem actus formaliter eſt etiã vniuerſalitatis: patet hoc, ex vi huius aptitudinis vniuerſalitatis; natura eſt apta eſſe in pluribus conceptibiliter, cũ ſit aptitudo tantùm, in eſſe conceptibili: ergò actus illius eſt, naturã eſſe actũ in pluribus conceptibiliter; ſed hoc fit per prædicationẽ intellectus, ratione cuius natura, quæ erat intelligibiliter abſtracta, ponitur in pluribus conceptibiliter: ergò idem actus formalis eſt vtriuſq;. Præterea quòd actus eſſendi realiter in inferioribus; ſeu hoc quod eſt, naturam eſſe in ſingularibus realiter, vt iam probatũ eſt: cum ſit quid reale, non eſt effectus vniuerſalitatis; imò vt patet, ſupponitur, vt fundamentum illius, vt ſcilicèt intellectus hoc fundamento in rebus reperto, talem aptitudinem conferat naturæ: ergò proprius quaſi effectus, aut actus illius, eſt actus eſſendi conceptibiliter.

Tandem probatur. Eò ipſo, quod natura concipitur per modum totius, cum aptitudine illa vniuerſalitatis logicæ, eſt proximè, & immediatè potens, prædicari de pluribus; quorſum ergò neſceſſarium eſt, aliã rurſus ſuperaddere rationem prædicabilitatis: ſi naturã vt ſic conſideratã, cũ illa cõmunitate, & aptitudine immediata poteſt intellectus prædicare de ſuis inferioribus? Ex vi ergò vniuerſalitatis præſciſsè proximè, & immediatè eſt prædicabilis ergò vniuerſalitas formaliter eſt prædicabilitas. *II. Proba*

II. Cõclu. Secunda concluſio. Diffinitio vniuerſalis eſt quam tradit Ariſt. 1. lib. de interprætatione ſic; *dico autẽ vniuerſale, quod in pluribus prædicari natum eſt* & 7. metaph. tex. 5. *vniuerſale verò de ſubiecto aliquo dicitur ſemper* hæc eſt diffinitio eſſentialis, ſic noſter Doctor, locis citatis, & cum eo omnes Scotiſtæ Mauritius, Anglicus, Sarnanus, Nicolaus de Orbellis, Tataretus, & alij communiter.

Probatur Concluſio. Probatio autẽ iſtius concluſionis ex præcedenti facilis eſt. cùm illa ſit diffinitio eſſentialis, quæ explicat eſſentiam rei, & datur per eſſentialia: ſed talis eſt diffinitio hæc vniuerſalis, quæ per aptitudinem prædicandi datur. Tum etiam quod vniuerſale logicum eſſentialiter dicit ſecũdam intẽ-

tionem;

tionem; illius ergò eſſentialis diffinitio per terminos ſecũdæ intentionis, & nõ primæ datur; nõ ergò per eſſe in pluribus realiter quod cumquid reale ſit, prima intẽtio eſt. ſed per eſſe in multis per prædicationem Quod ad ſecundam intẽtionem pertinet; & vt hoc oſtẽderet Ariſt. 1. lib. Poſter. tex. 25. c. 10. ſic ait. *Eſſe quidem igitur vnum de multis verum dicere neceſſe eſt; non erit enim vniuerſale, niſi hoc ſit; oportet igitur aliquid vnum idem què in pluribus eſſe, non æquiuocè*; vbi manifeſtè docet eſſe in multis, quod eſt eſſentiale vniuerſali, eſſe idem quod dici de multis; ideò enim vtrumq; cõnectit. Cui maximè ſuffragatur Porphirius, qui omnia prædicabilia genus ſcilicet ſpeciem &c per prædicari diffinit.

Corollari. Ex dictis hæc colligũtur. Primum eſt diffinitionem vniuerſalis ſic poſſe clarius cõſtrui, vniuerſale eſt vnũ quid vniuocè aptũ de pluribus prædicari. Prima particula ſcilicet vnũ quid, ponitur loco generis, in quo conuenit cum ſingulari; reliquum autem habet rationem differentiæ, in quo diſtinguitur à ſingulari, quod diffinit Ariſt. 1. de interpretatione. c. 5. id quod de nullo ſubiecto prædicari poteſt. Datur autem per aptitudinem diffinitio hæc vniuerſalis, & non per actum; hoc enim proprium cuiusq; diffinitionis quidditatiuæ eſt, vt per aptitudinem diffiniatur.

Ad argu. Argumenta ex dictis dilui poſſunt.

Reſpõdet. Ad primũ. Reſpondemus id quod primò

Ad. 1. de vniuerſali logico cõcipitur eſt prædicta aptitudo vt conceptibiliter poſsit affirmari de ſuis inferioribus, & in hoc cõſiſtit communitas vniuerſalis logici, & licèt talis aptitudo, ſeu prædicabilitas præſupponat actum eſſendi naturæ in pluribus, ſed non præſupponit vt rationem formalem vniuerſalis logicæ, ad quam ſequatur vt paſſio: ſed vt fundamentum (quo pacto etiam ipſi tenentur concedere) ad ipſam vniuerſalitatem præſuppoſitum.

Ad I. Confirmationẽ Ad primam cõfirmationem. Quòd licèt in cognoſcenda natura, illum ordinem ſeruet intellectus, quòd prius cognoſcat eam ſecũdùm eſſe ſpecificum; quàm ſecundùm paſsiones; in tribuendis tamen intentionibus logicalibus, tantum illas tribuit cum naturam comparatiuè cognoſcit, vt diximus, cum illas tribuat in ordine ad conficiendas prædicationes; nec enim prædicabilitas eſt potentia realis actiua, ſed aptitudo vt intelligibiliter ponatur in inferioribus.

Ad II. Ad ſecundum infra.

QVÆSTIO II. QVID SIT diffinitum in diffinitione vniuerſalis.

A QVæſtionem hanc diſcutit noſter Doct. q. 14 vniuerſal. circa diffinitionem generis, ſed quia hoc commune eſt cuiuis vniuerſali, imò & vniuerſali in communi; ideò operę pretium duxi in præſenti eam agitare. De qua re non eſt modica diſſẽtio inter dialecticos: cum enim vniuerſale in communi (quod idem de quolibet vniuerſali particulari vtpotè de genere .l. ſpecie intelligendum eſt) nomẽ ſit connotatiuum duo dicit, vnũ pro materiali, ipſam ſcilicet naturã quæ vniuerſalis denominatur, & aliud ꝑ formali ipſam ſcilicet formã vniuerſalitatis: propterea poteſt vniuerſale quadrupliciter ſumi. Primò pro ipſa re ſubſtracta, ꝑ ipſa ſcilicet natura, & ſic dicitur, ſumi materialiter. Secundò pro ipſa forma quo pacto ſumitur formaliter. Tertiò pro aggregato ex vtroque nempe materiali, & formali;

B & hoc eſt ens per accidens. Quartò pro re ſubſtracta vt ſub eſt vniuerſalitati; aut pro ipſa vniuerſalitate, vt denominat rem ſubſtractã; certũ eſt apud omnes, vt ait noſter Doctor, vniuerſale tertio modo sũptũ, pro aggregato ſcilicet, non eſſe iſtius diffinitionis diffinitũ, quia ens per accidẽs ex Ariſt. 6. & metaph. diffiniri nequit vnica diffinitione.

Tres sũt potiſsimæ in hac re, opiniones.

Prima aſſerit diffinitum eſſe in hac, & in alijs diffinitionibus vniuerſalium ipſam naturam ſecundùm ſe ſumptam. Quæ ſic. *I. Opinio.*

Probatur primò, natura ſecũdũ ſe ſumpta, eſt quæ ineſt multis, & de multis prædicatur, non verò ſecunda intentio, vt animal eſt quod de homine prædicatur, & non genus. Si autem dixeris naturam prout ſubeſt ſecundæ intentioni diffiniri. Sic impugno. *I. Argumẽ.*

C Quandò aliquid prædicatur ſub aliqua ratione de ſuis inferioribus ratio illa in concreto de eiſdẽ prædicatur vt ſi homo prout ſubeſt albedini prædicatur de Petro, & Paulo albedo in concreto de illis prædicabitur. Si ergò natura vt vniuerſalitati ſubeſt, de ſuis inferioribus prædicatur: vniuerſalitas etiam de eiſdem in concreto prædicabitur, atq; adeò hæc vera erit, Petrus eſt vniuerſale.

Confirm. Sic què poteſt confirmari: natura .v. g. humana, & alia quæcumq; vt ſecundæ intẽtioni vniuerſalitatis ſubeſt, ſupponit ſimpliciter, & immobiliter, ipſa vniuerſalitate, hanc ſuppoſitionẽ cauſante, & ſic non licet

inferre

inferre homo eſt ſpecies: ergò Petrus eſt ſpecies: natura veró, quæ prædicatur de inferioribus ſupponit perſonaliter: non ergò diffinitur natura vt ſecundæ intentioni ſubeſt, ſed ſecundùm ſe.

Confirm. Confirmatur præterea: vniuerſale, & ſuum inferius vt genus .v.g. & ſpecies correlatiua ſunt; vnum autem relatiuum non poteſt de alio prædicari.

II. Argumẽ. Secundò probatur. ei conuenit poſſe prædicari de inferioribus cui conuenit ab eiſdẽ abſtrahi, ſed hoc non conuenit ſecundæ intentioni, ſed ipſi naturæ; illa ergò eſt cui cõuenit poſſe prædicari: atq; adeò huius diffinitionis diffinitum erit.

II. Opini. Secunda opinio aſſerit diffinitum huius diffinitionis non eſſe ſolam naturam, neq; ſolam vniuerſalitatem, ſed vtramq; ſimul ita vt completũ diffinitũ conſtet ex vtraq; ex natura vt denominata, ex vniuerſalitate vt denominante: vnde per ſe diffinitum vt quod eſt natura ꝓut vniuerſalitati ſubſtat tamquam proximum illius ſubſtractũ; diffinitum verò quo, ſeu formale ipſam eſſe ſecundam intentionem vniuerſalitatis: hanc ſententiam tuentur Paulus Venetus, Rubio, Murcia, & alij recentiores. *Paulus Venetus. Rubio. Murcia*

Fũdamẽt. II Opinio. Fundamẽtum potiſsimum, quo ſentẽtia hæc firmatur eſt, quòd diffinitũ per ſe, & completum iſtius diffinitionis nequit eſſe natura ſecũdùm ſe: (in diffinitione enim cõcreti vt albi diffinitum per ſe nõ eſt corpus præcisè) neque vniuerſalitas, cum de illa nequeat diffinitio verificari; illa enim non eſt quæ prædicatur, ſed tantùm ratio formalis prædicandi, ſicut albedo non eſt alba ſed forma, qua corpus eſt album. Explicatur hoc amplius. Concretum ex modo ſuæ ſignificationis eſſentialiter concernit ſubiectum; cum ergò diffinitur, ipſum ſubiectũ diffinitur & ex ipſo, & forma, quæ denominatur vnum totale, & completum diffinitũ coaleſcit.

III. Opinio. Tertia tandem ſententia aſſerit, diffinitum eſſe ipſam ſecundam intentionem non in abſtracto, ſed incõcreto; & quia eam nos amplectimur cũ noſtro Doctore: pro illius captu nonnulla ſupponamus.

I. Notab. Supponẽdum primò quòd ſicut quodlibet accidẽs reale poteſt dupliciter conſiderari, & ſignificari vel in abſtracto, vel inconcreto vt albedo, & albũ, quæ duæ acceptiones accidẽtis cõueniunt in hoc, quòd ſignificant idem primò, & per ſe, ipſum ſcilicet accidens; differunt tamẽ in modo ſignificãdi, quòd abſtractũ ſignificat formã accidentis vt abſolutam à ſubiecto, atque adeò, non **A** vt alteri innixam, ſed quaſi per ſe ſtantem: in concreto verò ſignificat formam connotando ſubiectum quod denominat, ita tamen vt ex æquo non ſignificet vtrumque alias enim eſſet ens per accidẽs, ſed primò & per ſe formam accidentalem ſignificat, ſubiectum autem, non propriè ſignificat, ſed tantùm connotat, vel conſignificat. Vnde dupliciter poteſt diffiniri, vel in abſtracto, vel in concreto, & in vtraque diffinitione tantùm explicatur natura accidentis, & non ſubiecti. Cum hoc tamen diſcrimine quòd cum diffinitur accidens in concreto duplex diffinitum datur, vnum eſſentiale primarium & immediatum cui ſcilicet eſſentialiter, & per ſe conuenit diffinitio tamquàm ei cuius natura explicatur, & tale eſt ipſa forma accidentalis in concreto ſignificata, aliud eſt diffinitum remotum, & accidentale, cui ſcilicet diffinitio accidentaliter & denominatiuè con**B**uenit, & hoc eſt ipſum ſubiectum quæ omnia aplicanda ſunt ad accidens rationis, nimirum vniuerſale ad vniuerſalitatis que formam.

II. Notab. Supponendum ſecundò cum noſtro Doctore loco proximè citato, quòd ſicut duplex eſt prædicatio vna ſignata, & alia exercita, ſignata eſt prædicatio ſignificatiua alterius prædicationis, in qua ſcilicet exercetur, & executioni mandatur id quod veluti præcipitur, & edocetur in prædicatione ſignata. Vnde ſignata prædicatio medijs iſtis verbis ſolet fieri, prædicatur, dicitur, affirmatur &c Vt cum dicitur genus prædicatur de ſpeciebus; exercita verò eſt in qua (vt diximus) ſignata exercetur; vt cũ dicimus homo eſt animal. Vnde ſemper prædicatio ſignata facta per terminos ſecundæ intentionis, exercetur in terminis primæ **C** intentionis, aut vt clarius loquamur exercetur in ſignificatis materialibus ſecundarum intentionum, ſiue talia ſignificata materialia ſint entia realia, ſiue rationis; ſecundas enim intẽtiones materialiter ſumptas, ſeu vt denominatas ab alijs intentionibus, rationem primarum intentionum habere, ſupra diximus: ſit exemplum prædicatio hæc ſignata, genus prædicatur de ſpecie, facta per terminos ſecundæ intentionis formaliter ſumptæ, non poteſt in eiſdem exerceri affirmando; ergò ſpecies eſt genus; exercetur tamen in ſuis ſignificatis materialibus; dicendo; ergò homo eſt animal, ſpecies eſt vniuerſalis.

Sic ergò

Diffinitio vniuerſalis dupliciter ſumitur.

Sic ergò diffinitio vniuerſalis quæ per, aptum eſſe de pluribus prædicari datur, dupliciter poteſt ſumi, aut in actu ſignato, & vt ſic conuenit diffinito eſſentiali, vel in actu exercito, & ſic conuenit diffinito accidẽtali, remoto, & materiali, cui ſcilicet accidentaliter conuenit ipſa diffinitio.

I. Conclu.

Prima concluſio. Diffinitum per ſe in diffinitione vniuerſalis, non eſt materiale ſignificatũ, qualis nempè eſt natura ſecũdùm ſe. In hac cõmuniter omnes conueniũt. &

Probatur Concluſio.

Probatur. Quia cum diffinitio naturam rei, quam diffinit, explicet. Illud in diffinitione diffinitum erit, cuius natura explicatur; atqui in diffinitione vniuerſalis, nõ explicatur natura ſecundùm ſe; cum ea vt ſic, non conſiſtat in ente rationis, & ſecunda intentione; ergò prædicta diffinitio vniuerſalis tantum accidentaliter conuenit naturæ ſecundùm ſe; aliàs enim illa eſſẽtialiter cõueniret ſingularibus ipſius naturæ.

II. Proba

Tum etiã, quòd diffinitio, debet de ſuo primario diffinito eſſentialiter prædicari; hæc autẽ prædicatio, animal poteſt de pluribus ſpeciebus prædicari, accidentalis eſt.

III. Probatur

Tandem, illud eſt primarium, & per ſe diffinitum in diffinitione vniuerſalis, quod eſt vniuocè vnum, ſed nulla eſt natura incommuni, vniuocè communis omnibus naturis omnium prædicamẽtorum, vt patet: ergò.

II. Cõclu.

Secunda concluſio. Nec ipſa vniuerſalitas in abſtracto eſt diffinitum eſſẽtiale, vt quod, iſtius diffinitionis; benè tamen diffinitum, vt quo, & formale.

I. p. ꝓbat.

Prima pars patet. Tum quia diffinitio datur per nomina concreta; tum quia ipſa vniuerſalitas, non eſt quæ prædicatur; ſed forma, qua natura eſt apta, vt poſsit de multis prædicari.

II. p. ꝓbat

Secũda etiam pars conſtat. Quia vniuerſalitas eſt forma, per quam natura redditur prædicabilis: ergò eſt ratio formalis diffinitionis.

III. Concl

Tertia concluſio. Diffinitum eſſentiale, cui ſcilicet præfata diffinitio primò, & per ſe, & eſſẽtialiter conuenit, eſt ipſa ſecunda intẽtio vniuerſalitatis in concreto. Sic noſter Doctor q. 4. Vniuerſal. & ibi omnes Scotiſtæ, cui ſententiæ nonnulli ex Thomiſtis ſubſcribunt, quam his rationibus probat noſter Doctor.

Probatur. Concluſio. Primo.

Prima, diffinitio hæc datur per terminos ſecundæ intentionis; ſecũdæ autem intentiones nequeunt eſſẽtialiter conuenire, niſi ſecundæ intentioni: ergò diffinitum per ſe, & eſſẽtiale iſtius diffinitionis erit ſecũda intentio. Tum etiam quòd logicus id per ſe diffinit, quod per ſe conſiderat: ſed non cõſiderat per ſe naturam, ſed ſecundam intẽtentionem: (logicus enim agit de ſecundis intentionibus prout connotant, & denominant primas) ſic ergò illam diffinit.

II. Probatur.

Secunda. Illud eſt diffinitum eſſẽtiale in hac diffinitione, cui eſſentialiter conuenit diffinitio, ſeu cuius eſſẽtia per diffinitionẽ explicatur: ſed diffinitio, hæc, explicat naturam, & eſſentiam ipſius vniuerſalitatis in concreto; & de illa, vt ſic, eſſentialiter prædicatur.

Cõfirmat.

Confirmatur. Quia cum concretũ accidẽtale diffinitur, id quod tali diffinitione explicatur, eſt formale ſignificatum: vt cum diffinitur, album eſſe diſgregatiuum viſus; primum & principale diffinitum eſt ipſa albedo; idem ergò in præſenti dicendum eſt.

III. Probatur.

Tertia, Diffinitio hæc explicat quid ſit, naturã eſſe vniuerſalem, ſeu vniuerſalitate affici: diffinitum ergò per ſe, & immediatum eſt, vniuerſalitate affici, quod ſanè idem eſt, ac vniuerſalitatem ſubiectũ afficientem diffiniri.

IIII. Probatur

Quarta, à ſufficienti partium enumeratione; diffinitum iſtius diffinitionis, nõn eſt ſimul ex æquo natura, & vniuerſalitas; vt ſic enim, eſt ens per accidens, nec ſola natura ſecũdùm ſe; nec ipſa vniuerſalitas in abſtracto: ergò ſecunda intentio in concreto.

Solutio. Aliquorũ

Reſpondent ad omnia hæc argumenta authores cõtrariæ ſententiæ: diffinitum in hac diffinitione eſſe naturam, nõn ſecundũ ſe, ſed vt vniuerſalitati ſubſtat; ſicut enim in quolibet concreto accidẽtali, duplex genus ſubſtracti datur: vnum remotum, & inadæquatum, & quaſi per accidens; alterum proximũ, adæquatum, & per ſe. Vt reſpectu albi, corpus hoc vel illud particulare, eſt ſubſtractum remotum, inadæquatum, & quaſi per accidens; & huic accidẽtaliter cõuenit diffinitio albi; vnde hæc eſt prædicatio accidentalis, hoc corpus eſt album; corpus verò prout albedini ſubſternitur, eſt ꝓximum, adæquatum, primò & per ſe ſubſtractum illius; & huic per ſe & eſſentialiter conuenit diffinitio albi. Hæc enim prædicatio corpus in quantum ſubſtat albedini, eſt album, eſt per ſe: ſic in propoſito licèt naturæ ſecundùm ſe, quæ vt ſic, ſubſtractum eſt remotum, & inadæquatum, per accidẽs cõueniat diffinitio vniuerſalis; atque adeò prædicatio hæc; natura eſt apta de pluribꝰ prędicari ſit per accidens: naturæ verò, prout vniuerſalitati ſubeſt, quæ vt ſic proximum, adæquatum,

adæquatum, & per ſe ſubſtractum eſt vniuerſalis, conuenit eſſentialiter, atque adeò prædicatio hæc, natura, vt vniuerſali ſubſtat, eſt apta de pluribus prædicari, eſt eſſentialis; & vt ſic natura, vniuocam rationem importat.

Cæterum quis non videat inutile eſſe hoc effugiū? Quod ſic præcludit noſter Doctor, ſi res ſub intētione diffinitur: ergò res per accidēs diffinitur; per hoc ſcilicet, quod intentio ſibi accidit: ſed omne per accidēs reducitur ad aliquid per ſe, à quo illud dicitur per accidens; cū ergò res non habeat niſi ab intentione, quòd hic diffiniatur, ſequitur quod intentio per ſe, ſit quæ diffinitur qui ergò illud aſſerunt, nō aduertunt eo ipſo ſe fateri vniuerſalitatem eſſe primariū diffinitū; diffinire enim ſubiectū, corpus nēpe, non ſecundum ſuam propriam entitatē, ſed in quantum album eſt; vel hominem in quā tùm animal eſt: quid aliud eſt niſi ipſam albedinem, vel animal primò, & per ſe, & immediatè diffinire? corpus autem, aut hominē materialiter, mediatè, & accidentaliter.

Præterea diffinitio immediatè datur de illo, in quo plura conueniunt, & nō de illis pluribus, vt diffinitum immediatum in diffinitione hominis eſt natura humana, in qua plura cōueniunt: ergò per ſe immediatum diffinitū in diffinitione vniuerſalis eſt illud in quo naturæ, quæ vniuerſales denominantur, conueniunt: cum vt plures ſunt, vnica nequeant diffinitione diffiniri; ſed illud in quo cōueniunt, eſt ſecunda intentio vniuerſalitatis: hæc ergò eſt quæ immediatè, & eſſentialiter diffinitur, ſumpta in cōcreto. Tādem natura per vos diffinitur, in quantùm ſubſtat vniuerſali; ſed illa reduplicatio primò, & principaliter cadit ſupra ipſam vniuerſalitatem, quæ naturā connotat, & concernit; ipſa ergò vt ſic, eſt præcipuum, & eſſentiale diffinitum in hac diffinitione.

Obiectio. Dices videri contradictionem inuolui in dictis, cum priùs excludamus à ratione diffiniti ſubſtractū, & rurſus illud admittamus; quia diffinitum, non abſtractum, ſed cōcretum conſtituimus; concretū enim eſſentialiter ſubiectum concernit, ex modo ſuæ ſignificationis, à quo abſoluitur abſtractum.

Solutio. Reſpondeo, cōcretum connotare quidē ſubiectum, quod in diffinitione talis accidētis vt ſic, habet rationem materialis, & accidentalis diffiniti, & nullo modo in diffinitione accidentis abſtractè ſumpti, cùm vt ſic abſoluatur à ſubſtracto: cum ergò diffinitur concretum accidentale, non diffinitur per ſe materiale; licet enim aliquādo ratio-
A ne prædicati, pro materiali ſupponat; vt cū dicitur album currit; ſenſus enim eſt non quod albedo currat, ſed ſubiectum habens albedinem. Abſolutè tamen ſemper ſupponit pro ipſa forma, cōnotando ſubiectum, & ſic diffinitur.

Notabile. Vbi Notandum eſt, Quòd in diffinitione vniuerſalis, ſicut & cuiuſcumq; alterius rei, duplex eſt diffinitum, vnum primariū & immediatum, cui ſcilicet immediatè cōuenit diffinitio: aliud remotum, & mediatum (vt in ſummulis diximus) hoc autem diffinitū remotum in diffinitione concreti accidētalis, duplex eſt: vnum cui cōuenit diffinitio eſſentialiter, licèt mediatè, quo pacto diffinitio albi prædicatur de hoc, & illo albo; alterum, de quo prædicatur diffinitio accidētaliter; quia primarium, & per ſe diffinitum prædicatur de tali ſubiecto, etiam acciden-
B taliter; & tale eſt ſubſtractū, ſeu ſignificatū materiale concreti. diffinitum ergò primarium, & immediatū vniuerſalis, eſt ipſa ſecunda intentio vniuerſalitatis in concreto: remotum verò, cui ſcilicet eſſentialiter, ſed mediatè conuenit diffinitio, eſt hoc & illud vniuerſale, contentum ſub vniuerſali in cōmuni: remotum verò, cui accidentaliter cōuenit prædicta diffinitio, eſt natura, quæ vniuerſalitati ſubſternitur; ſicut enim vniuerſalitas in concreto accidentaliter prædicatur de natura humana; ita & diffinitio vniuerſalis.

Ad argu. Argumenta oppoſita ſic ſoluenda ſunt.

Reſpōdet. Ad.1. Ad primum primæ opinionis reſpōdetur naturam eſſe, quæ de multis predicatur in actu exercito, ſecunda verò intētio vniuerſalis in concreto in actu ſignato; aliud enim eſt quod diffinitur eſſentialiter in logica, ſecunda ſcilicet intentio; aliud verò in quo
C exercetur diffinitio; ſignificatū ſcilicet materiale: vt in diffinitione hominis; aliud eſt cui conuenit diffinitio in actu ſignato; vt homo in cōmuni, aliud in quo exercetur, ſcilicet ſingulare: vt per, nō, exercetur negatio; per nego verò, ſignatur; per, tantùm, exercetur excluſio; per excludo, ſignatur.

Et per hoc ſoluitur obiectio hæc, cui conuenit prædicari in actu, conuenit eſſe prædicabile; ſed naturæ competit actualiter prædicari. Diſtinguimus maiorem; conuenit eſſe prædicabile accidentaliter concedo, eſſentialiter nego.

In prædicatione autem exercita alicuius naturæ v. g. animalis duplex ratio formalis datur, vna ratio formalis,

quæ prædicatur, & hæc eſt natura animalis; alia ratio ſub qua; & hæc eſt ſecunda intentio generis, à qua natura habet modum, quo poſsit prædicari. Id ergo quod eſt aptum eſſe in multis eſſentialiter, eſt diffinitum eſſentiale; & illud eſt ſecunda intentio, non verò, quod eſt aptum prædicari accidentaliter; illud eſt natura. Et per hoc ad primam & ſecundam

Ad I. & II. confirmationē. confirmationem: Diffinitionem hanc intelligendam eſſe in actu ſignato, & non in exercito; & eo pacto genus prædicari de ſpecie, etiam ſi relatiuè opponantur, non verò ſecundo modo.

Ad. II. Ad ſecundum. Similiter diſtinguo maiorem, ei conuenit poſſe de inferioribus prædicari accidentaliter, cui conuenit abſtrahi, concedo: eſſentialiter nego. Vel poteſt etiam minor diſtingui; hoc non conuenit ſecundæ intentioni in abſtracto concedo, in concreto nego: ſic enim connotat naturam abſtractam, & licèt vniuerſa- B litas, non prædicetur de multis; eſt tamen forma, qua fit apta natura de pluribus prædicari; quod ſufficit, vt per prædictam diffinitionem diffiniatur.

Ad. Argū II. Opini. Ad argumenta ſecundæ opinionis ex dictis.

QVÆSTIO III. VTRVM ſubſtractum immediatum, & adæquatum vniuerſalis ſit aliqua vna natura.

I. Opinio. NON deſſunt aliqui, qui adæquatum, & immediatum ſignificatum vniuerſalis, non omnes naturas, ſed vnam naturam omnibus communem eſſe affirment. Quod ſic probant.

I. Argumē. Primò. Vniuerſale eſt idem, quod habens vniuerſalitatem, ſed habens, ſignificat vnum commune; ſi enim eſſent plura C ſignificata materialia, potius dicerentur habentia: datur ergò aliquod vnum materiale, commune, habens vniuerſalitatem.

I. Cōfirm. Confirmatur. Sic ſe habet vniuerſalitas in communi, ad ſuum materiale, ſicut vniuerſalitas in particulari ad ſuum materiale particulare; cùm quælibet ſecunda intentio habeat ſuum materiale & fundamentum, in quo fundetur; & quod denominet, ſed vniuerſalitas in particulari (vt hoc genus, hæc ſpecies) dicit pro materiali vnam naturam, quam denominat: ergò & vniuerſalitas in communi. Cum enim ſecunda intentio, & ſuum fundamentum, & materiale debeant proporA cionari; ſecunda intentio in communi habet pro fundamento naturam in communi; & aliàs cum ſecunda intentio cognoſcatur per ſpeciem ſui fundamenti, ſi vniuerſalitas in communi nullum habet determinatum fundamentum; nullo pacto poterit cognoſci, vel aliàs erit quid fictitium.

II. Cōfirmat. Confirmatur ſecundò. Significatum materiale eſt illud, in quo exercetur id, quod in actu ſignato dicitur de ipſo concreto: vnde prædicabile, quod de vniuerſali dicitur, exercetur in ſuo materiali: ergò ſi vniuerſale in communi non habet vnum materiale, quod de pluribus prædicetur; ipſum vniuerſale, non dicetur verè prædicabile; ſicut ſi aliquod vniuerſale in particulari, nō haberet vnum materiale, quod de pluribus prædicaretur; non diceretur prædicabile.

II. Argumē Secundò probatur. Cum vniuerſalitas eſſentialiter ſit relatio, conuenit illi eſſentialiter, vnum ad aliud referre, ſubiectum ſcilicet in quo eſt ad terminum: ſi ergò nō habet vnum ſubiectum vniuerſalitas, non poterit referre vnum ad aliud.

Cōfirma. Confirmatur. Quòd relatio ſumit ſuam vnitatem ſpecificam à fundamento & termino: vniuerſalitas ergò debet habere fundamentum aliquod, à quo ſpecificetur.

Cōfirma. II. Confirmatur ſecundò. Quòd omnis determinata forma, requirit determinatum ſubiectum: ſed vniuerſalitas in communi, eſt forma determinata, quæ quidem in eſſendo particularis eſt, & ſingularis; cum ad actionem ſingularem & particularem reſultet, ſicut & alia quæuis ſecunda intentio; debet ergò habere vnum materiale ſubſtractum peculiare, & determinatum.

III. Argumē. Tertiò probatur. Omnes naturæ particulares, conueniunt in aliquo communi; in hoc ſcilicet quòd poſſunt abſtrahi, & vniuerſales denominari; hoc ergò illis commune eſt. Immediatum, & adæquatū vniuerſalis ſubſtractum.

IIII. Probatur. Quartò probatur. Vniuerſalitas in communi, & vniuerſalitas in particulari ſe habent, vt ſuperius, & inferius; ergò & ſubſtractum vniuerſalis in communi, & vniuerſalis in particulari habebunt ſe, ſicut ſuperius, & inferius.

Opinio aliquorū recentiorū. Alij ex recẽtioribus dixerunt, quòd licèt ſubſtractum remotum vniuerſalis non ſit vnicum, ſed multiplex, plures ſcilicet naturæ: ſubſtractum vero immediatum, & adæquatum

adæquatum vnicum eſt, non quidem aliqua natura communis, ſed naturæ prout conueniũnt in hoc, quòd eſt ſubſtare vniuerſalitati; vt ſic enim habent rationem vnius, & diffiniti in diffinitione vniuerſalis.

Hic tamen modus dicendi facilè euertitur; hoc enim non eſt conuenire in aliquo, quòd ſit materiale ſubſtractum, ſed potius conuenire in ratione illa formali, quam ſcilicet de formali ſignificant: vnde hoc nihil aliud eſt dicere, quàm quòd naturæ conueniunt in vniuerſalitate, de quo modò non controuertitur.

I. Conclu. Prima concluſio. Vniuerſale in communi nõ dicit pro materiali naturam aliquam vnam, communem, vt ſubſtractum adæquatum, & immediatum. Sic noſter Doctor. q. prædicta 14. vniuerſalium, & omnes illius interpretes, & eſt etiam communis inter Thomiſtas.

I. Probat. Probatur primò. Quia talis natura communis non eſt realis, cùm ſubſtractum vniuerſalitatis ſit etiam ens rationis, nec propterea ens rationis; quia etiam dicit naturas reales, nec aliqua natura communis vniuoca enti reali, & rationis, cum hæc nequeat dari. Imò etiam ſi gratis detur, omnes naturas diuerſorum prædicamentorum in aliqua ratione cõmuni conuenire; talis ratio communis ſiue ſit ens, ſiue quæuis alia, adhuc eſt talis natura determinatè, ergò requirit talem vniuerſalitatem in particulari, per quam ad ſua inferiora referatur: nulla ergò poteſt natura dari adæquatè correſpondens vniuerſali in communi.

II. Cõcluſio. Secunda concluſio. Vniuerſale pro materiali immediatè dicit omnes naturas cõmunes, diuiſiuè ſumptas. Vnde ſubiectum vniuerſalitatis, vt ſic, eſt hoc diſiũctum ens reale, vel rationis, ſubſtantia, vel accidens; hæc ſequitur ex precedenti.

Ex his facile ſolui poſſunt quædam dubia, quæ de vniuerſali quæri ſolent. An vniuerſale ſit ſubſtantia, vel accidens, corporeum, vel in corporeum? Dicimus enim vniuerſale pro formali, accidens eſſe rationis; materialiter verò, ſeu pro ſubſtracto, nec eſſe determinatè ſubſtantiã, nec accidens; nec ens rationis, nec reale: vnde materiale vniuerſalis in particulari aliquandò erit ſubſtantia, quandò abſtrahitur à ſingularibus ſubſtantiæ, ſeu à primis ſubſtantijs, vt natura humana: aliquandò accidens, quandò abſtrahitur à ſingularibus accidentis, aliquandò ens rationis, quandò abſtrahitur à ſingularibus entis rationis, vt vniuerſalitas abſtracta ab hac, & illa vniuerſalitate. Dicitur etiam in corporeum pro formali negatiuè, non verò poſitiuè. Pro materiali verò tunc erit corporeum quandò natura eſt abſtracta à ſingularibus corporeis, compoſitis ſcilicet ex materia, & forma, vel ſi fuerit accidens ab accidentibus materialibus.

Ad argumenta. Reſpõdet. Ad argumẽta. Ad primum: diſtinguo minorem: ſignificat aliquid ſimpliciter vnum nego: aliquid vnum in confuſsò, ſiue plura diuiſiuè ſumpta, per modum tamen vnius *Ad. I.* concedo. Vniuerſale enim dicit expreſsè vniuerſalitatem, & cõfundit ſub illo termino, habens, quãcumq; naturã, quæ poteſt habere vniuerſalitatem.

Ad I. Confirmation. Ad confirmationem nego paritatẽ quantum ad hoc; eo quòd impoſibile ſit, talem naturam communem, vniuerſalitati in cõmuni correſpondentem dari: nec enim cõcretum habet, neceſsè connotare vnum materiale; tantùm enim ſignificat ſua materialia vt vnum, non in ſe, ſed in formali, quod ipſum concretum primò, & per ſe, ſignificat. Albi enim materiale ſignificatũ, non eſt aliquid vnum in ſe, ſed plura, vt homo, paries, nix &c. ſunt tamen quodammodo vnum in albedine; concretum ergò dicit de formali vnam formam connotando quòd debet eſſe in aliquo, vel in aliquibus. Vnde vniuerſalitas in cõmuni non eſt quid fictitiũ, cum plures naturas connotet, per quas etiam poteſt cognoſci.

II. Cõfir. Ad ſecundam confirmationem. Quòd habet plura materialia vniuerſale in communi, in quibus exercetur.

Ad. II. Argumẽ. Ad ſecundum argum. Diſtinguo antecedens in actu ſignato concedo: in actu exercito nego; ſic vniuerſalitas in communi eſt ratio referendi naturam ad inferiora, non in actu exercito, ſed ſignato: vnde non requiritur in actu exercito, quòd illi aliqua natura correſpondeat. Vel reſpondetur eſſe rationem referendi naturam ſub diſiunctione hanc, vel illam quod ſufficit; in quibus exercetur, quod in ipſo vniuerſali ſignatur.

Ad. I. Cõfirmat. Ad primam confirmationem. Imò quod ſubiectum extrinſecè ſpecificat formã, ideò non requiritur tanta vnitas in ſubiecto, extrinſecè ſpecificante quanta in ſpecificante intrinſeco.

Ad. Cõfir. II. Ad ſecundam confirmationẽ. Diſtinguo maiorem, ſi ſenſus ſit, requirit determinatũ ſubiectum negatiuè, hoc eſt nõ quodlibet indifferenter, vera eſt, ſed nihil contra nos

vniuerſalitas enim vt ſupra dixim9, nequit applicari cuicumq; ſubiecto; ſed ſicut licèt albedo nō determinet hoc vel illud corpus in particulari; determinat tamen corpus vt ſic: ita vt extra illud eſſe non poſsit; ſic etiā vniuerſalitas, licèt nō determinet hanc, vel illam naturam; determinat tamen naturā abſtractam, vt ſic, extra quam nequit alteri applicari. Si autem ſenſus ſit quòd quælibet forma poſtulat ſubiectum determinatum poſitiuè, id eſt, vnicum non admittens diſiunctionem. Tunc rurſus eſt diſtinguenda; vel enim eſt ſermo de forma ſingulari; & ſic eſt vera, vel de forma cōmuniter ſumpta, & ſic eſt falſa, vt licèt hoc album determinet hoc ſubiectum; album tamen in cōmuni non determinat vnum ſubiectum; ſic ergò vniuerſalitas in concreto, quæ eſt quid commune ad vniuerſalia particularia, non eſt ſingularis, ſed communis abſtracta ab illis: vnde vt ſic non determinat ſubiectum vnum. Verum eſt quod vniuerſalitas, quæ in illa vt ſic fundatur ſicut in qualibet alia ratione communi (diximus enim ſupra ipſas etiam ſecundas intentiones eſſe fundamentum aliarum) eſt ſingularis & ſic determinat vnum ſubſtractum, vniuerſalitatem ſcilicet hanc communem.

Ad. III. Ad tertium. Quòd tantùm conueniunt proportionaliter, & analogicè, in hoc ſcilicet, quòd ſicut hoc materiale, quod eſt ens reale, ſe habet ad hanc vniuerſalitatem, ſic & aliud materiale, quod eſt ens rationis, ad ſuam vniuerſalitatem.

Ad. IIII. Ad quartum. Concedo antecedens, & nego conſequentiam; ratio autem diſcriminis iam eſt aſsignata, quòd forma ſingularis, & determinata, determinat ſubiectum vnum; forma verò cōmunis tantum petit ſubiectum ſub diſiunctione, hoc vel illud.

QVÆSTIO IIII. VTRVM *vniuerſale habeat rationem totius reſpectu inferiorum, & actu illa contineat.*

QVÆSTIONEM hanc cōmuniter diſputāt doctores in capite de genere; ſed quia hoc cōmune eſt cuicūq; vniuerſali reſpectu ſuorū inferiorū, cū id quod de alio prædicatur, debeat illud aliquomodo cōtinere; ideò inquirimus in præſēti, quomodò vniuerſale cōtineat ſua inferiora: vt homo Petrū, & Paulū: animal hominē, & equum.

Pro tituli tamen intelligentia; hæc ſunt præmittenda.

I. Notab. Primum eſt, duplex totum conſtitui vnū actuale, aliud potentiale. Totū actuale eſt, quod actù cōponitur ex partib9, & iuxta diuerſitatē partiū cōponentiū diuerſificatur, A & totum; & quia partes ſunt in triplici differentia, quædā phyſicæ, aliæ quantitatiuæ, aliæ metaphyſicæ; ita & triplex totius gen9 datur, vnum phyſicū, quod ex partibus phyſicis materia nēpè, & forma cōſtituitur, aliud mathematicum, quod ex partibus quātitatiuis, vt linea ex partibus lineæ continuatis; aliud tandē metaphyſicū, quod ex partibus metaphyſicis, vt ex genere, & differentia coaleſcit. Totū verò potētiale eſt illud, quod non cōponitur ex partibus, quas ſub ſe habet; ſed ſic appellatur; quia eſt quid cōmune de ſuis inferioribus prædicabile, & ſua inferiora dicuntur partes non cōponētes, ſed ſubiectiuæ. Cū ergò vniuerſale hanc rationem totius potentialis habeat reſpectu inferiorum, quærimus, in quo hoc cōſiſtat.

B Secūdum eſt, quòd (vt iam diximus) vniuerſale pro materiali, ſeu quælibet natura, quæ vniuerſalis dicitur, ſi in ordine ad ſua prædicata eſſentialia conſideretur; ſic rationem habet totius actualis ex talibus prædicatis cōpoſiti, & de illis, hæc quæſtio nō procedit; ſed de natura cōparata ad inferiora. *II. Notabile.*

Duplex extrema opinio verſatur in hac re.

Prima aſſerit vniuerſale continere actu ſua inferiora, quæ ſic probatur. *I. Opinio.*

Primò. Genus magis continet inferiora, quàm materia continet formas, & ipſa cōpoſita; ſed hæc eſt continentia in potentia: ergò illa eſt actualis. *I. Argumē.*

Secundò. Quod eſt actu totum, actu debet cōtinere ſuas partes: ſed vniuerſale eſt actu totum potentiale reſpectu ſuorum inferiorum: ergò actu continet illa. *II. Argumē.*

Secunda opinio aſſerit, vniuerſale nullo pacto neq; explicitè, neq; cōfuſsè, actu cōtinere ſua inferiora, nec differentias quibus C determinatur ad inferiora; ſed tantū in potentia, quā defendunt multi etiā ex recentioribus. Rubio c. de genere q. 4. & Alij. *II. Opini.*

Probatur autem primo ex Ariſt. qui hoc expreſsè docet, 2. poſter. c. 8. tex. 17. ſic *ſupponatur tale eſſe genus, vt ſit ſecundum potentiam in plus*; & Porphyrius c. de differētia, vbi ait, *per differentiam genus ab ſpecie excedi* & hoc nulla alia ratione, niſi quia differentia in ſpecie actu continetur; in genere verò tantū in potentia; alias enim ſi actu etiā contineretur, nullus eſſet exceſſus. *I. Argumē.*

Secundo probatur ratione eiuſdem Porphyrij. Si vniuerſale actu cōtineret inferiora, & differentias, ſimul haberet oppoſita, vt rationale, & irrationale, & totū hoc prædicaretur *II. Argumē.*

dicaretur de quouis inferiori; cum totum,
quod actu includitur in ſuperiori, prædice-
tur de inferiori, & in qualibet diffinitione
committeretur nugatio, quia idem ponere-
tur in diffinitione ſui ipſius, vt ſi animal cō-
tinet actu hominem, idem eſſet dicere ho-
III. mo eſt animal, ac homo eſt homo.

Argumē. Tertiò probatur. Vel inferiora, vt ſpe-
cies, & differentiæ ſunt in vniuerſali .v. g.
in genere realiter, & hoc non; quia omnis
forma, ſiue phyſica, ſiue metaphyſica exiſ-
tens realiter in alio, illud conſtituit forma-
liter tale: ergò ſi differentiæ diuiſiuæ vt
rationale, & irrationale eſſent in animali,
ſecundùm quod ſunt in illo conſtituerent
formaliter animal vt ſic, rationale, & ir-
rationale; quod omnino dictu horret de
conceptu vniuerſalis, cum vniuerſale in
ſuo conceptu abſtrahat ab omni differen-
tia, quæ conſtituit ſpeciem; ſed id quod à
parte rei realiter eſt ſeparatum ab alio, nul-
lo modo actu continet illud, à quo eſt ſe-
paratum; inuolueretur enim implicatio:
ergò id quod eſt intelligibiliter ſeparatum
per rationem ab alio, quo pacto ſeparatur
per abſtractioné, ratio ſuperior ab inferio-
ribus ſuis, & diuiſiuis differentijs, ſecundū
eandem rationem non cōtinebit illas actu
in eſſe abſtractiuo. Nec ſunt in ratione ſu-
periori actu tamquam in ſignificante, quia
Cōfirmat. animal .v. g. non ſignificat hominem.

Confirmatur. Perfectibile in quantùm
perfectibile non habet actu in ſe ſuos actus
perfectiuos, quia in quantum illos habet ac-
tu, non perfectibile, ſed actu perfectum eſt:
ſed natura vniuerſalis eſt perfectibilis per
ſuos actus differentiales: vt ſic ergò non cō-
IIII. tinet illos actu.

Argumē. Vel vniuerſale continet inferiora, & dif-
ferētias diuiſiuas pro materiali, & hoc nō;
quia vt ſic habet rationē partis vt genus p
materiali eſt pars ſpeciei, pars autem non
continet actu totum, nec pro formali, quia
vt ſic eſt correlatiuum ſpeciei; vnum autem
V. correlatiuum, vt ſic, non continet aliud.

Argumē. Quintò probatur. Ille conceptus conti-
net actu confuſè, & implicitè alium, à quo
non eſt præciſibilis, nec ſeparabilis per in-
tellectum; ſed conceptus vniuerſalis ſeu
rationis ſuperioris eſt præciſibilis à concep-
tu inferiori, vt genericus, ab ſpecifico,
cum perfectè concipiatur natura anima-
lis, non cognita natura hominis: ergò ille
conceptus prout præciſus non continet im-
plicitè & confuſè rationes inferiores.

Vltimum Argumē. Vltimò tandē probatur. Aliàs ſi vniuer-
ſale actu cōtineret ſuas partes ſubiectiuas
A nempè inferiora non eſſet totum potentia-
le, ſed totum actuale, ratione enim continē-
tiæ dicitur potētiale: continentia potētialis
eſt, quæ in hoc diſtinguitur ab actuali, quòd
ex vi illius tantùm dicitur res contineri in
virtute, & potentia, vt materia prima ideò
dicitur phyſicè ſuas formas potentialiter
continere; quia eſt potentia phyſica recep-
tiua illarum; ſed animal, vt ſic .v. g. eſt potē-
tia metaphyſica differentiarum ſuſceptiua,
quæ in ordine metaphyſico ſunt formæ per-
ficientes generis potentialitatem: ergò ani-
mal metaphyſicè dicetur continere in potē-
tia differentias, quibus perficitur, & ex cō-
ſequēti ſpecies, quæ ex tali perfectione me-
taphyſica reſultant; & hoc idem de quouis
vniuerſali proporcionaliter dicendum eſt.
Sed vt noſtrum placitum aperiamus.

Primò obſeruandum eſt. Duplicem eſſe *I. Notab.*
continentiam, vnam potentialem, & aliam
B actualem; potentialis, qua aliquid dicitur
aliud continere in potentia tantùm, & non
actu, quo pacto materia dicitur continere
formas, actualis verò eſt qua aliquid con-
tinet aliud. Et hæc rursùs eſt duplex, vna
determinata, & formalis, alia indetermi-
nata, inuoluta, & confuſa; determinata
eſt qua aliquid continet aliud ſecundùm
propriam & determinatam rationem, quo
pacto omne totum actuale continet ſuas
partes, vel phyſicas, vel metaphyſicas,
aut quantitatiuas, quæ etiam vel eſt,
implicita, vel explicita; implicita
eſt, qua licèt aliquid actu determinatè
contineatur ab alio, non tamen expreſ-
ſè ſignificatur, aut demonſtratur ex vi no-
minis, aut termini, vel conceptus, quo
continens ſignificatur: ſic homo .v. g. con-
tinet actu omnia ſua prædicata eſſentia-
C lia, vt animal, viuens, &c. non tamen ex-
preſsè ſignificantur per hoc nomen homo:
explicita verò tantùm addit ſupra præ-
dictum modum continēdi implicitè, quòd
eædem partes quæ actu determinatè con-
tinentur; clarè, & diſtinctè exprimun-
tur. Quo pacto diffinitio hominis dicitur
continere explicitè, clarè, & diſtinctè par-
tes hominis, quas tamen implicitè conti-
net homo. Continentia verò indetermi-
nata, eſt qua aliquid dicitur continere
aliud non ſecundùm propriam, & deter-
minatam rationem, ſed communem, &
confuſam; quæ continentia tantum con-
uenit vniuerſali, & illam modò explica-
re intendimus.

II. Notab. Secundò obſeruandum vniuerſale poſſe conſiderari, vel pro formali, vel pro materiali; pro ipſa ſcilicet natura, quæ vniuerſalitate afficitur; & hoc ſecũdo modo adhùc dupliciter, vel præcisè, vt dicit talẽ gradũ, vt animal, vt dicit gradũ ſentiendi, & vt ſic, etiam concipitur conceptu merè præciſo, & formali, & ſignificatur termino abſtracto, vt animalitas, vel prout concipitur, & ſignificatur per modum totius, termino cõcreto, & his tribus modis inquirimus an & quomodo contineat inferiora?

I. Concluſio. Prima concluſio. Natura quæ denominatur vniuerſalis, vt habet rationẽ partis, & vt abſtrahitur abſtractione formali, nullo modo cõtinet actu differentias diuiſiuas, atq; adeò nec inferiora, ſed tãtùm in potentia.

I. Pars Probatur. Prima pars patet; quia vt ſic præcisè dicit rationem partis.

II. Pars. Secunda verò ſic; quia talis natura, vt pars præcisè ſumpta poteſt componere totum metaphyſicum, ſiue ex natura rei, ſiue per rationem: ergò habet rationem determinabilis, & vlterioris perfectibilis per differentias: compoſitio enim hæc per determinationem, & contractionem fit: ſed pars determinabilis in potentia continet actu determinantes, vt materia.

Vnde vt ſic non poteſt prædicari, nec habet rationem vniuerſalis aut prædicabilis; quia pars in quantum pars, non poteſt prædicari de toto; aliàs enim redderet hũc ſenſum, homo eſt animal præcisè ſumptum; ſeu homo non eſt plus quã animalitas, qui ſenſus eſt omninò falſus.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Natura, quæ vniuerſalis dicitur, vt abſtracta abſtractione totali, & denominatur vniuerſalis nõ continet actu determinatè inferiora nec explicitè nec implicitè; ſcilicet ſecundùm proprias, & determinatas rationes inferiorum, ſed ſecundùm hanc rationem tantùm ea continet in potentia. Hanc tantùm probant argumenta adducta pro ſecunda opinione, quæ non libet iterum repetere; quia talis continentia eſt propria totius actualis.

III. Concluſio. Tertia conc. Natura vt ſic continet actu ſuas ſpecies indeterminatè, & in confuſſò: hanc tenent multi ex recentioribus, & eam arbitror eſſe de mente noſtri Doct. aut planè ſequi ex his, quę docet q. 16. vniuerſaliũ: ſicq; explicatur. Natura, quæ vniuerſalis denominatur, vt ſic concepta, & ſignificata in concreto in ſuo conceptu dicit actu idem, quod habens talẽ naturã, vt animal habens animalitatem: conceptus autem habentis animalitatem, eſt conceptus omniũ ſpecierũ animalis, vt hominis, equi, leonis &c. (A) omnes enim tales ſpecies ſunt, animalitatẽ habentes, vt homo dicitur habens animalitatem; iſte autem cõceptus animalis dicitur non ſolum conceptus ſuperioris, ſed etiam conceptus ipſarum ſpecierũ, non proprius & diſtinctus, ſed cõmunis, & cõfuſſus, atq; confuſsè dicit totum hominem, & totum equum, & ratione confuſſæ ſignificationis poteſt de quolibet inferiori prædicari. In hoc ergò conſiſtit hæc actualis continentia ſuperiorum; non quia actu contineat conceptus ſpecierũ proprios, & determinatos illorum; ſic enim potius abſtrahit à tali modo continentiæ, & propter hoc dicitur potentiale; ſed quia actu continet quendam conceptum, qui etiam eſt conceptus inferiorum licèt non proprius cuiuſq; ſed communis qui in confuſo dicit totum, quod dicit quodlibet inferius; & ideò dicitur totũ.

Probatur Concluſio. (B) Probatur autem conc. modò Quia ſine tali modo continentiæ, non poterit ſtare ꝓpria, & directa prædicatio vniuerſalium de ſuis inferioribus. Dicunt contrarij, ſat eſſe continentiam potentialem per modũ materiæ determinabilis, ad cui9 explicationẽ. potentialem continentiam materiæ primæ, in exemplum adducũt. Sed eodem exẽplo propriùs in eos agamus. Sequitur ergo eandem materiam primam habere rationẽ totius potentialis, & poſſe prædicari de compoſito, ſic, homo eſt materia, quia ratio totius potentialis per vos generis. v. g. in eo conſiſtit quòd contineat ſic totam ſpeciem quatenus proprium gradum actu cõtinet; differentialem verò in potẽtia in quantum, per illam eſt perfectibilis, ſed materia prima ſic etiam continet totum compoſitum, vt totum hominem, actu quidem, entitatem materialem, in potentia vero formas (C) quatenus eſt per illas perfectibilis: quòd enim ſit pars realiter diſtincta parũ obſtat, ſi aliàs totum hoc pacto continet.

Corollariũ. Ex dictis ſequitur, hoc, de quouis vniuerſali reſpectu ſuorũ inferiorũ dicẽdũ eſſe, ſpecies enim vt homo. v. g. in ſuo cõceptu dicit habẽs humanitatẽ, qui cõceptus eſt cui9 cũq; indiuidui, quodlibet enim indiuiduũ, vt Petrus, Paulus &c. eſt habens humanitatem, rationale habens rationalitatem, &c.

IIII. Cõclnſio. Quarta conc. Vniuerſale continet ſua inferiora, hoc genere continentiæ modo explicato pro formali: & patet, quia vniuerſalitas ex vi vniuerſalitatis habet rationẽ totius ſuperioris, & cõmunis vt diximo, ipſa

enim

enim eſt aptitudo, & potentia vniuerſalis in quantum eſt totum.

Ad. Argũ in cõtrari. Argumenta, quæ in contrariũ obiecta ſũt facilè quiſque poterit ex prædicta diſtinctione diluere; tantùm enim probant ſecũdam concluſionem, & iam explicatum eſt in quo totum actuale, & potentiale diſtinguantur.

QVÆSTIO V. VTRVM VNIuerſale vnica relatione vniuerſalitatis reſpiciat omnia ſua inferiora.

PARS negatiua his argumentis efficaciter ſuaderi poſſe videtur.

I. Argum. Primò quia ad multiplicationẽ terminorũ, multiplicãtur relationes (vt cũ noſtro Doctore in. c. de relatione efficaciter ꝓbabimꝰ) ergò ad multiplicationẽ inferiorũ, multiplicãtur etiã relationes in vniuerſali.

II. Argũ. Secundò. Vniuerſale reſpiciens tria, aut quatuor inferiora refertur ad illa relatione rationis: ergò corrupto vno inferiori, vniuerſale deſinit referri ad illud; cum tale inferius iam nõ referatur ad ipſum; ſed adhuc vniuerſale rèfertur ad alia duo inferiora: non ergò eſt éadem relatio, qua reſpiciẽ vnum inferius ab ea, qua reſpicit aliud.

III. Argumẽ. Tertiò Si vniuerſale vnica relatione refertur ad plura inferiora; ſequeretur ꝙ ſimul poſſet eſſe vniuerſale, & nõ vniuerſale conſequens eſt abſurdum, ergò id ex quo ſequitur. Sequella probatur. Relatiua ſunt ſimul natura, & poſita ſeponunt, & peremptа ſe perimunt: ergò poſito vno inferiori ponitur vniuerſale, & illo deſtructo deſtruitur vniuerſale: ſed poteſt deſtrui vnum inferius manẽte alio in eſſe relatiui, ad quod etiam refertur vniuerſale: ſimul ergò vniuerſale deſtruitur, & non deſtruitur; atque adeò ſimul poterit eſſe vniuerſale, & non vniuerſale.

Pro huius quæſtionis deciſsione.

I. Notab. Notandum eſt. Quod ſicut obiectum alicuius habitus, aut potentiæ eſt duplex, vnũ inadæquatũ, quod ſcilicet non adæquat totam latitudinẽ potẽtiæ, ſed ad plus ſe extẽdit potẽtia, quã ad illud, vt albedo dicitur obiectũ inadæquatũ viſus: alterum adæquatũ, vltra ꝙ non ſe extendit potentia, ſed tota eius latitudo adimpletur per illud; ſic relatio habet duplicem terminum; vnum inadæquatum, qui ſcilicet non terminat totam latitudinem relationis, ſed relatio ad plus ſe extendit quam ad illum terminum: alterum adæquatum, quod terminat totam latitudimem relationis; ſicut materia prima inadæquatè dicit relationẽ ad hanc formam; quia hæc forma nõ terminat totam
A latitudinem materiæ, dicit autem relationem ad omnes formas, tamquam ad terminum adæquatum; quibus ſuppoſitis ſit.

Prima conc. Vniuerſale vnica, & eádem relatione refertur ad plura inferiora. Hæc concluſio licèt nõ ita expreſsè inueniatur apud noſtrũ Doct. & alios authores; debet tamen ſupponi ex dictis tamquam certa in omni doctrina, quam nos ſic probamus. *Concluſio.*

Primò. Hoc genus ſit formaliter genꝰ, & vniuerſale per cõparationẽ intellectus, qua cognoſcit illud in ordine ad ſuas ſpecies; ſed per iſtã cõparationẽ non reſultat in iſta natura, niſi tantũ vna ſola relatio vniuerſalitatis, quæ denominat iſtã naturã vniuerſalem, & reſpicientẽ plura. vnde iſta relatio ſeu vniuerſalitas aut genereitas dicitur vniuerſalis in denominando: ergo vniuerſale vnica ſola relatione, reſpicit ſua inferiora. *I. Probatur.*

Cõfirmatur. Abſtractio ſeu comparatio,
B eſt ratio fundandi, ſeu fundamẽtũ ꝓximũ vniuerſalitatis, & vbi eſt vna dũtaxat ratio fundandi eſt vna relatio: ſed quandò natura v. g. animalis ſit genus, eſt tantum vna ratio fundandi vna ſcilicet comparatio: ergò eſt vna relatio. *I. Cõfirm.*

Confirmatur ſecundò. Ideò in patre ſecundùm doctrinã Scoti ſunt plures relationes, non ſolum, qua ſunt plures termini; ſed quia præſupponuntur plures rationes fundandi, ſcilicet plura genuiſſe; ſed hic tantùm eſt vna ratio fundandi inductiua relationis in natura generica: ergò eſt tantùm vna relatio. *II. Cõfirmat.*

Secundò. In hoc diſtinguitur relatio ſingularitatis à relatione vniuerſalitatis, quòd relatio ſingularitatis denominat rem ſingularem, & incõmunicabilem, & refert illam ad vnum tantum: relatio verò vniuerſalitatis denominat naturam communem, &
C reſpicientem plura inferiora: ergò per vnã relationem vniuerſalitatis reſpicit genus omnia ſua inferiora *II. Proba.*

Confirmatur. Vniuerſalitas eſt forma vniuerſalis: ergò per eam conſtituitur formaliter vniuerſale in eſſe talis, ſed de intrinſeca ratione vniuerſalis eſt quòd poſſit eſſe in pluribus, & reſpiciat plura: ergo per ſolam illam vniuerſalitatem, reſpicit vniuerſale ſua inferiora *Cõfirmat.*

Tertiò. Quia ſi vniuerſale pluribus relationibus reſpicit omnia ſua inferiora, vel quælibet illarum denominat illam naturam formaliter vniuerſalẽ, vel non. ſi primum: ergò per illam conſtituitur vniuerſale for- *III. Prob*

ſale formaliter in eſſe vniuerſalis, ac per cõſequens cum reſpectu ad plura, & vt prædicabile de illis, hoc enim eſt de ratione vniuerſalis: ergò per illam ſolã reſpicit omnia inferiora.

Si dicas quòd nõ: ergò nec omnes ſimul. Patet conſequentia: quia relatio ſingularitatis ex natura ſua, non eſt conſtitutiua vniuerſalis; ideò quãuis in vna re ſint plures relationes ſingularitatis, per omnes illas non cõſtituitur in eſſe vniuerſalis: ergò ſi quælibet relatio vniuerſalitatis ex natura ſua, non eſt conſtitutiua vniuerſalis formaliter in eſſe vniuerſalis: nec omnes ſimul.

Cõfirmat. Confirmatur ſecundò. Sumo vnam relationem, quæ eſt in vniuerſali, qua reſpicit vnum inferius: tunc ſic, vel per iſtam relationem præciſè, reſpicit vniuerſale hoc inferius, tamquam vniuerſale, vel non: ſi primum, ergò reſpicit illud per illam relationem, tamquam quid cõmune pluribus alijs inferioribus; & ſic habeo intentum: ſi ſecũdum: ergò reſpectu illius non eſt vniuerſale, quandoquidem nõ reſpicit illud, vt alijs etiam communicabile.

II. Cõclu. Secunda cõcluſio. Relatio vel habitudo actualis qua actu vel eſt, vel prædicatur vniuerſale, non eſt vna numero, ſed multiplex ſecundùm multiplicitatem prædicationum actualium. Hæc declaratur exemplo materiæ primæ, in qua vna tantũ numero eſt habitudo potentialis ad omnes formas quas poteſt recipere, relatio verò actualis fundata in vnione, & informatione variatur, per variatione formarum: ſic ergò in natura vniuerſali, habitudo potentialis ad inferiora, vna eſt; actualis autem reſpectus prædicati fundatus in actuali vnione intelligibili variatur ſecundùm variationem prædicationum & ſubiectorum, quibus vnitur.

Ad argumenta. Ad argumenta pro parte negatiua reſpondetur.

Ad. I. Ad primum. Illud antecedens eſſe verũ de relationibus, quæ non conſiſtunt in ſuperioritate, & communitate, & in potẽtia ad plura, vt plura ſunt, in quã cõſiſtit vniuerſalitas, de cuius intrinſeca ratione eſt ordo, & aptitudo ad plura, vt plura. Vnde eſſentialiter poſtulat plura pro termino adæquato: quia vnum inferius non adimplet totã eius confuſionem, nec exhaurit totã eius potentialitatem; atque adeò non terminat adæquatè totam eius latitudinem, & capacitatem.

Ad. II. Ad ſecundum. Quòd corrupto vno inferiori manet in eſſe potentiali, & in eſſe obiectiuo, quod ſufficit, vt ad illud referatur relatione rationis. Si autem inſtare volueris: ſaltim quandò intellectus intelligit vnum inferius .v. g. vnam ſpeciem, vt ſubijcibilẽ vniuerſalis nempè generis: tunc debet cognoſci genus, vt correlatiuum ſpeciei; cum relatiua ſint ſimul cognitione, tunc ergò illud vniuerſale tantùm refertur ad vnum inferius. *Tacita. Obiectio.*

Reſpondeo. Quòd quando intellectus cognoſcit illud vniuerſale cognoſcit eum omni ſua potentialitate. Vnde in confuſſò cognoſcit omnia ſua inferiora, quæ vt ſic cognita ſufficiunt, ad terminandam illam relationem vniuerſalitatis. *Occurritur ipſi.*

Ad tertium. Negatur ſequella. Ad probationem, quòd illa inferiora ſunt actu in eſſe obiectiuo, nec enim aliter poteſt fieri vniuerſale, ſiue realiter deſinãt eſſe inferiora, ſiue non. *Ad. III.*

QVÆSTIO VI. HABEAT NE *vniuerſale in communi aliquas proprietates.*

QVÆSTIONEM hanc diſputat noſter Doctor q.6. vniuer. Videtur autem vniuerſale nullam habere proprietatẽ.

Primò. Eſſentia, & propria paſſio debent adinuicèm conuerti, ſed nihil poteſt cum vniuerſali conuerti: ergò nec eſſe illius paſſio. Minor probatur; quia illud, quod cum vniuerſali conuertitur, vel eſt vniuerſale, vel ſingulare: non ſingulare, quia iam eſſet inferius ad vniuerſale, atque adeò cum illo conuerti non poſſet, nec habere rationem paſſionis: non vniuerſale, aliàs enim idem ſui ipſius propria eſſet paſſio, & proceſſus in infinitum daretur; cum enim talis propria paſſio, vniuerſalis eſſet aliã neceſſariò propriã haberet paſſionẽ, & ſic in infinitũ. *I. Argumẽ.*

Secundò. Omnis propria paſſio eſt quartũ prædicabile reſpectu ſui ſubiecti, paſſio ergò vniuerſalis eſt quartũ prædicabile reſpectu vniuerſalis: non ergò cum vniuerſali cõuerti poteſt, cùm prædicabile quartum, inferius quid ſit ad vniuerſale, & illius ſpecies; atqui inferius cum ſuperiori conuerti nequit. *II. Argumẽ.*

Tertiò. Omnis paſſio eſt minus ens ſuo ſubiecto, ſed nihil poteſt eſſe minus ens ẽte rationis, quàm nihil: ergò nec aliquid poteſt eſſe paſſio vniuerſalis. Tum etiã quòd accidens non eſt ſubiectum accidentis ex Ariſt. 4. metaph. c. 14. ſed vniuerſale eſt accidens: nequit ergò ſubiectum eſſe alterius accidentis. *III. Argumẽ.*

Quartò. Si aliqua eſſet paſſio vniuerſalitatis *IIII. Argumẽ.*

tatis maximè prædicabilitas, præter illam enim nulla alia aſsignari poteſt: ſed hæc nõ, vt à nobis probatum eſt. Tum etiam vel paſsio vniuerſalis oritur præcisè ex vi illius, abſque eo quòd intellectus per ſuam cognitionem verſetur circa ipſam, & hoc non; cũ talis modus promanãdi ſit proprius paſsionis realis; vel fit ex vi actionis intellectus, & ſic poterit dari ſine vniuerſali; quia poterit cognitio ad vniuerſale præcisè terminari, & non ad illud, quod paſsionis rationem habet. Tandem inter ſubiectum, & propriam paſsionem diſtinctio ſaltim formalis, & ex natura rei intercedit: quæ cum realis ſit, nõ poteſt dari inter entia rationis.

I. Notab. Supponendum eſt primò cum Scotiſtis. Quòd cum entia rationis entia ſint admodum entium realium; diſtinctio etiam in illis data, eſt admodũ diſtinctionis repertæ in entibus realibus: hæc ergò cùm duplex ſit in entib9 realibus; vna realis ſtrictè, alia formalis, & ex natura rei; duplex etiã modus diſtinctionis in entibus rationis datur; vnus eſt qui realem imitatur, qualis eſt illa quæ datur inter duas intentiones, quarum vna poteſt dari ſine alia, non ſolum in eſſe obiectiuo, ſed etiã in ſuo proprio eſſe: alius eſt, quaſi formalis, qui inter duas rationes, aut conceptibilitates eiuſdem intentionis intercedit; quarum vnam extra aliam intellectus conſiderat. Vnde vt bene Sarnanus q. 1 vniuer. cum in ſecundis intentionibus ſit diffinitio, ſubiectum, & paſsio in illis poteſt ſecundùm Scotum diſtinctio ex natura rei ſuo modo reperiri.

II. Notabile. Secundò ſupponendum eſt. Quòd licèt per actualem prædicationem, ſuis inferioribus vniatur natura, & ſit in illis conceptibiliter, & prædicatiuè; in illa tamen, mens noſtra quaſi duos actus diſtinguit; quaten9 dupliciter poteſt talis prædicatio conſiderari: vel prout præcisè habet rationẽ vnionis intelligibilis, qua ſcilicet natura intelligibiliter à ſuis inferioribus ſeparata per rationẽ eiſdẽ inferioribus applicatur, & quaſi vnitur: vel prout præcisè ex vi illius, eſt natura in eiſdem per rationem, cum quibus vnitur conceptibiliter; inter quos duos actus, talis intelligitur ordo, quòd ſicut in entibus realibus prius eſt formam vniri alicui ſubiecto, quàm eſſe in illo: ita in eſſe intelligibili, prius eſt naturam, mentis induſtria ſeparatam, per rationẽ inferioribus vniri, quàm eſſe in illis; cum ergò ex diuerſitate actuum, potentiarum diuerſitatem venemur; eodẽ modo in ipſa aptitudine vniuerſalitatis procedendum eſt; quòd licèt ex vi illius natura ſit apta, vt vniatur, & ſit conceptibiliter, & prædicatiuè in inferioribus; poteſt tamen in illa duplex ratio aptitudinis diſtingui: vna, quæ actuali prædicationi ſecundùm priorẽ rationem correſpõdeat, quæ cum prima ratio vniuerſalitatis ſit, habet rationem eſſentiæ: alia verò, quæ correſpondet actui eſſendi intelligibiliter; atq; adeò rationem habet aptitudinis eſſendi intelligibiliter in inferioribus, quæ cum priorem ſupponat, habet rationẽ proprietatis.

I. Conclu. Prima cõcluſio. Vniuerſale logicum pro formali habet aliquam paſsionem. Sic noſter Doctor q. 6. vniuer.

Probatur Probatur. De vniuerſali habetur ſcientia; habet ergò aliquid de ipſo demonſtrabile per propriã eſſentiam, & id eſt paſsio.

II. Concl. Secunda cõcluſio. Paſsio vniuerſalis formaliter ſumpti eſt aptitudo eſſendi in multis. Sic noſter Doctor vbi ſuprà, & cum eo omnes Scotiſtæ, Mauritius q. 6. vniuer. dub. 5. Anglicus, Sarnan. & alij cõmuniter. *Mauritio Anglicus. Sarnanus*

Fũdamẽt Huius cõcluſionis. Fundamentum iſtius cõcluſionis ex his, quæ in 1. q. iſtius articuli diximus, & ex hoc ſecundo notab. deſumendum eſt: ſicq; probatur à noſtro Doctore. Quidquid habet diffinitionem indicãtem eſſentiam diffiniti, & præter illam habet aliquid conuertibile, hoc ſecũdum eſt illius paſsio; ſed vniuerſale habet diffinitionem indicantẽ eius eſſentiam; eſſe ſcilicet de pluribus prædicabile, quæ ab Ariſt. ponitur 1. Perier. & habet aliquid conuertibile, illud ſcilicet, quod ponitur 1. Poſterior. Eſſe vnum in multis: ergò hoc eſt illius proprium. Tum etiam ſi natura eſſet realiter ſeparata à ſingularib9, prius intelligeretur vniri illis, quã eſſe in illis: ergò natura quæ intelligibiliter eſt ſeparata à ſuis inferioribus, prius intelligitur per rationẽ illis vniri, quã in illis eſſe: ergò aptitudo ad actum vnionis prædicatiuum eſt prior, quam aptitudo ad actum eſſendi intelligibiliter: illa ergò eſt eſſentia. hæc verò paſsio.

III. Concl Tertia concluſio. Vniuerſali pro materiali dicuntur cõuenire iſtæ paſsiones, eſſe ingenerabile, incorruptibile; quæ concluſio vel poteſt intelligi de vniuerſali complexo vt homo eſt animal rationale, vel eſt admiratiuus, vel riſibilis, & tale dicitur ingenerabile, & incorruptibile, perpetuum, quoad cõnexionem neceſſariam prædicatorum. Si verò de vniuerſali incomplexo tunc cum incorruptibilitas componatur ex in, & corruptibilitate, particula, in, duo poteſt nega-

re,vel rationem, principium,& potentiam ad corruptionē,quo pacto Deus Angeli,& anima rationalis dicūtur incorruptibiles, vel cōditionē ſine qua nō poteſt exerceri corruptio: hoc ergò ſecūdo modo omnia vniuerſalia dicūtur ingenerabilia, & incorruptibilia,quia ſcilicet in vniuerſalibus, vt ſic nō poteſt exerceri corruptio, aut generatio,quæ terminatur ad exiſtētiam,quam in ſingularibus habent, quæ eſt extra illorum eſſentiam, & ſicut per accidens ſunt ſingularia per accidēs corrumpuntur,& generātur,& ratione ſingularium ſunt hic, & nūc, & in certo tempore,& loco. Si verò cōſiderentur ſecundùm ſuam eſſentiam, & quidditatem ; vt abſtrahūt ab omni ſingulari & exiſtētia, vt ſic ſunt incorrupibilia, & ingenerabilia in actu exercito. Licèt in actu ſignato corruptibiles,& generabiles dicantur naturæ,quæ principium corruptionis,& generationis habēt;quales ſunt naturæ ex materia phyſica,& forma compoſitæ.

In eodem prædicto ſenſu dicimus naturas vniuerſales per ſe eſſe vbique, & in nullo certo loco,aut tempore;non autem poſitiuè,ac ſi in ſe habeāt,vnde ſe extendāt ad omne tēpus, & ad omnē locum (hoc enim eſt proprium Dei,qui ratione ſuæ immenſitatis, & durationis infinitæ cōplectitur omnia loca, & tempora) ſed negatiuè tantum quia nempe ab hic & nunc abſtrahunt ex ſe, nec ſuapté natura ad aliquem certum locum, aut tempus determinātur.

Hac etiam ratione immateriales dicūtur quatenus abſtrahūt à ſingularibus;licèt alia ratione materiales dicantur, ſicut, & corporeæ,quæ materia,& forma conſtāt; dicūtur etiā in ſenſibiles,quia per intellectū abſtrahunt à ſenſibilibus;dicuntur què manere in eſſe eſſentiæ,& quoad neceſſariā connexionem prædicati cum ſubiecto corruptis ſingularibus,cum illa ab iſtis non dependeat: deſtructis ergò omnibus ſingularibus naturæ humanæ, hæc eſt perpetuæ veritatis;homo eſt animal rationale: dicūtur etiā manere in eſſe cognito in mente Diuina.

Ad argu. Reliquum eſt,vt argumenta in oppoſitū *Reſpōdet.* obiecta cum noſtro Doctore diluamus.

Ad I. Ad primum. Maior conceditur,minor verò negatur,& ad illius probationem, quòd paſsio vniuerſalis eſt quidem vniuerſalis, non eſſentialiter,ſed denominatiuè,vt quælibet alia paſsio ſumpta in communi, denominatur vniuerſalis ab vniuerſalitate,tamquam à conditione, & modo illius.

Obiectio. Dices, ſubiectū nō prędicatur de nominatiuè de ſua paſsione,nec eſt modus illi9.

Reſpōdet. *Solutio.* Reſpondet noſter Doctor ſub diſtinctionē quòd vniuerſale ,ſicut, & quælibet alia ſecunda intentio poteſt dupliciter cōſiderari,vt quid,vel vt modus:ſumi vt quid, nihil aliud eſt,quam conſiderari ſecundùm ſuam propriam quidditatem,& eſſentiam: ſumi verò vt modus quatenus habet rationem denominandi, quod non ſolùm habet reſpectu primarum intētionum , ſed etiam reſpectu ſecundarum , vt dicemus:vniuerſale ergò ſecundùm ſuam eſſentiam , non dicitur eſſentialiter de ſua paſsione : vnde paſsio vniuerſalis non eſt eſſentialiter vniuerſalis; ſicut nec paſsio hominis ; ſed quia hoc eſt peculiare in ſecundis intētionibus, quòd poſſunt eſſe fundamenta aliarū,ideò poſſunt ſe ipſa mutuò denominare accidentaliter: poteſt & vna habere rationem modi reſpectu alterius.

Ad.II. Secundum argumentum eandem habet reſponſionem. Proprietatem vniuerſalis denominari accidentaliter,à ſecunda intentione vniuerſalitatis quarti prædicabilis , ſicut & quælibet alia paſsio denominatur.

Ad.III. Ad tertium reſpondet noſter Doctor. Quòd ſicut in latitudine entis realis dantur gradus magis,& minus perfecti;ita in latitudine entis rationis, & licet accidens non ſit primum ſubiectum quod ſubſiſtens accidentium, poteſt tamen eſſe ſubiectum proximum,& immediatum,vt patet in quantitate. Vel reſpondetur;paſsionem non propriè inhærere ſubiecto , cum identificetur cum illo,

Ad.IIII. Ad quartum. Aſsignauimus iam eſſentiā, & paſsionem vniuerſalis ; nec enim paſsio vniuerſalitatis propriè dicitur oriri, ſed habet ſe , ac ſi oriretur ; quia eſt ratio aliam præſupponens ex vi proprij conceptus; & ſic intellectus illam conſiderat. Ad aliam verò partem argumenti. Quòd ſicut in entib9 realib9,nec paſsio poteſt ſeparata exiſtere in re à ſuo ſubiecto; nec ratio ſuperior à ſuo inferiori:at verò in eſſe obiectiuo,ſeu in cognitione intellectus , benè poteſt vna ſine alia dari:hoc enim nihil aliud eſt,quàm vnam ſine alia cognoſci. Sic etiam in entibus rationis, quoad ſuum eſſe actuale, nec poteſt dari paſsio ſine ſuo ſubiecto, nec ratio ſuperior ſine inferiori. Vnde eo ipsò quòd reſultat aliqua ſecunda intentio , reſultat cum omnibus ſuis prædicatis eſſentialibus , & paſsionibus;ſicut eo ipsò quòd producitur homo , producitur cū omnibus ſuis prædicatis eſsētialibus,& paſsionibus,

nec enim

nec enim poteſt ſine illis produci: quatenus tamẽ eſt obiectum cognitionis, ſicut benè poteſt ratio ſuperior ſine inferiori cognoſci, & paſsio ſine ſubiecto: ita in eſſe obiectiuo, poteſt eſſe vnum ſine alio. Ad vltimam verò partem iam diximus de diſtinctione.

QVÆSTIO VII. VTRVM vniuerſale ſit obiectum iſtius libri.

Duplex in hac queſt. Opinio.

QVÆSTIONEM hanc mouet noſter Doctor q 7. vniuer. in qua triplex verſatur opinio.

I. Opinio. Albertus. Boetius. Amonius. Auerroes.

Prima aſſerit obiectum iſtius libri Porphyrij eſſe quinque prædicabilia: ſic Albertus, Boetius, Amonius, & Auerroes.

I. Argumẽ. Primò probatur ex ipſo Porphyrio, qui ſtatuens in exordio capitis, de quo ſit acturus numerat quinque prædicabilia, nullam de vniuerſali mẽtionem faciẽs: imò à quæſtionibus vniuerſalium abſtinendũ eſſe fatetur, ſolum quẽ de quinque prædicabilibus diſſerit, quapropter liber iſte quinque vocum, aut prædicabiliũ nominatur.

II. Argumẽ. Secundò. Si aliquid aliud deberet aſsignari obiectũ iſtius libri, maximè vniuerſale in communi: ſed hoc non, cum per obiectum debeat vna ſciẽtia ab alia diſtingui: per vniuerſale verò, ſcientia hæc partialis ab alijs non diſtinguitur; quia cuicumque ſcientiæ commune eſt, de vniuerſalibus, & non de ſingularibus diſputare, vt teſtatur Ariſt. 1. poſter c 3. & 2. de anima c. 5. imò quòd cõſiderare naturam vniuerſalis ad metaphyſicam pertinet.

III. Argumẽ. Tertiò. Vel vniuerſale eſt obiectum huius libri in quantùm intentio, & hoc non, quia vt ſic ad metaphyſicam pertinet, quæ omnium rerum eſſentias cõſiderat, vel quatenus applicatur rebus, & hoc modo cũ ſit ens per accidens ſub nullius ſcientiæ conſiderationem cadit.

IIII. Argumẽ. Quartò. Nullum vniuerſale ex his quinque, de quibus in hoc libro diſſeritur, eſt illius adæquatum obiectum, vt cõſtat, quia, quocumque aſsignato, non eſt maior ratio, cur illud potius, quã aliud ſit obiectum: ergò nullum vniuerſale eſt obiectum iſtius libri, cum nullum ſit, quod ſub aliquo horum quinque non comprehendatur. Vnde vniuerſale in communi cum genus ſit ad iſta quinque, vt videbimus, ſub genere, quod eſt ſpecies vniuerſalis, cõprehenditur.

V. Argumẽ. Quintò tandem. Quòd obiectum debet continere omnia, de quibus talis ſcientia diſſerit; ſed non ſic vniuerſale; cum ſpecies ſubijcibilis, & indiuiduum, quæ iſtius libri conſiderationi ſubſunt, nõ ſint vniuerſalia.

A *Opinio. Thomiſt.* Thomiſtæ, vniuerſale obiectum iſtius libri conſtituunt ſub ratione aptitudinis eſſendi in multis, tamquam ſub propria eſſẽtia & ratione formali, per quam prædicabilitas de ipſo demonſtratur.

I. Conclu. Prima concluſio. Quinque prædicabilia, vt plura ſunt, nõ ſunt obiectum huius libri; quam ſic probat noſter Doctor.

Probatur. Hæc ſcientia eſt vna: ergò habet vnum ſubiectum, atque adeò hæc quinque prædicabilia nõ erũt obiectum illius, vt plura ſunt. Nec etiam eſt maior ratio, cur vnũ potius, quã aliud aſsignetur: ergò quatenus conueniunt in vno communi, quod erit primum, & adæquatum obiectum.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Obiectum iſtius libri eſt vniuerſale ſub propria ratione vniuerſalitatis, quæ eſt aptitudo ad prædicationes, ſiue prædicabilitas. Sic noſter Doctor, & omnes Scotiſtæ, quæ ſic ab eodem.

B *Probatur.* Probatur. Vniuerſale vt ſic reſpectu iſtius libri, partialiſque ſcientiæ, habet omnes conditiones obiecti, quas ſupra numerauimus, habet primam: quia de vniuerſali ſupponitur quid eſt, diffinitio ſcilicet illius, tãquam per ſe nota, quam ſupponit Porphyrius ſufficienter aſsignatã à phyloſopho 1. perier. quapropter ratione, & diffinitione vniuerſalis vtitur in iſtorũ quinque vniuerſalium diffinitione: habet etiã ſecundam cõditionem obiecti; quia hic de vniuerſali per propriam illius diffinitionẽ, quæ eſt prædicari de pluribus tanquam per propriam, & adæquatã rationem demõſtratur de eodẽ, vt de proprio, & primo ſubiecto, paſsio, quæ vniuocè conuenit iſtis quinque (quia medium demonſtrationis æquatur paſsioni; hoc eſt conuertitur cum paſsione) aptitudo nempè eſſẽdi in multis, prout à nobis explicata: habet tanden tertiam cõditionẽ,

C quia continet omnia, quæ in hoc libro conſiderantur, vel tamquam ſpecies, vt quinq; prædicabilia; cũ ipſum diuidatur à Porphyrio in hæc quinque; prædicari enim de pluribus per quod intelligit vniuerſale, ſubdiuidit in hæc quinque, cum prius claritatis gratia diuiſerit prædicari, in prædicari de vno, & in prædicari de pluribus. Vel tãquã quid neceſſariò cognoſcẽdum ad perfectiorem vniuerſalium cognitionem: Vnde cum relatiuum non poſsit cognoſci, ſine ſuo extremo correlatiuo, ideò agit de inferioribus vniuerſalis, quæ ſunt extrema correlatiua ipſius, vt de ſpecie ſubijcibili, & indiuiduo; vel etiam agit de his, vt de directè oppoſitis

poſitis ipſi vniuerſali; cum oppoſitorum eadem ſit ſcientia: vniuerſale ergò prædicatas habens conditiones eſt obiectum iſtius libri.

Ad argu. 1. Opin. Ad argumenta, quæ pro prima opinione contra nos militant reſpondemus.

Ad. I. Ad primū. Porphyrium præſuppoſuiſſe vniuerſalis diffinitionem à philoſopho traditā, vt diximus. Qui licèt à quæſtionibus metaphyſicis ſe abſtinuerit, ſufficientem tamen notitiā tradidit, vt vniuerſale eſſe in rerum natura intelligeretur; cætera verò, quæ de vniuerſali cognoſci poſſunt per diſcurſum demonſtratiuum ſunt acquirenda. Inſcriptio autem iſtius libri quinque prædicabilium, vel ſumitur ab eo, quod eſt notiꝰ, vel ab eis quatenus conueniunt in ratione vniuerſalis debet intelligi.

Ad. II. Ad ſecundum, dialecticā in hoc cum alijs ſcientijs conuenire quòd agit de obiecto in communi, ſcientia enim non agit de ſingularibus: diſtinguitur autem ab alijs ſcientijs, quòd non ſolum agit de ſuo obiecto in vniuerſali, & in cōmuni, ſed ipſum vniuerſale ſecundum propriam rationem vniuerſalis conſiderat in hoc libro, vt proprium obiectum illius; nulla enim ſcientia cōſiderat ipſam ſecundam intentionem vniuerſalitatis præter logicam. Vel brebius reſpōderi poteſt cum noſtro Doctore, quòd ſciētia realis eſt de vniuerſali primo modo, quod eſt res, hoc eſt de fundamēto vniuerſalis, quod eſt ipſa natura realis; logica verò de vniuerſali ſecundo modo, quod eſt intentio.

Ad. III. Ad tertium cum eodem; metaphyſicam agere de omnibus rebus, atque adeò de ſecunda intentione ſub ratione entis; de intētione verò in quantū intentio, ſub propria nempè & ſpeciali ratione intentionis, & quatenus denominat naturas, & illas cōcernit, agit logica: & vt ſic non eſt ens per accidens: quia res non cadit ſub conſiderationem logicæ, ſecūdum propriam rationē; ſed quatenus ab intentione denominatur.

Ad. IIII. Ad quartum; antecedens concedendum eſt, diſtinguenda verò conſequentia, nullū vniuerſale in particulari eſt obiectū iſtius libri cōcedo: vniuerſale in communi nego; & cum obijcitur illud vniuerſale cōtinetur ſub genere, quod eſt vniuerſale particulare, reſpondēdum eſt, illud vniuerſale, quod eſt commune iſtis quinque, denominatiuè tātum & accidentaliter eſſe ſub genere, eſſentialiter autē eſſe quid ab illis abſtractum: quod peculiare eſt in iſtis intentionibus, vt dicemus diſtinctione vltima iſtius libri.

Ad. V. Ad quintum ex dictis in probatione ſecūdæ concluſionis.

A

ARTICVLVS IIII. DE VNIuerſalitatis extremo, quod ſubijcibile dicitur.

CVM vniuerſalitas quædam aptitudo ſit, potentia vè dicens ordinem ad inferiora, vt ad propriū terminum, ſeu obiectum: ideò meritò vt pleniorem vniuerſalis in cōmuni notitiam proferamus, ordo diſputationis expoſcit, vt nōnulla de tali termino, ſeu obiecto in communi diſſeramus, de quo, quæ ſequūtur inquirēda occurrūt.

QVÆSTIO I. QVID SIT ſubijcibilitas, & an formaliter detur à parte rei.

SICVT vniuerſale quoddam concretū eſt, quod pro formali dicit ſecundam intentionem vniuerſalitatis, pro materiali

B

dicit naturam, quæ ab illa, vniuerſalis denominatur, eſt què illius fundamentum; ſic etiam ſubijcibile, concretum quoddam eſt: dicens pro formali, formam ſubijcibilitatis; pro materiali rem, quæ ſubijcibilis denominatur. Vnde in præſenti quæſtione vidēdum eſt, quid ſit ſubijcibilitas fundamentaliter, & quid formaliter.

I. Conclu. Prima concluſio. A parte rei datur aptitudo fundamentalis, ſeu fundamentum ſubijcibilitatis.

Probatur Primo probatur. In natura à parte rei eſt potentia, & fundamentum vt intelligatur, & ſit actū communis, & vniuerſalis: ergo in re, quæ ſubijcitur in prædicatione, eſt à parte rei potentia, & fundamentum, vt intelligatur, & ſit formaliter actū ſubijcibilis: aliàs etiam ſecunda intentio ſubijcibilitatis eſſet fictitia, & chimærica, vtpotè quæ

C

fundamētum non habet in re: quod fundamentum nihil aliud eſt quàm rem aliquam eſſe compoſitam ex rationibus, quæ poſſūt concipi, vt tota potentialia reſpectu illius.

II p. pbat Secunda pars probatur. Rationes ſuperiores eſſe actu realiter in inferioribus, vt partes metaphyſicas ex quibus res coaleſcūt, vel illis actū communicari, cum ſupra expoſita aptitudine, & indiferentia eſt fundamētum vniuerſalitatis: ergò rem eſſe cōpoſitam ex prædictis rationibus, eſt fundamētum ſubijcibilitatis, vt ſcilicet illis poſſit ſubijci, & vniri intelligibiliter. Præterea natura ſuprema in prædicamentis, ideò nō poteſt eſſe ſubiectum ſubijcibilitatis, quia non eſt compoſita ex genere, & differentia,

ſed

ſeu rationibus metaphyſicis.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Subijcibilitas formaliter ſumpta, ſeu ſecunda intentio ſubijcibilitatis; non datur in re ante intellectus operationem.

I. Probatur. Probatur. Talis ſubijcibilitas eſt correlatiua vniuerſalitatis: atqui in re non datur intentio vniuerſalitatis, vt ſupra probatum eſt, ergò nec ſubijcibilitas.

II. Proba. Præterea probatur, Relatio realis non intercedit, niſi inter ea, quæ realiter diſtinguũtur, vt in prædicament. c. de relatione vidimus, cum eiuſdem ad ſe ipſum nulla relatio realis ſit: ſed inferiora realiter ſunt idẽtificata cũm naturis vniuerſalibus, rationibus vè ſuperioribus: ergò nulla datur in inferioribus relatio realis ad vniuerſale: ergò nec ſubijcibilitas, quæ, vt modò dicemus, relatio quædam eſt inferioris ad ſuperius.

III. Concl Tertia concluſio. Subijcibilitas eſt relatio quædam rationis ſecũdùm eſſe, non vniuerſalitatis, ſed inferioritatis; qua ſcilicet inferius reſpicit ſuum ſuperius, tãquam ei, cui poteſt ſubijcibi in prædicatione.

I. Pars Probatur Prima pars quod ſcilicet ſit relatio rationis. Patet. Quia vniuerſalitas & ſubijcibilitas ſunt correlatiuæ; ſed vniuerſalitas eſt relatio quædã rationis ſecundùm eſſe, qua vniuerſale reſpicit inferiora: ergò ſubijcibilitas eſt relatio quædam rationis ſecũdùm eſſe, correſpondens vniuerſalitati, qua inferius reſpicit ſuum ſuperius.

II. Pars Probatur. Secunda pars ſic probatur. De intrinſeca ratione vniuerſalitatis eſt, eſſe habitudinẽ ad inferiora, ſubijcibilitas autem, non eſt eſſentialiter habitudo ad inferiora, ſed ad ſuum ſuperius, & hoc eſt ſuum correlatiuũ; non ergò eſt reſpectus vniuerſalitatis, ſed inferioritatis.

Cõfirmat. Confirmatur. Vniuerſalitas eſt aptitudo prædicandi de pluribus: atqui ſubijcibilitas non eſt aptitudo prædicandi de illa natura, cui eſt ſubijcibilis: non ergò eſt reſpectus vniuerſalitatis.

Obiectio. Si autem obijcias. Vniuerſalitas eſt reſpectus ad plura formaliter, vel ſaltim ad vnum, quod eſt virtualiter plura, vt patebit de vniuerſalitate tertij, & quarti prædicabilis: ſed ſubijcibilitas eſt reſpectus ad vnum nempe vniuerſale, quod virtualiter eſt plura: ergò eſt relatio vniuerſalitatis.

Solutio. Reſpondeo, relationẽ vniuerſalitatis reſpicere plura, vel vnum quod virtualiter eſt plura (quod ſub controuerſia eſt, poſtea tamẽ dirimẽda) vt eſt apta de illis prædicari, prædicatione directa: ſubijcibile autẽ per reſpectum ſubijcibilitatis non reſpicit naturam vniuerſalem, vt aptum de illa prædicatione directa, ſuperioris de inferiori, prædicari: aliàs enim indiuiduum eſſet vniuerſale, quatenus per relationem ſubijcibilitatis reſpicit vniuerſale, nimirum ſpeciem.

Quarta concluſio. Subijcibilitas formaliter eſt aptitudo, ſeu potentia quædam relatiua, qua inferiora reſpiciunt naturam vniuerſalem. Hæc autem concluſio ſic. *IIII. Concluſio.*

Probatur. Vniuerſalitas eſt formaliter aptitudo relatiua, qua vniuerſale eſt aptũ prædicari de ſuis inferioribus, & eſſe in illis conceptibiliter, ergò ſubijcibilitas eſt aptitudo relatiua quaſi materialis ad eſſendum ſub illo cõceptibiliter, ſicut ex eo quòd forma habet aptitudinem formalem ad exiſtẽdum realiter in materia per realem vnionem; infertur quòd ipſa materia aptitudinem habet materialem ad eſſendũ ſub illa. *Probatur*

Ex dictis ſequitur iſtos duos reſpectus, & vniuerſalitatis ad inferiora, & ſubijcibilitatis ad ſuperius, non ſolùm eſſe eſſentialiter diſtinctos, ſed quaſi oppoſitos, cum oppoſitum modum habeant ſuos terminos reſpiciendi; quia reſpectus vniuerſalitatis reſpicit ſuum terminum, vt ſuperius ſuum inferius, vt continens ſuum contentum, vt totum potentiale ſuas partes ſubiectiuas: reſpectus verò ſubijcibilitatis omninò contrario modo ſe habet; reſpicit enim ſuum terminum, vt inferius ſuum ſuperius, vt contentum ſuum continens. *I. Corolla.*

Tandem ſequitur reſpectum ſubijcibilitatis non oriri à reſpectu vniuerſalitatis, vt paſsionem ab eſſentia, nec è cõtra. Vt Caietanus, Toletus, & alij dicũt in c. de ſpecie. & hoc exemplo illuſtratur: in homine, qui ſimul eſt pater reſpectu filij à ſe geniti, & filius reſpectu patris, qui illum genuit, quem tãnquam ſuperiorẽ reſpicit, paternitas nõ oritur ex filiatione, vt paſsio ex eſsẽtia, nec è contra filiatio à paternitate. Ergò nec in inferiori, qui ſimul eſt vniuerſale reſpectu ſuorum inferiorum, & ſubijcibile reſpectu ſuperioris, ſubijcibilitas non oritur ex vniuerſalitate, nec è contra: ſunt enim reſpectus quaſi oppoſiti, habẽtes diuerſa fũdamẽta; fundamẽtum vniuerſalitatis eſt, naturæ fœcunditas & aptitudo vt ſit in multis: fundamentum vero ſubijcibilitatis, eſt natura cõpoſita ex gradibus ſuperioribus; & habẽt diuerſos terminos, & diuerſos modos illos reſpiciendi, habentq; diuerſas rationes fundãdi, cùm per diuerſas cõparationes fiant, & oppoſitum modum denominãdi naturã; *II Corollarium.*

in qua

in qua ſunt relatio inferioritatis, non poteſt oriri à relatione ſuperioritatis.

V. Concl. Quinta concluſio. Licèt ſubijcibilitas ſit forma, per quam natura inferior reſpicit ſuũ ſuperius, & in eſſe correlatiui illius cõſtituitur, non tamen eſt ratio formalis terminandi relationem vniuerſalitatis, ſed ipſa natura, quæ à ſubijcibilitate denominatur, eſt quæ ab illa reſpicitur, & illam terminat; tametſi ipſa ſubijcibilitas ſit cõditio ſine qua non reſpiciatur. Exacta iſtius quæſtionis intellgẽtia haberi nequit in præſenti loco; pendet enim ex .c. de relatione, vbi quæritur vtrùm id quod terminat relationem ſit abſolutum, an reſpectiuum: brebiter ergò ſic explicatur. Vniuerſale non reſpicit relationem ſubijcibilitatis ſed ipſam naturam ab illa denominatam.

Probatur Probatur. Quia vniuerſale reſpicit inferiora, vt potẽs de illis prædicari; ſed ſubijcibilitas, non eſt id, de quo vniuerſale poteſt prædicari.

Cõfirmat. Confirmatur. Genus. v. g. reſpicit vt prædicatum quidditatiuũ ſuum ſubijcibile, nẽpè ſpeciem; ſed relatio ſubijcibilitatis, non eſt ſubiectũ generis, de quo intrinſicè prædicatur; ſed ipſa natura ſpecifica; vnde animal non dicitur genus in ordine ad relationes, ſed in ordine ad equum, & hominẽ, habet tamen ſe ſubijcibilitas vt cõditio requiſita ad hoc quòd vniuerſale reſpiciat res inferiores ſibi.

QVÆSTIO II. VTRVM vniuerſali, vna tantum ſubijcibilitas correſpondeat in inferioribus.

PARTEM negatiuam probant hæc argumenta.

I. Argum Primum. Omnia inferiora conueniunt in hoc, quòd eſt ſubijci vniuerſali: ergò ab illis eſt præciſibilis vna ratio cõmunis, quæ ſit adæquatus, & primus terminus vniuerſalis. Conſequentia patet; quia quandò aliqua potentia, vel relatio ad plura terminatur, in quantùm cõueniunt in vna ratione formali, illa ratio in communi dicitur primum, & adequatum obiectum illius.

II. Argũ. Secundum. Potentia ſumit ſuam ſpecificationem à ſubiecto, & relatio à ſuo termino: ergò & ſuam vnitatem, ſed vniuerſalitas eſt potentia quædam relatiua: ſumit ergo ſuam ſpecificationem, & vnitatem à ſuo obiecto, & termino: hic ergò debet eſſe vnus; quia cauſa formalis non poteſt ſuo effectui vnitatem cõferre, niſi vt vna: obiectũ autem ſpecificatiuum ad genus cauſæ formalis reduci, notum eſt: qua ratione probabamus ex noſtro Doct. ſuprà; prædicabilia in quantùm plura non poſſe eſſe obiectum iſtius libri. Sic tamen.

I. Concl. Prima concluſio. Subijcibilitas iſta, ſeu aptitudo ad eſſendum ſub vniuerſali, ſecundùm inferiorum pluralitatem plurificatur, hæc patet. Tum quia fundamentum illius plurificatur ad pluralitatẽ inferiorum. Tũ etiam quòd accidens ad ſubiecti multiplicationem multiplicatur: ſubijcibilitas autẽ, accidens quoddam eſt de genere potentiæ.

II. Concl. Secunda concluſio. Inferiora quatenus plura ſunt, terminant relationem vniuerſalitatis. Hæc patet ex articu. præcedenti.

Probatur. Probatur itidem. Diſtincta eo ipſo quòd diſtincta, faciũt pluralitatem, ſed quodlibet inferius in quantùm ab alio diſtinctum reſpicit vniuerſale, & ab illo reſpicitur: ergo relatio vniuerſalitatis reſpicit inferiora vt diſtincta: ergò vt plura.

Confirm. Confirmatur. Inferiora vt diſtincta habent aptitudinem, vt vniuerſali ſubſint: homo enim vt ab equo diſtinctus, & equus vt diſtinctus à leone, aptitudinem habẽt ad eſſendum ſub animali; cum de illis vt diſtinctis prædicetur animal, quando quidèm homo vt diſtinctus à quolibet alio, eſt animal: ergò inferiora quatenus plura ſunt terminant relationem vniuerſalitatis; diſtincta enim, vt diſtincta plura ſunt.

Præterea, quòd obiecta partialia potentiarum, habent in ſe diſtinctas aptitudines ad terminandum actum illarum, vt quodlibet lignum habet diſtinctam calefactibilitatem, vt poſſit calefieri à potentia calefactiua, & quodlibet ens habet diſtinctam intelligibilitatem, vt poſſit terminare actum intellectus; atqui omnia inferiora diuiſiuè ſumpta, ſunt obiecta partialia vniuerſalis: ergò quodlibet inferius diuiſiuè ſumptum habet diſtinctam aptitudinem, vt vniuerſali ſubſit: imò poſſumus ſic retorquere argumentum. Illud ſubijcibile in communi, in quo inferiora ſubijcibilia conueniunt, eſt vniuerſale reſpectu illorũ: vel ergò reſpicit talia inferiora vt plura, & hoc eſt quòd intendimus, vel vt vnũ, & tunc redit idem argumẽtum de illo. Tandem illud primò, & immediatè reſpicit vniuerſale, de quo primò, & immediatè prædicatur: ſed immediatè prædicatur de ſuis inferioribus ſecundùm proprias illarum rationes, vt de homine, vt homo eſt (homo enim in quantùm præciſè animal eſt, non eſt inferior, cũ

vt ſic

vt ſic dicat ratione veluti æqualem): ergò vt ſic illa reſpicit: ergò vt diſtincta, & plura.

Ad argu. Argumenta pro parte negatiua obiecta ſic diluuntur.

Ad I. Primū. Quòd licèt omnia inferiora ſubijcibilia in hac ratione ſubijcibilis conueniāt, non reſpiciūtur ab vniuerſali, quatenus cōueniūt, ſed quatenus plura ſunt; & ad probationem conſequentiæ; licèt illud verum ſit de potentia, vel relatione, quæ plura reſpiciunt, prout in vno conueniunt, non verò de illa, quæ reſpicit plura in quātùm plura, qualis eſt vniuerſalitas, cuius eſsētia in hoc conſiſtit, vt vidimus, vt ſit reſpectus, & aptitudo ad plura in quantum plura.

Ad. II. Ad ſecundum reſpondetur. Hoc eſſe peculiare in potentia hac, ſeu aptitudine relatiua vniuerſalitatis, ſeu ſuperioritatis quòd ex intrinſeca ratione ſua poſtulat plura, vt plura pro termino adæquato. Et licèt in cauſis formalibus intrinſecis, quæ nempè ſe ipſas exhibendo ſuam vnitatem communicant proprijs effectibus, vnitas requiratur; non tamen requiritur tanta vnitas in cauſis formalibus in genere obiecti ſpecificantibus, quæ non communicant proprias vnitates, ſed ſpecificare dicuntur, quatenus rei ſpecificatæ ordinem terminant.

QVÆSTIO III. PER QVAM *operationem intellectus fiat ſecunda intentio ſubijcibilitatis.*

I. *Opinio.* QVIDAM dicunt non eadem actione intellectus cauſari vniuerſalitatem, & ſubijcibilitatem. Quia arbitrantur per actionem, qua natura fit formaliter vniuerſalis, inferiora nō fieri ſubijcibilia, ſed per aliam diſtinctam cognitionem ad ipſam ſubijcibilitatem terminatam. Huius ſententiæ videtur aliqui Scotiſtæ. ſic Mauritius q.3. vniuer. vbi ait quòd intellectus intelligens hominem, & animal diuerſis actibus, cōparat ſic cognita ad inuicem ſecundum rationem ſuperioris, & inferioris, quod ſic.

I. *Argumẽ.* Probatur primò. Non poſſunt vno, & eodem actu plura, vt plura & vt diſtincta cognoſci, ſicut nec vt ſic poſſunt vna, & eadem imagine repræſentari, cognitio autē imago quædam eſt, & ſimilitudo rei cognitæ.

II. *Argumẽ* Secūdò. Relatio vniuerſalitatis, & ſubijcibilitatis oppoſitas habēt rationes, & terminos omnino diſtinctos; diſtinctis ergò actionibus fiunt: quod & nos modò diximus.

II. Opinio Qui verò tenent eadem actione fieri vniuerſalitatem, & ſubijcibilitatem, iuxta modum cauſalitatis ipſius vniuerſalitatis, dicūt A ſubijcibilitatē fieri: vnde, qui illā dicunt fieri per actionem abſtractiuam, idem etiam de ſubijcibilitate fatentur.

Fundamentum eſt. Quod tunc inferius eſt actu, & formaliter ſubijcibile, quādo natura fit actu, & formaliter vniuerſalis; ſed fit talis per abſtractionē: ergò & ſubijcibile. *Fūdamẽt*

Confirmatur. Quia eo ipſo, quòd ab homine abſtrahitur animal, manet homo in potentia proxima, vt de illo poſsit animal prædicari, cum ſtatim, abſq; alterius actus reflexi neceſsitate ſupra hominem, poſsint fieri prædicationes.

Alij dicūt fieri per comparationem, quæ opinio vera eſt, & a nobis tenenda: vt conſentaneè cū his, quæ de vniuerſali diximus, procedamus. *III. Opinio.*

Sed obiter notare licet, ne ambiguè progrediamur, quòd ſicut vel loqui poſſumus de paternitate, & filiatione, quæ neceſſariā B habent connexionem, & relatiuam oppoſitionē, vt quæ intercedunt inter patrem generantem, & filium genitum, vel de paternitate, & filiatione, quæ diſparatè ſe habēt, & in eodem reperiuntur reſpectu diuerſorum, vt cū idem Petrus ſimul eſt pater reſpectu filij à ſe geniti, & filiꝰ reſpectu patris, qui illum genuit: talis paternitas, & filiatio nullam habitudinem, & connexionem habent inter ſe, ſed omninò ſe habent diſparatè, poteſtq; vna ſine alia dari. Sic etiam, vel poteſt ſermo inſtitui de vniuerſalitate, & ſubijcibilitate extremorum correlatiuè ſe habentium, vt de vniuerſalitate animalis & ſubijcibilitate hominis, quibus mutuò reſpiciuntur, vel de vniuerſalitate, & ſubijcibilitate, quæ reperiuntur in eodem, & diſparatè ſe habent reſpectu diuerſorum, & vna non dependet ab alia, vt vniuerſalitas, quæ C eſt in homine in ordine ad indiuidua, & ſubijcibilitas, quæ in eodē reperitur reſpectu animalis. *Notabil.*

Prima concluſio. Subijcibilitas non fit per abſtractionem, ſed per comparationē. Hæc concluſio ſic. *I. Cõcluſio*

Probatur quoad vtramque partem: natura non eſt formaliter vniuerſalis ex vi actionis abſtractiuæ, ſed comparatiuæ: ergò nec inferius eſt ſubijcibile formaliter ex vi abſtractionis præciſè, ſed comparationis; cum ſubijcibilitas ſit relatio rationis ſecundùm eſſe. Præterea; ſubijcibilitas fit per illā cognitionem; qua res inferior conſideratur, vt apta ſubeſſe ſuperiori: atqui cognitio hæc comparatiua eſt. *Probatur*

Secunda

Secūda concluſio. Vniuerſalitas, & ſubijcibilitas extremorum correlatiuè ſe habētium, neceſſariam habent connexionem inter ſe: & eadem cognitione comparatiua fiunt, ita vt per eundem actum, quo natura formaliter, & actu vniuerſalis conſtituitur per eundem inferius fiat formaliter, & actu ſubijcibile. Quæ concluſio ſic.

I. Probat. Probatur. Tum quia nō incouenit quòd intellectus eadem notitia ſimplici cognoſcat duo relatiua; imò id neceſſariò fatendū eſt. Ex vi enim actus præciſè, quo cognoſcitur vnum relatiuum vt pater; cognoſcitur aliud. v.g. filius, & cū cognoſcit intellectus æqualitatē inter duo quāta, illa nequit cognoſci, niſi vtrumque extremum cognoſcatur: ergò per vnam ſimplicem cognitionē comparatiuam poſſunt ſuperius, & inferiora cognoſci, vt extrema correlatiua.

II. Proba. Præterea. Quia ſuperiori dato formaliter; debet etiam dari formaliter inferius, nihil enim poteſt eſſe formaliter, & in actu inferius; quando nō habet ſupra ſe aliquid quod actu, & formaliter ſit ſuperius, nec è contra; ſed per actionem comparatiuam, fit natura formaliter, & actu ſuperior, & vniuerſalis: ergò per eandē fit formaliter inferius. Sed aduertendū eſt ſufficere cognitionem confuſam inferiorum ad cognitionem naturæ cōmunis, & ex vi talis cognitionis cōfuſæ inferiorum, conſtituuntur apta intelligibiliter ſubijci vniuerſali.

III. Concl Tertia concluſio. Vniuerſalitas, & ſubijcibilitas, quæ diſparatè ſe habēt in eodem ſubiecto, vt vniuerſalitas ſpeciei reſpectu indiuiduorū, & ſubijcibilitas in eadem, reſpectu generis fiūt diſtinctis actibus, & hoc intendunt Scotiſtæ.

Probatur. Probatur. Quia talis vniuerſalitas, & ſubijcibilitas nullam habent neceſſariam connexionem, dicunt què ordinem ad diuerſos terminos; ergò ea actione, qua vna fit, non fit altera: vnde diuerſa comparatio eſt, qua natura. v. g. humana conſtituitur formaliter vniuerſalis in ordine ad ſua inferiora, ab ea, qua fit formaliter ſubijcibilis in ordine ad genus.

Ad argū. Ad. I. Ad argumenta primæ opinionis. Ad primum. Quod ſi plura & diſtincta habeant inter ſe eſſentialem ſubordinationem, & mutuam connexionem, dependētiamq; neceſſariam, poſſunt eodem actu concipi: ſi verò non, verum habet antecedens; eſt autem diuerſa ratio de imagine intelligibili, qualis eſt cognitio, ac de imagine materiali; illa enim repræſentat ſpiritualiter inextensè, & vt quo; hæc verò extensè, materialiter, A & vt quod.

Ad. II. Ad ſecundum patet per tertiam, & quartam concluſionem.

Ad argū II. Opini. Ad fundamentum ſecūdæ opinionis ex ſupra dictis patet.

Ad. Cōfir Ad confirmationē. Negatur antecedens ſi de abſtractione formali procedat; ſicut enim natura ſuperior non eſt formaliter, & actu prædicabilis; niſi quandò per modum totius potentialis in ordine ad inferiora; cognoſcitur ita nec natura inferior eſt formaliter ſubijcibilis, niſi intercedente prædicta cognitione.

QVÆSTIO IIII. VTRVM in ſubijcibilitate duplex aptitudo reperiatur in ordine ad ſuperius.

Opinio Thomiſtarum. THOMISTÆ, conſequētēr ad ſuam opinionem ſicut actum prædicationis B conſiderant, vel quatenus præcisè ponit naturam in inferioribus abſtrahendo ab hoc, quòd id faciat realiter, vel conceptibiliter, & vt ſic dicunt eſſe actum vniuerſalitatis præcisè ſumptæ. Vel quatenus conceptibiliter, & predicatiuè attribuit eandem naturam eiſdem inferioribus: & ſic eſſe actum prædicabilitatis, vt ab vniuerſalitate diſtinctæ. Sic etiam ſubiectionem actiuam dupliciter conſiderant, vel quatenus ponit inferius ſub ſuperiori, abſtrahēdo ab hoc, quòd illud ponat, vel realiter, vel cōceptibiliter; vel in quantum ponit conceptibiliter, & nō realiter, quod quidem illo primo poſito neceſſariò ſequitur: ſi enim ex vi prædicationis primo modo ſumptæ ponitur in inferioribus natura, non conceptibiliter, ſed abſolutè: ergò ex vi ſubiectionis primo modo ſumptæ, ponitur inferius ſub natura vniuerſali, nō conceptibiliter, ſed abſolutè, & idē C probatur de prædicatione, & ſubiectione ſecundo modo conſideratis.

I Corolla. Ipſorum. Iſtius Sententia. Ex quo primò deducunt, quòd ſicut vniuerſale ex vi prædicationis primo modo ſumptæ, non habet eſſe prædicatum, ſed tātùm habet actu poni in inferiori abſolutè, ſeu actu eſſe tamquàm ſuperius illius in actu ſecundo; ſic etiam ex vi ſubiectionis primo modo conſideratæ, inferius non habet eſſe ſubiectum, cùm hoc per comparationē ad prædicatum ſumatur: ſed tantùm habet actu poni ſub vniuerſali, ſeu in actu ſecūdo eſſe illius inferius; at verò ſicut ex vi prædicationis ſecundo modo ſumptæ, habet eſſe prædicatum; ſic etiam inferius ratione

ſubiectionis

ſubiectionis ſecundo modo ſumptæ, habet eſſe ſubiectum.

II. Corollarium. Secundò deducunt. Quòd in ſubijcibilitate duplex aptitudo conſideratur, ſicut dictum eſt de vniuerſalitate: vna eſt aptitudo inferiorum, vt ſint ſub vniuerſali abſtrahendo ab hoc, quod eſt eſſe realiter vel cõceptibiliter, quæ correſpondet vniuerſalitati, vt ſic, cuius actus eſt ſubiectio actiua primo modo ſumpta: alia verò eſt aptitudo inferiorum vt ſint ſub ſuperiori conceptibiliter, cuius actus eſt ſubiectio ſecundo modo ſumpta. Prima aptitudo vocatur inferioritas, & correſpondet vniuerſalitati: ſecunda vocatur ſubijcibilitas, quæ correſpondet prædicabilitati: & ſicut vniuerſalitas eſt eſſentia vniuerſalis, prædicabilitas verò paſsio illius, ſic inferioritas eſt eſſentia inferioris, ſubijcibilitas verò paſsio inferioritatis; quod eodem modo probãt àc de vniuerſalitate, & prædicabilitate.

I. Argumẽ. Primò. Eundem ordinẽ habent iſtæ duæ aptitudines, quem ipſarum actus, ſed actus iſtarum aptitudinũ ſic ſe habent, quòd prius ratione eſt actus eſſendi ſub ſuperiori abſolutè, quàm actus eſſendi conceptibiliter vt ſubiectum: ergò prior eſt aptitudo inferioritatis, quam ſubijcibilitatis; illa ergo eſt eſſentia: cùm ſit id, quod primò concipitur in inferiori, hæc verò ſecunda eſt paſsio. Illud enim eſt paſsio, quod intelligitur oriri ab alio, cum quo neceſſariam habet connexionem; & poſterius dependens ab alio, ex natura rei intelligitur oriri ab illo: niſi enim inferius fuerit ſub vniuerſali, non poterit ſubijci per veram prædicationem.

II. Argumẽ. Secundò. Prius ratione eſt naturam eſſe vniuerſalem, quàm prædicabilem: ergò prius ratione eſt inferius eſſe (vt ita loquamur) inferioribile, quod eſt poſſe actu eſſe inferius in actu ſecundo, quàm eſſe ſubijcibile. Conſequentia patet. In illo priori, in quo natura tantũ habet eſſe vniuerſale, hoc eſt tantùm eſt potens in eſſe inferioribus, inferiora ſunt inferioribilia, id eſt, poſſunt eſſe ſub vniuerſali: ſed in illo priori natura vniuerſalis non intelligitur prædicabilis, id eſt, potens eſſe prædicatum: ergò pro illo priori, inferius non eſt ſubijcibile, id eſt, potens eſſe ſubiectum.

I. Cõfirmat. Confirmatur primò. Quando duo ſunt inter ſe eſſentialiter ſubordinata; ſi vnum non eſt poſsibile, nec aliud: ſed eſſe ſubiectum, & eſſe prædicatum, ſunt actus inter ſe eſſentialiter ordinati; ſi ergò vnus non eſt poſsibilis, nec alius; ſed pro illo priori eſſe prædicatum, nondum intelligitur poſsibile in ſua potentia, qualis eſt prædicabilitas: cùm hæc pro tunc non detur: ergò idem erit de ſubiecto, quod tunc, non intelligitur poſsibile in ſua potentia, qualis eſt ſubijcibilitas, atq; adeò hæc pro tunc non dabitur.

II. Cõfirmat. Confirmatur ſecundò. Quando aliqui actus ſunt ſimul natura ex vi ſuarum formalitatum, idem contingit in illorum potẽtijs, atqui eſſe actualiter ſubiectũ, & eſſe actualiter prædicatum, ſunt ſimul natura, vt cõſtat, idem erit de illorum potentijs, nempè de prædicabilitate, & ſubijcibilitate: in illo ergò priori, in quo non eſt prædicabilitas, non eſt ſubijcibilitas.

Noſtra sẽtentia ſtatuitur. Sed vt nos iuxta mẽtem noſtri Doctoris præexpoſitam procedamus, idem quod de vniuerſalitate diximus, ꝓporcionaliter de ſubijcibilitate ſtatuemus: ſubijcibilitatem nempè eſſe potentiam, & aptitudinẽ relatiuam inferiorũ ad ſuum ſuperius, cuius actus, per quem ſcilicet in actũ reducitur, eſt actualis ſubiectio, in qua, eadẽ duplex cõſideratio, quæ in actuali prædicatione etiam reperitur: ſicut ergò actualis prædicatio .l. poteſt cõſiderari, ꝓut eſt quædã intelligibilis vnio, qua natura vniuerſalis ſeparata ꝑ rationẽ, vnitur intelligibiliter, & prædicatiuè cũ inferioribus veluti in genere cauſæ formalis, ſeu per modũ formæ: prædicatũ enim habet rationem formæ reſpectu prædicati, & vt ſic correſpondet prædicabilitati, vel quatenus ex vi illius natura eſt cõceptibiliter in inferioribus, & vt ſic, correſpondet aptitudini eſſendi in pluribus per rationem: ſic etiam actualis ſubiectio vel poteſt cõſiderari, quatenus habet rationẽ vnionis conceptibiliter, in genere cauſæ materialis: cùm ſubiectum ſe habeat vt materia, quia veluti materialiter vniatur prædicato: vel quatenus ex vi illius, inferius eſt actu ſub ſuperiori. ſic etiam ſubijcibilitas, vel poteſt cõſiderari quatenus eſt quædã aptitudo ad vnionẽ intelligibilẽ per modũ materiæ, cuius ꝓprius actus eſt ſubiectio primo modo conſiderata: vnde talis aptitudo, vt ſic, dicitur ſubijcibilitas, vel quatenus eſt aptitudo eſſendi ſub inferiori, cuius actus eſt ſubiectio ſecundo modo ſumpta. Hoc notabile colligo ex noſtro Doctore. q. 21. vniuer. vbi loquens de ſpecie ſubijcibili ſic ait. *Hoc conceditur, & dicitur; quod ſpecies poteſt habere comparationem duplicem ad genus, vnam vt ordinatur ſub ipſo; aliam verò vt genus ennunciatur de ſpecie in propoſitione:*

primo modo datur hæc diffinitio: ſpecies eſt, de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur.

Prima concluſio. Subijcibilitas habet rationem duarum aptitudinum conceptibiliter diſtinctarum, quarum vna ſe habet vt eſſentia, alia verò vt paſsio. Hæc. *I. Cōcluſio*

Probatur Probatur. In vniuerſalitate datur duplex ſupra expoſita aptitudo, quarũ vna ſe habet vt eſſentia, alia verò vt paſsio: ergò in ſubijcibilitate, cùm prædictæ aptitudines prædicabilitatis, ſeu vniuerſalitatis, & ſubijcibilitatis correlatiuè ſe habeant.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Ratio prima, & eſſentialis cōſtituens inferius formaliter in eſſe talis, eſt ſubijcibilitas præcisè vt ſubijcibilitas eſt: aptitudo verò eſſendi ſub vniuerſali habet rationē paſsionis: hæc eſt mens noſt. Doct. clarèq; deprehēditur ex his, quæ de prædicabilitate, & aptitudine eſſēdi in multis dicta ſunt: & quidē ſuppoſitis his, quæ de illis diximus, neceſſariò cōcluſio hæc ſequitur: quia ratio prima, & eſſētialis cōſtituēs vniuerſale, vt ſic, eſt prædicabilitas: ergò ratio prima, & eſſētialis inferioris, vt ſic eſt ſubijcibilitas. Conſequētia patet, quia ſubijcibilitas in quātũ ſubijcibilitas neceſſariò correſpōdet prædicabilitati, & habent neceſſariam cōnexionem, & ſubordinationem, vt ipſi contrarij fatentur, ſicut, & earum actus ſcilicet prædicatio & ſubiectio, prædicatũ, & ſubiectum: prædicatum enim eſſentialiter alicuius ſubiecti eſt prædicatũ, & è contra. Antecedens ſupra probatum eſt, quia prima, & eſſentialis ratio vniuerſalis eſt aptitudo, qua natura ſeparata per rationē ab inferioribus per eandem rationem, eſt eiſdem inferioribus prædicatiuè vnibilis per modum formæ. Nec enim alia excogitari poteſt: aliàs enim niſi hoc dicatur, nullũ remanet fundamentum diſtinguendi duas aptitudines in vniuerſalitate. Hæc autem formaliſsimè eſt prædicabilitas: ergò prima, & eſſentialis ratio inferioris, vt ſic, eſt aptitudo, qua inferius eſt vnibile per rationē, & actualem ſubiectionem ſuo ſuperiori in genere cauſæ materialis, quæ vt ſic præcisè eſt ſubijcibilitas.

Obiectio. Dices primam rationem vniuerſalis eſſe aptitudinem eſſendi in ſuis inferioribus, abſolutè abſtrahendo ab hoc, quòd id faciat realiter, vel cōceptibiliter, & prædicatiuè; idem proporcionaliter dicēdum eſt de prima ratione inferioris. Hoc ſic euertitur.

Solutio. Aptitudo vniuerſalis eſt eſſentialiter aptitudo rationis, nec enim poteſt abſtrahi à ratione entis, & aptitudinis rationis; ſicut nec vllum inferius à ratione ſuperioris:
A ergò dicit intrinſecum, & eſſentialem ordinem ad actum rationis, & non abſtrahentem à reali, & rationis: eius ergò actus eſſentialiter eſt poni per rationem, & conceptibiliter in ſuis inferioribus, quod non facit ratio niſi per actualem prædicationem, vt conſtat; tunc ſic, talis actus eſſendi conceptibiliter, & per rationem formaliſsimè eſt actus prædicabilitatis: ergò niſi aliunde diſtinctionem quæramus prædictarum aptitudinum, ex prædicta à contrarijs aſsignata, non eſt penſanda.

Corollar. Ex dictis colligitur quòd actus prædicationis habet duas rationes inadæquatas; prima eſt, quòd ex vi illius natura, quæ prædicatur, ſit actualiter prædicatum: ſecunda verò, quòd res inferior, de qua natura vniuerſalis prædicatur ſit actualiter ſubiectum: nequit enim prædicatio intelligi, quin per illam vnum prædicetur, aliud verò
B ſubijciatur. Conſiderata ergò prædicatio reſpectu prædicati, dicitur prædicatio actiua: comparata verò ad ſubiectum, dicitur actiua ſubiectio, & ſicut ex vi actiuæ prædicationis reſultat in natura, quæ prædicatur prædicatio paſsiua, ſeu relatio rationis prædicati ad ſubiectum, ſic etiam ex vi actiuæ ſubiectionis reſultat in re, quæ ſubijcitur ſubiectio paſsiua, ſeu reſpectus rationis actualis ſubiecti ad prædicatum.

Ad argũ. Argumenta in contrarium adducta quatenus ſententiæ noſtræ aduerſantur, facilè ex dictis poſſunt euerti.

Ad I. Primum, minorem habet falſam: expoſuimus enim iam, quid ſit primus actus naturæ vniuerſalis.

Ad II. *Ad cōfir.* Secundum ſimiliter habet falſum antecedens: ex quo totus argumenti, & confirmationum proceſſus falſus eſt.

C

ARTICVLVS V. DE prædicatione quæ eſt actus vniuerſalis.

QVIA omnis potētia dicit ordinem ad ſuum actum, per quem ſolet diffiniri, & cognoſci, vt pleniorem de vniuerſali in communi (cuius eſſentia in aptitudine prædicādi conſiſtit) cognitionem habeamus, nunc vltimò diſſerendum reſtat, de illius actu, quem diximus eſſe actualem prædicationē.

QVÆSTIO I. QVÆ PRÆdicatio ſit actus vniuerſalis.

SVP-

I. Notab. SVPPONENDVM eſt prædicari, ſiue enũciari ſumi vel largè,& ſic eſt idẽ, quod affirmari,ſeu negari de aliquo, ſiue id verè fiat,ſiue falsè: & id dicitur prædicatum,quod de aliquo affirmatur,aut negatur, ſubiectum verò, de quo affirmatur, aut negatur aliquid:vnde prædicatio in negatiuam, & affirmatiuam; verã vel falſam ſolet diuidi: cœterùm prædicatio negatiua non eſt propriè prædicatio,ſed tãtum cum addito ſcilicet negatiua,cùm per illam vnũ non attribuatur alteri, ſed potius remoueatur: prædicatio autẽ falſa nequit eſſe actus vniuerſalis, cum illud ſupponatur eſſe fundamentaliter in re,de quo affirmatur:prædicatio verò ſtrictè, quo pacto pertinet ad aptitudinẽ prædicabiliũ, eſt tãtum affirmatio, ſeu attributio, & enunciatio vnius de alio,eaq; vera.Prædicatio vera ſolet diuidi in identicam,& non idẽticam,ſeu formalẽ; identica eſt,in qua idem de ſe ipſo prædicatur,vt cum dicitur Petrus eſt Petrus,in quo ſenſu dixit Porphyrius.c.1.indiuiduũ prædicari de vno nẽpe de ſe ipſo: ſed prædicatio hæc tametſi vera ſit (quid enim verius cuicũq; rei conuenire poteſt,quàm ipſa)eſt tamen impropria,& ſecundùm quid,atque adeò nec præſentis eſt inſtituti:nõ identica verò,quæ propria prædicatio dicitur,eſt in qua prædicatum, & ſubiectũ aliquã habẽt diſtinctionẽ, & hæc rurſus eſt duplex, vna directa,& formalis,alia verò indirecta; directa,& formalis, quæ ordinata etiã vocatur, in qua prædicatum eſt quaſi forma, & ſubiectum quaſi materia, vt cùm dicitur Petrus eſt homo,homo eſt animal. Indirecta, quæ inordinata dicitur eſt,in qua prædicatur id,quod debet ſubijci, & ſubijcitur id, quod debet prædicari: vt cum dicitur homo eſt Petrus, animal eſt homo; vnde cùm Porphyrius loquitur de eſſentialibus prædicationibus ſic ait. cap. de ſpecie: *æqua de æquis,aut maiora,de minoribus prædicari,oportet;maiora verò de minoribus minimè*: verum eſt quod licet hæc prædicatio ſit indirecta, animal eſt homo, eius tamen ſingularis directa eſt, vt hoc animal eſt homo; quia licet homo non ſit forma reſpectu animalis in cõmuni: eſt tamen forma reſpectu huius indiuidui demõſtrati. Huic diuiſioni poſſet etiã addi alia prædicatio, in qua nec prædicatũ eſt veluti forma ſubiecti, nec ſubiectũ veluti forma prædicati, ſed ambo ſunt forma vnius ſubiecti; vt cùm dicimus, albũ eſt dulce, neutrum(cùm accidẽs ſit) eſt forma alterius, ſed vtrumquè eſt forma ſubiecti.

A Secundò notandum. Quòd cum prædicatum ſit, quod per actualem prædicationem de altero prædicatur, & affirmatur: aliud eſt ſingulare, aliud vniuerſale, & nomina, quæ prædicantur, alia ſunt æquiuoca, vel analoga, vel vniuoca. Prædicatorum rurſus quoddam ſimplex, & incomplexum, vt cum dicitur, homo eſt animal,vbi prædicatum animal, quid ſimplex, & incomplexum eſt; aliud verò complexum, vt cum dicitur Petrus eſt homo ſapiens: quibus præiactis. Sit. *II. Notabile.*

Prima concluſio. Prædicatio, quæ eſt proprius actus vniuerſalis, eſt prædicatio vera formalis,& directa. *I. Conclu.*

Probatur. Illa ſola prædicatio eſt vniuerſali tribuẽda tamquam proprius actus, quo exercetur illius potentia, & aptitudo: ſed talis eſt prædicta prædicatio, quia ſuperius habet aliquam diſtinctionem à ſuo inferiori,& habet ſe vt forma reſpectu illi9. *Probatur.*

B Secunda concluſio.Prædicatum,ſeu prædicabile, quod genus dicitur ad quinq; prædicabilia (vt diſtinctione vltima dicemus) has debet habere conditiones: prima quòd ſit vniuerſale, quia ſolius rei vniuerſalis eſt prædicatio propria, & formalis; ſecunda, quòd ſit vniuocum, vnde æquiuoca,& analoga à ratione prædicabiliũ excluduntur: tertia, quòd ſit ſimplex, & incomplexum; quia complexi prædicati nulla hoc loco ratio habetur, cum potiùs ſit duplex prædicatum:vnde diffinitio eſſentialis cõſtans genere, & differentia licèt de diffinito formaliter prædicetur, non tamen cõſtituit aliquod peculiare prædicabile ab his quinquè diuerſum. *II. Conclu.*

C *QVÆSTIO II. VTRVM ABſtractum de concreto, vel concretum de abſtracto poſſit prædicari.*

PARS affirmatiua ſic ſuaderi poteſt, iſtæ ſunt optimæ prædicationes entitas eſt ens, vel bona, vel vna. Albedo eſt accidens, quantitas eſt quanta, ſcientia eſt clara, fides eſt obſcura, albedo eſt lucida, ſuperficies eſt alba, ſed in iſtis, concreta de abſtractis prædicantur: ergo. *Argumẽ.*

Notandum eſt cum noſtro Doctore q.16 vniuer. & in 1. diſt. 5. quæſt. 1. litera G. & H. & cum omnibus ſuis interpretibus, quòd cum concretũ à concernẽdo dicatur, quia ſcilicet præter formã, quã formaliter importat concernit aliud, ſecundùm quod *I. Notabile.*

hoc, quod concernit, eſt in duplici differentia, vel enim eſt ſubiectum, vel ſuppoſitum, ſeu ſingulare, duplex genus concretorũ datur, vnũ quod concernit ſubiectum, quod eſt alterius naturæ à forma ſignificata; & huius generis ſunt concreta accidentium, vt album dicit albedinem concernendo ſubiectum, cui inhæret, vel concernit ſuppoſitum, aut ſingulare: ita etiam duplex abſtractorum genus datur, vnum ſcilicet, quod abſtrahit à ſubiecto, vt albedo: aliud vero, quod abſtrahit à ſuppoſito, vt humanitas: vnde abſtractio eſt duplex vna vltimata, alia non vltimata: vltimata eſt, quæ abſtrahit ab omni concernentia; & res, quæ ita abſtrahitur, nihil aliud includit, aut continet niſi quod præcisè per ſe, & eſſentialiter in illa includitur, relinquitur què (vt ait noſter Doctor) pura ratio formalis ſecundùm ſe præter quidlibet, quod non includitur per ſe in illa. Ex quo ſequitur quòd in alia abſtractiora reſolui nequit, & à re ſic abſtracta abſtrahi, nõ poteſt aliqua ratio generis, ſpeciei, aut differentiæ; quia abſtrahit, non tantùm à ſubiecto, aut ſuppoſito, ſed etiam ab inferioribus abſtractis, atq; adeò de illis prædicari nequit, vt animalitas ita eſt abſtracta vt ex illa, aliud abſtractius effici non poſsit. Abſtractio non vltimata eſt, quæ non abſtrahit ab omni concernentia, ſed ſi ab vno abſtrahit, vt à ſubiecto, concernit tamen inferiora, & de illis prædicatur; & res quæ ita abſtrahitur in alia abſtractiora reſolui poteſt; & ab illa poteſt abſtrahi ratio generis, & ſpeciei.

Corollari. Hinc fit quòd cum accidentia non ſolum concernant ſubiectum, ſed etiam inferiora, abſtrahi poſſunt vtraq; abſtractione. Nõ vltimata quandò accidens tantùm abſtrahit à ſubiecto, ſed non ab inferioribus, & tunc reſpectu illorum manet concretum: vt albedo reſpectu ſubiecti abſtractum quidem eſt; at verò reſpectu inferiorum, tam concretum, ac homo reſpectu ſuorum, vltimata verò quando etiam ab inferioribus abſtrahit, & dicit præciſam rationem accidentis, ſic ab albedine abſtrahitur albedeneitas, quæ tantùm dicit rationem formalem albedinis, in ſubſtantijs verò tantùm eſt vna abſtractio, eaq; vltimata, cum non concernant ſubiectum, ſed tantùm inferiora.

I. Cõcluſio Prima concluſio ſit. Concretum ſuperius, vel æquale poteſt de alio cõcreto prædicari, hæc eſt certa, & non indigens probatione: quia ſic prædicatum continet in confuſo quidquid ſubiectum continet.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Abſtractum abſolutè loquendo, de concreto prædicari non poteſt, ſiue in ſubſtantijs, ſiue in accidentibus. Vnde iſtæ ſunt falſæ, homo eſt humanitas, album eſt color: pars enim in quãtùm pars nequit de toto prædicari; non enim dicitur homo eſt materia: ſed ſic ſe habet abſtractum comparatum ad concretum, quòd ſignificat præcisè partem concreti, vt animalitas partem hominis; nequit ergò abſtractum de concreto prædicari. Quòd neque è contra concretum de abſtracto prædicari poſsit, eadem ratione conſtat, cùm eadem ſit extremorum diſtinctio, & ſignificandi modus, atque adeò falſum erit dicere, humanitas eſt homo, albedo eſt alba, caput eſt totum.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Notanter dictum eſt concluſionem præcedentẽ abſolutè, & vniuerſaliter loquendo, intelligendam eſſe; niſi aliqua ſpecialis intercedat ratio, qualis eſt ea, quæ in tranſcendentibus reperitur quæ, ratione tranſcendentiæ in quolibet reperiuntur, & de quolibet prædicátur in cõcreto, & ſic dicimus, humanitas eſt ens, bonitas eſt bona, vna &c. vel etiã quandò forma ſignificata per abſtractũ recipit in ſe effectũ formalẽ alterius formæ, tũc talis forma de illa in concreto prædicabitur. Sic albedo eſt ſimilis, quia in ſe recipit effectum formalem ſimilitudinis; & quia color perficitur à luce, lucidus dicitur, ſcientia clarà, quantitas alba, & quanta. De accidenti, & ſubſtantia, vel dicendum habere rationem tranſcendẽtium, illud reſpectu accidentiũ, hæc reſpectu ſubſtantiarum. Vel quòd accidens eſt abſtractum, cùm forma ſit alterius; accidẽtale enim ab aliqua forma dicitur tale, non ab alia niſi ab accidenti: vnde de abſtractis accidentiũ, & non de concretis prædicatur; vt albedo eſt accidens, album verò accidentale: ſubſtantia autem quandoq; rationẽ concreti, quandoq; verò abſtracti habet, & ſic indifferẽter dicitur de abſtracto, & de concreto, & è contra indifferenter abſtracto, & concreto ſubijcitur.

QVÆSTIO III. PRÆDICENTUR NÈ ABSTRACTA DE ABSTRACTIS?

QVÆ apud omnes certa ſunt in hac cõtrouerſia præmittamus, vt id, in quo diſsidium verſatur, clarius eluceſcat.

Certum eſt abſtractorum, inter quæ non reperitur intrinſeca incluſio vel continentia, ſed quodlibet eſt extra rationem

formalem

formalem alterius, non poſſe dari veram prædicationem formalem: vnde abſtractū (A) generis nequit de abſtracto differētiæ prædicari, vt animalitas de rationalitate, nec è contra. Nec abſtractum differentiæ ſuperioris de abſtracto differentiæ inferioris, vt ſenſibilitas de rationalitate, nec abſtractum quarti, vel quinti prædicabilis de abſtracto ſui ſubiecti, vt riſibilitas; vel albedo de humanitate: diſſentio eſt de abſtractis, quorum vnum intrinſecè in alio includitur, quam comparationem habent abſtractum generis, vel differentiæ, cum abſtractis naturæ ſpecificæ, quam eſſentialiter cōponūt, & abſtractum ſpecificū, cum abſtracto ſingulari. Controuerſia autem hæc vel poteſt procedere inſenſu identico, vel formali, & in hoc ſpecialius procedit difficultas, cum iſtæ propoſitiones, in quibus abſtracta de abſtractis prædicantur, ſenſum formalem præſeferant.

I. Opinio. Prima opinio, quā cōmniter pleriq; amplectuntur (B) Thomiſtæ, affirmantem abſolutè tuetur partem, vt certū ſtabiliens, abſtracta ſubſtantiarū, ſignificari quidē per modum partiū reſpectu ſuppoſitorū, ſiue concretorum, quorū ſunt veluti formæ; vt humanitas eſt veluti forma hominis, animalitas reſpectu animalis, atq; adeò de illis non prædicari. Reſpectu verò minus cōmuniū abſtractorum nō habere rationem partiū, ſed totorum potētialium; abſtracta minus communia, vt partes ſubiectiuas implicitè importantium: rationes pro hac ſententia ſunt non parum efficaces.

I. Argum. Prima. Quidquid eſt de cōceptu alterius, poteſt de illo prædicari, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto: ſed rationes magis cōmunes in abſtracto ſunt de eſſentia inferioris abſtracti; vt animalitas, & rationalitas de eſſentia humanitatis ergò de illa prædicātur, non in concreto, igitur in abſtracto. Minor (C) probatur. Quia humanitas. v. g. integrā dicit hominis eſſentiam; eſſentia autem hominis vtrumq; gradū includit; ſicut enim includit totam naturā cōpoſitā ex materia, & forma phyſica, ita includit omnes gradus metaphyſicos talis naturæ: cōſtat ergò ex prædictis gradibus tamquā ex genere, & differentia, cùm nequeat eſſe aliud compoſitionis genus. Maior patet. Quia quandò vna forma prædicatur de alia, tantùm denotat illam eſſe de cōceptu alterius: vnde ſenſus iſtius propoſitionis, humanitas eſt animalitas, eſt iſte; animalitas conuenit humanitati, qui veriſsimus eſt.

II. Argū. Secunda ratio. Animalitas. v. g. eſt quid (A) cōmune, & vniuerſale: ergò inferiora illius ſunt humanitas, & equinitas, pro quibus accipi, & de quibus dici poteſt. Maior patet tùm quòd, vt ſic, non eſt quid ſingula re: ergò commune. Tum etiam quia id, in quo plura conueniunt vniuocè, eſt quid illis cōmune: ſed humanitas, & equinitas, cum nō ſint primò diuerſæ, conueniunt vniuocè; nō enim eſt maior ratio, cur illarum concreta, homo nempe, & equus vniuocè cōueniant; non vero ipſę naturæ abſtractæ. Sed nō eſt, in quo conueniant niſi in rationibus ſuperioribus abſtractis.

Cōfirmat. II. Confirmatur ſecundò. Humanitas eſt ſpecies quædam continens ſubſe hanc, & illam humanitatem, cùm fides orthodoxa profiteatur, verbum Diuinum humanitatem aſſumpſiſſe, non in tota ſpecie, ſed in indiuiduo: vnde hæc eſt vera, humanitas Chriſti (B) eſt humanitas, cum ſua contrādictoria ſit hæretica, hæc humanitas nō eſt humanitas; quia aliàs Chriſtus non eſſet homo; ergò animalitas genus quoddam eſt, continens ſubſe humanitatem, & equinitatem, cùm non ſit maior ratio vnius, quàm alterius.

III. Argumē. Tertia ratio. Senſus formalis iſtius propoſitionis, humanitas eſt animalitas, eſt, id, quo homo eſt homo, eſt id, quo animal eſt animal, ſeu ratio eſſendi hominis eſt ratio eſſendi animalis: ſed hic eſt ſenſus verꝰ. Probatur. Tùm quòd ab eadem forma prouenit eſſe hominis, & eſſe animalis. Tùm etiam quòd homo adæquatè ſumptus includit eſſentialiter eſſe animal, eſſe viuens, &c. ergò forma adæquatè conſtituens, hominem in eſſe hominis conſtituit illum in eſſe animalis, viuētis &c. ſed humanitas cum ſit forma totius, ex vi ſuæ formalitatis cōſtituit hominem adæquatè in eſſe hominis, in quo diſtinguitur à rationalita(C)te, quæ in adæquatè dumtaxat, vt vltimus actus conſtituit hominem: ergò humanitas conſtituit hominem formaliter in eſſe animalis, viuentis &c. ergò eſt formaliter animalitas. Patet hæc conſequentia: quia quidquid metaphiſicè dat eſſe animalis, eſt animalitas; cum effectus formalis metaphyſicus animalitatis ſit eſſe animal; effectus autem formalis prouenire nequit niſi à ſua cauſa formali.

IIII. Argumē. Quarta. Ex illa ſatis trita Scoti regula, quòd à concretis ad abſtracta in prędicatione per ſe, tenet conſequentia; ſed hæc prædicatio eſt per ſe, homo eſt animal: ergò humanitas eſt animalitas,

Confirmatur. Quia iſtæ prædicationes ab omnibus admittũtur, anima rationalis eſt ſenſitiua, eſt forma viuentis. &c.

II. Opinio. Secunda opinio partem negatiuam tenet, de qua poſtea.

III. Opinio. Tertia, vtramque conciliare nititur, aſſerens abſtractum præciſè ſumptum, non poſſe prædicari, benè tamen ſine præciſione cõceptum. Sed pro ſecunda ſententia ſtatuenda, quæ eſt noſtri Doctoris.

I. Notab. Supponẽdum eſt primò id, quod de abſtractione vltimata quæſt. præcedenti diximus, & quæ ſupra de abſtractione formali, ſic ergò abſtracta ex vi ſignificationis ipſorum nominum, abſolutè loquendo, nulla prærequiſita reduplicatione, præciſè important gradum determinatum ſuæ naturæ, & nihil amplius: & ſic dicunt vnam partem per modum partis ſignificatam, ex qua, & alia parte totum conſurgit: vnde abſtracta vltimata, ſeu metaphyſicè abſtracta, dicuntur rationes vltimæ; quia cum ſint in vltima abſtractione, non ſunt ab illis, alij conceptus abſtrahibiles: concreta autem ex vi ſuæ ſignificationis ſignificant id, quod abſtracta, ſed per modum totius potentialis, ex vi cuius ſignificationis continent inferiora, dicuntq; totum, quod eſt in illis, vt explicuimus.

Corollari. Ex quo prouenit, concreta, abſolutæ vel reduplicatiuæ loquutionis diſtinctionem admittere: vnde animal vel poteſt abſolutè ſumi, & ſic dicit totum, quod eſt in homine, vel cum reduplicatione, & ſic dicit præciſè gradum ſenſitiuum, vt omnes cõmuniter docent: abſtractum verò ex vi propriæ ſignificationis talem diſtinctionem nõ admittit; ſed in rigore ſermonis, & ex proprio modo ſignificandi formalem, & reduplicatiuum ſenſum exprimit; animalitas enim numquam maiorem præciſionem dicit, quàm illam, quã nomine abſtracto animalitatis importat.

II. Notab. Notandum præterea ad prædicationẽ eſſentialem vnius de alio tria requiri in eo, quod debet de alio prædicari. Primũ quòd in ſubiecto contineatur. Secundum. Quòd habeat modũ ſignificãdi ſubiecti, atq; adeò contineat totũ, partim in actu, & partim in confuſſo, quod ſubiectum actu continet, & primum ſine hoc ſecũdo non ſufficit: vnde hæc eſt falſa; homo eſt animalitas. Tertium tandem, quòd per prædicatum, & ſubiectum prout in prædicatione ponuntur, non exprimatur ratio diſtinctionis ipſorũ; quæcumque enim diſtinctio, etiam rationis ratiocinantis ſufficit falſificare propoſitionẽ,

A ſi talis diſtinctio in extremis exprimatur; & denotetur, extrema accipi vt diſtincta: vnde hæc eſt falſa, Petrus eſt Petrus, ſi faciat hunc ſenſum, Petrus in quantùm ſubiectum eſt Petrus in quantùm prædicatum.

I. Conclu. Prima concluſio ſit in vulgatis, vſurpatiſque accidẽtium abſtractis, quæ phyſicè abſtracta, & à noſtro Doctore nõ vltimata dicuntur, cuiuſmodi ſunt color, albedo nigredo &c. poſſunt fieri veræ prædicationes, vt albedo eſt color; in hac omnes cõueniunt, & patet, quia talia abſtracta phyſicè tãtùm abſtrahunt à ſubiecto, quod eſt illis extraneum; in ſe verò concreta ſunt, cum ab illis poſsit fieri abſtractio metaphyſica, & per modum naturæ completæ metaphiſicè, per modumq; totius potentialis deſignentur.

II. Coclu. Secunda conc. Abſtracta ſubſtãtiarũ magis cõmuniũ nequeunt de abſtractis minus

B cõmunibus ex rigore ſermonis, ſecundũq; abſolutã loqutionem prædicari, quod etiã dicendum eſt de accidentibus, vltimatè abſtractis: vnde falſæ ſunt iſtæ enuntiationes, humanitas eſt animalitas, albedeneitas eſt coloreitas; ſic noſtor Doctor quæſt. 16. vniuer. & in 1. diſt. 5. q. 1. & ibidem vniuerſi eius interpretes Lichetus, Baſſolis, Tataretus, Aquilanus, Antonius Andreas. 3. metaph. q. 3. & logici Mauritius, Sarnanus, Anglicus; cui ſentẽtiæ multi etiam Thomiſtæ ſubſcribunt. Hæc autem concluſio. *Lichetus, Baſſolis, Tataretus. Antonius Andreas. Mauricius Sarnanus Anglicus.*

I. Probat. Primò probatur. Nulla pars ſignificata per modum partis poteſt de ſuo toto prædicari abſolutè loquendo: ſed iſta abſtracta ex vi ſignificationis præciſè ſignificãt partẽ per modũ partis: ergò prædicari nequeunt abſolutè loquendo de ſuo toto, vt animalitas de humanitate; quàm ſimul cum alia parte componit. Diſtinctio autem depræciſsio

C ne nulla eſt; quia abſtractũ ex propria ratione abſtracti præciſionẽ importat, & in hoc à concreto diſtinguitur, quòd hoc ſignificat per modum totius; abſtractum verò præciſè per modum partis, quam præciſionem ex proprio modo ſignificandi importat, nec enim oportet, vt dictum eſt, abſtractũ ſub reduplicatione accipi, vt prædicatio falſa cenſeatur.

II. Proba. Secundò. Illa propoſitio, in qua importatur expræſſè ratio diſtinctionis ſubiecti, & prædicati eſt falſa; ſed tota ratio diſtinctionis inter hominem, & animal, eſt humanitas, & animalitas: enunciatio ergò prædictis extremis cõpoſita eſt falſa. Minor ꝓbatur; quia homo, & animal, ſiue formaliter, ſiue

ſiue ratione ratiocinata in hoc diſtinguuntur, quòd animal in ſua ratione formali, tātùm dicit animalitatem; homo verò humanitatem, in qua aliquid includitur eſſentialiter, quod non in animalitate: ergò humanitas, & animalitas important diſtinctionem, quæ inter hominem, & animal intercedit.

III. Conc. Tertia concluſio. Talia abſtracta naturarum magis communium non poſſunt denominari à ſecunda intentione vniuerſalitatis, atque adeò ſortiri nequeunt rationem vniuerſalis generis, ſpeciei, vel differentiæ reſpectu abſtractorum minus communium; hanc tenent authores ſupra relati, & ex præcedenti conſtat, quia de ratione vniuerſalis eſt, quòd habeat rationem totius potentialis reſpectu ſuorum inferiorum; ſed talia abſtracta non habent rationem totius potentialis; ſed tantùm partis per modum partis: non ergò poſſunt talem denominationem ſuſcipere; vnde animalitas non eſt genus, ſed principium generis: humanitas non eſt ſpecies, ſed principium ſpeciei; rationalitas non eſt differentia, ſed principium differendi; cùm à generibus, ſpeciebus, & differentijs ſint abſtractæ. Humanitas ergò componitur ex animalitate, & rationalitate, non vt ex genere, & differentia, ſed vt ex principijs generis, & differentiæ, & cū præcisè ſint partes, per illas diffinitur, non in recto, ſed in obliquo, vt cū homo diffinitur per partes phyſicas; & ſic dicimus, quòd humanitas conſtat, animalitate, & rationalitate; non verò quòd ſit animalitas, & rationalitas.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio. In ſenſu identico enunciationes, in quibus abſtracta magis communia prædicantur de minùs communibus ſunt veræ. Hæc patet ex incluſione vnius in alio: verum eſt, quòd in illis abſtractis, quæ non dicunt hanc incluſionem, qualia ſunt abſtracta generis, & differentiæ nec in ſenſu identico admittuntur prædicationes, vt pulchrè, ſubtiliterquè docet noſter Doctor in 1. diſt. 5. q. 2, & diſt. 8. q. 4. & quotlibet. 5. & in libello de 1. principio, c. 4. Qua propter nec in ſenſu idētico eſt vera hæc, animalitas eſt rationalitas, quia ex vi vltimæ abſtractionis manent in ſuis rationibus formalibus præciſis, quarum neutra habet, vnde ſibi aliam identificet: tum quia ſecluditur ab eis identitas ad ſpeciē in qua idētificātur & ex ſuis rationibus formalibus limitatis nō habent infinitatem, quæ eſt ratio identificandi, ratione cuius in Diuinis in ſenſu idētico, hæc eſt vera miſericordia eſt iuſtitia, licèt non in ſenſu formali; ſed hoc theologis relinquamus, attigiſſe ſufficit.

Ad argu. Reſpōdet. Argumentis in contrarium obiectis ſatiſfaciamus.

Ad I. Primum euertitur per ſecundum notabile, & maioris claritatis gratia, maior diſtinguatur; ſi illud ſignificetur per modū totius potentialis in cōfuſè cōtinentis quidquid actu eſt in ſubiecto, cōcedo: ſi verò per modum partis præcisè, vt in abſtracto ſit, negatur. Sola enim incluſio, ñ ſufficit, vt diximꝰ

Ad II. Secundum, per tertiam concluſionem, ſicut enim animalitas non eſt vniuerſalis, ſed principium rei vniuerſalis, ita non eſt conuenientia, ſed principium conueniendi inter hominem, & equum; vnde humanitas, & equinitas, cùm dicant rationes vltimas irreſolubiles in alias abſtractiores, potius dicuntur, primò diuerſæ, quam differentes, cum non poſsint reſolui in genus, & differentiam, ſed in partes vt partes ſunt, atq; adeò ab illis ratio conuenientiæ genericæ abſtrahi nequit. Et hoc eſt quod Auicena dixit equinitas tantū eſt equinitas: dicuntur autem magis cōuenire, quia habent principiū, vt poſsint ſi non præcisè, ſed in concreto ſumantur conuenire: abſtrahitur ergò animalitas ab humanitate, non abſtractione totali, ſed formali per modum partis.

Ad Cōfir. Ad confirmationem concedit Rubio abſtracta omnia de ſuis ſingularibus abſtractis verè prædicari, ab illiſq; abſtrahi abſtractione vniuerſali per modum totius, atq; adeò nō rationem partis ſed totius habere, quod etiam tenent nonnulli Scotiſtæ: ſic Mauritius quæſt. 13. vniuerſal. dub. 4. vbi ait, in ſubſtātijs aliam eſſe abſtractionem à ſuppoſito, aliam à ſingularitate; vnde licèt humanitas abſtrahat ab habente, non tamen ab hac; & ſic hæc erit vera, hæc humanitas eſt humanitas: hæc animalitas eſt animalitas: quia numquā poteſt fieri ita vltima abſtractio quidditatis, quin ſit capax hæcceitatis: ſed hoc mihi nō ꝓbatur, nec multis Scotiſtis, & eius falſitas ex doctrina ipſius Rubij fortaſsis conuinci poterit: ipſe enim in tractatu de modo exercendi iſtas prædicationes, hæc docet, & quidē verè. Humanitatem tantùm dicere eſſentiā hominis præciſam à principijs indiuiduantibus, quia non ſignificat eam per modum totius, vel habētis; ſed per modum principij ſpeciei, & à

parte ait, quòd humanitas non eſt ſpecies, ſed principium ſpeciei: tunc ſic ideò animalitas non poteſt de humanitate prædicari; quia præciſè dicit gradum ſentiẽdi per modũ partis, ex qua & rationalitate componitur humanitas: ſed humanitas etiã ſignificat p modũ partis naturã humanã, ex qua, & differentia indiuiduali componitur hæc humanitas: non ergò poteſt humanitas de hac humanitate prædicari; & quidem ſi argumenta, quæ pro abſtracto generis iſte Doctor adducit, vim habent, debent etiam habere pro abſtracto ſpeciei. Tum etiam hanc eſſe veram ait, hæc animalitas eſt animalitas; ergò & hæc humanitas eſt animalitas. Conſequentia patet; quia illa prædicatio eſt mediata, vt videbimus infra: mediat ergò aliquod prædicatum inter animalitatem, & hanc animalitatẽ: ſed nullum aliud poteſt eſſe niſi humanitas. l. equinitas. &c. immediatius ergò de ipſis animalitas prædicabitur. Partes autẽ, quas in exemplum adducit (& idem de puncto) licèt phyſicè ſint entia incompleta; metaphyſicè autem, cum non ſint vltimatè abſtracta, vt ipſe de anima concedit, modum totius, & concreti habent, reſpectu inferiorum, & ſic diximus ſupra, poſſe denominari à ſecunda intentione vniuerſalitatis. Vnde reſpondeo cum Licheto diſt. illa. 5. primi, conſequenter eſſe negãdã hanc in rigore ſermonis hæc humanitas eſt humanitas. Et quidẽ planè in ſententia noſtri Doctoris; quia vt ipſe docet, & Mauritius fatetur abſtractio vltimata eſt, qua quidditas præciſè concipitur abſq; habitudine ad quodcũque, quod eſt extra rationem propriam eius: ſingularitas autẽ extra rationem humanitatis eſt. Tum etiã ait noſter Doctor in ſubſtãtijs eſſe vnicam tantùm abſtractionem, illamq; eſſe vltimatam, atque adeò idem expreſsè docet, eſſe abſtrahere in ſubſtantijs à ſuppoſitis, & inferioribus: dicere ergò humanitatem prædicari de hac humanitate formaliter, eſt dicere humanitatem vltimatè abſtractã concernere aliquid, quod eſt extra propriam rationem, & ſic non eſt vltimatè abſtracta, nec eſſet vera differẽtia aſsignata inter accidens, & ſubſtantiam: non ergò ideò negatur quia in hac humanitate, nõ includatur eſſentialiter humanitas, abſit; vnde in ſenſu identico, cõcedenda eſt. Sed propter modum ſignificandi abſtracti, quod ſignificat humanitatem præciſè per modum partis, ex qua & hæcceitate, hæc humanitas cõſurgit: vnde ſenſus iſtius, hæc humanitas eſt humanitas, eſt quòd ſit præciſè humani-

A tas, & nihil aliud, quod falſum eſt; vnde illud, quod fides docet, nobis potius fauet; ex eo enim quòd hæc ꝓpoſitio humanitas Chriſti eſt animalitas, in rigore ſermonis non ſit vera, propter modum ſignificandi abſtracti; nõ ſequitur quòd hic homo Chriſtus nõ ſit animal rationale, ſic in propoſito.

Ad. III. Ad tertium ſenſum illius propoſitionis eſſe, id quo homo eſt homo, eſt præciſè id, quo animal eſt animal, vel ratio hominis eſt præciſè ratio animalis, quod falſiſſimum eſt.

Ad. IIII. Ad quartum ex eodem noſtro Doctore regulam illam intelligẽdam eſſe in abſtractis non vltimatis.

Ad Cõfir. Ad confirmationem. In illis enunciationibus nõ prædicari abſtractum de abſtracto; extrema enim illa, concreti rationem habent; quia anima, & forma non ſunt metaphyſicè abſtracta.

B

QVÆSTIO IIII. QVOMOdo ſecundæ intentiones de ſecũdis, & primis intentionibus prædicentur.

DE hac quæſtione agit noſter Doctor q. 10. & 11. vniuerſalium, pro cuius intelligentia.

Notabile Notandum eſt, ſecundas intentiones, vel poſſe inter ſe comparari, vel ad primas intentiones: ſi primò modo, vel vt ſuperiora ad inferiora, in quibus ſunt eſſentialiter; vel vt formæ accidentales ad ſubiectum, quod denominant; cum ipſas ſecundas intẽtiones ab alijs ſimilibus denominari poſſe, dictum ſit.

Præterea quòd cum ſecundæ intẽtiones ſint accidentia rationis, modum habentia accidentium realium; duplicem poſſunt habere abſtractionem; vel non vltimam, &

C quaſi phyſicã à ſubiecto, quod denominant; vel vltimam, & metaphyſicam ab inferioribus. Cõcernũt enim ſubiectum, quod denominant, & inferiora. Siue autem ad ſecũdas, ſiue ad primas comparentur, vel comparantur in abſtracto, vel in concreto.

I. Conclu. Prima conclu. In ſecundis intentionibus inter ſe cõparatis ſecũdũ rationem ſuperioris, & inferioris; ſuperiora in concreto, de cõcretis inferioribus prædicantur; vt genꝰ eſt vniuerſale, & ſuperiora in abſtracto de abſtractis, vt genereitas eſt vniuerſalitas; non enim ſunt ſecundum vltimam abſtractionem, ſed tantùm à ſubiecto ſibi extrinſeco; abſtractum verò de cõcreto minimè

quia

quia pars non prædicatur de toto, & ſic falſa eſt hæc, genus eſt vniuerſalitas; & loquē- A do in eodem ſenſu, ſuperioris ſcilicet de inferiori, nec concretum de abſtracto: & ſic hæc eſt falſa genereitas eſt vniuerſalis, ſicut hæc humanitas eſt animal. eodem modo eſt logizādum de æqualibus, cum æqualibus comparatis, ſiue ſit eſſentia, & diffinitio ſubiecti, ſiue eius paſsio; dicimus enim vniuerſale eſt aptum eſſe in multis; vniuerſalitas eſt aptitudo; non tamen vniuerſale eſt aptitudo.

II. Cōclu. Secunda concluſio. Si ſecundæ intentiones interſe comparentur in ratione accidētis, & ſubiecti, concretum de concreto prædicatur, vt genus eſt ſpecies vniuerſalis, vniuerſale eſt genus: abſtractū verò de abſtracto, vel de concreto minimè; vnde iſtæ ſunt falſæ genereitas eſt ſpecieitas, genus eſt ſpecieitas, quia accidens in abſtracto de ſuo ſubiecto ſiue abſtractè, ſiue concretè ſūpto non prædicatur. Vnde nō dicimus, quod hu- B manitas vel homo eſt albedo: cōcretū verò de abſtracto prædicatur vt genereitas eſt ſpecies, ſpecieitas eſt ſpecies ad hanc, & illam ſpecieitatem; ratio eſt, quòd abſtractū accidentis realis poteſt denominari à ſecūda intentione vniuerſalitatis; quia non eſt vltimè abſtractum; & tunc ſecunda intētio in cōcreto de illo prædicatur ſic, albedo eſt ſpecies, color eſt genus: ergò idē de accidēti rationis dicendum eſt.

III. Concluſio. Tertia cōcluſio. In ſecundis intētionibus ad primas comparatis ſic exercentur prædicationes, quòd concretū de cōcreto prædicatur, vt homo eſt ſpecies; quia prædicatum continet ſubiectum: abſtractum verò de abſtracto, ſeu de concreto minimè: vnde hæc eſt falſa, humanitas eſt ſpecieitas, vel homo eſt ſpecieitas: nec cōcretū de abſtracto, vltima abſtractione, vt diximus; & ſic falſa eſt hæc, humanitas eſt ſpecies: vbi obiter. C

Notab. Notādum eſt cum noſtro Doctore, quòd cùm ſecundæ intentiones tantùm conueniant rebus, prout cognitis, vt dictum eſt, vt ſecunda intentio generis conuenit animali, prout abſtractè cognito, de ſolo illo, vt ſic, prædicatur, & non de inferioribus; vnde non valet animal eſt genus, ergò homo eſt genus.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio, Noſtri Doctoris q. 14. vniuer. nomina concreta ſecundæ intentionis reſpectu huius, quod eſt prædicari, ſupponunt pro ſuis fundamētis, ſiue ſubiectis reſpectu eſſe. Vnde in rebus primæ intentionis, illud exercetur, quod prædicari ſignat in ſecundis intentionibus, atque adeò, quòd à prædicari ſignato in ſecundis intentionib9 ad prædicari exercitū, ſiue ad eſſe, non tenet conſequentia per ſe in eiſdē terminis: & à prædicari per ſe in intentionibus ad eſſe in fundamentis, benè tenet conſequentia: quæ omnia his exemplis illuſtrantur; ex hac enim prædicatione ſignata, genus prædicatur de ſpecie; nō infertur ergò ſpecies eſt genus, ſed in fundamentis: ergò homo eſt animal.

DISTINCTIO III.

De prima ſpecie vniuerſalis ſcilicet genere.

POST vniuerſalis in communi diſputationem, quinq; vniuerſalium conſiderationem aggredimur de quibus nonnullæ B aliæ difficultates vnicuiq; peculiares præter communes, quas de vniuerſali propoſuimus, enodādæ ſuperſunt: & quia ab hac diſtinctione interpretationē, introductionis Porphyrij exordimur; ab re nō erit breuē ſummam doctrinæ eius quibuſdam concluſionibus proponere.

SVMMA LITERAE Porphyrij.

DE genere has cōcluſiones docuit Porphyrius.

I. Conclu. *Prima concluſio. Triplex eſt generis acceptio Primò accipitur pro plurium collectione habentium habitudinem ad vnum primum, & inter ſe, & ſic dicitur genus Romanorum. Secundò ſumitur pro principio generationis, ſiue illud ſit pater, ſiue patria. Tertiò pro eo, cui ſupponitur ſpecies, & in hac acceptione ſumitur* C *in præſenti genus.*

II. Concl. *Secunda concluſio. Genus in hac acceptione ſic diffinitur; eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid, quæ diffinitio nihil habet ſuperfluum, nec diminutum.*

LITERA DOCTORIS.

CIRCA hoc caput ſeptem quæſtiones mouet noſter ſubtilis Doctor. *quæſt. 13. In ordine. Doctoris.*

QVÆSTIO I. An locus ſit generationis principium ſicut & pater.

I. Conclu. *Prima concluſio eſt noſtri Doctoris, ſi attēdatur ſimilitudo quoad genus cauſæ, vera eſt, vtriq; enim in genere cauſæ efficientis cōuenit;*

quia locus multũ coadiuuat, & conſeruat rem: coadiuuare autem, & conſeruare ad efficien- A tis cauſæ genus reducitur.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Si ſimilitudo intelligatur quoad omnem modum cauſa eſt falſa; quia pater eſt per ſe efficiens; locus vero tantùm per accidens coadiuuans nempe ad generationem. Quæſtio hæc nulla in diget explicatione.

quæſt. 14. QVÆSTIO II. Quid diffiniatur in diffinitione generis.

Refert noſter Doctor opinionem aſſerẽtem diffinitum eſſe rem ſub intentione.

Cõcluſio. Cõcluſio eſt. Diffinitũ in hac diffinitione generis eſt ſecunda intẽtio genereitatis in cõcreto; hanc probat. Logicus tantũ debet diffinire quod per ſe conſiderat: ſed illud eſt intentio. Maior patet. Quia quidquid diffinitur ab aliquo, cognoſcitur ab eo ſecundúm ſuum quod quid eſt. Tum etiam quia quæ ponuntur in diffinitione generis ſunt intentionalia, ſcilicet prædicari de pluribus; prædicari enim cùm ſit intentio, eſt intentionum per ſe, rei verò per B accidens.

quæſt. 15. QVÆSTIO III. An diffinitio generis ſit conuenienter data.

Refert Doctor opinionem aſſerẽtem diffinitionem hanc eſſe deſcriptiuam.

Cõcluſio. Concluſio Doctoris. Hæc eſt vera diffinitio eſſentialis generis.

Probatur Probatur. Diffinitio eſſentialis vniuerſalis eſt prædicari de pluribus per Ariſt. 1. Perierme. cùm ergò in diffinitione generis ponatur prædicari de pluribus, ponitur genus eius; poſtea ponitur differentibus ſpecie, & in quid, quod eſt per ſe differentia generis; patet hoc; quia per ſe diuidit ſuperius, ſcilicet prædicari de pluribus ergò eſt per ſe cõſtitutiuum inferioris ad quod ſuperius per illud appropriatur.

quæſt. 16. QVÆSTIO IIII An genus prædicetur de ſpecie.

In hac quæſtione quærit noſter Doctor C quomodo exerceatur in fundamentis prædicatio generis de ſpecie; an prædicetur genus vt totum, an verò vt pars.

I. Cõcluſi Prima concluſio Doctoris. Prædicatio ſuperioris de inferiori vniuerſaliter eſt vera.

II. Cõclu: Secunda concluſio. Genus prædicatur de ſpecie, non vt pars, ſed vt totũ, quatenus ſignificat partem per modum totius, exponiturque per habens: vbi habens non eſt de ſignificato animalis, ſed de modo ſignificandi per modum totius, non enim eſt partis habere, ſed totius, & ita exponitur animal habens ſenſũ.

III. Cõclu Tertia concluſio. Genus ſumitur ab aliquo materiali in ſpecie & illud primò importat de ſuo intellectu determinato, ſed non ſignificat illud per modum partis, & ideò totum ex conſequenti importat; & ita differentia primò ſignificat aliquid formale in ſpecie, à quo accipitur, ſed totum ex conſequenti, quia illud formale importat per modum totius. Ratio eſt quia ſi animal. v. g. vtrũque idem primò importaret, cõmitteretur nugatio in diffinitione, idẽ enim bis diceretur; quia idem eſſet ac homo, qui totũ determinatè importat; ſi verò tantùm diceret ſuum determinatum ſignificatum, vt animal gradum ſenſitiuum per modum partis; prædicatio eius de toto ſcilicet homine, eſſet falſa per modum repugnantem; pars enim per modum partis, non poteſt de toto prædicari.

QVÆSTIO V. Vtrũ illa particula differẽtibus ſpecie ſit rectè poſita. quæſt. 17.

Prima concluſio affirmatiua. Quia per illam particulam deſcendit vniuerſale ad genus, tãquam genus per differentiam. I. Cõcluſi.

Secunda concluſio Genus immediatè prædicatur de pluribus differentibus ſpecie; mediatè verò de pluribus differentibus numero, ſpecies verô immediatè. II. Cõclu.

QVÆSTIO VI. An genus neceſſariò requirat multas ſpecies. quæſt. 18.

In hac quæſtione duplicem viam ponit Scotus, quam duabus concluſionibus explicabimus.

Prima concluſio. Genus ſiue ſumatur formaliter pro intentione, ſiue materialiter pro ſubſtracto, cui applicatur intentio, non requirit multas ſpecies actu, vel potentia; requirit tamẽ multas aptitudinaliter; differt autem aptitudo à potentia; nam aptitudo eſt inclinatio alicuius ſecundúm ſe in aliquid, vel magis non repugnantia; potẽtia autem eſt ordo ad actum, poteſt què potentia eſſe ſine aptitudine. I. Cõcluſi.

Secunda cõcluſio. Poteſt etiam dici ad quæſtionem, ad rationem generis requiri quòd multas habeat actu ſpecies, non quæ exiſtant actu vel potentia, ſed quæ ſint actu in intellectu, & concludit Doct. quæſtionẽ ſic. Nota quod ſimpliciter teneri poteſt quòd genus, non eſt aptum natum dici de multis niſi quando concipiuntur ab intellectu, in quorum intellectu eſt genus: ſiue ſpecies actu exiſtant, ſiue poſſint exiſtere, vel nõ, & ſic ſequitur quòd genus ſemper multas habet ſpecies actu. II. Cõclu.

QVÆSTIO VII. An conuenienter ponatur illa particula in quid. quæſt. 19.

Prima concluſio affirmatiua. & Probatur: quia prædicari diuiditur in prædicari in quid & in quale, tamquam per primos prædicandi modos: igitur per illa deſcendit vniuerſale in ſpecies, genus autem non prædicatur in quale: ergô in quid. I. Cõcluſi.

Secunda

II.Cōclu: *Secunda concluſio. Prædicari in quid, eſt prædicare eſſentiam per modum eſſentiæ, quod conuenit generi; quia genus accipitur à parte materiali, & ideo prædicat eſſentiam per modum ſubſtantiæ, qui eſt modus eſſentiæ: differentia verò accipitur à parte formali, & ideo prædicat eſſentiam per modum informantis, & qualificantis, & ſic in quale quid: ex hoc enim quod importat formam, prædicatur in quale; ſed ex hoc quòd importat ſubſtantiam prædicatur in quid, & ratione totius dicitur prædicari in quale quid.*

quæſt. 20 QVÆSTIO VIII. Vtrum genus ſit principium ſpeciei.

I.Cōcluſi *Prima concluſio. Genus materialiter ſumptum pro natura ſcilicet, in qua fundatur intentio eſt principium eſſentiale ſpeciei, quia per illud eſſentialiter cognoſcitur.*

II.Cōclu. *Secunda concluſio. Principiū eſſentiale ſpeciei eſt duplex, quoddam ſecundùm rem, quod ſcilicet eſt pars rei in exiſtentia, cuiuſmodi ſunt materia, & forma: aliud metaphyſicum ſecundùm rationem, quod importat eandē rem ſub modo indeterminato, & huius modi principium eſt genus. v. g. animal.*

COMMENTARIVM

Nos quidem vt clariori methodo procedamus, diſtinctionem hāc in tres articulos diuidemus. In primo agemus de genere ꝑ materiali. in. 2. de genere formaliter sūpto in 3. de eius ſubijcibili.

ARTICVLVS I. DE genere pro materiali.

Inter ea, quæ de genere ſolēt inquiri, quædam ad materiale illius ſpectant, quædā ad formale. Vt clariori methodo procedamus, prius agamus de natura, quæ à ſecūda intentione genereitatis poteſt denominari, ſeu de ſubſtracto generis: poſtea verò de genere formaliter ſumpto; & quia quæ de genere in hac acceptione inquiruntur metaphyſici operis ſunt, ea breuiter nos attingemus.

QVÆSTIO I. QVÆ Natura ſit capax ſecundæ intentionis genereitatis.

Obſeruandum eſt, quamcumque naturā, ſiue materialem, ſiue ſpiritualem, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem (imò & de ēte rationis hoc verum eſt) metaphyſicè conſtare ex duplici gradu eſſentiæ (quæ, dicuntur partes metaphyſicæ) gradu conuenientiæ eſſentialis, & gradu eſſentialis differentiæ, A cuius ratio eſt, quòd quidquid cōuenit eſſentialiter cum alijs, ab eiſdem quę eſſentialiter diſtinguitur, gradu eſſendi generico, & gradu differētiali conſtat; ſed quæcumque res creata conuenit cum alijs eſſētialiter, & ab eiſdem eſſentialiter differt, vt homo conuenit cum equo, in ratione viuentis, ſenſibilis; & ab eodē differt per gradum differētialem, ſcilicet rationalitatem: ergò datur gradus animalis, in quo cum alijs ſpeciebus animalis conuenit, & rationalitatis gradus, in quo ab eiſdem differt. Gradus ille conuenientiæ dicitur potentialis, perfectibilis, contrahibilis per aliam: alia verò pars dicitur actualis determinās & contrahens aliam partem ad eſſe huius ſpeciei.

Prima concluſio. Natura, quæ denominatur genus, & dicitur fundamentum genereitatis eſt illa, quæ abſtrahitur ab intel- B lectu à pluribus eſſentialiter diſtinctis, cùm enim à quibuſcumque differentibus poſſet intellectus abſtrahere vnam naturam communem illis; quædam differunt tantùm materialiter, & numericè, & non eſſentialiter, quæ ſcilicet habent eandem eſſentiam, & ſolum differunt per differentias indiuiduales vt Petrus, & Paulus: & natura, quæ ab illis abſtrahitur denominatur ſpecies à ſecunda intentione ſpecieitatis (vt diſtinctione ſequenti videbimus.) Alia differunt non ſolum numericè, ſed in eſſentia, & natura vt homo, & leo, qui habent diſtinctas diffinitiones eſſentiales, conueniūt tamē in eſſe animalis; talis igitur natura, & alia ſimilis à pluribus eſſentialiter diſtinctis abſtracta eſt, quæ denominatur genus à ſecunda intē tione genereitatis. I. Conclu.

Secunda concluſio; Natura hæc quæ abſtrahitur ab eſsētialiter diſtinctis, poteſt eſſe C triplex. Prima, quæ abſtrahitur ab eſſentialiter diſtinctis, quæ habent ſub ſe inferiora ſolo numero diſtincta, vt natura animalis abſtracta ab homine, & equo, qui ſub ſe ſolum habent ſingularia, ſolum ſcilicet numero diſtincta, vt homo ſub ſe habet Petrum, & Paulum; & leo hunc, & illum leonem, & hæc natura ſic, & à talibus abſtracta dicitur fundamentū genereitatis infimæ, & genus infimum denominatur. II. Conclu.

Secunda eſt, quæ abſtrahitur ab eſſentialiter diſtinctis, cuius immediata inferiora, habent etiam alia inferiora eſſentialiter diſtincta, & habet ſupra ſe aliud ſuperius, vt natura viuētis ſub ſe habet animal, & plātā,

quæ ſubſe

quæ ſubſe etiam continet alia eſſentialiter diſtincta vt animal hominem,& leoné &c: planta quercum. & pinum: viuens autem habet ſupra ſe aliud ſuperius ſcilicet corpus; talis igitur natura denominatur genus ſubalternum. Tertia tandem, quæ abſtrahitur ab eſſentialiter diſtinctis, quæ ſub ſe habent alia eſſétialiter diſtincta, ſupra ſe verò nullũ habet genus, vt ſubſtantia in communi in prædicamento ſubſtantiæ, ſiue aliud ſit ſupremum genus (quod propter ens dixerim. Sed de hoc modo non curamus) & hęc dicitur genus ſupremũ, vel generaliſsimum talem ergò naturam, quæ eſt ſubiectum denominationis ſecundæ intentionis genereitatis, deinceps gradum genericum appellabimus.

QVÆSTIO II. SVMATVR nè gradus iſte genericus à materia.

VT titulus quæſtionis intelligatur, aliqua prænotare oportet.

I. *Notabile.* Primũ. In rebus materialibus duplicem compoſitionem reperiri, vnam phyſicá ex materia,& forma, aliam verò metaphyſicá ex gradu ſupra dicto generico,& ex differétiali, quæ compoſitio metaphyſica etiam reperitur in rebus ſpiritualibus materiæ expertibus, vt in angelis, & in accidétibus imò, & in entibus rationis: quærimus ergò an in rebus ſaltim materialibus vt in homine. v.g. iſtæ partes metaphyſicæ ſumãtur à partibus phyſicis, ita vt natura generica ſumatur à materia, & differentia à forma. Vt rem quam intendimus, apertius deducamus.

II. *Notabile* Secundò obſeruandum, quòd eadé forma phyſica, vt anima rationalis v.g. tribuit homini omnia prædicata eſſentialia ſecundùm quòd diſtinctos continet gradus formales; vt eſſe ſubſtantiam completam, corpus, viuens, animal,& hominem; ſed ordine quodam, primò tribuit quòd ſit ſubſtantia, ſecundò quòd ſit corpus (intellige completum propter formam corporeitas, de qua ſuo loco) deinde, vt ſit viuens, poſtea vt ſit animal, tandé vt ſit homo, atque adeò cũm iſta prædicata eſſentialia ſuo ordine procedant, vnum præſupponit aliud,& vnum eſt prius natura alio, & cùm exiſtentia ſit eſſe actualiſsimum omnium, quo magis prædicatum accedit ad illud, eſt magis actuale:& quo magis recedit, eſt magis potentiale, cum ab actu eſſendi recedere, ſit ad nihil accedere. Vnde nõ eſſe,& vltimum eſſe ſunt termini extremi rerum: eſſe eſt terminus ad quem, res quæcumque naturæ impetu accedere conatur: & ſicut quò aliquid magis accedit ad terminũ ad quem, eò minus habet de ratione termini à quo, & magis participat rationem termini ad qué: ſic ex prædicatis ſupra dictis, illud, quod magis accedit ad eſſe actualiſsimum exiſtendi, minus habet de nõ eſſe, & propterea min9 de potétialitate,& magis habet de eſſe, & ſimiliter de actualitate, & quò magis elongatur ab actu vltimo eſſendi, magis accedit ad non eſſe, atque adeò habet magis de potentialitate: hinc ſubinde fit, eſſe animalis potentialius eſſe, quàm eſſe hominis; quia homo immediatius eſt capax exiſtentiæ, quàm animal; & eſſe viuentis potentialiùs eſſe quàm eſſe animalis, & ſic de alijs gradibus ſuo ordine, quicumque ergo gradus ſuperior habet rationem potétiæ, vt perficiatur,& actuetur per actualitatem gradus inferioris,& ideò materia vocatur metaphyſica, quia ſimilitudinem habet cum materia phyſica,& gradus inferior habet rationem actus reſpectu ſuperioris,& vocatur forma metaphyſica, quia formæ phyſicæ aſsimilatur: vnde Porphyrius dicit. c. de differentia quòd homo conſtãt ex genere, & differentia, tamquam ex materia, & forma.

Prima concluſio ſit. Genus non ſumitur à ſola materia phyſica. ſicut nec differétia à ſola forma phyſica: in hac omnes cõueniũt. *I. Conclu.*

Probatur: quia gradus genericus, vt animal dicit materiã, & formã cõiunctas: ſimiliter, & differétia licèt ſub diuerſa ratione; vt docet Ariſt. 7. metaph tex. 35.& 39. Tũ etiã quòd gradus generici aliquando ſunt principia operationũ; radix, aut principiũ operationis non eſt materia. *Probatur.*

Secunda concluſio. Siue in rebus corporalibus, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in accidentibus genus ſumitur ab eſſétia rei ſecũdùm illum gradum communem alijs, potétialé, perfectibilem, determinabilem,& contrahibilé per differentias eſſentiales, atque adeò habentem ſe per modum materiæ; differétia verò ſumitur ab eadem eſſentia rei ſecũdùm illam rationem determinantem,& cõtrahentem prædictas rationes ſuperiores, atque adeò habentem ſe per modũ formæ. Vel genus ſumitur ab eſſentia rei ſecũdùm illum gradum magis remotum, & elõgatũ ab exiſtentia,& à perfecta ratione eſſendi, ſpectãtem què vlteriore perfectioné eſſentialem, vt ſit capax exiſtentiæ, hæc igitur ratio, eſt quæ denominatur, aut eſt denominabilis à ſecunda intentione genereitatis: quatenus intellectus illam abſtrahit,& cõparat ad *II. Concluſio.*

parat ad

parat ad illa, à quibus eſt abſtracta. Hanc docet noſter doctor q. 6. vniuer. §. dicendũ ad quęſtionem; vbi ſic *nota, quòd genus ſumitur ab aliquo materiali in ſpecie, & illud primò inportat de ſuo intellectu determinato, non tamen per modum partis illud ſignificat, ſed per modum totius, & ideò totum ex conſequẽti importat, & differẽtia primò ſignificat aliquid formale in ſpecie, à quo accipitur, ſed totum ex conſequẽti: quia illud formale importat per modum totius* & q. 19. § dicẽdum ſic: & lib. 7. metaph. q. 19. art. 3 *genus accipitur à parte materiali, & ideò prædicat eſſentiam per modum ſubſtantiæ, qui eſt modus eſſentiæ: per oppoſitum autem differentia accipitur à parte formali, & ideò prædicat eſſentiam per modum informantis, & qualificantis, & ideò in quale.*

Probatur Probatur autem concluſio, quia ſolus prædictus gradus habens metaphyſicam potentiam ad vlteriorẽ perfectionem eſſẽtialem eſt capax recipiendi talem intentionem: **B** cum gradus non habens prædictam potentiam ſit gradus athomus, & ſpecificus ergò ſolus ille gradus eſt, quẽ intellectus conſtituit genus formaliter.

Ex quo intelligitur quomodò genus generaliſsimum, inter medium, ſeu ſubalternum, & infimum ſumi debeant: genus enim generaliſsimum ſumitur ab eo gradu eſſentiali, qui in eſſentia eſt maximè elongatus ab actu exiſtendi, eſt què determinabilis, & contrahibilis per omnes differẽtias ad hoc, quod trahatur ad exiſtentiam; genera verò intermedia, ſeu ſubalterna ſumũtur à gradibus intermedijs talis eſſentiæ inter gradum ſupremũ, & gradum immediatè proximum naturæ athomæ; & ab hoc ſumitur genus infimum.

Sequitur demum in entibus rationis genus, & differentiam proporcionaliter debere ſumi, ſicut in accidentibus realibus. **C**

III. Conc. Tertia concluſio. Gradus genericus eſt principiũ materiale ſpeciei ſic noſter Doctor locis ſupra citatis.

Probatur. Probatur: quia pars materialis in compoſito phyſico dicitur principium materiale illius; cum enim principium ſit illud, vnde incipit res, vt punctus dicitur principium lineæ, quia ab illo incipit linea; omnia videtur incipere á ſuis partibus; ideò partes alicuius rei dicuntur principia illius: ſed in cõpoſito metaphyſico gradus genericus habet modum materiæ; cum ex ſe ſit in potentia, & indifferens ad differentias: ſicut materia ad formas.

A *QÆSTIO III. VTRVM gradus genericus ſit extra rationem gradus differentialis.*

PRÆSENS Quæſtio nihil curat de modo diſtinctionis inter iſtos duos gradus; ſed tãtùm quærit, an in cõceptu obiectiuo differẽtiæ includatur conceptus obiectiuus generis.

Nominales partẽ affirmatiuam tuentur quæ ſic probatur. ***Opinio. Nominal.***

Primò ex Phyloſopho, qui. 7. metaph. tex. 44. aſſerit vltimam differentiam eſſe totam eſſentiam rei; tota autẽ eſſentia genus, & differentiam includit. ***I. Argumẽ.***

Secundò probatur. Rationale eſt idem, quod habens rationalitatem: ſed omne habens rationalitatem eſt eſsẽtialiter animal: tùm quòd animal prædicatur de rationali; hæc enim eſt optima prædicatio rationale eſt animal. ***II. Argumẽ.***

B Confirmatur. Quãdo prædicatũ aliquod eſt de eſſentia ſubiecti, quod tali prædicato accidẽtaliter conuenit accidentaliter etiã conuenit ſubiecto; ſi ergò animal accidentaliter cõuenit rationali, quod eſt prædicatũ hominis: ergò accidentaliter conuenit homini, atque adeò homo erit accidentaliter animal. ***Cõfirmat.***

Tertiò. Rationale intrinſicè eſt ens &, non accidens, ergò ſubſtantia: non eſt non corpus, ergò corpus: nec eſt non viuẽs: ergò viuẽs, nec eſt nõ animal: ergò animal. Includit ergò rationale omnia genera ſuprema. ***III. Argumẽ.***

Confirmatur. In differẽtia Angeli intrinſecè includitur ratio ſpiritus; ſpiritus autẽ genus eſt Angeli. ***Cõfirmat.***

Supponendum eſt, duplicem eſſe cõceptum vnum formalem, qui eſt imago illa per cognitionẽ producta repræſentãs rem cognitam; conceptus verò obiectiuus eſt **C** res illa cognita, & repræſentata per conceptum formalẽ. Ille duplex eſt, alius conceptus formalis formaliter ſumptus, qui nempè rem præciſè ſignificat ſecundùm aliquẽ determinatum gradum perfectionis, præſcindendo ab omni alia ſignificatione indeterminata, & confuſſa, vt conceptus intellectus repræſentãs præcisè animalitatem: alius eſt conceptus formalis materialiter ſumptus, qui ſignificat rem cum ſua confuſſione, & poteſtate, vt cõceptus repræſentãs animal, quod in confuſſo continet ſua inferiora; vnde conceptus obiectiuus duplex etiam eſt, vnus formaliter ſumptus, res ſcilicet repræſentata per conceptum formalem, formaliter ſumptum vt animalitas prę ***I. Notabil.***

ciſè in

ciſè in quantùm pars, cōceptus verò obiectiuus materialiter ſumptus eſt ipſa res repreſentata, vt totum potentiale.

II. Notabile Secundò ſupponendum eſt cum noſtro Doctore q. 16. vniuer. differentiam v. g. rationale poſſe ſumi dupliciter, vel in quantùm dicit precisè gradum differentialem, actuantem & determinātem, vel in quantùm importat pro materiali, actu confuſſo & inplicito totam rationem adæquatam hominis.

I. Conclu. Prima concluſio. Si de cōceptibus obiectiuis formaliter ſumptis loquamur, conceptus generis eſt extra rationem conceptus differentiæ. Vnde abſolutè dicendum eſt, genus non includi in ratione formali differentiæ, ſicut animalitas; non includitur in ratione formali rationalitatis. Sic noſter Doct. q. 2. vniuer. vbi ſic *ſicut in re, natura materiæ extraneatur naturæ formæ, quod neutrū eſt dicibile de alio* (intelligit in abſtracto) *ita apud rationē intellectus generis extraneatur intellectui differentiæ, licèt eadem res importetur per vtumque:* docet eam Ariſt. multis in locis, eamquè omnes communiter tuentur.

Fūdamēt. Huius. Concluſio. Fundamentum eſt. Quòd ſi gradus genericus in differentia includeretur, tunc vltima differentia genere, & differentia conſtaret, quia præter gradum genericum quem includit ſuper adderet aliquid, quo ab irrationali diſtingueretur, & ſic vltimæ differētiæ non eſſent primò diuerſæ, ſed differentes, & proceſſus in infinitum vitari non poſſet.

Probatur. Præterea. Quòd in qualibet diffinitione nugatio committeretur, bis enim genus poneretur in diffinitione, vt in hac homo eſt animal rationale; animal primò ponitur vt genus, ſecundò ratione differētiæ, in qua includitur, nulla enim alia ratione cōmittitur nugatio in hac diffinitione, homo eſt animal viuens rationale, niſi quia viuens, quod incluſum eſt in animali, iterum explicitè ponitur. Adde etiam quòd differentia addit nouam perfectionem, ſeu nouum modum eſſendi ſupra gradum genericum: ergò præciſè ſumpta non dicit perfectionē generis.

II. Probatur. Secundò probatur. Ratio generis eſt cōtrahibilis per differentias, & differentia eſt ratio cōtrahens: ſed omne contrahibile debet eſſe extra rationem contrahentis vt ſæpe docet Ariſtot. nihil enim trahit ſe alioquim idē ſimul eſſet potētiale, & actuale reſpectu ſui.

Cōfirmat. Confirmatur, quia propria potentia eſt extra rationem proprijſsimi actus, & è cōtra, quia de ratione propriæ potentiæ eſt perfici, & non perficere aliud, de ratione autem proprijſsimi actus eſt per oppoſitū perficere, & vt ſic non perfici, atqui in ordine metaphyſico conceptus obiectiuus gradus generici proprijſsimam habet rationē potentiæ, cōceptus verò obiectiuus gradus differentialis proprijſsimi actus rationem habet: ergò conceptus obiectiuus generis non includitur in conceptu obiectiuo differentiæ.

Præterea, ratione noſtri Doctoris partes phyſicè componentes vnum per ſe, ex vi, propriarum formalitatum ſe ſecludunt, quia vna concurrit vt potentia, & alia vt actus ergò & idem dicendum eſt de partibus metaphyſicis. II. Proba.

Ad argumenta reſpōdetur. Ad primum, ſenſum Ariſt. eſſe, differentiam eſſe, quæ complementum præbet eſſentiæ, & diffinitioni. Ad argu. Reſpōdet. Ad. I.

Ad ſecundum, quòd tantùm probat, animal eſſe de intrinſeca ratione ſignificati materialis differentiæ, ſumptæ in cōcreto, non verò de intrinſeca ratione ſignificati formalis. Ad. II.

Ad confirmationem, quòd tantùm probat, eſſe animal non cōuenire eſſentialiter homini, ex vi rationalitatis, nō tamē quòd abſolutè, & aliundè non conueniat, ex vi alterius gradus. Ad. Cōfir.

Ad tertium dicendum, rationalitatem ex propria ratione ſua, non dicere rationē animalis, aut principium, & rationem ſentiendi, ſed tantùm gradum rationalis, dicitur autem ſubſtantia ſumpta, ſubſtantia trāſcēdentaliter, quo pacto etiam dicit gradum vitæ non tamen viuentis completi. Ad. III.

Ad confirmationem dicimus, Angelorū differentias eſſe ſpiritus, ſumpto ſpiritu tranſcendentaliter, non tamen completè & prædicamentaliter. Ad Cōfir.

QVÆSTIO IIII. QVOmodo gradus genericus à differentiali diſtinguatur.

QVÆSTIO Hæc metaphyſica eſt quam agitat noſter Doctor 7. metaph. q. 19. ſed quia iam logici eam vt propriā ſibi vendicant, quā quidā in hoc capite de genere diſputāt, alij in capite de ſpecie; alij in capite de differentia, alij ſub hoc titulo, alij ſub alio, an compoſitio ex genere, & differētia realis ſit; an tantum rationis, ideò in preſenti eam diſcutere nobis placet.

Eſt cōmu-

Opinio Thomiſt. Eſt communis Thomiſtarum ſententia aſſeueranter deffendens in re non diſtingui actu, & formaliter prædictos gradus generis, & differentiæ, ſed actualem, & completam diſtinctionem eſſe per intellectũ, habentem nõ nihil originis in ipſa re, quæ vna cùm ſit pluribus æquiualet, atq; adeò diſtinctionem hanc in re ſolum eſſe fundamentalem virtualem, vel per eminẽtem, ſed æquiualentiã; multis fulcitur ſententia hæc fundamentis, quæ ad hæc poſſunt reduci.

S.Thomas 1.p.q.50. artic.4. Caie. Sonſi Capreolus. Suar. Sanches. Rubio Murcia.

A

I. Argum. Primum. Gradus genericus, vel diſtinguitur ex natura rei, vt vniuerſale à particulari, & hoc non, quia à parte rei nõ datur vniuerſale, vel tãquam ſingulare actu exiſtens à ſingulari alio actu exiſtente; nec hoc poteſt dici; quia in indiuiduo vnica ſola eſt differentia indiuidualis, determinans omnes gradus ſuperiores ſuo ordine: ergò nõ poſſunt illi gradus magis inter ſe diſtingui, quàm vnuſquiſq; à ſua differẽtia indiuidua li: ſed ab illa non diſtinguuntur formaliter ergò nec à ſe inuicem.

B

II. Argũ. Secundum, quia omnes gradus generici, & differentiales ab eadem forma phyſica ab anima nempè ſumuntur, ſed anima rationalis in re vna, & eadẽ ſimplex forma eſt, vnum & idem principium omnium operationum; aliàs enim in omni generali principio plurium actionũ, vt in luce ſolis eſſent conſtituendi gradus diſtincti, ratione quorum eſſent principia diſtinctarum operationum, quòd ab omni ratione alienum eſt: ergò in genere cauſæ formalis ſecundùm eandem omnino entitatem prædictos exhibet gradus abſq; vlla diſtinctione actuali ex natura rei; ipſi ergò gradus eſſentiales in homine, non habent vnde prædictam actualẽ diſtinctionem ex natura rei ſortiantur, ſed tantùm ab intellectu eos per conceptus inadæquatos concipiente.

C

III. Argumẽ. Tertium. Si omnes prædicti gradus in Petro v.g. exiſtẽtes diſtinguerẽtur citra opus intellectus, ſequeretur quòd ad hoc, quòd facerent vnum per ſe, deberent inter ſe vniri in ratione potentiæ receptiuæ, & actus perficientis; ſed talis vnio eſt impoſſibilis; quia omnis vnio realis, & receptiua cũ ſit cauſalitas cauſæ materialis præſupponit cauſam ſingularem. Quidquid enim intelligitur recipere aliquid, intelligitur dare aliquem realem influxum materialem: atquè adeò præſupponitur exiſtens: exiſtere autem rei ſingularis eſt: ergò ante receptionem ſingularitatis intelligitur gradus animalis ſingularis. Patet hæc conſequentia: quia influxus receptiuus eſt prior natura quã forma recepta; omnis enim via in quãtùm via eſt prior natura quàm terminus; influxus autem receptiuus eſt via ad formã recipiẽdã, quæ eſt terminus, atq; adeò prior eſt quàm forma recepta: ſed eo ipsò, quòd intelligitur influere, intelligitur ſingularis: ergò prius natura gradus animalis eſt ſingularis, quàm recipiat ſingularitatem.

IIII. Argumẽ. Tandem ex noſtro Doctore qui q. 20. vniuerſa. gradum generis & differentiæ vocat partes ſecundùm rationem, ſic enim ait. *Sed ſciendum quòd eſſentiale principium ſpeciei eſt duplex, quoddam ſecundùm rem, quod eſt pars rei in exiſtentia, cuiuſmodi ſunt materia, & forma: aliud, ſecundum rationem: nunc autem genus (putà animal) non eſt principiũ ſpeciei (putà hominis) primo modo, ſcilicet ſecundùm eſſe; quia ſi ſic non verè prædicaretur de ea: ergò eſt principium ſpeciei ſecundo modo, & ideò ſi homo debeat diffiniri; cùm diffinire ſit actus rationis, in eius diffinitione debet poni animal tamquam principium ſpeciei ſecundùm rationem, & æquè rationale,* & paulò infra, *& ideo apud rationem, conceptus generis & differentiæ ſunt extranei:* ex quo ſic deduco, nequit pars realis de ſuo toto prædicari, vt ait noſter Doctor & patet de materia, & forma: ſi ergò eſſent partes reales non poſſent de toto prædicari. Tum etiam genus, & differentia ſecundùm Scotum non extraneantur in re, cùm non ſint partes in re, ſed tantùm in ratione: ergò nõ in re, ſed tantùm in ratione diſtinguũtur. Conſequẽtia patet ex eodem Scoto: in tantùm iſtæ partes diſtinguuntur, in quãtùm vna eſt extra rationem formalem alterius.

Notab. Supponẽdum pro nunc brebiter ex Doctoris noſtri doctrina, quam tradit in metaphyſica lib. 7. q. 19. & in 1. d. 2. q. 4. & d. 8. q. 4. & in. 4. d. 12. & in quotlib. q. 1. quod formalitas eſt ratio obiectiua, ſub qua vnaquæq; res cõcipitur ex natura rei, & cùm vna, & eadem res ſub pluribus poſſit rationibus formalibus concipi, vna & eadem res plures poteſt formalitates habere, quæ omnes in vnam, eandemq; entitatẽ coeunt: & licèt modus concipiẽdi non ſemper ſit bonum diſtinctionis ſignum, eſt tamen bonum ſignum quando intellectus nõ imperfectè, & diſtinctè concipit res, vt in ſe: tunc enim ſi illas concipit vt diſtinctas, verè inter ſe diſtinctionẽ habent, quia modus ille concipiendi, non ex ipſo intellectu imperfectè res concipiente, ſed ex ipſis rebus emergit. Diſtinctio ergò formalis ſtrictè ſumpta

tè ſumpta in ſenſu præſentis quæſtionis, eſt quæ datur inter formalitates, ſeu rationes formales, & conceptus obiectiuos, quorũ vnum ex natura rei eſt extra rationem formalem alterius, aut aliquid eſt à parte rei de ratione formali vnius, quod nõ alterius.

Concluſio. Concluſio. Gradus generis, & differẽtialis non ſolum conſiderati ſecundum ſuam eſſentiam (vt nonnulli dicunt) ſed etiam prout in re exiſtunt in vna, & eadem ſpecie, & in vno, & eodem indiuiduo diſtinguũtur formaliter ex natura rei, citra omnem mentis functionem. Sic noſter Doctor loco illo metaphyſicæ dudum citato, & vnanimiter omnes eius diſcipuli Antonius Andreas. 7. metaph. q. 7. perdoctus pater Fonſeca multis in locis ſuæ metaph. idque ſatis planè ex Ariſt. colligi fatetur ſic lib. 2. c. 2. tex. 11. & lib. 4. c. 2. q. 4. ſect. 3. lib. 5. c. 7. q. 3. ſect. 3. Quæ ſententia fundamenta habet non contemnenda, quibus redditur ſatis probabilis.

Scotus. Antonius Andreas. Dorbellus. Anglicus. Mauritius Sarnanus Vallõ. Fõſeca.

I. Probat. Primum eſt. Citra omne mentis opus in homine v. g. gradus animalis, & gradus rationalis ſic ſe habent ex natura rei, quod aliquid eſt de eſſentia vnius, quod nõ de eſſentia alterius; enim de intrinſeca ratione gradus rationalitatis ſit eſſe principium ratiocinandi à parte rei, (nec enim hoc habet ab intellectu) quod quidem nõ eſt de intrinſeca ratione gradus animalis, atque adeò ſic ſe habent iſti gradus, quod vnus eſt extra rationem formalem alterius, vt quæſtione præcedenti probatum eſt, & quidem in re; aliàs enim non poſſet genus reperiri ſine tali gradu differẽtiali, quod falſum eſt cum tota eſſentia animalis ſaluetur in homine, & equo, & in vnoquoque illorum, & tamen in homine non eſt gradus differẽtialis equi nec è contra: ergò in re diſtinguũtur formaliter, cum nihil aliud ſit, aliqua formaliter diſtingui, quàm proprias habere rationes formales, quarum vna non eſt de eſſentia alterius.

II. Proba. Secundò probatur ratione noſtri Doct. loco citato metaph. vbi ſic *cõcipiendo genus v. g. aut concipitur aliquid in re in ſpecie, aut nihil, ſimiliter de differentia, ſi nihil iſti conceptus erunt fictitij, & non reales: ſi aliquid, aut aliquid idem, & tunc erit idem conceptus gradus generici, & differentialis, & eſſe ſuperfluũ multiplicare conceptus circa illam rem, aut aliquid aliud, & tunc erit in re aliqua differẽtia prior differentia cõceptuum.* Quæ ratio ſic conſtrui poteſt: conceptus formales ſpecificantur à conceptibus obiectiuis, & ab illis ſumunt diſtinctionem; quia conceptus formalis eſt expreſſa ſimilitudo rei, & conceptus
A
obiectiuus eſt res repreſentata quantum ad id præciſè, quod de ipſa cognoſcitur, diſtinctis ergò cõceptibus formalibus correſpondere debent diſtincti obiectiui, cum diſtinctæ ſimilitudines, & imagines, vt ſic, terminari debeant ad diuerſa repræſentata, imò prius obiecta cẽſentur diſtincta, quàm actus tendat in illa; ſed cõceptus formalis gradus generici, & conceptus formalis gradus differentialis diſtinguũtur eſſentialiter ergò & illorum conceptus obiectiui præſupponuntur diſtincti ex natura rei, ante ipſos conceptus intellectus.

Obiectio. Dices præſupponuntur fundamentaliter diſtincti. Hoc inpugnationem hanc patitur.

Fundamentalis hæc diſtinctio, vt ex Thomiſtarũ doctrina percipi poteſt, nihil aliud eſt, quã quòd iſti gradus habẽt fundamẽtũ, vt poſsint præciſè intelligi vnus extra rationẽ formalẽ alterius: ergò in re ſic ſe habẽt;
B
aliàs enim non poſſet vnus gradus ſine alio intelligi, ſicut nec aliquid, ſine eo, quod eſt ſibi intrinſecum. Tum etiam gradus animalis in re habet fundamentũ vt poſsit cõcipi per modum potentiæ contrahibilis, quod fundamentum non conuenit gradui differẽtiali ſed potius ad oppoſitũ, vt ſcilicet per modum actus perficientis concipiatur: aliquid ergò in vno reperitur actu, quod non in alio.

Nonnulli contendunt hoc explicare exẽplo attributorũ in Diuinis; ſed quis non videat hoc eſſe ignotũ per ignotius nobis explanare, imò illam diſtinctionem in Diuinis docent prouenire ex modo imperfecto concipiendi noſtri intellectus: ſed noſter intellectus perfectè concipit naturam animalis, illam diffiniendo ſecundum totam ſuam rationem formalem, & in tali natura nullam
C
differentiam actu claudit: ergò natura gradus animalis, in ipſa re, aliqua actuali diſtinctione differt à gradu differentiali. Antecedens patet ex diffinitione animalis, in qua aliquid determinatè concipitur. Conſequẽtia probatur; quia talis conceptus intellectus non eſt illius fictio; nec prouenit ex imperfectione aliqua, & confuſa cognitione; cùm intellectus, vt perfectam, & diſtinctã habeat cognitionẽ, & ſcientiam rerum, naturas præſcindat ab his, quæ ſũt extra illas: aliàs non poſſemus habere in hac vita quidditatiuam rerum cognitionem: prouenit ergò talis diſtinctio conceptuum ex aliqua diſtinctione actuali in rebus reperta.

Tertiò

III. Probatur. Tertiò probatur. Aliàs ſi nulla eſſet admittenda diſtinctio, per idem formaliter A conſtitueretur res in eſſe generico, ac in eſſe ſpecifico: vbi enim nulla intercedit diſtinctio formalis, ſignari nequit diſtinctum formale conſtitutiuum, atqui falſum eſt cõſequens: aliàs enim non eſſet poſsibile ſpecies animalis multiplicari; cùm non ſit poſsibile hominis conſtitutiuum alteri ſpeciei communicari, qua ratione Thomiſtæ probant, impoſsibile eſſe ſub eadem ſpecie Angelica, plura in diuidua multiplicari. Præterea, quòd homo, & equus conueniunt in conſtitutiuo animalis; differunt verò in ſpecificis conſtitutiuis: impoſsibile autem eſt, idem formaliter ex natura rei eſſe principium conuenientiæ, & differentiæ; quia aliàs idem ſecundùm idem, eſſet idem, & diuerſum contra principium Ariſt. 6. metaph. quod idem & diuerſum reſpectu eiuſdem ſe ipſis diſtinguuntur.

IIII. Probatur. Quartò tandem probatur. Relationes B eſſentialiter diſtinctæ debent habere terminos eſſentialiter diſtinctos; vt relatio ſimilitudinis fundata in albedine Petri reſpectu alterius albi; & relatio diſsimilitudinis fundata in eadem albedine, reſpectu alterius nigri eſſentialiter diſtinguũtur, quia earum termini (album ſcilicet & nigrum) in re ſunt actu eſſentialiter diſtincti; ſed relatio ſimilitudinis, & diſsimilitudinis, quæ dantur actu in re in natura Petri reſpectu brunelli, diſtinguuntur actu eſſentialiter in re: ergò in re habent terminos actu eſſentialiter diſtinctos: ſed terminus ſimilitudinis Petri eſt natura animalis brunelli; terminus verò diſsimilitudinis, & diſtinctionis eſt differentia brunelli: ergò actu à parte rei in brunello ſunt iſti gradus, formaliter diſtincti; vt potè termini diſtinctarum relationũ in re; nec enim ſufficit diſtinctio fundamentalis, cùm hæc tan C tùm ſit in potentia, & non in actu.

Ad. Arg. Reliquum eſt vt argumenta in principio obiecta diſſoluamus.

Ad I. Primum ſic, omnes illos gradus à differentia indiuiduali ex natura rei diſtingui, & ſimiliter inter ſe.

Ad. II. Secundum ſoluitur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, phyſicè concedo animam eſſe formam ſimplicem: metaphyſicè verò nego: dantur enim in illa gradus magis, & minùs perfecti formaliter diſtincti. Ad probationem. Sequella conceditur, & ſic in luce formaliter diſtinguuntur ratio per quam producit lucem ab ea, qua producit calorem, vt enim A eſt productiua lucis, non eſt formaliter productiua caloris: ſic ergò ratio per quam anima rationalis eſt principium intelligendi, eſt formaliter diſtincta ab ea quæ eſt principiũ ſentiendi: ſicut propria ratio operationis ſenſitiuæ excludit omnino à propria formalitate rationem operationis intellectiuæ.

Solutio Doctoris Subtilis. Secundò poteſt reſponderi ad argumentum, cum noſtro Doctore loco illo citato metaphyſicæ, prædicata eſſentialia nõ ſemper accipi à principijs operationũ, cùm multa genera intermedia à nulla propria operatione deſumantur; forma ergò, quæ tantùm in genere cauſæ efficientis eſt principium, & cauſa multorum, vel quæ tantùm eminenter alia continet, nõ requirit talem diſtinctionem: quia idem non diſtinctũ, poteſt multa cauſare: & idem nõ diſtinctũ poteſt multa excedere; tunc quippè ſolũ ſumi B tur conuenientia, vel diſtinctio in ordine ad effectum, quorum dicitur eſſe principium: forma verò, quæ in genere cauſæ formalis cauſat diſtinctas rationes conuenientiæ, & differentiæ, in ſe habet principia talium rationum, formaliter diſtincta: implicat enim eandem rem per eandem rationem formalem, in ſe exiſtentem conuenire, & differre formaliter: non tamen implicat per rationem non formaliter, ſed eminenter exiſtentem; quia ergò anima in genere cauſæ formalis tribuit iſtos effectus rationalis ſenſitiui &c. cùm ſe ipſa ſine productione, aut cauſalitate effectiua alterius effectus, formaliter conſtituat hominem in eſſe rationalis ſenſitiui &c. eſt formaliter rationalis, ſenſitiua, & vegetatiua, vt in lib. de anima videbimus, ideò nõ poteſt hæc habere, & tribuere per eandem omninò rationẽ formalem: lux autẽ non eſt cauſa forma C lis, ſed efficiens, nec ratio per quam conſtituitur in eſſe talis principij eſt formaliter calor, ſed eminenter, aliàs enim eſſet realitas completa, diſtincta ab alia, ideò ergò non requirit hanc diſtinctionem.

Ad. III. Ad tertium iam ſupra diximus, quod cùm hæc compoſitio non ſit phyſica, quæ ex vera materia, & forma fit, ſed ex rationibus obiectiuis proporcionaliter ſe habẽtibus, quæ ideò dicuntur materia, & forma metaphyſica, non fit per veram receptionem, & informationem, & per veram actionem vnitiuam phyſicè, per generationẽ ſcilicet, & per verum motum; ſed per identitatem in tertio; de quo poſtea nonnulla.

Ad. IIII. Ad quartum. Quòd noſter Doctor optimè ſe explicat. 7. illo metaph. quæſt. 19. vbi ſic. *Iſta opinio non negat differentiam intentionis, ſed ponit ſibi neceſſariò correſpondere aliquam in re:* & ſubdit, *quòd ſi differentia intentionis non requirat differentiam rationum realium in actu, ſed ſufficiat quòd in potentia ſit in re, & in actu in intellectu in eſſe primo, qui poteſt capere capiat*: ecce quomodo intelligit diſtinctionem hanc; vocat autem partes rationis; quia ſcilicet optimè per conceptus formales rationis explicantur; & in ordine ad illos benè à nobis intelligũtur. Tum etiam quòd formalitates ſæpè vocat noſter Doctor rationes obiectiuas, & diffinitiuas; cùm autem infertur, quòd non poſſent prædicari poſtea articulo ſequenti.

ARTICVLVS II. DE Genere formaliter ſumpto.

EXPLICATO iam fundamento ſecundæ intentionis genereitatis, nunc de ipſo genere formaliter ſumpto, quod per genereitatem conſtituitur, agendum eſt, imò quòd ad illius plenariam intelligentiam præcedentem articulum præmiſsimus: cùm genus ſub hac ratione ſit, quòd per ſe ad logicæ conſiderationem ſpectat.

QVÆSTIO I. QVID SIT genus, exactè nè, & quidditatiuè à Porphyrio diffiniatur.

RELATIO illa rationis vniuerſalitas, quam intellectus tribuit per comparationem, naturæ in præcedenti articulo explicatæ, abſtractæ nimirùm à pluribus eſſentialiter diſtinctis, genereitas dicitur; quæ prædictam naturam in eſſe generis conſtituit, quod ſub vniuerſali tamquam ſpecies ſub genere comprehenditur, & quidem de illo diſſerit Porphyrius priuſquàm de alijs tamquàm de prima ſpecie vniuerſalis in communi: quia cùm cognitio prædicabilium ad prædicamentorum notitiam tendat; quòd in prædicamentis primò occurrit, ordine naturæ eſt genus; quod ſic diffinit Porphyrius: *genus eſt, quod de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid prædicatur.* Quærimus in præſenti exacta nè ſit prædicta diffinitio?

I. Argum. Videtur autem primò quòd genus nequeat diffiniri. Quidquid diffinitur debet eſſe ſpecies, atquè adeò ſupra ſe genus habere, ſed genus eſſentialiter in ratione generis non eſt ſpecies, nec ſupra ſe habet genus, cùm genus in communi, quod hic diffinitur, ſit ſupra omnia genera; vel ſi per genus diffiniretur, idem ſui ipſius diffinitionem ingrederetur. Adde quòd Ariſt. dixit. 3. topic. concretum non eſſe in genere ſic, *magis eſt eligendum quod eſt in genere, quàm quod non, vt iuſtitia iuſto.*

II. Argu. Secundò. Diffinitio hæc conuenit alijs à diffinito; differentia enim, vt ſenſibile de pluribus differentibus ſpecie, vt de homine, & equo, & in quid prædicatur ex Ariſt. Ens præterea & accidens ſic prædicantur. Et tamen non ſunt genera & partim videtur diffinitio ſuperflua; ſuperfluè enim ponitur illa particula (de pluribus) cum intelligatur in illa alia, (differentibus ſpecie) quia differentia includit multitudinem, & partim videtur diminuta, cùm non ſolum de diſtinctis ſpecie; ſed etiam numero prædicetur.

III. Tertiò, quòd genus deberet diffiniri per ſubſtantiam, cùm accidens per ſubſtantiã, ſit ex Ariſt. diffiniendum.

Probatur. Apprimè obſeruandum eſt, quæcũq; ſupra de vniuerſali dicta ſunt, applicãda eſſe generi, & alijs prædicabilibus, quæ enim generi, alicui cõueniũt, ſuis etiã ſpeciebus cõuenire; neceſſe eſt: duplex ergò eſſe vniuerſale diximus, vnũ denominatiuũ, quod eſt materiale ipſius, cui accidẽtaliter cõuenit diffinitio vniuerſalis: aliud quidditatiuum, quod eſt ipſa ſecũda intẽtio vniuerſalis in cõcreto, cui eſſentialiter cõuenit diffinitio vniuerſalis; idem de genere dicendum eſt: aliud eſſe denominatiuum, & hoc eſt materiale ſignificatum ipſius generis, ſiue ens reale, ſiue rationis ſit, aliud quidditatiuũ & hoc eſt ipſa ſecunda intentio generis in concreto.

I. Conclu. Prima concluſio. Genus poteſt diffinitione quidditatiua diffiniri: hæc patet quia genus in ſuo eſſe eſſentiali conſtat genere, & differentia, cùm conueniat cum omnibus alijs vniuerſalibus in eſſe vniuerſalis in communi ſupra tradito, & diſtinguatur ab eiſdem eſſentialiter.

II Concl. Secunda cõc. Diffinitio generis tradita à Porphyrio exacta eſt. Sic omnes cõmuniter, & roboratur quod ab aliquib9 abſtrahitur de eiſdẽ prædicari aptũ eſt; atqui genus à pluribus ſpecie differẽtibus abſtrahitur: ergò de eiſdẽ prædicari aptũ eſt, vnde, vt ſu

pra diximus

pra diximus de vniuerſalitate, genereitas eſt aptitudo quædã relatiua ſpecialis, ex vi cuius natura generica conſtituitur formaliter apta de pluribus prædicari.

I. Probat. Præterea probatur concluſio. Per hanc diffinitionem explicatur id, in quo genus cum omnibus alijs prædicabilibus conuenit, & id in quo ab eiſdem differt.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Diffinitio hæc eſt quidditatiua. Hæc eſt noſtri Doctoris, & omniũ eius interpretum, & ex ſupra dictis patet.

Quia conſtat genere, & differentia eſſentiali; poſſe enim prædicari eſſentia eſt vniuerſalis.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio. Genus in hac diffinitione non eſt natura denominata, vt exiſtimarunt Amonius, Canterus, Murcia, Maſius, & alij; nec eſt vniuerſale ſubintellectũ in illo relatiuo (quod) vt Soto, Louanienſes, Mercatus, & alij aſſerunt; ſed ipſa diffinitio vniuerſalis, ſcilicet poſſe prædicari de pluribus. Sic noſter Doctor q. 15. vniuer. vbi in reſponſione ad quartum vbi *quia diffinitio vniuerſalis ponitur pro genere & cum illa, differentia per ſe differentibue ſpecie*; & ibi omnes Scotiſtæ; imò eſt communior inter alios Doctores.

Probatur. Probatur autẽ ab impugnatione aliarũ, quòd non natura, patet. Quia quod diffinitur eſt ſecunda intẽtio: cùm per terminos ſecundæ intentionis: genus ergò illius ſecũda intentio eſt; nec ſecundum quia aliàs in hac diffinitione committeretur nugatio; idem enim bis poneretur in diffinitione, ipſum ſcilicet vniuerſale, & eſſentia ipſius; ſicut committeretur nugatio, ſi diceretur homo eſt animal viuens, ſenſibile, rationale: ergò tertium eſt dicẽdum, cùm multoties loco alicuius partis diffinitionis, maioris claritatis gratia, poni ſoleat eius diffinitio; loco autem differentiæ ponitur reliquum, *differentibus* (ſcilicet) *ſpecie in quid.*

V. Concluſio. Quinta concluſio. Diffinitum, quod in hac diffinitione diffinitur, eſt ſecunda intentio genereitatis in concreto. Sic noſter Doct. quæſt. 14. probatur, diffinitum in hac diffinitione non eſt natura in cõmuni, cùm ea, quæ ſubeſt genereitati in communi non ſit vna, ſed omnes naturæ genericæ, ſiue reales, ſiue rationis diuiſiuè ſumptæ, vt patet ex ſupra dictis de vniuerſali in cõmuni: ergò eſt ipſa ſecunda intentio in concreto.

Ad argu. Ad I. Ad argumenta. Ad primum. Diſtinguo maiorem debet eſſe ſpecies eſſentialiter nego: denominatiuè concedo: genus ſumptum eſſentialiter eſt aptum prædicari de pluribus ſpecie differentibus &c. denominatiuè autem eſt ſpecies, habens ſupra ſe genus, ſcilicet vniuerſale in communi, quod genus denominatur; ſicut homo eſſentialiter eſt animal rationale; denominatiuè verò ſpecies, & cùm dicitur, quidquid diffinitur, in quantùm ſpecies diffinitur; ſi ly in quantùm reduplicet rationem formalem nego: facit enim hunc ſenſum; eſſentia, & formalis ratio, quæ in quauis diffinitione explicatur eſt eſſentia ſpeciei, quod falſum eſt: in diffinitione enim generis, eſſentia, quæ explicatur, eſt eſſentia generis, & non ſpeciei: ſi verò reduplicet conditionem, ſub qua aliquid diffinitur, verum habet, etenim cùm diffinitio conſtet genere, & differentia, nihil poteſt diffiniri, niſi ſit ſpecies: cùm ergò genus quidditatiuum diffiniatur per vniuerſale, quod eſt genus denominatiuum, idem non ingreditur diffinitionem ſui ipſius, quod fieret, ſi in diffinitione generis quidditatiui, poneretur genus quidditatiuum.

Ad. II. Argumẽ. Ad illud de cõcreto. Quod cùm Ariſt. 7. metaph. ait concretum non diffiniri. Reſpõdet noſter Doctor; ibi Ariſtotelem loquutũ fuiſſe de concreto per accidens, vt homo albus, cùm in illo exemplificet in principio capitis, & ſic omnia poſterius dicta, ſic ſunt intelligenda: & ad illud de topicis, quòd iuſtum non eſt in genere virtutis, eſt tamen in genere prædicabili.

Ad. III. Argumẽ. Ad tertium. Senſibile non eſſe genus, ſed differentia: vtrùm autem differentia ſuperior de inferioribus differentijs prædicetur, nec nè, infra. Ad illud de ente, & accidente an ſint genus; an verò non alibi. Diffinitio autem hæc non ſuperfluit; quia totùm hoc *prædicari de pluribus* ponitur loco generis; eſt enim diffinitio vniuerſalis, & in qua ab indiuiduo diſtinguitur, quod de vno ſolo prædicatur: *differentibus verò ſpecie* habet rationem differẽtiæ, determinat enim illa plura, vt ſint ſpecie diſtincta; nec eſt diminuta; quia eo ipſo, quod prædicatur de ſpeciebus, de indiuiduis etiam intelligitur prædicari mediatè.

Ad IIII. Argumẽ. Ad quartum. Illud habere verum in accidentibus, quæ habent ſuum eſſe à ſubiecto, ſeu in accidentibus copulatis, quæ ſcilicet determinant ſubiecta, vt ſimitas in naſo, criſpitudo capillorum, gibboſitas in dorſo: talia in quã accidentia quæ determinant ſubſtantiam, ſine qua nequeunt eſſe, per illam diffiniuntur: ſecunda autem intentio non eſt per ſuum ſubiectum niſi

tantùm occaſionaliter; ſed habet eſſe ab intellectu, nec determinat rem alicuius generis.

QVÆSTIO II. PONATUR nè conuenienter illa particula (in quid) in diffinitione generis.

Opinio Laurentÿ Vallæ. LAVRENTIVS Valla aliàs Grammaticus, Grammaticæ lineas trãſiliens lib. 10. quæſt. Dialect. cap. 28. affirmat, genus non diſtingui à differentia per illam particulam, in quid, ſed potius in illa conuenire, quæ ſententia probari poteſt.

I. Argumẽ Primò ex Ariſt. qui 7. topic. cap. 2. ait ſic, *& in eo quod quid eſt genus, & differentia prædicãtur*, & probat hac ratione, quòd diffinitio prædicatur in quid, & explicat quid res ſit: partes ergò illius, genus nimirùm, & differentia in quid prædicantur, & explicant quid res ſit.

II. Proba. Secundò probatur, quòd prædicatum eſſentiale, & quidditatiuum idem ſunt: ſed differentia eſt prædicatum eſſentiale; tùm etiam quia ſignificat quidditatem rei per modum per ſe ſtantis, & eſſentiæ; rationale enim ſignificat habens rationalitatem; habens autem eſt aliquid per modum per ſe ſtantis.

Confirm. Confirmatur. Nobilior eſt differentia genere, cùm illa ſit actus perficiens, hoc verò potentia perfectibilis; debet igitur habere nobiliorem modum prædicandi differentia, quàm genus: ergò in quid. Tum etiam quòd multo meliùs reſpõdemus per differentiam, ad interrogationem factam per quid: interroganti enim quid eſt homo? melius per rationale, quam per animal reſpondemus, cùm animal dicat rationem alijs communem; rationale verò propriam hominis rationem.

III. Probatur. Tertiò. Si propter aliquid differentia in quale prædicaretur, & non in eo quod quid maximè quia habet modum formæ determinantis, & qualificantis; ſed genus etiam ſe habet, vt forma, quia prædicatum ſe habet vt forma qualificans ſubiectum: ergò etiam in quale prædicabitur.

I. Cõfirmat. Confirmatur. Modus prædicandi ſequitur modum ſignificandi terminorum: ſed genus ſignificat quale quid teſte Ariſtot. qui cap. de ſubſtantia ait *ſecundas ſubſtantias ſignificare quale quid*; ſecundæ autem ſubſtantiæ genera ſunt: prædicatur ergò in quale quid.

Confirmatur ſecundò. Quod ex Ariſt. *I. Cõfirmat.*
A partes diffinitionis metaphyſicæ ſunt formæ totius.

IIII. Probatur. Quartò. Si ex aliqua radice ſumenda eſſet hæc diſtinctio, maximè ex modo ſignificandi, & concipiendi, ſecundùm quem licèt differentia modum eſſentiæ importet, & vera ſit pars ſubſtantialis ſpeciei; concipitur tamen vt forma determinans, quod proprium eſt qualitatis, atquè adeò modum habet prædicandi qualitatis: ſed hoc falſum eſt; quia diuerſitas prædicabilium ex diuerſo modo eſſendi ipſorum ſumitur, & non ex diuerſo modo ſignificandi. Alioquin quando accidens ſuperius in concreto prædicatur de ſuo inferiori concreto, vt album eſt coloratũ; cum genus ſignificetur per terminum adiectiuũ, & connotatiuum, atquè adeò importetur forma generis per modum adiacentis, tunc quippè prædicaretur in quale. Adde etiam
B quòd hæc prædicatio, humanitas eſt rationalitas, vt vera recipitur à pleriſquè, ſicut diximus, tunc autem prædicatur differentia per modum per ſe ſtantis, cùm ſignificetur per terminum abſolutum: ergò prædicatur in quid.

I. Notab. Notandum tamen eſt, quòd licet qualitas propriè ſumpta ſit accidens de prædicamento qualitatis: latiùs tamen quamcumque formam perficientem, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, qualitatem appellamus; cùm proprium ſit formæ determinare, qualitas autem determinatio quædam rei eſt, & qualificare, eſt determinare.

II. Notabile. Secundò ſupponit noſter Doctor, quòd ſupra diximus, genus ſumi ab eo, quod in ſpecie habet modum materiæ; cùm ſumatur ab eo, quod in compoſitione metaphyſica ſupponi intelligitur, ſicut materia in compoſitione phyſica: & ideò habet ſe in ipſa eſſentia, & diffinitione ſpeciei, vt primum fundamentum, & vt primum ſubſiſtens metaphyſicè, potentiale, determinabile, & contrahibile: differentia verò ab eo, quod in ſpecie habet modũ formæ; cum ſumatur ab illa ratione obiectiua, quæ in ſpecie eſt metaphyſicè actuans, & determinans: quia ergò genus eſt, quod primò ſupponitur in diffinitione, & veluti ſubijcitur differẽtiæ, & ſe habet per modũ illam ſubſtẽtantis, atquè adeò per modum per ſe ſtantis, quod proprium eſt ſubſtantiæ, dicitur ſignificare eſſentiam per modum ſubſtãtiæ, & hoc ſignificatur per quod quid:

quid: differentia verò quia ſe habet per modum formæ veluti ſuſtentatæ determinantis, modificantis, & perficientis genus, quod proprium eſt formæ accidentalis, & qualitatis, propterea dicitur habere modum qualitatis, & denotatur per quale: quia tamen forma eſt eſſentialis ſubſtantialis; ideò additur quid; quod diſertis verbis docuit Ariſt. 5. metaph. tex. 32. vbi hoc modo genus diffinit; *genus eſt, quod in rationibus* (id eſt diffinitionibus) *primum ineſt, & dicitur in eo quòd quid eſt, cuius differentia dicuntur qualitates*; & ſuperius textu 19. inter ſignificata qualitatis, differentias enumerat: & 4. topic. cap. 2. loco. 17. ſic ait, *quia nulla differentia ſignificat quid eſt, ſed magis qualequid*, & 4. topic. cap. 6. *quoniam* (inquit) *differentia quidèm qualitatem generis ſemper ſignificat.*

III. *Probatur.* Tertiò, eſt præmittendum ad conciliandа diuerſa loca Ariſtot. prædicari in quid, poſſe dupliciter ſumi; primò largè, vt idem ſit quòd prædicatum eſſe de quidditate ſubiecti, & hoc pacto quælibet pars eſſentialis, & quidditatiua rei, de ea in quid prædicatur; ſecundo modo ſtrictè pro eo quòd eſt prædicari, vt præſuppoſitum, & fundamentum in eſſentia rei; vel vt alij dicunt, prædicari in quid poteſt ſumi, vel ſimpliciter, & ſine addito, & hoc eſt dicere quidditatem per modum materiæ; vel cum addito quidditatis ſcilicet, quæ ſe habet vt forma, & qualitas. Rurſus prædicari in quid ſtrictè adhuc poteſt ſumi dupliciter, vel incompletè per modum materiæ, vel complete per modum totius eſſentiæ, de quo infrà.

Concluſio. Concluſio ſit. Conuenienter ponitur in diffinitione generis *in eo quod quid* abſolutè, & ſine addito, per quam difert à differentia, quæ non ſimpliciter prædicatur, ſed cum addito *in quale quid*; quia ſcilicet partim *in quid*, partim *in quale* prædicatur: ſic Porphyrius in hoc cap. de genere; & Ariſt. locis citatis 4. enim topic. c. 6. ſic ait. *Caterùm quacumque verborum forma quaſtio fiat, ſemper differentia prædicatur de ſpecie in quale quid*, Sic noſter Doctor, & omnes dialectici communiter.

Probatur. Probatur ex primo notabili; quia genus dicit quidditatem per modum materiæ, & vt primum ſubſiſtens, & præſuppoſitum, & non per modum qualitatis: ergò ſimpliciter, & abſolutè prædicatur in quid; differentia verò dicit partem eſſentiæ, quæ ſe habet vt forma & qualitas: cùm conſtituat A ſpeciem informando, & modificando genus; ergò prædicatur *in quid*, cum addito ſcilicet *in quale quid.*

Obiectio. Si autem dicas. Sicut differentia ſupponit genus, ita & genus ſupponit alia prædicata: non ergò ſe habet vt primum ſubſiſtens, & nihil ſupponens.

Solutio. Reſpondetur, quod genus infimum non dicitur propriè ſupponere ſuperiora, cùm illa intrinſecè includat in ſua ratione: differentia autem dicitur ſupponere gradum genericum; quia eſt extra rationem formalē illius, & in illo veluti recipitur vt in materia, vt explicatum eſt, & hoc eſt propriè ſupponere.

Corollarium. Ex dictis fit, genus ferè ſemper explicari per terminum abſolutum, ſignificantē rem per modum per ſe ſtantis: differentiam verò per terminum adiectiuum, & denominatiuum, qui ſignificat per modum alteri adiacentis, & aliud perficientis.

B *Ad Argu. Ad I.* Ad argumenta reſpondetur. Ad primum ex Ariſt. ſenſum illius eſſe differentiam *prædicari in quid*, cum addito tamen, vt diximus; vel ibi ſumpſiſſe, *in quid* non ita ſtrictè, ſed largè pro quouis prædicato quidditatiuo.

Ad. II. Ad ſecundum. Eodem modo. Ad aliam partem argumenti, non eſſe attendendum ſignificatum materiale, ſed formale, quod in differentia, vt diximus, habet rationem formæ actuantis, & perficientis aliud.

Ad cōfir. Ad confirmationem concedimus quidèm antecedens, & primam conſequentiam; negamus autem ſecundam: quia nobilior modus prædicandi eſt in *quale quid*, quàm in quid incompletè; ſicut nobilior eſt modus formæ ſubſtantialis, quàm materiæ, etſi *quid* ſignificet quidditatem, benè reſpondemus per differentiam: C ſi verò ſignificet primum præſuppoſitum in eſſentia, vt fundamentum & materiam, non benè per differentiam, ſed per genus reſpondemus: hæc enim interrogatio quid eſt homo? non ſolum petit reſponſionem per partem, quæ ſit de eſſentia ſubiecti, ſed per id quod in eſſentia eſt præſuppoſitum: quia qui quærit, quid eſt hoc? non ſupponit genus illius rei, de qua rogat quid ſit; & ſic incongruè reſponderetur ei per differentiam, quæ intrinſecè ſupponit genus, tamquam id, quod determinat: & ſic interrogantis animus nō quieſcit: cùm nequeat differentia percipi niſi percepto eo, in quo veluti fundatur.

 Qui

Qui verò ſic rogat quale animal eſt homo, aut qualis eſt homo? Iam ſupponit quòd ſit animal, & tunc benè ei per differentiam reſpondetur.

Ad III. Argumẽ. Ad tertium diſtinguenda eſt minor, maiori conceſſa, prædicatum quodlibet dicitur forma ſubiecti, quia ſubiectum ſubijcitur illi in prædicatione concedo; quia ſe habet vt vera forma determinans, & actuans aliam partem: nego; hoc enim ſoli differentiæ conuenit, & hoc denotat prædicare in quale quid, non verò primum.

Ad Cõfir. Ad confirmationem. Quòd cùm Ariſt. dixit *ſecundas ſubſtantias ſignificare quale quid* tantùm voluit diſcrimen aperire inter primas ſubſtantias, quæ ſignificant hoc aliquid id eſt ſingulare, & per ſe ſubſiſtens; & ſecundis ſubſtantias, quæ ſignificãt quale quid; id eſt naturas communes à pluribus participabiles.

Ad Cõfir. Ad confirmationem. Tàm modum prædicationis, quàm modum ſignificationis differẽtiæ, vt ex radice ſumi ex ipſo modo eſſendi ex natura rei, cùm habeat modum actus determinantis, atquè adeò qualificantis, vt dictum eſt. Ad illud autem de concretis accidentium. Significatum formale generis in illis, licèt reſpectu ſubiecti habeat modum formæ inhærentis; reſpectu tamen ſignificati formalis, concreti ſpecifici habet modum partis potentialis, ex qua, & ex gradu differentiali conſtituitur. Vt coloratum ſignificat colorem qui reſpectu ſignificati formalis albi, ſcilicet albedinis habet rationem gradus generici, & partis potentialis, quæ à gradu differentiali albedinis actuatur, & perficitur.

QVÆSTIO III. VTRVM GENUS in quantùm pars ſit totum reſpectu ſpeciei.

NON agimus modò de genere v. g. animali in ordine ad ſua prædicata eſſentialia conſiderato; quo pacto totum actuale dicitur, quia actu ex illis componitur; cum vt ſic; non dicat habitudinem ad ſpeciem, ſed quatenus ad ſpeciem comparatur, quo pacto dupliciter poteſt ad illam comparari, vel quatenus pars eſt metaphyſica, ex qua, & ex gradu differentiæ metaphyſicè componitur; vel quatenus habet rationem totius potentialis, vniuerſalis, & prædicabilis de illa. Quærimus ergò an iſtæ rationes diſtinctæ ſint in genere? vel an in quantùm pars ſit totum?

Opinio affirmans. A Multi recentiores partem affirmatiuam tuentur ſic Sanchez, in c. de genere q. 9. qui partes metaphyſicas ſecundùm quòd partes metaphyſicæ ſunt, & componunt ſpeciem, habere rationem totius affirmat, & ita eſſentiale eſſe parti metaphyſicæ, vt pars metaphyſica eſt, eſſe quoddã totum; vt nequeat vt pars ſine ratione totius intelligi, quæ ſententia ſic probatur.

Probatur. I. Primò quia partes phyſicæ, & metaphyſicæ ſunt æquiuocè partes: vnde admonet phyloſophus diuerſam eſſe rationem partis phyſicæ, & metaphyſicæ, quòd pars phyſica eſt in minus, quàm ſuum totum; pars verò metaphyſica ſe habet in potentia in plus; quia potentialiter continet ſuas ſpecies: imò & noſter Doctor ſubtilis q. 20. vniuer. ſic ait, *& propter rationes, eſt ſciendũ, quòd hæc eſt differentia inter partes rationis, & partes ſecundùm rem, quia licèt ambæ ſigni*B*ficant partes totius, partes tamen, ſecundùm rationem ſignificant partes totius, per modum totius, partes autem ſecundùm rem ſignificant partes per modum partis.*

II. Argumẽ. Secundò. Genus in quantùm genus eſt pars diffinitionis, & in quantùm genus eſt totum potentiale: ergò in quantùm totum (minimum) potentiale eſt pars diffinitionis. Maior patet, quia quælibet diffinitio conſtat ex genere, & differentia, tamquam ex partibus. Tum etiam quia animal, quod ponitur in diffinitione hominis eſt quid commune diffinito, & alijs ſpeciebus, vt ſolet dici: ergò illa pars in quantùm pars habet vt ſit, communis, & potens de pluribus prædicari: qua ergò pars eſt, & totum eſt.

Cõfirmat. Confirmatur. Animal in quantùm pars eſt contrahibilis; cum genus, & differentia conſtituant ſpeciem in ratione partium C contrahibilis, & contrahentis & in quantùm contrahibile eſt potentiale; ideò enim contrahitur, quia eſt in potentia, vt contrahatur; & ſpecies cum ſit ens per ſe, componitur ex partibus, quarum vna eſt potentia, & altera actus; & in quantùm potẽtiale eſt totum: ergò in quantùm pars eſt totum.

III. Argumẽ. Tertiò. Species reſpectu generis, & differentiæ totum actuale dicitur, quia nempè illa actu includit, atqui illa, vt partes includit: ergò vt partes ſunt tota. Præterea ex Porphyrio qui c. de communibus ait, *igitur præiacere oportet genera vt informata à differentijs conſtituant ſpeciem.*

Supponit. Supponendum eſt ex doctrina noſtri Doctoris, genus v. g. animal ad ſpeciẽ comparatum

paratum duo munera exercet: vnum eſt quòd illam ſimul cum gradu differentiali componit; aliud quod de illa prædicatur; quæ duo munera, cùm diſtincta ſint diuerſam in illo rationem expoſcunt: vnde primum munus exercet, quatenus pars eſt, & vt ſic, tantùm dicit gradum præciſum naturæ genericæ, vt animal nudum gradum naturæ ſenſitiuæ importat, quæ eſt vna pars ſpeciei, ex natura rei condiſtincta ab altera parte, à gradu nempè differentiali, eſtque, vt ſic, pars materialis vlterius perfectibilis; & in hoc conſiſtit ſimilitudo eius cum materia prima; vt Porphyrius docuit .c. de differentia, dicens *ſpeciem conſtare ex genere, & differentia vt ex materia, & forma*; & Ariſt 8. metaph. tex. 9. & 15. aſtruit *genus eſſe vt materiam, & potentiam, differentiam verò vt formam, & actum*: & 7. metaph. tex. 43 probat habere ſe genus vt materiam, prædicta autem potetialitas generis eſt indifferentia illa naturæ, ſupra à nobis expoſita, quam ſcilicet ex ſe habet, vt determinetur per differentiam, actu tamen determinatā per realem identitatē in ſpecie, in quo à materia prima ſecernitur, quæ realiter diſtinguitur à forma, & facit vnū cum illa, per aliquid à ſe diſtinctū, realē ſcilicet vnionem, & veram, & realem receptionē: ideò meritò dixerunt Ariſt. & Porphyr. genus, & differentiam non eſſe verè, & propriè materiam & formam, ſed inſtar illarum eſſe; genus ergò, vt ſic, per abſtractionem formalem, nomineq; abſtracto apprimè explicatur; quia abſtractum talem gradum nudè importat, per modum partis ſignificatum. Secundum autem munus prædicandi exercet, quia habet rationem totius, quæ ratio in hoc conſiſtit (vt explicatum eſt) quòd abſtractione totali abſtractum, actu, ſed confuſè, & indeterminatè continet inferiora.

Corollar. Ex quo deducimus duplicem potentialitatem, aut aptitudinem in natura generica reperiri, vnam, indifferentiam illam, quā ex ſe habet, quatenus eſt pars imperfecta perficienda, & actuanda per differentias, ratione cuius indifferentiæ habet quòd ſit potentialis, & contrahibilis; ſicut materia prima (vt in eodem exemplo perſiſtamus) dicit potentiā, non quidem, qua in confuſo per modum totius reſpicit inferiora, ſed qua eſt per formas determinabilis; ſubindè diximus illam potentialitatem, ſeu indifferentiam non conſtituere naturam genericam vniuerſalem; ſicut nec potentia materiæ illam ſic conſtituit: aliam verò, potentiam & aptitudinem rationis relatiuam, qua conſtituitur in eſſe totius ſuperioris, & prædicabilis de inferioribus: natura ergò animalis præcisè ſumpta præciſione formali, & in abſtracto, primam tantùm potentiam importat: abſtracta verò abſtractione vniuerſali, & ad ſpecies cōparata, vtramq; dicit, primam quidem, quæ ſequitur naturā ſecundùm ſe, & in quocumq; ſtatu ſit; ſecūdam, quam acquirit ex vi cōceptionis intellectus, qua per modum totius concipitur: & hoc eſt, quod dixit noſter Doctor q. 16. vniuer. *Quod genus importat de ſuo intellectu determinato illud materiale*: ideſt *potentiale, à quo ſumitur, non tamen per modum partis illud ſignificat, ſed per modū totius, & ideò totum ex conſequenti importat.*

II. Notabile. Obſeruandum tandem. Quòd particulæ iſtæ, vt, in quantùm, quatenus, & aliæ ſimiles; cū alicui termino coniunguntur poſſunt ſtare dupliciter, vel ſpecificatiuè, vel reduplicatiuè, vt in præſenti, cùm quæritur an genus in quātùm pars ſit totum, ſi ly, in quantùm, ſumatur ſpecificatiuè facit hunc ſenſum, vtrum genus, quod eſt pars, ſit etiā totum: ſi autem reduplicatiuè, reddit cauſam, & rationem propter quam prædicatum conuenit ſubiecto: vnde facit hunc ſenſum, vtrum genus ſub ratione partis ſit totum. Quibus præiactis.

Concluſio. Concluſio ſit. Genus non eſt formaliter pars metaphyſica ex ratione, qua eſt totū, nec eſt formaliter totū ex præciſa ratione, qua eſt pars metaphyſica. Sic noſter Doct. loco dudùm citato, & cùm eo omnes eius diſcipuli ibidèm; & tenēt etiam multi Thomiſtæ, quæſtione ſequenti citandi.

I. Probat. Probatur. Genus habet rationem partis metaphyſicæ, quatenus præcisè dicit nudū gradum naturæ genericæ: ſed vt ſic, non habet rationē totius: ergò ea ratione, qua eſt pars metaphyſica, non eſt totum. Minor patet; quia vt totū debet continere quidquid inferiora. Maior probatur: quia vt habet rationem partis ſiue ex natura rei, ſiue per intellectum excludit omninò differentiā, vt probatum eſt; & vt ſic, non poteſt de illa prædicari; aliàs enim pars ſignificata in abſtracto per modum partis, poſſet prædicari de ſuo toto, & ſic hæc eſſet vera, homo eſt animalitas, quod ab omnibus negatur.

II. Probat. Præterea. Genus habet rationem partis quatenus componit, vel concipitur vt componens, ſed vt ſic, tantùm dicit nudum gradum naturæ genericæ, & non importat to-

tum,quod inferiora, quod conſtituit rationem totius: ergò in quantùm pars,non eſt **A** totum. Maior patet minor probatur in tãtùm animal, v. g. intelligitur pars componens hominem, in quantùm tribuit illi eſſe viuens, ſenſibile, ſed ad hoc, nihil ad rem facit, quòd per modum totius contineat plura; quia ex illa parte à qua dicitur totum potentiale, non conſtituit ſpeciem, nec eſt conditio ad hoc neceſſaria: ergò vt pars non habet rationem totius.

Ad. Argũ *Ad I.* Ad argumenta reſpondetur. Ad primũ. Partes phyſicas, & metaphyſicas non eſſe omninò æquiuocas, ſed aliquam inter ſe ſimilitudinem habere, vt diximus: habent ergò quantùm ad hoc eandem rationem; quòd incompleta ratio partis, vt ſic, nõ poteſt claudere vllo modo, quidquid continet totum, & in modo componendi ſpeciẽ per modum partis determinabilis, & determinãtis. Differunt verò in modo totius, quia præciſè non ſumuntur partes meta- **B** phyſicæ à partibus phyſicis, ſed à tota ſpecie ſecũdùm diuerſas rationes obiectiuas: vnde iſtæ ſunt entitates realiter diſtinctæ, illæ autem ſunt cõceptus obiectiui formaliter diſtincti eiuſdem rei. Hinc ergò prouenit quod ait noſter Doctor, partes phyſicas ob realem diſtinctionem, quam habẽt, & à toto, & à ſe inuicem, ſemper deſignari per modum partis: partes verò metaphyſicas, ob realem identitatem, quam cum toto habent, & inter ſe, ratione illius, & quia à tota entitate deſumuntur, ſignificari per modum totius.

Ad. II. Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens. Si ly in quantùm ſumatur reduplicatiuè nego; non enim ea ratione, qua eſt formaliter genus, & totum, eſt pars diffinitionis, vt quæſtione ſequenti ſi verò ſumatur ſpecificatiuè concedo, id eſt, quòd genus, quod aliàs eſt genus, & totũ eſt etiã pars, **C** ſed non ſub eadem ratione.

Ad cõfir. Ad confirmationem. Cum dicitur in quãtùm contrahibile eſt potentiale per modũ totius nego.

Ad. III. Argumẽ. Ad tertium. Speciem dici totum actuale reſpectu generis, & differentiæ: quia illa continet actu, in quantùm ſunt partes componentes. Ad porphyriũ. Senſum illius planum eſſe, quòd ſcilicet genera in quantùm informata, ideſt, non vt habent rationem totius, ſed partis, quæ per differentiam determinatur, componunt ſpeciem.

QVÆSTIO IIII. PRÆDIcetur nè genus de ſpecie in quantum totum, vel in quantum pars eſt.

I. Opinio. multorũ. SENTENTIA eſt multorum aſſerentium genus, nõ vt totum, ſed vt partem prædicari de ſpecie; licèt non omnino eodem modo illam explicent. Quidã enim abſolutè dicunt prædicari, vt partem actualem componentem ſpeciem, in concreto tamen ſignificatam. Sic Venetus, Caietanus, Oña, & ſanches in hoc capite. *Venetus. Caietanus Oña. Sanchez.*

II. Opinio Alij non vt partem actualem, componẽtem ſcilicet actu ſpeciem, quia vt ſic nullã dicit potentiam, cùm ſit actu contracta, & actuata; ſed vt partem potentialem, quãdo nempè eſt abſtracta, tunc enim non conſideratur, vt componens actu, ſed vt potens componere, atquè adeò in potentia, continens differentias; ſic Canterus.

I. Argum Probatur autem primo ex Ariſt. 1. poſter. c. 2. aſſerente, diffinitionis partes de diffinito prædicari: ſed genus eſt pars diffinitionis in quantùm pars. Tum etiam, quod in prædicatione directa, qualis eſt hæc, homo eſt animal; prædicatum eſt forma ſubiecti, forma autem pars eſt.

II. Secundò. Genus vt pars eſt in ſpecie, & idem realiter cum illa, & aliquomodo ab illa diſtinctum, & commune omnibus ſpeciebus; quia in illo, vt ſic, conueniunt, cùm non per illam, vt ſic, ſed per aliam partem differentiam nempè diſtinguantur: & cùm ſit pars potentialis, & contrahibilis in potentia continet differentias; ſicut materia prima formas, atquè adeò totam ſpeciem, ſecundùm vnam partem determinatè, ſecũdùm aliam in potentia.

III. Opinio. Alij autem dupliciter conſiderant genus, vel adæquatè quatenus ordinem, & potentiam dicit ad plures ſpecies: & ſic eſt totum potentiale; vel inadæquatè quatenus dicit ordinem, & potentiam ad vnam ſpeciem; & vt ſic (dicunt) eſt pars: primo ergò modo genus non prædicari de ſpecie, ſed ſecũdo modo affirmant; & probant ſic.

I. Argumẽ. Primò. Nulla actio inadæquata reducit potentiam ad actum adæquatè, ſed prædicatio animalis de homine eſt actio inadæquata potentiæ prædicabilitatis: ex vi ergò talis prædicationis non reducitur adæquatè ad actum; ſed tantum inadæquatè: ergò hæc potentia in ordine ad illam prædicationem, præciſè loquendo, non ſe habet, vt potentia totalis, & adæquata; ergò vt partialis prædicatur, ergò vt pars.

II. Argu. Secundò. Animal in tantùm prædicatur

de homine

de homine, in quantùm habet potentiã præciſam ad eſſendum in illo, & præciſè dicit reſpectum ad illum, ſed ex vi talis potẽtiæ, & ordinis præciſè non eſt totũ potentiale; ſed pars: ergò non vt totum potentiale, ſed vt pars prædicatur. Maior patet quia nulla res recipit aliquem actum, niſi quatenus erat potens illum recipere. Minor probatur; quia homo metaphyſicè ſumptus, continet animal, vt præciſè ad ipſum terminatum, & continet aliquid aliud, ſcilicet differentiã rationalitatis: ergò homo metaphyſicè ſumptus reſpectu animalis, vt præciſè dicentis ordinem ad ipſum, habet rationem totius atq; adeò animal, vt præciſè dicit ordinem ad hominem, erit pars illius.

III. Argumẽ. Tertiò tandem, quòd hominis pars prædicatur de toto, ex vi illius prædicationis, qua ſignificatur in illo cõtineri: in hac enim prædicatione, homo eſt animal, nihil aliud deſignatur quàm quod homo continet in ſe rationem animalis: ergò animal poteſt prædicari de homine, in quantùm pars illius.

B

Confirm. Confirmatur: quia licèt animal non extẽderetur ad plura, quàm ad hominẽ, ita verè & eſſentialiter de homine prædicaretur, ſicut modo: ergò quòd nunc ſit totum potẽtiale, & ad plura extẽdatur, impertinenter ſe habet ad prædicationem de ſpecie.

Notabile. Diximus ſupra particulam, in quantùm, in præſẽti reduplicatiuè ſumi, in ſẽſu enim ſpecificatiuo, nullus dubitat, naturam animalis de homine prædicari; ſed tota diſceptatio eſt de ſenſu reduplicatiuo: an natura generica de ſpecifica prædicetur, quatenus eſt totum potentiale. Quæ quæſtio etiam procedit de ſpecifica natura ad indiuidua comparata; poteſt tamen reduplicare, vel rationem formalem, vel ſolam conditionẽ neceſſariam, vel vt alij dicunt aut rationem formalem quæ, aut rationem formalem ſub qua.

C

Diximus etiam, nullam partẽ (quæcũq; ſit, ſiue phyſica, ſiue metaphyſica) per modum partis ſignificatam, de toto prædicari in recto, ſed tantùm in obliquo, vt optimè docuit Ariſt. 4. topic c. 5. vbi *corpus* inquit ipſe, *ſi vt pars eſt animalis ſumatur*, vt ſcilicet ſignificat materiã phyſicam organis diſpoſitam; *non eſt illius genus*, & inductione cõſtat in omnibus partibus, & ratione; pars enim, vt pars, eſt inferior toto, non ergò, vt ſic, poteſt de illo prædicari: Antecedens patet quia pars præciſè vt pars, nõ dicit, quid quid eſt in toto; aliàs enim non pars, ſed ipſum totum eſſet.

A

Supponẽdũ, tandem ex noſtro Doctore q. illa vniuer. 5, dicendum quòd ſicut prædicatũ denominatiuum vt album, rationale &c. duplex ſignificatũ habet, formale, & materiale, ita tamen quòd formam expreſsè, & explicitè ſignificat, ſubiectũ autẽ confusè ſub nomine habentis; vnde rationale gradum eſſentiæ formalem exprimit, nimirùm rationalitatem; confusè autem habens rationalitatem, non determinando quod illud ſit; ſic etiam genus (& idem de ſpecie) animal enim expreſsè importat naturã ſenſitiuam, confusè autem quidquid illam habet; & ſic confusè totum hominẽ, & totum leonem dicit, & ratione confuſæ ſignificationis de qualibet poteſt ſpecie verè enunciari; cùm ergò vt pars præcisè ſumitur, tantùm importat primum ſignificatum, formale ſcilicet, vt animal nudam naturam dicit, in concreto verò vtrumquè ſignificatum.

I. Cõclusio Prima concluſio. Genus non prædicatur præcisè in quantùm pars ſiue actualis, ſiue habitualis. Sic noſter Doctor q. 16. vniuerſal. & ibi omnes Scotiſtæ. Mauritius, Sarnanus, Anglicus, cui ſubſcribunt multi Thomiſtæ Soto in c. de genere q. vnica, Suarez 1. tom. metaph. diſp. 15 ſect. 11. nu. 16. Fonſeca. 5. metaph. c. 28. q. 11. ſect. 2. Rubius, & Murcia in c. de genere. q 5. & alij communiter. *Subtilis Doctor. Mauritio Sarnanus. Anglicus Soto. Suarez. Fõſeca Rubio. Murcia*

Probatur. Probatur ex dictis. Genus vt pars nec eſt quid ſuperius, nec par cum ſpecie; cùm vt ſic, includat plus ſpecies, atque adeò nec prædicabile, quod vniuerſale & ſuperius debet eſſe, vel ſaltim æquale; illud autẽ quod de alio prædicatione directa prædicatur, ſuperius, vel par, debet eſſe. Tandem illa prædicatio eſt falſa, in qua prædicatum extrahit ſubiectũ à proprio modo eſſendi; quia verum prædicatum non debet tollere, & quaſi in actu exercito negare modum eſſendi ſui ſubiecti, ſed talis eſt prædicatio, in qua genus per modum partis ſignificatũ prædicatur, quia cùm dicitur homo eſt animalitas, nõ eſt ſenſus, quòd homo eſt habẽs animalitatem, etenim ſi hunc ſenſum efficeret; veræ eſſent enũciationes omnes, in quibus pars quæcumque, ſiue integralis, ſiue phyſica, de ſuo toto prædicatur, vt homo eſt caput; cùm verum ſit quoduis totum, ſuam partẽ cõtinere; cùm ergò ab omnibus falſæ reputentur, ideò eſt, quia ſanè ſenſus illarum eſt, quòd homo in recto, & non in obliquo eſt ipſa animalitas, atquè adeò quòd homo eſt ſua pars, & quid incomple-

tum, quod quàm falſum ſit, lipis, vt aiunt, & tonſoribus notũ eſt, & hoc non ob aliud, A niſi quia ſubiectum extrahitur à propria eſſendi ratione. Quæ argumẽta nõ ſolùm vim habent in parte actuali, quæ ſcilicet actu cõponit, ſed etiam in parte habituali ſeu potẽtiali, quidquid nonnulli iuniores aſtruant, hæc quippè in cõpleta eſt, cùm illa à parte actuali tantùm differat, quòd hæc eſt actu coniuncta, illa cõcipitur in ordine ad actualem coniunctionem.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Genus non prædicatur de ſuis ſpeciebus, ea præciſa ratione, qua eſt totum actuale. Hæc eſt etiam omnibus in confeſſo, vt ſic enim non dicit reſpectum ad ſua inferiora, ſed tãtum reſpicit ſua ſuperiora prædicata.

III. Conc. Tertia concluſio. Genus prædicatur de ſpecie in quantùm totum potentiale, ſi ly in quantùm reduplicet conditionem neceſſariam, non verò rationem formalem. Sic authores concluſione prima relati. Senſus B ergò concluſionis eſt totalitatem potẽtialem nõ eſſe rationem formalem quæ. & patet quia ratio formalis prædicati eſt, quæ formaliter prædicatur: ſed vniuerſalitas, & totalitas illa potentialis non eſt ratio formalis, quam genus animal v. g. prædicat de homine, hæc enim eſt natura ſenſitiua, ſed tantùm eſt conditio requiſita, vt prædicetur, ſicut in agente naturali, alia eſt forma qua ignis calefacit, alia verò conditio requiſita ad calefactionem, nempè approximatio: animal ergò illud, quod communicat ſpeciei, & de illa enunciat, eſt id, quod determinatè, & expresè importat; vniuerſalitas verò, & totalitas potentialis eſt conditio requiſita, vt id enunciet, cùm ratione illius reddatur ſuperius, & cõtinẽs in confuſo, quidquid ſpecies actu continet: & hoc eſt, quod dixit noſt. Doct. quæſtione illa citata, genus primò ſignificare aliquid C materiale de ſuo intellectu determinato, ſed non per modum partis, ſed totius, & ideò totum ex cõſequenti importare; & differentiam primò ſignificare aliquid formale in ſpecie, ſed totum ex conſequẽti, quia illud formale importat per modum totius: ex quo fit in ſignificatis explicitis, & determinatis, genus & diferentiã diſtingui, ſignificant enim diuerſos gradus; ſed in ſignificato confuſo conuenire, cùm eandem ſpeciẽ confusè ſignificent; & genus .v. g. animal; confusè importat differentiam, ſcilicet rationale: & è contra, rationale cõfusè dicit animal.

Corollari Ex quibus deducitur conſentaneè ad ſuperius aſſerta, nõ eſſe hoc inter partes phyſicas, & metaphyſicas diſcrimen, quòd illæ nequeũt, vt partes, de toto enuntiari, benè tamen iſtæ, vt partes ſunt, abſit; cũ potius in hoc conueniant, quod non poſſunt prædicari, vt ſatis efficaciter conuincunt rationes ſuperius allatæ: ſed in hoc quod partes phyſicæ ſunt res realiter diſtinctæ, quæ ſolũ ſignificant determinatè vnã partẽ, & ſic ſolum habent rationem partis, licèt aliàs verum ſit, quòd ſi adiectiuè ſumantur, & in cõcreto denominatiuo per modum totius ſignificentur, poſſunt de ſuo toto prædicari, ſic enim dicimus, homo eſt materialis, eſt capitatus; partes verò metaphyſicæ cùm ab eadem entitate ſumantur, ſemper ſignificãtur per modum totius, totam entitatem importantis, iuxta modum ſupra expoſitũ; & idem iudicium eſto de accidentibus.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio. Genus non ponitur in diffinitione ſpeciei, vt animal in diffinitione hominis (& idem iudicium erit de differentia) in quantùm totum potẽtiale, ſi ly in quantùm, ſumatur reduplicatiuè, benè tamen ſi ſpecificatiuè.

I. Pars Probatur. Prima pars probatur. Quia genus ponitur in diffinitione ad explicãdam naturam diffiniti; ſed non explicat naturam diffiniti ex illa parte, à qua totum potentiale dicitur; quia prout eſt totũ potentiale, eſt quid confuſum, & indeterminatum; illud ergò vt ſic, diffiniti naturam non explicat.

II. Pars Probatur. Secunda verò pars probatur, id enim tã tùm eſt dicere quòd id, quod ponitur in diffinitione eſt totum potentiale; cùm in recto prædicetur de diffinito, non tamen ponitur quatenus totum; ſed potius ſecúdùm id quod actu, & determinatè dicit, atquè adeò vt pars actualis; & hoc eſt quod diſertis verbis docuit noſter Doct. in prædicta C quæſtione; ſic *quarta reſponſio Boetij intelligẽda eſt, genus vtrobiq;* (in prædicatione ſcilicet, & diffinitione) *pars eſt, & totũ; id eſt partẽ diſtinctè importat per modũ totius, appropriatè tamen prædicatur vt totũ, id eſt habens modum totius, & appropriatè diffinit, quia ſignificat partem, nam diffinitio debet principia diffiniti diſtinctè exprimere: ſed diſtinctè non exprimit genus niſi partem: ideò appropriatè loquendo, diffinit vt pars, vtrobiq; tamẽ in ſe eſt totùm, & pars.*

Ad argumẽ. I. & II. opĩ Reſpõdet. Argumenta in contrarium obiecta pro prima & ſecunda opinione, ſic ſunt diſoluẽda, & quidem primò, quæ pro prima opinione adducuntur.

Ad primũ,

Ad.I. Ad primum, partes diffinitionis de diffinito prædicari ſub modo totius, & ſic intelligendus eſt Ariſt. cùm paſsim obuia ſint loca, in quibus admonet partes, vt ſic, de toto non prædicari prædicatum autem, vt diximus, dicitur forma ſubiecti, non quidem vera forma, ſed quia illi veluti ſuccumbit ſubiectum, & ſe habet vt ſuperius reſpectu illius.

Ad.II. Ad ſecundum. Id nõ ſufficere niſi modũ totius habeat propter rationes dictas; illa enim pars etiam ſi in potentia aliam partẽ contineat, ſub modo tamen partis ſignificata, non ſignificatur per modum aliam continentis. Nec ſub ratione cõuenientiæ, licèt principium ſit conueniendi, & ideò vt ſic de toto nequit prædicari, quam ob cauſam materia prima, etiam ſi in potẽtia formam contineat, vt pars tamen ſignificata nequit de toto phyſico prædicari.

Ad argũ. 3. Opi. Diluuntur Argmenta tertiæ opinionis.

Ad. I. Ad primum reſpondeo. Ex eo potiùs quòd genus inadæquatè de quauis ſpecie prædicatur, deducitur prædicari vt ſuperius, & vniuerſale adæquatè plura reſpiciẽs; quia ideò inadæquatè de vna ſpecie prædicatur; quia ambitus & latitudo ſuæ poteſtatis, ad plures alias ſe extẽdit, & per vnũ prædicationis actum, non exhauritur.

Ad.II. Ad ſecundum maior eſt neganda, ideò enim genus. v. g. animal de homine prædicatur; quia habet potentiam vt de illo enũcietur, non præciſam ad ſolum hominem terminatam, ſed ad omnes ſuas ſpecies: illud enim eſſet naturã generis deſtruere, cuius latitudo ad omnes ſuas ſpecies extenditur, & in quãtũ genus, prædicatur vt ſuperius de inferiori, ſuperius autem plus debet, quàm inferius continere, nec enim animal ſub ea præciſa ratione, qua in homine continetur, vt pars metaphyſicè componens, de illo prædicatur cùm vt ſic partis rationem importet incompletam, non potentem claudere quidquid claudit totum, ſed quia vt totum concipitur, in qua totalitate ſuas ſpecies confundit.

Ad.III. Argumẽ. Ad tertium. Falſum eſſe, prædicationem ſolam continentiam deſignare, cũ importet, ſubiectũ eſſe id quod prædicatum, vnde ſi prædicatum incompletum & pars fuerit, ſubiectum quid incompletum & partẽ eſſe deſignabitur.

QVÆSTIO V. DISTINGUAntur ne eſſentialiter, aut ſolo numero Omnes ſecundæ intentiones genereitatis.

A Præmitendũ eſt, genus formaliter ſumptũ, ſeu ſecũdam intentionem genereitatis poſſe ſumi, vel ſingulariter, vt hæc aut illa genereitas ſingularis, quæ hanc, aut illam naturam genericã denominat, vt animal, colorẽ &c. talis genereitas ſingularis, quæ reſultat in tali natura per talem comparationem, licèt vt quo & in denominãdo ſit vniuerſalis, à qua ſcilicet animal formaliter denominatur vniuerſale, & genus, vt quod, tamen ſiue in eſſendo eſt ſingularis, cùm in ſe vna numero ſit, & quot ſunt numero naturæ genericæ, tot ſunt relationes generis. Vel poſſe ſumi vniuerſaliter, vt cũ genereitas ſumitur in communi vt abſtracta ab omibus genereitatibus ſingularibus. *I. Notab.*

Præterea diximus ſuprà, naturam, quæ genus denominatur eſſe in triplici diſcrimine, infimam, ſub alternam, ſeu intermediã, & ſupremam; ita etiam genereitas in triplici differentia eſt vna infima, quæ ſcilicet naturam infimè abſtractãm genus infimum cõſtituit, alia verò ſubalterna, ſeu intermedia, quæ denominat naturam intermediè abſtractã, & in eſſe generis ſubalterni, aut intermedij conſtituit: alia demũ ſuprema, ſeu generaliſsima, quæ naturam supremè abſtractam denominat, & in eſſe generis ſupremi conſtituit: quæritur ergò præſens controuerſia. an iſtę tres genereitates diſtinguantur eſſentialiter, an ſolo numero? ſi enim primum dicatur, tunc genereitas in communi ab illis abſtracta genus erit reſpectu illarum, quippè cùm ordinem dicat ad plura eſſentialiter diſtincta: ſi verò ſecũdum, ſpecies erit, quæ ſolo numero differẽtia reſpicit; & hoc eſt quod alij quærũt, vtrũ genus generaliſsimum, intermedium, & infimum formaliter ſumpta differant eſſentialiter? *II. Notab.* B

C Non deſunt, qui partem affirmatiuam tueantur, argumentis quidem non contemnendis. *Opinio.*

Primum. Accidentia omnia, quæ ex ſua natura petunt ſubiecta eſſentialiter diuerſa eſſentialiter diſtinguntur; cùm omnia accidentia ſuam eſſentiam per ordinẽ ad ſubiectum, ſortiantur: ſed genereitates iſtæ accidentia quædam ſunt intelligibilia, quæ ex natura ſua diuerſa petunt ſubiecta eſſentialiter diſtincta, genereitas enim infima, v.g. animalis, pro ſubiecto poſtulat animal quatenus ſub ſe habet inferiora, ſola ſpeciè athoma, diſtincta, & genereitas v. g. viuentis exigit pro ſubiecto viuens, prout ſub ſe habet inferiora, ſpecie ſubalterna, diſtincta *I. Argumẽ.*

& idem

& idem proporcionaliter de genereitate ſuprema: ſed animal, viuēs, &c. vt ſic, diſtinguūtur eſſentialiter: ergò & genereitates. Quòd ſi dixeris non poſtulare illa ſubiecta, in quantùm eſſentialiter diſtincta ſunt, ſed dumtaxat in quantùm eſſe poſſunt in pluribus, eſſentialiter diſtinctis. Sed ſtatim occurrit argumentum, quòd ſubiectum genereitatis, quatenùs habet præcisè rationem ſubiecti, non habet poſſe eſſe in pluribus ſpecie diſtinctis: cùm hoc habeat ab ipſa genereitate, cùm enim ſubiectum ſit prius, quàm forma, à qua denominatur in eſſe ralis, genereitatis ſubiectum prius erit quàm ipſa genereitas: ergò pro illo priori denominationem, quam ab illa ſuſcipit, habere non poteſt; animal ergò ſecundùm ſe ſūptum; atquè adeò vt à ſubiecto genereitatis ſubalternæ diſtinctum, infimæ genereitatis ſubiectum eſt.

II. Argu. Secundum. Diſtinctio, quæ à gradu eſſētiali rei promanat, eſt ei eſſentialis, vt perſpicuum eſt; ſed diſtinctio, qua genereitas infima, ab alijs genereitatibus diſtinguitur, oritur à gradu ſibi eſſentiali. eſt ergò ei eſſētialis. Minor probatur, quia diſtinctio illa oritur ab eo, quod eſt ipſam eſſe infimam, quæ formalitas, infimeitas appellari poteſt atqui hæc eſt ei eſſentialis, quod ſic cōſtat, quòd omnis formalitas, ex vi cuius vniuerſale in particulari, formaliter ſumptum reſpicit aliqua ſubſe contenta, vt quid potens in illis exiſtere, eſt ei eſſentialis, quod in materia de vniuerſalibus primum principium eſt: ſed genus infimum, ex vi ſuæ infimeitatis, reſpicit hominem, & equum &c. prout ſunt ſpecies athomæ, vt quid potēs exiſtere in illis; cùm hoc non habeat ex vi genereitatis vt ab infimeitate præciſæ, vt ſic enim, ſolum reſpicit inferiora eſſentialiter diſtincta, ſiue ſpecies athomæ ſint, ſiue non: quod eſt cōmune omnibus generibus, ergò in genereitate infima, hæc duo repeȓiuntur eſſentialiter.

III. Argumē. Tertium. Habent fundamenta eſſentialiter diſtincta, vt animal, colorē &c. & terminos eſſentialiter diſtinctos, & diuerſum modum reſpiciendi illos: cum ex vi illarū, vnum ſit prædicabile, vt totum potentiale, cōtrahibile per differētias intermedias &c. & licèt maior extenſio quantitatiua non cauſet diſtinctionē eſſentialem, ex eo ſcilicet quòd vna res ſit magis extenſa, quā altera; maior tamē extenſio eſſentialis, ſiue perfectionis quæ oritur ex eſſentia rei; vt maior extenſio, quā vna cognitio ex natura ſua extenditur ad plura obiecta, quàm alia, diſtinctionem eſſentialem cauſat: iſta autem genera habent ſuas formalitates in maiori, & minori extenſione eſſentiali collocatas, & effectum formalem, quem vna tribuit, nequit alia tribuere, vt eſſe generis infimi, non poteſt à genereitate ſubalterna prouenire, ſed ab infima, necècontra.

Concluſio. Concluſio tamen ſit ab omnibus logicis communiter recepta. Omnes ſecundæ intentiones genereitatis, in quibuſcumquè naturis fūdatæ, ſolo numero diſtinguūtur, & ſic ratio genereitatis ab illis abſtracta, denominatur ſpecies. Quæ concluſio ſic.

Probatur. Probatur. Vnitas ſiue eſſentialis diſtinctio relationum ſumitur à modo reſpiciendi terminum; ſed omne genus quodcumq; ſit, reſpicit eodem modo ſua inferiora, ſpecies ſcilicet, vt ſpecies ſunt ſubicibiles, non verò vt genera: & ratione talium genereitatum naturæ denominatæ, eodem modo prædicantur de ſuis inferioribus, vt totā ſcilicet potentialia contrahibilia per differentias eſſentiales, atquè adeò in quid in complete; quia ſcilicet quamuis ſignificāt totā naturam, nō tamen expresè, & in ſuo intellectu determinato, nec enim aliud petit genus in quantùm genus eſſentialiter, vt cōſtat ex diffinitione generis à Porphyrio aſſignata; & præterea habent eandem rationem fundādi comparationem ſcilicet, quā eodem modo comparantur naturæ generi cæ ad ſua inferiora.

Ad argu. Reſpōdet. Ad argumenta reſpondetur. *Ad I.* Ad Primū neganda eſt minor: omnes enim prædictæ genereitates ex natura ſua ſolum poſtulāt ſubiectum cognitum, ſeu ſubſtractum à pluribus eſſentialiter diſtinctis abſtractione vniuerſali, ſiue illa à quibus talis natura abſtrahitur habeât ſubſe alias ſpecies vel nō.

Ad. II. Ad ſecundum negamus minorem, infimeitas enim, ſeu ratio generaliſsimi, & ſubalterni accidunt genereitati, ſeu rationi generis, vt ſic: ſicut patri, vt ſic, accidit eſſe, vel nō eſſe alterius filium. Et ad probationē, ſi illa formalitas ſit pœnes aliquid intrinſecū ad rationem talis vniuerſalis concedo: ſi ſit pœnes aliquid extrinſecū nego; vt dum prouenit ex parte ſubiecti.

Ad. III. Ad tertium. Totum id, quod in argumēto adducitur eſſe accidentale generi, proueniens ex parte ſubiecti: quia de ratione generis tantūm eſt prædicari in quid de pluribus ſpeciē diſtinctis, atquè adeò quòd reſpiciat ſpecies, vt ſpecies ſubijcibiles ſunt, ſicut autē ſpeciebus, vt ſic, accidit quòd aliàs ſint

genera

genera vel non; ſic ipſi generi accidit quòd prædicatur de diuerſis generibus, & de his quæ diuerſis generibus in ſunt, ſicur patri, vt ſic, accidit habere nepotem, atquè adeò generi accidit eſſe ſubalternum, vel ſupremum, vel infimum. Nec èſt apta collectio, magis conueniunt duo genera ſubalterna, quàm ſubalternum, & infimum; ergò hæc eſt maior diuerſitas quàm numerica, illa enim maior conuenientia accidentalis eſt, magis enim duæ fœminæ conueniũt, quàm maſculus, & fœmina, & tamen nõ infertur diſtinctio ſpecifica.

ARTICVLVS III. DE ſubijcibili generis.

LICET Communiter logici, vtriuſquè ſpeciei, ſubijcibilis nempè, & prædicabilis conſiderationem, vna & eadem diſputatione complectantur; nos tamẽ genus & ſpeciem illi ſubijcibilem, ſub eadem diſtinctione comprehendemus, cùm correlatiua ſint: relata autem ſicut viciſim ſe diffiniunt, mutuò ſeſe manifeſtãt, & vnum ſine altero percipi nequit: de ſubijcibili ergò generis, quæ ſequuntur inquirenda occurrunt.

QVÆSTIO I. QVID ſit ſubijcibile generis.

QVÆSTIONEM Hanc non tam in diuerſarum opinionum controuerſia, quàm in veritatis explicatione collocatã, quibusdam obſeruationibus abſoluemus.

I. Notab. Obſeruandum eſt primò, quatuor eſſe ſpeciei acceptiones: primò enim ſignificat formam, aut pulchritudinẽ; forma ſpecies rei appellatur, quæ quo fuerit perfectior, maiorem rei confert pulchritudinẽ; in qua acceptione, eximiã ſpeciem, ſeu pulchritudinem præſtantem imperio dignam eſſe, dici conſueuit: vnde pſalm. 44. *ſpecie tua & pulchritudine tua intende proſpere, procede, regna*: ſecundo ſignificat aromata, & odoramenta ſpecies aromaticæ dicuntur: tertio qualitates ab intellectu, ſiue agente, ſiue poſſibili productas, ſpecies vocamus impreſſas, vel expreſſas: quartò tandem ſignificat naturam illam, quæ generi immediatè ſubijcitur, vel quæ de indiuiduis prædicatur, tres priores ſpeciei acceptiones non ſunt præſentis inſtituti; quarta eſt, quæ logicæ ſpeculationi ſubditur.

II. Noabt Obſeruandum ſecundò ex Porphyrio c. de ſpecie. tex. 5: quòd cùm natura ſit intriplici differentia, vel ſuprema, vel intermedia, vel infima, in natura ſuprema, cùm non habeat aliud ſuperius ſupra ſe vnus tantùm reſpectus genereitatis, ſcilicet ad inferiora reperitur, & nullus ad ſuperius: vnde Porphyrius in c. de ſpecie tex. 6. ſummum genus ſic diffinit: *quod genus cùm ſit, non eſt ſpecies, vel quod nullum aliud genus ſupra ſe habet* Ariſt. in prædicamentis decem talia genera ſumma cõſtituit, vt capita, & prima principia decem prædicamentorum. Naturis intermedijs, quæ ſcilicet inter naturam infimam, & ſupremam interiacent, vt corpus, viuens, animal inter ſubſtantiam, & naturam humanam duplex relatio, ſeu habitudo ineſt, vna ad inferiora, ſeu ſpecies, de qua hucuſquè actum eſt: alia ad ſuperius, quod ſupra ſe habet, & hæc relatio ſpeciei ſubijcibilis, aut ſpeciei ſubalternæ dicitur: vnde genus ſubalternum ſic Porphyrius diffinit, *quòd ſupra ſe aliud habet genus, & quòd idem eſt & genus, & ſpecies* nõ quidem reſpectu eiuſdem, ſed diuerſorum; genus reſpectu inferiorum, ſpecies reſpectu ſuperiorum, & ideò ſubalternum dicitur, vel quia, vt diximus, alternatim, viciſimquè eſt genus, & ſpecies, vel quia ſub altero genere collocatur; & ſic idem erit ſubalternum & intermedium. In natura infima gemina itidem relatio reperitur, re quidem èſſentialiter diſtincta, cùm vna ſit ad genus, cui ſubijcitur, quæ eſt inferioris ad ſuperius, contẽti ad continens, partis ſubiectiuæ ad totum potentiale, à qua ſpecies ſubijcibilis dicitur; alia ad indiuidua, de quibus prædicatur, quæ eſt relatio ſuperioris ad inferius, à qua dicitur ſpecies prædicabilis: vnde ſic Porphyrius *habet enim ad inferiora* (habitudinem ſcilicet) *quorum ſpecies dicitur, vt cõtinẽs ipſa; ſuperiorum autem rurſus ſpecies appellatur, vt continetur ab illis*: quia ergò ſecũdùm vtramque habitudinem, eandem ſpeciei denominationẽ ſortitur; ideò dicit, ſpeciem infimam vnum habere reſpectum, nomine ſcilicet; re tamen duplicem. Ideò ſubdit ſpeciem infimam, ita eſſe ſpeciem, quòd non ſit genus; quia ad quodcumque cõparetur, ſiue ad ſuperius, ſiue ad inferiora, ſpecies appellatur; quia ſemper comparatur, vt natura infima, totam eſſentiam rei actu inportãs; adquè adeò non cõtrahibilis per vlteriores differentias eſſentiales, quod nõ habet genus; quia licèt, dùm ad ſuũ ſuperiꝰ comparatur, ſit totum actuale, conſtans genere, & differentia, & ideò ſpecies ſubijcibilis

bilis denominetur; comparatum tamen ad inferiora, reſpicit illa vt contrahibile per differentias eſſentiales; atque adeò non dicens totam eſſentiam actu determinatè, ſed tantùm in confuſo, & ſic denominatur genus.

Corollari. Hinc infertur, nomen ſpeciei dictum de ſpecie ſubijcibili, & prædicabili æquiuocum eſſe, cùm ſolum nomen ſit commune, res verò ſignificata, prout tali nomine ſignificatur, omninò diuerſa; licèt enim relationes, & intētiones iſtæ ſpeciei ſubijcibilis, & prædicabilis, in ratione intentionis, & relationis rationis conueniant, hæc tamen conueniētia non importatur hoc nomine ſpeciei.

Quibus ſic præiactis in præſenti articulo de ſpecie ſubijcibili, quæ vt ſic, correlatiua eſt generis, & illud reſpicit, diſſerimus: quia ſecundùm quod habitudinem dicit prædicabilitatis ad indiuidua, ſecundum prædicabile cōtentum ſub vniuerſali conſtituit, de quo agemus diſtinctione ſequenti.

I. Cõcluſio. Prima cōcluſio ſit. Vt aliqua natura ſpecies ſit ſubijcibilis generis, debet eſſe metaphyſicè compoſita ex genere, & differētia, ſeu ex gradu generico, & differentiali.

I. Probat. Probatur. Omnis natura, quæ eſt ſub aliquo genere eſt diffinibilis: ſed omnis natura diffinibilis cōſtat genere, & differētia, cùm diffinitum partibus diffinitionis coaleſcat.

II. Probatur. Præterea Natura dicitur ſubijcibilis reſpectu alicuius generis, quod ſupra ſe habet: ſed omnis natura, quæ eſt ſub aliquo genere, illud intrinſecè includit, & præter id aliquid aliud, quod talis generis potentialitatem contrahit, & quo in tali eſſe conſtituitur; hoc autem differentia eſt: ergò omnis natura ſubijcibilis debet conſtare genere, & differentia.

Notabile. Sed aduerte, naturam hanc, quæ capax eſt ſecundæ intentionis ſubicibijlitatis, duplicem eſſe; vnam quæ ita ex genere, & differētia cōponitur, vt adhuc ſit per vlteriores, differentias eſſentiales contrahibilis: tales ſunt omnes naturæ intermediæ; alterā, quæ ita ex genere, & differentia componitur, vt non ſit ampliùs per differentias eſſētiales contrahibilis: quæ ideò græcè athoma dicitur, id eſt indiuiſibilis, ſubaudi, in ſpecies.

Corollari. Ex ſupra dictis ſequitur compoſitionem hanc metaphyſicam non eſſe ſolius intellectus; ſed ſecluſo intellectus opere in re dari ex cōceptibus obiectiuis, ex natura rei diſtinctis, per modum perfectibilis, & perficiētis ſe habentibus; atque adeò ex tali compoſitione vnum per ſe reſultare: nec exinde inferre licet, ex quacūque diſtinctione ex natura rei compoſitionem deduci, vt Thomiſtæ ſibi euidenter perſuadent, niſi quæ ſic diſtinguuntur, rationem actus, & potentiæ habeant: atque adeò ex diſtinctione ex natura rei attributorum in Deo, non infertur cōpoſitio aliqua, de quo in Theologia.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Secunda intētio ſubijcibilis eſt relatio rationis, ſeu aptitudo quædam relatiua, qua natura ſupra dicta refertur ad genus.

Probatur. Probatur, quia ſpecies ſubijcibilis eſt relatiua generis: ergò ſubijcibilitas eſt illa relatio, qua ad genus reffertur. Quæ duplex eſt, vna, quæ denominat naturam intermediam, & conſtituit ſpeciem ſubalternam; alia quæ denominat naturam athomam, & eam ſpeciem ſubijcibilem infimam conſtituit, quæ duæ ſubijcibilitates non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed ſolo numero, & accidentaliter ſecundùm magis, & minus, vt diximus de genereitatibus: vnde ſpecieitas ſubijcibilis, vt ſic, vniuocè dicitur de omni ſpecieitate ſubijcibili; ſiue infima, ſiue ſubalterna: & denominatur à ſecunda intentione ſpeciei prædicabilis, reſpectu huius, & illius ſpeciei ſubijcibilis.

III. Conc. Tertia concluſio Geminam diffinitionē Porphyrius ſpeciei ſubijcibilis tradit, quarum vna eſt; *ſpecies eſt, quæ ſub aſsignato genere collocatur*, alia verò; *ſpecies eſt, quæ ſubijcitur generi, & de qua genus hoc ipſo quid eſt prædicatur*, & hoc ideò, quia, vt ſupra diximus d. 2 art. 4. q. 4: relatio ſubijcibilitatis habet duplicem rationem, ſeu rationē duarum aptitudinum, in ordine ad genus ſe habentium, vt eſſentiā & paſsio; vnam ſubijcibilitatis, quæ correſpondet prædicabilitati generis; aliam aptitudinis eſſendi ſub genere, cui in genere correſpondet aptitudo eſſendi in ſpeciebus: ſpecies ergò, vt ſubijcibilis, præcisè diffinitur per illam diffinitionem, *ſpecies eſt, quæ ſubijcitur generi, & de qua genus in quid prædicatur*; quæ diffinitio eſt eſſentialis; & ſic debet intelligi, ſpecies ſubijcibilis eſt apta ſubijci generi in prædicatione, qua genus de ipſa prædicatur; hoc eſt apta intelligibiliter illi vniri, veluti in genere cauſæ materialis: quæ diffinitio eſſentialis eſt ſpeciei ſubijcibili: ſpecies autē ſubijcibilis, ſecundùm quòd dicit ſecundā aptitudinem diffinitur per illā; *ſpecies eſt, quæ ſub aſsignato genere ponitur*, vel quæ eſt apta poni ſub genere determinato: vnde diffinitio

hæc deſ-

hæc deſcriptiua eſt; cùm explicet paſsioné ſpeciei ſubijcibilis. Cōcluſio hæc ſic explicata eſt noſtri Doctoris q. 21. vniuer.

Corollari. Ex dictis colligitur ꝙ genus, & ſpecies ſubijcibilis formaliter ſumpta, correlatiua sūt quia totum eſſe generis eſt ad ſpecies, & totum eſſe ſpecierum ſubijcibilium eſt ad genus: & mutuò ſeſe manifeſtant, genus enim formaliter ſumptū, cognoſci nequit niſi cognitis ſpeciebus, ſaltim in confuſo; nec ſpecies vt ſubijcibiles poterūt cognoſci, niſi genus cognoſcatur & ideò mutuò ſe ſe diffiniunt, genus per ſpeciem ſubijcibilē, & ſpecies ſubijcibilis per genus; ſicut enim res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci: ſi ergò totum eſſe generis eſt ad ſpeciem, totum illius cognoſci debet eſſe per ſpeciem, per illam ergò debet diffiniri, non vt per partē intrinſecam, ſed per terminum extrinſecū, terminantem generis intrinſecam habitudinem, quod docuit Porphyri. c. de ſpecie tex.2. vbi ſic *ſciendum eſt cùm & genus alicuius* (ſcilicet ſpeciei) *ſit genus. & ſpecies alicuius* (ſcilice generis) *ſit ſpecies alterum alterius, vtrumq; vni, vtriusquè diffinitionibus adhibere neceſſe eſt*; an autem vnum relatum in diffinitione alterius intelligi debeat relatiuè, an abſolutè? inc. de relatione, & latius in metaphyſica.

QVÆSTIO II. UTRVM ſola ſpecies ſubiicibilis ſit primus, & adæquatus terminus generis formaliter ſumpti.

Notabile PRO Tituli intelligētia dilucidare oportet, quid nomine primi, & adæquati termini intelligamus; quia licèt aliquandò coincidant, ſed non ſemper: primus ergò terminus, aut primum obiectum alicuius potentiæ, eſt, quod immediatè, & non alterius interuentu terminat habitudinem relationis, aut potentiæ: adæquatum verò eſt illud, præter quòd nihil eſt aliud, quod terminet talem habitudiné: ſolet ergò aliquandò idé eſſe primus, & adæquatus terminus alicuius relationis, vt maius eſt terminus primus, & immediatus minoris, quia per ſe, & non interuentu alterius, illius habitudinem terminat, & etiam adæquatus: cùm nihil terminet habitudinem minoris, niſi maius. Aliquando verò diſtinguuntur, quia contingit aliquid eſſe primum, & immediatum, & no adæquatum, vt patet in actibus, & obiectis potentiæ; actus enim primò, & immediatè terminat habitudinem potentiæ; quia non interuentu alterius, ſed non adæquatè, cùm obiectum etiam terminet

A habitudinem potentiæ, licèt mediatè, medio ſcilicet actu, & actus, & obiectum ſimul ſunt terminus adæquatus potentiæ, ſed nō primus, & immediatus; cùm vtrumquè ſimul non terminet primò, & immediatè habitudinem potentiæ; ſed vnum interuentu alterius: non ergò omne primū & immediatum correlatiuum eſt adæquatum, nec omne adæquatum eſt primum. Quærimus ergò in præſenti an in ſubijcibili generis eadē ſit ratio primi, & adæquati correlatiui? & hoc, an ſit ſola ſpecies, vel aliquid aliud?

I. Opinio. Tres verſantur in præſenti controuerſia opiniones. Prima aſſerit ſpeciem non ſolū eſſe primum, ſed etiam adæquatum terminum, ſeu correlatiuum generis in quantùm genus eſt, quia licèt genus reſpiciat indiuidua; non in quantùm genus, ſeu habitudine generis; ſed alia quadam habitudine, & relatione

B eſſentialiter diſtincta à relatione genereitatis; quæ relatio, ſeu habitudo conſtituit quandam aliam ſpeciem vniuerſalis innominatam, quæ neceſſariò addenda eſt quinquè prædicabilibus; quæ opinio ſic probatur.

I. Argumē. Primò. Genus in quantùm genus prædicatur de pluribus ſpecie differentibus: ſed genus comparatum ad indiuidua eiuſdem ſpeciei, non prædicatur de pluribus ſpecie differentibus; ſed ſolo numero: ergò talia indiuidua nó reſpicit genus, quà genus eſt.

II. Argū. Secundò. Species, & indiuidua reſpiciūt genus relationibus eſſentialiter diuerſis, vt diſt. ſequēti art. 2. de indiuiduo videbimus: ergò & genus reſpicit ſpecies, & indiuidua relationibus eſſentialiter diſtinctis, Conſequentia patet, Tum ex Ariſt. qui. 1. topic. c. 13. aſſerit: *quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur, & alterum.* Tum etiā

C quia relationes eſſentialiter diſtinctæ non poſſunt eundem terminum formaliter habere, cùm à terminis formalibus ſumant relationes ſuam ſpecificationem, & diſtinctionem.

Cōfirmat. Confirmatur. Subijcibile, & prædicabile conuertuntur: ſed ſpecies & indiuidua ſunt ſubijcibilia generis eſſentialiter diuerſa: genus ergò dicit ad illa diuerſam relationèm prædicabilitatis.

II. Opinio Secunda opinio aſſerit per oppoſitum, ſpeciem non ſolum non eſſe adæquatū generis terminum, ſed nec primum, & immediatum: arbitrantur enim authores iſtius opinionis dari aliquid commune ſpeciei, & indiuiduo, quod vocant ſubijcibile in quæſ-

tione

tione quid eſt in cõpletè; & hoc dicunt eſſe primum, & adæquatum terminum generis fundamentum eſt.

Fūdamēt. II. Opinio. Species, & indiuiduum conueniunt vniuocè in ratione ſubijcibilis generis, quia ſubijciuntur generi in quæſtione quid eſt in completa: ſubijci enim mediatè, vel immediatè, non tollit vniuocationem; cùm homini, & Petro vniuocè conueniat riſibilitas, licèt Petro, hominis interuentu: eſt ergò ab ſpecie, & indiuiduis ratio hæc conuenientiæ præciſibilis, eiſdem communis, cùm à quibuſcumquè conuenientibus, ratio conuenientiæ abſtrahi poſsit; & talis ratio communis erit primus, & adæquatus terminus generis. Conſequentia hæc patet: Quando aliqua potẽtia, aut relatio ad plura in quantùm conueniũt in vna ratione formali terminatur; illa ratio in communi, rationẽ ſubit primi, & adæquati termini; ideò enim color in communi primum, & adæquatum obiectum viſus dicitur; quia potentia viſiua ad albedinem; & nigredinem terminatur, quatenus habent rationem coloris.

III. Opinio. Tertia ſententia eſt, quæ veritatem attingit, eamquè ſequentibus concluſionibus dilucidamus.

I. Conclu. Prima concluſio. Genus reſpicit indiuidua tàm diuerſarum ſpecierum, vt Petrũ, & hunc equum, quàm eiuſdem ſpeciei, vt Socratem, & Platonem, in quantùm genus eſt; eadem nimirũ habitudine generis, qua reſpicit ſpecies: aſſertionem hanc communiter Doctores omnes docent, quæ ſic probatur.

Probatur. Et quidẽ quòd dũ ad indiuidua diuerſarum ſpecierum comparatur genus ſit, res eſt clara, quia genus, quà genus eſt reſpicit ea, quæ differunt ſpecie, cùm per ea diffiniatur: ſed hæc non ſunt ſpecies dumtaxàt diſtinctæ, ſed etiam differentium ſpecierũ indiuidua; hic enim equus, & hic leo per ſuas ſpecies diſtinguuntur: & eo ipſo, quòd genus in quãtùm genus de pluribus ſpecie differentibus prædicatur; de indiuiduis etiam talium ſpecierum quatenus ſub talibus ſpeciebus contentis.

II. Pars Probatur Secunda verò pars, quæ maiorem videtur difficultatem ingerere ſic probatur. Eo pactò, quo genus de ſpeciè prædicatur in quid, ſcilicet incompletè, eo pactò etiam de indiuiduis prædicatur. eadem ergò genereitatis relatione reſpicit genus ſimul ſpeciem, & indiuidua, etenim prædicabiliũ vnitas, & diuerſitas ex prædicandi modo deſumitur. Rurſus prædicationes iſtæ Petrus A eſt animal, Paulus eſt animal, ſunt eſſẽtiales; ſed non ſunt ſpeciei de indiuiduis, cùm animal non enunciet totam, & integrã illorum eſſentiam; nec alterius prædicabilis vt conſtat: ergò eſt generis. Adde quòd aptitudo, quæ eſt de eſsẽtia generis, ex vi propriæ naturæ proximè inclinat ad actũ proximum, qui eſt prædicari de ſpeciebus; mediatè autem, & remotè in actum remotum & mediatum, qui eſt de indiuiduis enunciari: eadem ergò aptitudine relatiua genus ſpecies, & indiuidua reſpicit.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Primũ, & adæquatũ correlatiuũ generis non eſt aliquid cõmune ſpeciei, & indiuiduo, nec vtrumq; ſimul, ſpecies ſcilicet, & indiuiduum.

I. Pars Probatur Prima pars probatur; Tùm quia nunquã dicimus ab homine v.g. & Petro abſtrahi rationem aliquam communem, cùm potius ipſe homo ſit ratio communis, in qua illius B indiuidua conueniunt; aliàs enim daretur proceſſus in infinitum; quia ratio illa cõmunis ſpeciei, & indiuiduo, conuenit cum indiuiduo, vel ſpecie in hoc, quod eſt ſubijci generi: poteſt ergò talis ratio communis abſtrahi; & tunc idem argumentum de illa alia ratione communi procedet; cùm etiam cõueniat in eo, quod eſt generi ſubijci & ſic in infinitum.

II. Proba. Præterea, Sumamus genus aliquod infimũ, quod immediatè contrahitur ad ſpeciẽ per differentiam infimam; vel inter hoc genus, & ſpeciem mediat aliqua ratio cõmunis tali ſpeciei, & illius indiuiduis; & tunc tale genus non erat infimum; cùm illa ratio communis, quæ mediat, genus debeat eſſe; & ſic nunquam dabitur genus infimum, nec infima differentia: ſi verò nihil mediat, habeo intentum.

Obiectio. C Quod ſi dixeris, non mediare aliquam naturam realem eſſentialiter communem ſpeciei, & indiuiduo, ſed rationem quãdam accidentalem ſubijcibilis.

Solutio. Hoc ſic euertitur. Genus v.g. animal nõ prædicatur immediatè de tali ratione vt conſtat: ergò nec primò, & immediatè illã reſpicit cùm id primò, & immediatè animal reſpiciat, de quo primò; & immediatè prædicatur: aliàs de quolibet alio prædicabili idem, quod de ſpecie, & indiuiduis, vt de proprio, & differentia eſſet dicendum.

II p. Prob. Secunda pars patet. Quòd nec vtrumq; ſimul, ſpecies ſcilicet, & indiuiduũ ſit primũ, & immediatũ correlatiuũ generis, patet. Quia genus reſpicit indiuidua alicuius ſpeciei,

cici, talis ſpeciei interuẽtu; cùm ad talia indiuidua nõ niſi media ſpecie gen9 deſcẽdat; atq; adeò non immediatè, ſed mediatè.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Species eſt primum, & immediatum correlatiuũ generis: adæquatum autem non eſt ſola ſpecies; ſed ſimul ſpecies & indiuidua: huic concluſioni communiter omnes logici acquieſcunt.

I. Pars Probatur. Prima pars prob. Genus per ſpeciem diffinitur: ergò ſpecies eſt primũ, & immediatum correlatiuũ generis. Antecedens patet ex diffinitione data à Porphyrio; fatetur enim ſe neceſsitate compulſum genus per ſpeciem diffinijſſe: conſequentia verò ex Ariſt. 6. topic. c. 2. vbi planè docet peccare illum, qui relatiuum, non per proprium, & immediatum correlatiuum, diffinit. Tum etiã quia genus primò, & immediatè enunciatur de ſpecie; de indiuiduis verò mediatè, ſpeciei nimirùm interuentu; atqui illud eſt primum, & immediatum generis correlatiuum, de quo proximè & immediatè enunciatur.

II. Pars Probatur. Secunda verò pars patet. Adæquatũ correlatiuũ, vt diximus, eſt illud, præter, quod nihil eſt aliud, quod terminet habitudinem relatiui; ſed præter ſpeciẽ eſt aliquid aliud, quod habitudinẽ generis, in quãtùm genus eſt, terminet, licèt mediatè, vt indiuidua: mediata verò, vel immediata prædicatio non conſtituit modũ prædicandi eſſentialiter diuerſum, niſi accidentaliter dumtaxàt aliàs enim genus in quãtùm genus non reſpiceret ſpecies mediatas, vt viuens hominem. & equum; quod tamen à veritate omnino alienũ eſt: ergò ſola ſpecies nõ eſt adæquatũ genus correlatiuũ; ſed vtrũq; ſimul, ſpecies ſcilicet, & indiuiduũ, quod totã generis latitudinẽ exhaurit. Verum eſt abſolutè poſſe dici ſpèciem eſſe generis adæquatũ terminum, ex illo cõmuni tam phyloſophorũ, quam theologorũ proloquio quod vbi ſunt multa propter vnum; ibi intelligitur eſſe vnũ tantũ: ſi ergò indiuidua generi propter ſpecies ſubijciũtur, & ideò genus de indiuiduis enunciatur; quia de ſpeciebus, & eo ipſo quòd de ſpeciebus prædicatur; eo ipſo de indiuiduis, hanc ob cauſam, ſpecies eſſe terminum generis adæquatum affirmare poſſumus.

Corollariũ Ex his manet exploratum, nomine ſubiectionis, & prædicationis in ſpeciei ſubijcibilis diffinitione poſitæ, primã & immediatã intelligi quòd ſcilicet ſit, quæ primè, & immediatè ſubditur generi; & de qua genus in quid immediatè prædicatur, quod indiuiduis non conuenit; cùm illorum ſubiectio mediata ſit.

A

Ad argũ. I opinio. Reſpõdet. Ad. I. Argum. primæ opinionis ſoluẽda sũt ſic. Primum. Eſſentiam generis non in actuali, ſed aptitudinali prædicatione conſiſtere; ſicut ergò genus quando prædicatur de vna ſpecie, vt genus de illa prædicatur; quia tũc poteſt de alijs ſpeciebus prædicari; ſic quãdo de indiuiduis eiuſdẽ ſpeciei prædicatur vt genus, de illis prædicatur; quia poteſt tũc de alijs ſpecie differẽtibus prædicari, quod non habet ſpecies infima.

Ad. II. Secundum. Diſtinctione ſequenti articulo ſecundo, ſuam habet ſolutionẽ; pro nunc negabis antecedens. Cõfirmationis minor eſt etiam neganda.

Ad argũ. II. opinio. Ad fundamentũ ſecundæ opinionis, etiã ſi ſpecies, & indiuiduum cõueniant in hoc, quod eſt ſubijci generi: hoc tamen non immediatè reſpicit genus, cùm de illo non immediatè prædicetur, ſed plura vt plura ſunt; cùm hæc ſit vniuerſalis natura, vt viſum eſt; terminant ergò ſpecies, & indiuidua habitudinem generis, ſecundùm ſuum eſſe abſolutum.

B

QVÆSTIO III. VTRVM *ſpecies ſubijcibilis generis in quantũ ſubijcibilis ſit vniuerſalis.*

Opinio Toleti. OPINIO eſt Cardinalis Toleti aſſerentis ſpeciem in quantùm ſubijcibilẽ eſſe vniuerſalem, ita vt ex illa parte, qua reſpicit genus, & illi immediatè ſubijcitur, ſit vniuerſalis, nõ quidem vniuerſalis prædicabilis, ſed vniuerſalis ſubijcibilis; roboratur què his argumentis.

I. Argum. Primũ. Species in quantũ ſubijcibilis generi, immediatè ſubijcitur: ſed quatenùs generi ſubditur immediatè, eſt vniuerſalis: ergò in quantùm ſubijcibilis generi, vniuerſalis eſt. Minor probatur nihil immediatè generi ſubijcitur, niſi vniuerſale ſit; cùm ſingularia mediatè ſubijciantur.

C

Confirm. I. Confirmatur primò. Natura in quantũ generi ſubijcitur, debet eſſe abſtracta; cùm in quantũ in ſingularibus eſt cõtracta, ſit ſingularis; atq; adeò, vt ſic, nõ immediatè, ſed mediatè ſubijcitur: ſed vt eſt abſtracta, eſt vniuerſalis: ergò vt ſubijcitur, eſt vniuerſalis.

Cõfirm. II. Confirmatur ſecundò. In quantũ ſubijcibilis eſt ſpecies; non ſingularis: ergò eſt vniuerſalis; cùm inter vniuerſale, & ſingulare non detur mediũ. Præterea ſpecies in quãtùm ſubijcitur generi diffinitur; diffinitio autem rei vniuerſalis eſt.

II. Argũ. Secũdũ. Gen9 prædicatur de indiuiduis,

media ſpecie; quia ſcilicet ſpecies de indiuiduis prædicatur: ergò ſpecies vt eſt ſub genere de pluribus prædicatur, atquè adeò eſt vniuerſalis.

III. Argumẽ. Tertium. Relatio ſubijcibilitatis denominat naturam communem: cùm denominet naturam prout abſtractam: ergò eſt relatio vniuerſalitatis, cuius effectus formalis eſt, naturam communem denominare.

IIII. Argumẽ Quartũ. Species ſubijcibilis habet hanc & illam ſpeciem ſubijcibilem ſub ſe: ergò eſt vniuerſalis reſpectu illarum; quod enim ſecundam intentionem vniuerſalitatis recipit vniuerſale eſt.

Notabile. Suppoſito, quòd ſecunda intentio ſubijcibilitatis, vel poteſt ſecundùm ſuam eſſentiam conſiderari, vt ſcilicet eſt forma conſtituens in genere cauſæ formalis naturam, in eſſe ſpeciei ſubijcibilis, vel in ordine ad inferiora, quatenus ſcilicet vniuerſaliter ſumpta, ad hanc, & illam ſubijcibilitatem comparatur.

I. Conclu. Prima concluſio. Relatio ſubijcibilitatis nõ eſt eſſentialiter vniuerſalitas; & ſpecies in quantùm ſubijcibilis non eſt vniuerſalis ſi ly in quantùm ſumatur reduplicatiuè.

I. Pars Probatur. Primam partem probauimus diſt. præcedenti. art. 4. q. 1. quia iſti reſpectus ſubijcibilitatis, & vniuerſalitatis ſunt eſſentialiter diſtincti, & quaſi oppoſiti: non ergò vnus eſſentialiter alterum claudit.

II p. Prob. Secunda verò pars neceſſariò ex prima infertur, ſic què probatur. Particula in quãtùm reduplicatiuè ſũpta denotat cauſam peculiarem, propter quam prædicatum cõuenit ſubiecto. Vndè sẽſus reduplicatiuus iſtius propoſitionis; ſpecies in quantùm ſubijcibilis eſt vniuerſalis, eſt, quòd cauſa, propter quam ſpecies eſt vniuerſalis, eſt, quia eſt ſubijcibilis: ſed hic ſenſus eſt omninò falſus, quia vel eſt cauſa formalis, à qua ſcilicet formaliter conſtituitur vniuerſalis; vel dimanatiua, à qua ſcilicet vniuerſalitas tamquam propria paſsio dimanat; non primum, ſubijcibilitas enim ex vi propriæ formalitatis eſt omninò diſtincta ab vniuerſalitate, vt vidimus: ergò ex vi propriæ formalitatis, non confert effectum formalem vniuerſalitatis; atquè adeò in genere cauſæ formalis non conſtituit naturã in eſſe vniuerſalis: nec ſecundum; cùm enim ſint vel oppoſitæ, vel diſparatæ, alterutra nequit ex alia oriri; quis enim vnquàm dixit, ex filiatione ad patrem, relationem paternitatis ad alium filium profluere? vel à ſimilitudine, relationem diſſimilitudinis?

II. Proba. Præterea. Eſſentia, cùm ſit prima radix paſsionis, nequit ab alio, vt paſsio fluere. atqui infima vniuerſalitas eſt infimæ ſpeciei eſſentia; nequit ergò, vt paſsio fluere à ſubijcibilitate.

II. Concl. Secunda concluſio. Si ly in quantùm ſpecificatiuè ſumatur, ſpecies in quãtùm ſubijcibilis eſt vniuerſalis. Hæc eſt cõtra aliquos, qui nec in ſenſu ſpecificatiuo illam concedunt, quia nimirùm; neutra relatio eſt immediatum ſubiectum alterius; ſed vtraquè immediatè eidem naturæ ineſt; ſed porrò in ſenſu ſpecificatiuo hũc redit ſenſum, res, quæ eſt ſubijcibilis, eſt vniuerſalis, nõ tamẽ quà ſubijcibilis eſt: hoc ſic intellige, quòd ad hoc, quòd aliquid ſit mediatum ſubijcibile generis, & à ſecunda intentione vniuerſalis denominetur, debet eſſe vniuerſale, & abſtractum. Vnde alij dicunt, quòd ly in quantũm ſi reduplicet rationem formalem, ſic falſa eſt; ſupra dicta propoſitio; ſi verò conditionem ſine qua non, vera eſt; vel quòd ſpecies ſubijcibilis pro materiali importat naturam communem, & abſtractam, in quo à ſubijcibili ſpeciei (indiuiduo nẽpè) diſtinguitur, non tamen formaliter illam, in eſſe vniuerſalis conſtituit.

III. Conc. Tertia concluſio. Subijcibilitas fit vniuerſalis accidentaliter, & denominatiuè, ſicut enim natura humana poteſt concipi vt communis ſuis indiuiduis, & tunc denominatur accidentaliter à ſecunda intentione vniuerſalitatis; ſic etiã ſubijcibilitas poteſt ab intellectu, vt cõmunis cõcipi huic, & illi ſubijcibilitati ſingulari, & tunc accidẽtaliter denominabitur à ſecunda intentione vniuerſalitatis.

Ad argu. Respõdet. Facilem ex dictis argumẽta ſolutionem habent.

Ad I. Primum argumentum, cùm ſuis confirmationibus, tantùm probat ſecundam concluſionem; cùm enim dicitur, in quantùm ſubijcitur eſt vniuerſalis, vel abſtracta; ſemper ly in quantùm eſt diſtinguendum; quia in æquiuoco laborat; in ſenſu ſpecificatiuo admittatur; negetur autem in ſenſu reduplicatiuo; licet enim verùm ſit, quòd ſpecies, quæ generi immediatè ſubijcitur, vniuerſalis debeat eſſe; ſed non ea ratione, qua ſubijcibilis eſt, vt ſic enim, in eſſendo quid ſingulare eſt, at verò ſecundùm ſuam eſſentiam, & vt quo; ſeu in denominando, nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis; ſed abſtrahit ab vtroquè, res autem diffinibilis, debet eſſe vniuerſalis; non tamen diffinitur in quantùm vniuerſalis, ſi ly in quantùm reduplicet

plicet rationem formalem, quæ diffinitur, niſi tantùm conditionem.

Obiectio. Quòd ſi dixeris: de ratione ſpeciei ſubijcibilis, non tantũ eſſe referri ad genus, ſed proximè, & immediatè referri; quòd autẽ ſic ad genus, vt genus eſt referri, eſt vniuerſale: quia indiuiduum mediatè tantùm generi ſubijcitur.

Nec valet illud effugiũ: id ſcilicet quod generi ſubijcitur eſſe vniuerſale materialiter, non verò formaliter, ſic enim præcluditur. Immediatum ſubijcibile generis formaliter in quantùm ſubijcibile generis eſt, eſſentialiter diſtinguitur, à ſubijcibili ſpeciei infimæ, vt cõſtat; cùm genus, & ſpecies eſſentialiter diſtinguãtur per ſua correlatiua formalia; ſed in hoc diſtinguuntur quod vnũ eſt vniuerſale, & aliud ſingulare: ergò ſubijcibile generis, vt ſic, formaliter, & eſſẽtialiter poſtulat eſſe vniuerſale, præterea ſubijcibile immediatum generis, ſcilicet ſpecies; & ſubijcibile ſpeciei, ſcilicet indiuiduũ, B conueniunt in ratione ſubijcibilis, vt ſic: & eſſentialiter, diſtinguũtur, quòd ſubijcibile ſpeciei infimæ eſt indiuiduum, proximũ verò generis, vt ſic, eſt vniuerſale: ergò eſſe vniuerſale, vel ſingulare non ſe habent materialiter, ſed eſſentialiter in ſubijcibili generis, & ſpeciei: cùm habeant rationẽ differentiarum illa eſſentialiter conſtituãtium. Maior iſtius inſtantiæ cõceditur; minor verò diſtinguitur, formaliter ea ratione, qua proxime ad genꝰ refertur nego; vt ſic enim non refertur vt ſuperius ad ſuum inferius, de quo aptum eſt prædicari, quod eſt de ratione vniuerſalis, materialiter, hoc eſt quòd materiale importat naturam illam, quæ alioquin vniuerſalis eſt concedo. Vbi aduertendum quòd ſi de ſubijcibili generis, & de ſubijcibili ſpeciei formaliter loquamur; ſic tales ſubijcibilitates, ſiue relatio- C nes diſtinguuntur eſſentialiter per terminos, quos reſpiciunt: quia ſubijcibilitas ſpeciei eſt habitudo immediata ad genus; ſubijcibilitas verò indiuidui, habitudo ad ſpeciem; vnde reſpectu illarum, vt ſic, accidentaliter, & materialiter ſe habent, denominare naturam vniuerſalem, vel non vniuerſalem; ſi verò loquamur de his ſubijcibilibus, non relatiuè, ſed abſolutè; qua ratione terminant habitudines generis, & ſpeciei; dato quòd in naturis immediatè terminantibus habitudinem generis, requiratur abſtractio, & vniuerſalitas ſaltim metaphyſica, non tamen vt ratio formalis terminandi, ſed tantùm vt conditio neceſſaria; ex quo fit, illud diſcrimen, quòd inter ſubij- A cibile immediatum generis, & ſubijcibile ſpeciei ſolet conſtitui, quòd ſcilicèt iſtud eſt vniuerſale, hoc vero non; tantùm eſſe materiale, formale verò eſt, quòd tales naturæ ſunt eſſentialiter diſtinctæ, quod non conuenit ſubijcibilibus ſpeciei.

Obiectio. Si tandem dicas; de eſſentia hominis, & equi eſt animalis naturam participare: ergò & eſſe ſpeciem animalis, & illi ſubijci.

Solutio. Neganda eſt conſequentia; quia primum quidpiam reale eſt conueniens homini, & equo à parte rei; ſecundum verò, eſſe, ſcilicet ſpeciẽ, & ſubijci, eſt ens rationis, quod per rationem fit; ſicut & animal eſſe vniuerſale, & genus.

Ad. II. Ad ſecundum. Diſtinguatur antecedens: ſubijcibilitas denominat naturã, quæ aliàs eſt communis, & ſubiectum itidem vniuerſalitatis concedo: denominat naturam cõmunem, formaliter in eſſe communis, ſeu B vniuerſalis conſtituendo, nego.

Ad. III Ad tertium. Conceſſo antecedenti, diſtinguenda eſt conſequentia: eſt vniuerſalis eſſentialiter nego: accidentaliter concedo, vt diximus in tertia concluſione.

DISTINCTIO IIII. de ſecundo prædicabili nempè de ſpecie, & eius ſubijcibili.

INTER quinquè prædicabilia ſecundũ locum tenet ſpecies prædicabilis; quia in prædicamentis poſt genus occurrunt ſpecies, & quia genus per ſpeciem, vt per immediatum correlatiuum diffinitur; & licèt ſpecies in quantùm ſubijcibilis ſit generis C correlatiua, inchoata tamen de ſpecie ſubijcibili diſputatione; nè tractatio hæc trũca maneret, illi ſpeciei prædicabilis conſideratio ſubiungitur; & quia indiuiduũ eſt ſpeciei prædicabilis correlatiuum; neceſſarium eſt de illo etiam agere. De ſpecie prædicabili & de indiuiduo hæc docet Porphyrius.

LITERA PORPHIRII.

PRIMA concluſio. *Species prædicabilis eſt, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid prædicatur; quæ diffinitio ſolũ conuenit ſpeciei ſpecialiſſimæ.*

Secunda concluſio. *Genera generaliſſima ſunt tantùm decem; ſpecies ſpecialiſſimæ quãplurimæ, indiuidua infinita; vndè cùm à ſum-*

 mo genero

mo genere ad infimas ſpecies deſcendimus, neceſſum eſt per multitudinem diuidendo tranſire; cùm verò ad ſuprema genera gradum facimus multa in vnum colligendo aſcendimus; A
vndè plures homines participatione vnius ſpeciei dicuntur vnus homo.

Tertia Concluſio. *Quia maiora de mino-*
III. Cõcluſio. *ribus, & æqualia de æqualibus prædicãtur; non verò menora de minoribus; ideò ſpecies de indiuiduis prædicatur, genus de ſpecie, & indiuiduo; & genus ſupremum de omnibus generibus intermedijs, ſpeciebus, & indiuiduis non tamen è contra.*

Quarta concluſio. *Indiuiduum tripliciter*
IIII Cõcluſio. *poteſt notificari; primò ſic: indiuiduũ eſt, quod de vno ſolo particulari prædicatur. ſecundo: indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum in alio indiuiduo non reperitur: tertio; indiuiduũ eſt, quod ſub ſpecie continetur.*

Quinta Concluſio *Indiuiduum triplex eſt*
V. Cõcluſio. *vnum determinatum, vt Socrates; aliud à demonſtratione, quod, cõmuni voce pronomine demonſtratiuo adiuncto ſignificatur, vt hoc album, hic homo; aliud vero ex cõditione, aut ſuppoſitione, vt Sophronici filius, ſuppoſito quod ſolus Socrates ſit illius filius.* B

LITERA DOCTORIS.

LICET de ſpecie poſſent eædẽ excitari quæſtiones, quæ de genere propter diſtin tilsi nũ tamen modũ dicẽdi noſter Doct. (vt ait Sarnanus) quẽ execuit in capite de genere, in hoc capite binario tantùm quæſtionum numero, eſt contentus.

q. 21. QVÆSTIO I. An hæc diffinitio ſpeciei prædicabilis ſit conueniter data.

I. Cõcluſio. Prima conc. *Affirmatiua, quæ poteſt probari ſicut ſupra de diffinitione generis ſic.*

Probatur *Diffinio hæc conſtat proprio genere, ſcilicet prædicari de pluribus, & propria differentia, ſcilicet differentibus numero in quid; quia in hoc ab omnibus alijs prædicabilibus differt: ergo eſt exacta.* C

II. Cõcluſio. Secunda conclu. *Non inconuenit, ſpeciem duas habere diffinitiones, ſecundùm quod geminam importat habitudinẽ, ſcilicet ad genus, & ad indiuidua, licèt enim vnius abſoluti, cuius eſt diffinitio indicans eius eſſe non ſint multæ diffinitiones, benè tamen relatiui habentis plures habitudines, & talis eſt ſpecies:* hæc habetur in reſpõſione ad primum, & tertium argumentum.

III. Cõcluſio. Tertia concluſio. *Duplicem poteſt ſpecies habere comparationem ad genus, vnam vt ordinatur ſub ipſo; aliã, vt genus enunciatur de ſpecie in propoſitione; & ſic in ordine ad genus dupliciter diffinitur ſpecies ſubijcibilis à Porphyrio, ſpecies eſt quæ ſub aſsiguato genere ponitur, & ſpecies eſt, de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur.*

QVÆSTIO II. Quomodo ſit verum quòd plures homines ſint vnus homo.

SVPPONIT Doctor, vt quæſtioni ſatisfaciat, *vnum poſſe dupliciter ſumi vel categorematice, & ſic eſt differentia entis (ſub audi extenſiuè, ens enim nullã propriè differentiã habet) cùm ens in vnũ, & multa ab Ariſt. 5. metaph. diuidatur, & vnum diuidatur in quatuor ſpecies, ſeu modos, vnius; ſcilicèt in vnũ numero, vnũ ſpecie, vnũ genere, & ꝓportione: ſecũdò poteſt ſumi vnũ ſyncategorematicè, vt ſcilicet eſt ſignũ aliquod particulare dicens modum intelligendi terminũ pro ſuppoſito determinato, indeterminatè tamen, vt ſigna particularia, aliquis, quidã, vnus: ergò in hoc ſenſu fungitur officio ſigni particularis, & facit ſtare terminũ, cui additur pro ſuppoſito determinato, ſeu pro ſingulari; indeterminatè tamẽ, ideſt facit ſtare pro indiuiduo vago, & non pro ſignato; vt cùm dicimus vnus filiorum, ideſt aliquis, vel quidam filius.* Notat Scotus.

Prima concluſio. *In prædicta propoſitione, ſi ly vnus ſumatur categorematicè propoſitio eſt vera; ſi ſignificet vnitatem ſpecificam. quia notum eſt, quod plures homines ſunt vnus homo ſpecie; falſa vero ſi ſignificet vnitatem numericam; cùm notum ſit, plures homines non eſſe vnum numero hominem.* I Cõcluſio.

Secunda conc. *Si ly vnus ſumatur ſyncategorematice, propoſitio eſt falſa; quia tunc facit ſtare terminum, cui adiungitur, ſcilicet hominem pro ſuppoſito determinato indeterminatè tamen; hoc eſt, facit illum ſtare pro indiuiduo naturæ humanæ; & ſic facit hunc ſenſum plures homines ſunt vnus hominum, vel quidam homo, quod eſt falſum.* II. Cõcluſio.

COMMENTARIVM.

DISTINCTIONEM hanc in duos articulos ſecabimus. In primo agemus de natura ſpeciei prædicabilis, in ſecundo de illius ſubijcibili, nempe de indiuiduo.

ARTICVLVS I. DE Speciei prædicabilis natura, & de eius proprietatibus.

MVLTA, quæ de ſpecie prædicabili inquiri poterant in ſuperioribus diſtinctionibus sũt diſcuſſa; quæ verò ſuperſunt ſequẽtibus cõtrouerſijs perſtringemꝰ.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I. NVM SPEciei diffinitio exacta ſit.

NONNVLLA occurrunt argumēta, quæ præſcriptam ſpeciei diffinitionē; (quòd ſcilicet ſit, *quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid prædicatur*) labefactare videntur; quorum eſt.

I. Argum. Primum Eiuſdem rei ex Ariſt. 6. topic. nequeunt plures eſſe diffinitiones; ſicut nec multæ eſſentiæ; cùm ergò ſuprà ſpecies cōuenienter fuerit diffinita; alia diffinitione, niſi acccidentali, difffniri non poterit.

Confirmat. Cōfirmatur. Oppoſita nō inſunt eidē per ſe, & eſſētialiter; ſed ſubijci, & prædicari oppoſita ſunt, oppoſitiſq; conſtituuntur rationibus: nō ergò queūt eidē cōuenire ſpeciei.

Nec ſoluis difficultatē ſi dixeris, relatiuè oppoſita eidē ineſſe poſſe, quia ſecūdū Ariſtot. 5. met. idē bis relatiuè dici repugnat.

II. Argu. Secundū. Quòd diffinitio hæc alijs à diffinito cōuenit, tum diffinitioni naturæ ſpecificæ, animal enim rationale de pluribus numero differētibus affirmatur; tum generi: eo enim ipſo, quòd de pluribus ſpecie differentibus enunciatur, etiam de pluribus numero differentibus; quæ enim ſpecie differunt, & numero differre neceſſe eſt: ſi ita ergò res ſe habet, diffinitio hæc non exactè procedit. nec quidquā vim eneruat argumenti, cōmune illud effugiū, quòd genus mediatè prædicatur de pluribus differētibus numero; ſpecies verò immediatè; cū prædicatio mediata, vel immediata, nihil referat, vt dictū eſt ad prædicabiliū vnitatē, & diſtinctionem eſſentialē: quia idem genus, quatenus genus de indiuiduis mediatè prædicatur.

III. Arg. Tertium. Species non eſt prædicatum, vt planè fatetur Ariſt. 1. topic. perperàm ergò ſpecies per prædicari diffinitur.

Notabile. Obſeruandum eſt. Omnia, quæ de vniuerſali in cōmuni diximus, applicanda eſſe ſpeciei, quæ intrinſecè eſt vniuerſalis; vnde per comparationem ad indiuidua fit; fundamētum autem relationis ſpeciei prædicabilis eſt natura abſtracta à pluribus, ſolo numero differentibus, non determinabilis per vlteriores differentias eſſentiales; ſed tātùm indiuiduales: cùm debeat eſſe vltimo actuata, & cōſtituta in eſſe eſſentiali per ſua prædicata eſſentialia.

I. Conclu. Prima concluſio. Diffinitio ſpeciei prædicabilis à Porphyrio tradita exacta eſt: ſic omnes cōmuniter cum Porphyrio, cuiꝰ probationē remittit noſt. Doct. ad ea, quæ de diffinitione generis dicta sūt, ſic tamen.

Probatur. Probatur. Illa diffinitio exacta eſt, quæ proprio genere, & differētia conſtat, atqui A talis eſt ſpeciei diffinitio, in qua ponitur proprium genus, nempè vniuerſale; nō quidem ſubauditū in illa particula (quæ) vt nōnulli voluerunt, ſed potius adeò expræſſum, vt vniuerſalis diffinitio locū habeat generis: cœtera autem propriæ differentiæ, ſcilicet *differentibus numero* (ideſt per differētias indiuiduales) *in eo quod quid* ſubaudi per modum per ſe ſtantis, & per modū ſubiecti differentiarū indiuidualiū, quæ veluti formæ contrahunt naturam ſpecificā, & determinant ad certa indiuidua; & quòd hæc ſit propria differētia ſpeciei; patet: quia per illam ſufficienter diſtinguitur ab omnibus alijs prædicabilibus, per *prædicari de pluribus differentibus numero*, diſtinguitur à genere; vt ſuprà expoſuimus; & à differentia, proprio, & accidenti per illam particulam *in quid*.

Corollar. Vndè non eſſe audiendos reor aliquos aſſerentes, nō diſtingui eſſentialiter genus, & B ſpeciē per *prædicari de pluribus differentibus ſpecie, vel numero*; ſed tantū accidentaliter: ſic Fōſeca 5. metaph. c. 28. q. 12. ſect. 3. Murcia diſput. de differentia q. 12. & nōnulli recentiores: arbitrantur enim hanc differētiā ſolū eſſe accidentalē, vt potè quæ ſumitur, à prædicatione mediata, quæ accidētaliter ſe habet ad diſtinctionē prædicabiliū. Tum etiā quòd prædicari de pluribus differētibꝰ ſpecie, vel numero nō ad prædicandi modū pertinet: ſed ad diſcrimē eorū, de quibus fit prædicatio; cùm tamen prædicabiliū diſtinctio eſſentialis, ex vario prædicandi modo ſit deſumenda; hic autem modus generis, & ſpeciei in hoc conſiſtit, quòd ſcilicet genus prædicatur in quid in completè, ſpecies autem in quid completè. Sed hoc eſt contra Porphyrium, qui in c. de genere. tex. 20. ſic ait. *Ab his autem, quæ de pluribus prædicantur; hiſce differre videntur, à ſpecie qui-* C *dem, quòd ſpecies & ſi de pluribus prædicatur, non tamen de pluribus differentibus ſpecie, ſed numero, vt homo; genus verò, vt animal de pluribus ſpecie differentibus, vt de boue, equo*: per illam autem particulam *in quid* non ait differre ab ſpecie, ſed à differentia, & ab accidenti; quæ omnia iterum in fine capitis in epilogum redigit; & in cap. de ſpecie, in hoc conſtituit eſſentialem diſtinctionem inter genus, & ſpeciem; tex enim 4. ſic ait. *Atque omnerò id omne, quod eſt ante indiuidua, & de ipſis ſine vllo medio prædicatur, ſpecies erit dumtaxàt, & nullo modo generis rationem ſubibit*: & tex. 7. *ſpecies quidem de indiuiduo, genus autem de ſpecie, ac*

Fonſeca. *Murcia.*

indiuiduo. Tum etiã, quòd relatiuorum eſſentialis differentia, ſicut & ipſa eſſentia & diffinitio à terminis ſumitur; prædicabilia autem relatiua ſunt rationis ſecundùm eſſe; imò quòd in hoc, quod eſt prædicari de ſpeciebus, vel tantùm de indiuiduis, importatur modus eſſentialis prædicãdi iſtorum prædicabiliũ de ſuis inferioribus, incõpletè ſcilicet, vel cõpletè; eo enim ipsò quòd genus de pluribus ſpecie differentibus prædicatur; eſsẽtialiter dicit prædicari per modum naturæ incompletæ (ſignificatæ tamẽ per modum totius, vt dictum eſt) quia ſignificatur prædicari per modũ naturæ contrahibilis per differentias eſſentiales ſpecierũ; & conſequenter eſſe quid incompletum, & partem eſſentiæ. Quod autem ſolum prædicatur de pluribus differentibus numero, ſignificatur neceſſariò importare naturam cõpletam, quæ ſcilicet ſolùm diuiditur, & cõpletur per differentias indiuiduales: conueniunt ergò genus, & ſpecies in hoc, quod eſt prædicari in quid, vt ſic, hoc enim per ſe tãtùm importat naturam habentẽ ſe per modum ſubiecti per ſe ſtantis; differunt verò in hoc; quod illud (quid) ſit completum, vel incõpletum; quod importatur per prædicari de pluribus ſpecie, vel ſolo numero differentibus, & ſic intelligẽdum eſt illud, quod ſuprà diſt. 3. art. 2. q. 2. diximus.

II. Concl.

Secunda concluſio. Hæc diffinitio ſpeciei eſt eſſentialis, vt ſuprà de diffinitione generis ex noſtro Doct. aſſertum eſt, nec quidquam obeſt, ait noſter Doct. quòd Porphyrius videatur, has diffinitiones deſcriptiones appellare; ſic enim de genere ait. *De tertio verò genere phyloſophorũ eſt ſermo, quod deſcribentes ſic aſsignarunt*; quia ex ipſo textu Porphyrij conſtat, eas abſolutè vocari diffinitiones, in c. enim de ſpecie ait, *quòd neceſſè eſt in vtrorumq; rationibus, vtriſq; vti*; ratio autẽ ſecundũ phyloſophũ 4. metap. tex. 28. eſt diffinitio: vnde in alia litera dicitur *vtriuſq; diffinitionibus*, & Paulo ſuprà in eodem c. & tex. ait, *quod ſi genus aſsignantes intentionẽ fecimus ſpeciei, genus id eſſe dicentes, quod de pluribus differẽtibus ſpecie hoc ipſo q.d. eſt prædicatur*, aſsignare autem, vt ait noſt. Doc. eſt diffinire, quod verbũ ſtatim ſubdit, poſt quã dixit deſcribentes ſic *deſcribẽtes aſſignauerunt*, diffinitũ iſtius diffinitionis eſt ſecunda intentio ſpecieitatis in concreto.

Corollari.

Ex dictis ſequitur quod ſuprà diximus Deũ, & eſſentiã Diuinã non dici vniuerſalẽ & ſpeciẽ vllo modo: quia natura, quæ ſpecies vniuerſalis dicitur, debet eſſe vna ſecundùm ſpeciẽ, & plurificata ſecundùm rem in particularibus; natura autem diuina ſingulariſsima eſt ſecundùm rem, & non multiplicabilis à parte rei.

III. Conc.

Tertia concluſio. Species infima nullo pacto poteſt eſſe genus.

Probatur.

Probatur. Tum ex Porphyrio, qui in c. de ſpecie hoc expreſsè aſſerit, quòd ſcilicet ſpecies infima, ita eſt ſpecies, vt nullo modo poſsit eſſe genus; & patet: quia de intrinſeca ratione generis eſt, quòd ſit totum potentiale, contrahibile per differentias eſſentiales; de ratione verò ſpeciei infimæ, quòd non ſit cõtrahibilis per differentias eſſentiales; cũ debeat eſſe in vltimo actu eſſentiali: aliàs enim daretur proceſſus in infinitũ in prædicatis eſſentialibus; & eidẽ ſimul, & ſemel, reſpectu eiuſdẽ, contradictoria conuenirent, qualia ſunt; eſſe contrahibile, & nõ cõtrahibile per differentias eſſentiales; implicat ergò ſpeciem infimam eſſe genus.

Ad argu. Reſpõdet.

Argumenta in contrarium obiecta ſic diluuntur à noſtro Doctore.

Ad I.

Ad primũ reſpõdet diſtinguẽdo maiorẽ; eiuſdẽ rei ſub eadẽ formali ratione, plures eſſe nequeunt diffinitiones concedo: ſub diuerſis rationibus formalibus nego: licèt ergò ſpecies vna res ſit, duplicem tamen ſortitur rationẽ formalẽ, quatenus ſcilicet ſubijcibilis, & quatenus prædicabilis eſt, ſecũdùm duplicẽ habitudinẽ ſuprà expoſitam.

Ad. Cõfir.

Ad confirmationẽ; ſimili modo, maior eſt diſtinguenda ſub eadẽ ratione formali concedimus quidẽ, oppoſita eidẽ ineſſe nõ poſſe; benè tamẽ ſub diuerſa ratione formali, quod maximè verũ habet, vt ait noſt. Doc. in reſpectiuis, habentibus diuerſas habitudines ad terminos diuerſos; quæ duæ habitudines licèt accidentales ſint ipſi naturæ ſpecificæ; per ſe tamen illi conueniunt ſecundùm quod in eſſe ſubijcibilis, & in eſſe prædicabilis conſideratur, & vt ſic eſſentialiter ſecũdùm vtramq; habitudinem diffinitur.

Ad. II.

Ad ſecundum negamus aſſumptũ. Et ad probationẽ, vel quòd diffinitio nõ eſt diſtinctũ prædicabile ab ſpecie, vel quòd in præſenti, vt diximus, tãtũ diffiniũtur prædicata ſimplicia; cũ ergò diffinitio, quid cõplexum ſit, à numero, & diffinitionibꝰ prædicabiliũ, excluditur; cæterũ eo modo, quo prædicatur, differt ab ipſa ſpecie (quod idẽ proportionaliter dicendũ eſt de diffinitione generis) quòd ſpecies immediatè prædicatur de indiuiduis: diffinitio verò ſpeciei immediatè de vnica ſpecie, cuius nẽpè eſt diffinitio, mediatè verò de indiuiduis: vel vt ait noſt.

Ad. I. pbationẽ

Doct.

Doct. quòd diffinitio nõ habet ſimpliciter vnum modum prædicandi, ſed duos, ſicut genus, & differentia, ex quibus conſtat.

Ad. II. Ad aliam probationẽ ex genere deſumptam reſpõdet noſter Doct. q. 17. dupliciter. Primò diffinitionem ſpeciei debere intelligi cùm præciſione ſcilicet, de differentibus tantùm numero, nec inde inferre licèt ſola negatione ſpeciem à genere diſtingui; ſed poſitiuo, à quo talis negatio veluti fluit, & per quam explicatur; ex eo enim quod prædicatur, vt tota eſſentia rei nõ ampliùs per eſſentiales differentias perfectibilis, & diuiſibilis, ſequitur, quòd de ſolis indiuiduis prædicari poſsit; & non de eſſentialiter diſtinctis. Secundò reſpondet quòd ſpecies prædicatur immediatè de indiuiduis; gen9 verò mediatè, & licèt mediata, vel immediata prædicatio præcisè nõ inferant eſſentialem diſtinctionẽ, quandò verò in illis neceſſariò inuoluitur modus eſſentialiter diſtinctus prædicandi, benè ex illis infertur eſſentialis diſtinctio, in præſenti autem immediata prædicatio ſpeciei, includit modũ prędicandi, per modum totius eſſentiæ completæ in actu; ideò enim immediatè prædicatur de indiuiduis; quia tantùm eſt determinabilis immediatè per differentias indiuiduales; cùm in ſuo eſſe eſſentiæ, cõpleta ſit; mediata verò prædicatio generis modũ naturæ incompletæ, ſeu partis eſſentiæ importat; quia ideò mediatè prædicatur de indiuiduis, quia primò eſt contrahibilis per differentias eſſentiales, per quas immediatè trahitur ad ſpecies, & ideò de eis immediatè prædicatur, tamquã de primo ſubiecto ipſius, & per ſe primo ſub ipſo collocato; & ratione illius, & quaſi ex conſequenti ad indiuidua deſcendit; vndè ex conſequenti indiuidua generi ſubeſſe dicuntur.

Ad. III Ad tertiùm reſpõdet etiam noſter Doct. q. 12. in reſponſione ad primum ibi Ariſt. diuerſimodè conſideraſſe rationem prædicati, quam hic cõſiderat; ſed de hoc nos infrà in diſtinctione vltima.

QVÆSTIO II. AN OMNIS ſpecies prædicabilis ſit ſubijcibilis.

Opinio aliquorum recentiorum DIXERVNT aliqui recẽtiores in rebus incompletis, nõ ſolùm dari poſſe, imò de facto dari ſpecies prædicabiles, quæ tamen non ſunt ſubijcibiles alicui generi in quid, vt inferiora ſuo ſuperiori, quæ ſpecies indirectè, vel reductiuè tantùm in prædicamento collocantur; quã approbat Fonſeca 5. metaph. c. 28. q. 14. ſect. 3.

I. Argum. Probatur primò multis exemplis. Mate-A ria prima in cõmuni eſt ſpecies prædicabilis de omnibus materijs primis; & quidem ſpecies infima, vt in phyloſophia edocetur; quæ tamen nõ habet ſupra ſe genus, vt ibidem oſtenditur: punctus in cõmuni reſpectu huius, & illius puncti, & inſtans reſpectu huius, & illius inſtantis, ſiue tẽporis momẽtorũ, ſunt ſpecies prædicabiles, nulli tamen generi ſubduntur. Tum etiam multi, quos Suarez refert in ſua metaph. diſput. 50. ſect. 12. prædicamentum, quando, eſſe infimam ſpeciem, ſine genere defendunt.

II. Argum. Secũdò probatur; quia relatio ſpeciei ſubijcibilis, nõ neceſſariò cõnectitur in eodẽ cũ relatione ſpeciei prædicabilis; cũ detur ſpecies infima ſubijcibilis; quæ nõ ſit prædicabilis, vt quæſtione ſequenti patebit: ergò & è contra, nil inconuenit dari ſpeciẽ prædicabilem, quæ non ſit ſubijcibilis.

B Præterea. Inter genera dantur aliqua nimirũ ſuprema, quæ tantũ ſunt genera, & nõ ſpecies ſubijcibiles; cùm nulli generi ſubdãtur: ſimiliter ergò nihil incõuenit inter ſpecies infimas dari aliquas de indiuiduis prædicabiles, quæ tamen nulli generi ſubdãtur. conſequentia patet, non magis differunt inter ſe relatio ſpeciei ſubijcibilis, & relatio generis, quã relatio ſpeciei ſubijcibilis, & relatio ſpeciei prædicabilis: ſicut ergò illæ duæ poſſunt inueniri ſeparatæ, ita & iſtæ.

III. Argum. Tertiò. Poteſt aliquod indiuiduũ dari ſine aliqua ſpecie, cui ſubijciatur, vt de Deo Opt. Max. cõpertũ eſt, qui maximè vnus numero, & ſingularis eſt; poterit ergò ſimiliter dari ſpecies aliqua prædicabilis ſine genere, reſpectu cuius ſit ſubijcibilis. Cõſequẽtia patet, quia ſicut ſe habet indiuiduum ad ſpeciẽ prædicabilẽ, ita & ſpecies ad genus.

IIII. Argumẽ. Quartò. Materiale ſignificatũ ſpeciei præ-C dicabilis eſt ea natura, quæ ratione relationis ſpecieitatis prædicabilis apta eſt de pluribus numero differentibus prædicari: ſed ad hoc per accidens ſe habet, quòd conſtet ex gradu generico, & differẽtiali; quia licèt p impoſsibile natura humana nõ conſtaret ex genere, & differentia; per hoc ſolũ, quòd apta eſſet de pluribꝰ indiuiduis prædicari, eſſet ſpecies prædicabilis: ergò per accidẽs ſe habet, quòd ſit ſubijcibilis generi; in tãtũ enim illi ſubijcitur, in quãtùm componitur ex illo, & ex differentia: atqui nõ implicat rem reperiri ſine eo, quod eſt ſibi eſſentiale: ergo nulla eſt in hoc implicatio, quod detur ſpecies prædicabilis, ſine eo, quod ſit ſubijcibilis; ſit tamen,

I. Conclu. Prima concluſio. Omnis ſpecies cōpleta prædicamentalis eſt ſubijcibilis generi, in hac omnes conueniunt.

Probatur. Probatur. Quia omnis talis ſpecies conſtat ex genere, & differentia, & directè eſt ſub aliquo genere ſui prædicamenti: ergò omnis talis ſpecies eſt ſubijcibilis generi.

II Concl. Secunda concluſio. In rebus etiam phyſicè incompletis omnis ſpecies prædicabilis eſt ſubijcibilis.

Probatur. Probatur. Tum quia omnis natura in cōpleta, quæ ſpecies infima eſt, conſtat ex actu, & potentia, ex conuenientia, & differētia, & contrahente, & contrahibili: hoc autem non eſt immediatè ens, cùm ens non immediatè deſcēdat ad prædictas naturas: ergò eſt aliquid ſub ente contentum, licèt in multis à nobis nequeat cognoſci: ergò conſtat ex genere, & differentia; quia licèt omnes tales naturæ phyſicè ſint incōpletæ, metaphyſicè tamen cōpletæ ſunt. Tum etiā de intrinſeca ratione ſpeciei eſt, quòd prædicet non partem eſſentiæ, ſed totam in vltimo actu eſſentiali conſtitutā (ideò enim de ſolis indiuiduis prædicatur) ergò de eſſētia ſpeciei prædicabilis eſt, quòd dicat naturam compoſitam ex genere, & differentia.

Argumē. Ad argumenta. Ad primum ex exemplis

Reſpōdet. à lhùc ſubiudice eſſe litem illam, nūm inter

Ad I. omnes materias primas ſola diſtinctio numerica intercedat; nūm vero aliquæ eſſentialiter diſtinguantur, in phyloſophya dicernendā. Ad illud verò de puncto, & inſtanti, & alibus ſimilis, cū non ſint immediatè ſub ente, ſunt immediatius ſub aliquo alio prædicato eſſentiali, de quibus ſuis locis.

Ad. II. Ad ſecūdum, quæſtione ſequenti, an poſſit dari ſpecies ſubijcibilis, quæ non ſit prædicabilis, videbitur.

Ad illud autem de generibus ſupremis, diſparitatē ſatis notam eſſe; cūm enim genus ſupremum ſit, nè in infinitum abeamus non habet aliud, cui ſubijciatur; ſpecies autem infima, vt ipſum nomen ſonat, alia ſuprema ſupponit, quibus ſubijcitur.

Ad. III. Ad tertium. Maximum in Deo diſcrimē reperiri; quia cūm omnis compoſitionis expers ſit, nullum habet genus, cui ſubdatur; res autem creata neceſſariò illam admittit & ſic generi ſubditur.

Ad IIII. Ad quartum, quòd eo ipſo quòd natura infima poteſt de ſolo numero differentibus prædicari, ſupponitur vltimò conſtituta in eſſe eſſentiali, atque adeo per genus, & differentiam ſpecificam conſtituta, & fundamentum ſubijcibilitatis.

A

QVÆSTIO III. AN OMNIS ſpecies ſubijcibilis infima ſit prædicabilis.

Opinio. Thomiſtarum. MVLTI Thomiſtæ, argumētis ſequētibus conuincti, tenent dari multas ſpecies ſubijcibiles, quæ tamen non ſunt prædicabiles, omnes nimirū ſpecies Angelicas. Sic Rubio in c. de ſpecie q. 4. Oña q. 1. art. 3. *Rubio. Oña.* & quidem ſuppoſita doctrina Angelici Doctoris, hoc videtur ſequi neceſſariò, in illius enim ſchola vt primū pronunciatum recipitur, naturas ſcilicet Angelicas v. g. Michaelis, & Gabrielis &c. intrinſecè & per ſe eſſe indiuiduas; quia differentia indiuidualis, non alia eſt (inquit hæc opinio) quàm ſpecifica, ita vt natura per eādē differentiam ſpecificam, per quam in eſſe ſpecifico conſtituitur, per eandem in eſſe indiuiduali conſtituatur; & non per aliquid eſſentiæ ſuperadditum, quo præiacto fundamento.

B *Corollari.* Deducitur in hac doctrina impoſsibile eſſe duos Angelos eſſe vnius ſpeciei, etiam ſi de potentia abſoluta Dei ſermo inſtituatur, quod expreſsè docet D. Thomas. 1. p. quæſt. 50. Art. 4. & alibi ſæpè, vt expreſſè illius diſcipuli intelligunt. Caiet. ibi de ente, & eſſentia. q. 9. Capreol. in 2. diſt. 3. quæſt. 1. Conclu. 5. *D. Thom. Caietanus Capreolus*

I. Argum. Primum argumentum deſumitur ex diuerſitate, & in depēdētia iſtorū reſpectuū; videmus enim ſpecies intermedias ſubijcibiles eſſe, non tamen ſpecies prædicabiles.

II. Argu. Secundum. Natura Angelica eſt ſpecies ſubijcibilis, ſed non poteſt eſſe vniuerſalis, & prædicabilis: non ergò omnis ſpecies ſubijcibilis eſt prædicabilis. Minor probatur; quia natura Angelica intrinſecè, & eſſentialiter eſt ſingulari; ſingulari autē, vt ſic omninò repugnat ratio prædicabilis de pluribus; aliàs non eſſet ſingulare. Tum etiā id, C quod intrinſecè eſt ſingulare nō poteſt abſtractè concipi ſine ſua ſingularitate, cūm nihil intelligi queat, ſine eo, quod ſibi intrinſecum eſt; rem autem fieri vniuerſalē eſt abſtrahi à ſingularitate.

Solutio. Thomiſtæ. Nec valet ſolutio, quam cōmuniter Thomiſtæ adducunt, naturā nempè Angeli poſſe conſiderari, vel ſecundūm ſuam naturā, vt ſcilicet eſt in ſe, & ſic implicat eſſe cōmunem; alio modo vt à nobis cōcipitur ad modum rerum materialium, quas, quia cōcipimus conceptu plurificabili, ideò natura Angelica ſic cōſiderata verè vniuerſalis denominatur, vt ſcilicet à nobis cōcipitur: iſta ergò denominatio ſpeciei prædicabilis non

fundatur

fundatur in ipſa entitate, vt eſt in ſe; ſed in entitate, prout cognita à noſtro intellectu.

Impugna. Sed cōtra: ergò denominatio iſta fundamentum habet omninò fictitium, & chimæricum, quia fundamentũ illud nõ fundatur in rei entitate, ſed in ſola intellectus cōceptione; cùm in re omninò repugnet reperiri; quòd autem fiat ad ſimilitudinẽ rerum materialiũ parũ refert: cùm etiã figmẽta pura ad ſimilitudinem entium realiũ fiant: tum etiam quòd ad hoc, quod res aliqua ſit prædicabilis non ſufficit, quòd apprehendatur vt prædicabilis, niſi ſit in re plurificabilis, & nulla alia ratione Petrum, vt Petrus eſt, vt prædicabilẽ nequit intellectus apprehendere; licèt enim materialis ſit, quid in conuenit, ſi doctrina ſupra poſita eſt vera? vt illũ ad modũ alterius rei prædicabilis apprehẽdat, ſi à parte rei eſt eadem vtriuſq; ratio? & fundamentũ tantùm deſumitur ex noſtro modo intelligendi, imò poſſet Deus à noſtro intellectu (illum ad modũ rei materialis cōcipiente) vt cōpoſitus metaphyſicè, & vt prædicabilis apprehendi, cùm ad hoc, fundamentum ex modo imperfecto intelligendi, noſtri intellectus deſumptum ſufficiat: licèt in re ſit omninò oppoſitum.

Tandem, ſpecies vniuerſalis dicit aptitudinẽ ad plura indiuidua, ſed indiuidua ſpeciei Angeli, reſpectu quorum eſt vniuerſalis, neceſſariò ſunt fictitia, & entia rationis, cùm in re dari implicet. Nec quidquam efficit aſſertum Ioanis Sãchez; indiuidua illa vel potiùs aptitudinem illam talis vniuerſalis eſſe cōditionalem, quòd ſcilicet ſi per impoſibile darentur indiuidua ſub ſpecie Angelica de illis prædicaretur, quis non attendit hoc eſſe contra eſſentiam aptitudinis vniuerſalis, quæ non ſub cōditione, ſed abſolutè poſtulat inferiora? imò quòd conditionalis hæc impoſsibilis eſt & fictitia, ſicut hæc, ſi chimæra eſſet homo, intelligeretur.

Aliquorũ dictum. Dicunt nonnulli, in ipſa natura Angelica in re dari fundamentum, vt illi talis intentio adaptetur; illud què vel eſſe cōpoſitionem ex eſſe & eſſentia; vel vt alij volunt cõpoſitionẽ generis, & differentiæ, ex qua prouenit, quòd ſpecifico poſsit conceptu apprehendi.

Impugna. Sed contra hoc eſt. Hoc idem fundamentum dari in Petro, in illo enim vtraq; compoſitio ex eſſe, & eſſentia, & genere, & differentia reperitur. Tandem quòd in ſchola D. Thomæ fundamentum vniuerſalitatis non eſt aliud, quàm indiuiduum hoc, ex vi talis naturæ poſſe habere aliud indiuiduum ſibi ſimile, hoc autem nõ datur in natura Angelica, ſed potius oppoſita ineptitudo.

Notabile. Supponendum eſt tamen, in ſubtilis noſtri Doctoris ſchola, vt primum principium vulgatiſsimum què pronunciatum recipi; differentias indiuiduales rerum omnium creatarum, tàm materialium, quã ſpiritualium eſſe extra ipſarũ eſſentias (hoc enim ſolius Dei proprium eſt, quòd ſua ratione eſſentiali ſingularis ſit) atquè adeò omnes res creatas multiplicabiles eſſe, & diuiſibiles in plura indiuidua, & ſub eadem natura Angelica poſsibiles eſſe plures Angelos ſolo numero diſtinctos; oppoſitum ſane eſt ſine cauſa Diuinã potentiam limitare, cùm nulla in re detur contradictionis implicatio. Hanc doctrinam tradit noſter Doct. ſatis eruditè, efficaciſsimis què rationibus conuincit 7. metaph. q. 13. & in 2. ſent. d. 3. vt non ſolùm omnes illius diſcipuli, ſed etiam multi ex diſcipulis D. Thomæ eam defendãt. Ferrara 2. contra gentes. c. 93. Iabellus 12. metaph. q. 24. *Subtilis Scotus. Ferrara. Iabellus.*

Concluſio. Concluſio. Omnis ſpecies ſubijcibilis eſt vniuerſalis, & prædicabilis.

Probatur. Probatur; quia quæcumquè natura infima eſt diuiſibilis, & multiplicabilis in plura indiuidua; cùm nullam intrinſecè includat differentiam indiuidualem, atquè adeò ex ſe ſit cōtrahibilis per illam; cum etiam quòd immediatũ ſubijcibile generis vt ſupra explicuimus eſt vniuerſale; ſubijcibile verò ſpeciei infimæ eſt ſingulare.

Corollariũ. Ex dictis neceſſariò deducitur naturas Angelicas, & eſſe ſpecies ſubijcibiles, & prædicabiles.

I. Pars Probatur. Prima pars patet. Iſtæ naturæ commune genus habẽt ſubſtãtiam ſcilicet, & ſpiritum, cùm verè ſint in prædicamento ſubſtãtiæ: ſi ergò in illis genus datur, etiam & ratio ſpeciei ſubijcibilis, cùm genus, & ſpecies ſubijcibilis correlatiua ſint, & mutuo ſe ſe inferant. Tum etiam quòd quidquid metaphyſice ex genere, & differentia componitur, eſt ſpecies ſubijcibilis.

II p. Prob. Secunda pars etiam patet, quia eis conuenit poſſe pluribus indiuiduis cõmunicari.

Ad argu. Respõdetu. Argumenta autem nullum nobis nocumentum inferunt, non primum, quia quæcumquè ſpecies ſubijcibilis eſt vniuerſalis, & prædicabilis talis autem ſpecies; ſubijcibilis, nempè infima eſt ſpecies prædicabilis. Nec ſecundũ: quia falſum reputamus illius fundamentum.

QVÆSTIO IIII. VTRVM ſpecies in quantùm prædicabilis, & vniuerſalis ſit ſubijcibilis.

OPINIO Eſt aliquorum aſſerentium, ſpeciē eſſe eſſentialiter vniuerſalem in termediam, & infimā, à qua eſſentia, duæ poſsiones dimanant, vna ſubijcibilitatis reſpectu generis, alia prædicabilitatis reſpectu inferiorum, atquè adeò ſpeciem vniuerſalem eſſe ſubijcibilē, cùm propria paſsio de ſuo ſubiecto reduplicato enūcietur; dicimus enim quòd Petrus in quantùm homo eſt riſibilis; quia reduplicatio denotat cauſam propter quam prædicatum conuenit ſubiecto; natura autē ſubiecti eſt cauſa paſsionis. Tum etiā quòd omnis paſsio prædicatur de ſuo ſubiecto in ſecundo modo dicēdi per ſe vt Ariſt. docet. 1. poſter. c. 4 *quid quid autem prædicatur de ſubiecto in primo, aut in ſecundo modo dicendi per ſe, prædicatur in quantùm eſt tale*; vt etiam docet Ariſt. qui ibi ait *quod per ſe, & ſecūdùm quod ipſum, ſunt idem*: ſi ergò ſubijcibilitas eſt paſsio ſpeciei vt vniuerſalis eſt intermedia, vel infima affirmabitur de ea in quantùm talis, atq; adeò in quantùm vniuerſalis erit ſubijcibilis. quòd verò ſubijcibilitas ſit paſſio ſpeciei vniuerſalis probatur.

I. Argumē. Primò. Subijcibilitas non eſt eſſentia ſpeciei; alias enim vniuerſale non eſſet genus ad ſpeciem; quia non participaret eſſentiā illius, nec accidens commune; quia id quod conuenit omni, ſoli, & ſemper non eſt accidens, ſed paſsio: ſubijci autem immediatè generi, conuenit omni ſpeciei ſoli, & ſēper: ergò eſt paſsio illius.

II. Argumē. Secundò Subijcibilitas tantùm dimanat ab eſſentia vniuerſalis intermedij, & infimi: ergò eſt illius paſsio. Antecedens probatur; quia ex eò quod natura ſpecifica ſit abſtracta, fluit ab illa quod ſit ſubijcibilis, aliàs enim vt contracta non poterat generi ſubdi in prædicatione.

I. Cōcluſio Prima concluſio. Relatio ſubijcibilitatis non oritur à relatione vniuerſalitatis, vt paſsio illius. Hæc eſt communis omnium dialecticorum.

I. Probat. Probatur ex ſupradictis primò. Quia iſti duo reſpectus non ſolū ſunt diſparati; ſed quaſi oppoſiti, & oppoſito modo denominant naturam, & ad terminos oppoſitos illam referunt: repugnat ergò, vnum ex aliò dimanare.

II. Proba. Secundò. Vel ſubijcibilitas oritur ab ſpecie vniuerſali in quantùm præciſè, eſt vniuerſalis; & hoc nō, aliàs enim omne vniuer ſale eſſet ſubijcibile; quòd abſurdum eſt, vt A patet, in generibus ſupremis, ſequella verò patet; quia vbicumque reperitur cauſa adæquata alicuius effectus, ibi reperitur talis effectus ab illa, vt ſic, neceſſariò dimanans, vel fluit ab illa quatenùs eſt vniuerſale, medium, aut infimum; quod etiam, falſum eſt, quia naturam eſſe vniueiſale, medium, aut infimum non eſt cauſa formalis ſubijcibilitatis, cùm enim iſti reſpectus ſint rationes formales eſſentialiter diſtincti, non poſſunt habere eundē euentum formalem, nec cauſa emanatiua vt dictum eſt; quia ſunt formæ quaſi oppoſitæ; relatio etenim inferioritatis, non poteſt oriri ex relatione ſuperioritatis. Quis enim vnquā dixit relationem filiationis, quæ eſt inferioritatis ad ſuum patrem, oriri ex relatione ſuperioritatis, ſcilicet paternitatis, quā dicit ad ſibi filiū? Tādem quòd vt iam vidimus, eſſe medium, vel infimum, non eſt eſſentia ſpeciei B vniuerſalis: ſed illius accidens: ergò ab illo, vt ſic, non fluit ſubijcibilitas tanquàm paſsio. hæc enim manat ab eſſentia.

II. Cōclu. Secunda concluſio Species in quantùm vniuerſalis nō eſt ſubijcibilis, hæc ſequitur neceſſariò ex prima: & præterea.

Probatur. Probatur. Genus, & ſpecies ſubijcibilis ſunt intrinſecè correlatiua; ſed ſpecies in quantùm vniuerſalis non eſt correlatiua generis; quia vt ſic non reſpicit genus: ergò in quantùm vniuerſalis non eſt ſubijcibilis.

Ad. Arg. Ad argumēta in principio. Ad Primum. Reſpondet Subijcibilitatem nec eſſe eſſentiā, nec paſ- Ad I. ſionem vniuerſalitatis, nec accidēs commune illius, quia non illam, ſed vtraquè immediatè naturā afficit. Vnde concomitanter tantùm ſe habent, ratione fundamenti, in quo reperiuntur.

Ad. II. Ad ſecundum negatur antecedens; licèt enim materialiter ſupponat naturā abſtractam; nō tamē fluit ab illa formaliter vt ſic. C

QVÆSTIO V. QVÆ EX his rationibus, prius natura, ſpeciei conueniat prædicabilitas nè? an ſubijcibilitas?

QVI tenent ſubijcibilitatem, & prædicabilitatem, paſsiones eſſe vniuerſalitatis, ab illa dimanantes, addunt talem inter illas ordinem reperiri, vt vna ſpeciei vniuerſali mediante alia conueniat, prædicabilitas nempè media ſubijcibilitate; ita vt prius natura conueniat ſubijcibilitas, à qua veluti oritur prædicabilitas, cui opinādi modo multi recentiores acquieſcunt: probatur

probatur què ſequentibus argumentis.

I. Argumẽ. Primum. Species nihil prædicat de indiuiduis, niſi genus, & differẽtiam, ex quibus componitur: ergò prius intelligimus, ſpeciem conſtare genere, & differentia, quàm intelligamus eam prædicari de indiuiduis: prius ergò natura intelligimus eam eſſe ſubijcibilem, quàm prædicabilem. Patet hæc ſecunda conſequutio, quia eo ipſo quod conſtat genere, & differentia, eſt illis ſubijcibilis: ſed prius intelligimus ſpeciem conſtare genere, & differentia quàm prædicari: ergò prius intelligimus eſſe ſubijcibilem, quàm prædicabilem.

II. Argumẽ. Secundum. Prius conuenit rei illa proprietas, quæ ſequitur ad illam ſecũdùm ea, quæ habet in ſe, quàm ea quæ ſequitur ex aliquo extrinſeco: ſed ſubijcibilitas ſequitur ad ſpeciem, ſecundùm ea, quæ habet in ſe; prædicabilitas verò ex aliquo extrinſeco, ſubijcibilitas enim ſequitur ad ſpeciem, secundùm quòd componitur ex genere, & B differentia; ideò enim illis ſubijcitur; quia eiſdem conſtat: hoc autem eſt eſſentiale, & intrinſecum ſpeciei; prædicabilitas autem ſequitur ex eo, quòd habeat indiuidua, quod eſt illi extrinſecum: prius ergò conuenit ſpeciei ſubijcibilitas, quàm prædicabilitas.

III. Argumẽ. Tertium. Hominẽ prædicari de pluribus differentibus numero, præſupponit, quod ſit homo; ſed homo habet eſſe radicaliter ab animali: ergò prædicari de pluribus, habet homo ex ratione animalis: ſed non poteſt conſiderari, quòd habet rationem animalis, niſi conſideretur, quòd tali rationi ſubeſt: ergò prædicabilitas ſpeciei profluit à ſubijcibilitate, vt ex radice.

Cōfirmat. Confirmatur primò. Eſſentia ſpeciei oritur à genere, prius ergò ſpecies reſpicit ſuũ genus, à quo accipit ſuam eſſentiam, quàm indiuidua, à quibus illam non accipit. C

II. confir. Præterea. Prius vt diximus intelligitur natura ſpecifica in ordine ad ſua prædicata eſſentialia, quàm in ordine ad ſua inferiora, imò ex eo quod conſideratur primo modo, conſideratur ſecundo modo, id autem, quod primò concipitur de aliqua re, eſt eſſentia, cætera autem paſsiones, ſi illi ſoli conueniant.

III. Cōfirmat. Deinde. Prius conuenit ſpeciei (naturæ v. g. humanæ) ſua actualitas, quàm ſua potentialitas: ſed aptitudo ſubiectionis ad genus conuenit ſpeciei, ratione ſuæ actualitatis, aptitudo verò ad inferiora conuenit ratione ſuæ potẽtialitatis, quia ex eo, quòd ſpecies continet actu genus, poteſt illi ſubijci: ex eo autem, quòd in potentia continet inferiora, eſt de illis prædicabilis. A

IIII. Cōfirma. Item. Species vt prædicabilis præſupponit, vt conſtitutum id, quod debet prædicari; hoc autem eſt conſtitutũ ex genere, & differentia: ergò præſupponit ſpeciem ſubijcibilem; ſpecies enim ex eo eſt ſubijcibilis generi, quia eſt conſtituta ex genere, & differentia.

V. Cōfirmat. Tandem, quòd fundamentum ſubijcibilitatis eſt propria eſſentia ſpeciei, ſeu naturam eſſe compoſitam ex genere, & differẽtia: fundamentum autem prædicabilitatis eſt proprietas naturæ, aptitudo ſcilicet, aut indifferentia naturæ.

Notabile. Suppoſitis his, quæ ſuprà diximus; in rebus ſolum dari fundamenta remota iſtarũ intentionum; fundamentum remotum ſubijcibilitatis diximus eſſe naturam, vt compoſitam ex genere, & differentia, vniuerſalitatis verò ſeu prædicabilitatis, eſſe indifferẽtiam aut aptitudinem naturæ remotã, vt per hanc, vel illam differentiam contrahatur: fundamenta verò proxima eſſe naturam prout cognitam, aut abſtractam, ſeu cõparatam; vnde iſtæ intẽtiones non conueniunt rebus ſecundùm ſe; ſed prout cognitis; & licèt occaſionaliter ſint à rebus, vt ait noſter Doctor, quaſi effectiuè tamen ab intellectu. Natura ergò abſtracta ab indiuiduis, quam vocamus vniuerſale metaphyſicum, eſt fundamẽtum, in quo poſsint duæ iſtæ habitudines ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis fundari; atq; adeò ſicut natura, vt cõditionẽ petit abſtractionẽ ab indiuiduis, ſic eandem conditionem requirit, vt ſubijcibilis generis denominationem ſuſcipiat.

I. Conclu. Prima concluſio. Si natura ſpeciei ſecundùm ſe conſideretur, prius conuenit illi fũdamentum ſubijcibilitatis, quàm fundamẽtum prædicabilitatis.

Probatur. Probatur, quia illud eſt natura ſecũdùm ſe, vt eſſentialiter conſtat genere, & differentia; hoc verò eſt proprietas naturæ, quæ ad ipſam entitatem ſequitur.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Si comparatio fiat inter ſubijcibilitatem, & vniuerſale metaphyſicum, ſeu naturam abſtractam; prius eſt naturam eſſe vniuerſale metaphyſicum, ſeu eſſe abſtractum, quàm ſubijcibilitas; hæc ex ſuprà dictis.

Probatur. Probatur, quia prius eſt ſubiectum cum conditione requiſita ad recipiẽdam aliquã formam; quàm ipſa forma ſit recepta; ſed tale ſubiectum ſubijcibilitatis eſt natura

abſtracta

abſtracta, vt diximus, quia ſubijcibile generis debet eſſe vniuerſale, & præciſum ab ipſis differentijs indiuidualibus (natura enim vt contracta, & ſingularis, non eſt immedia tum ſubijcibile generis) requiritur ergò vt præcedat abſtractio tanquam conditio, & via ad hoc, quòd formale ſubijcibile generis conſtituatur; non tamen ſubijcibilitas, requirit, quòd formaliter habeat natura ſecundam intentionem vniuerſalitatis, nec ècontra.

III. Conclusio. Tertia concluſio. Si relationes ipſæ ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis inter ſe conferantur, neutra neceſſariò aliam ſupponit; ſed poſita natura ſic abſtracta, poteſt nunc illam intẽtionem illi tribuere, nunc aliam.

Probatur Probatur, quia pro ſuo libito poteſt intellectus nunc illam naturam abſtractam ad ſua ſuperiora, nunc ad ſua inferiora comparare; quia tales relationes non habent inter ſe neceſſariam connexionẽ; ſed potius ſunt vt diximus, diſparatæ, & quaſi oppoſitæ, dependent què ab oppoſitis terminis, quales ſunt ſuperius, quod reſpicit, vt ſubijcibile; & inferius, quod reſpicit vt prædicabile.

Ad argũ. Diluũtur argumẽta in principio obiecta.

Reſpõdet. Ad primum ſic reſpõdetur conceſſo ante-

Ad I. cedenti, & prima conſequentia; diſtinguo ſecundã: prius intelligimus, eam eſſe ſubijcibilem fundamentaliter cõcedo; formaliter nego; quia ſubijcibilitas non oritur, vt proprietas realis, ex ipſa natura compoſita ex genere, & differentia; ſed cum ſit relatio rationis indiget comparatione, vt fiat; & hæc præſupponit naturam abſtractam ab indiuiduis, non ergò eo ipſo, quòd natura eſt cõpoſita ex genere, & differentia eſt illi formaliter ſubijcibilis, in re enim natura ſpecifica, non ſubijcitur generi, cùm genus à parte rei habeat modum partis illius; & non ſe habeat vt totum, niſi cùm concipitur ab intellectu vt totum, atquè adeò in re tantùm eſt in potentia remota ſubijcibilis.

Ad II. Ad ſecundum Diſtinguenda eſt maior, ſi tales proprietates ſint reales dimanantes realiter ex ipſis rebus concedo: ſi ſint proprietates rationis factæ ab intellectu, ſecũdũ quòd ſic, vel ſic ab eo res comparantur, nego

Ad. III. Ad tertium. Quòd radicaliter habet homo, & remotiſsimè prædicari de pluribus ab animali; minus antẽ remotè ex propria natura apta determinari per differentias, proximè autem ab intellectu comparante.

Ad I. confirmationẽ Ad confirmationem ſimiliter concedo antecedens, quòd ſcilicet eſſentia ſpeciei

A oritur à genere vt à parte materiali, qua ratione diximus genus eſſe principiũ ſpeciei: negatur autem conſequentia; non enim poteſt reſpicere ſuum genus formaliter, niſi prius abſtrahatur ab indiuiduis.

Ad ſecundam confirmat. Quòd illa cognitio, vel eſt purè abſoluta, vt ſupra diximus, qua cognoſcitur natura ſecundũm ſuã eſſentiam, & ex vi illius non fit formaliter ſubijcibilis, vel eſt comparatiua, & hæc præſupponit abſtractiuam cognitionem, qua natura abſtrahitur ab indiuiduis. *Ad Cõfir. II.*

Ad tertiam confir. Diſtinguo minorem: talis aptitudo ſubijcibilitatis conuenit ſpeciei præciſè ratione ſuæ actualitatis, & prout illam habet in re contractam in indiuiduis nego; ratione ſuæ actualitatis, vt abſtractæ ab indiuiduis concedo. *Ad III. Cõfirmat.*

B

QÆSTIO VI. POSSINT NE genus in vna ſpecie, & ſpecies in vno indiuiduo conſeruari.

CONTROVERSIAM hãc agitat noſter Doctor q. 16. vniuerſaliũ, quã ad præſentẽ locum reſeruauimus; nẽ eadẽ iterum repeteremus, in qua nonnulla ſunt, quæ ipſam dubiam reddunt.

Primum. Videtur genus neceſſariò exigere ſpecies actu exiſtens, animal v. g. diuiditur per oppoſitas differẽtias; ſed vno oppoſitorum exiſtente, neceſſum eſt vt aliud quoquè exiſtat, vt docet Ariſtotiles 2. de cælo tex. 18. ergò exiſtente vna ſpecie animalis, aliam ipſius ſpeciem exiſtere oportebit. *I. Argum.*

Prætereà genus ad ſpeciem contrahitur per differentiam; ſed differentia non conſtituit ſpeciem, niſi ſimul diſtinguẽdo eam ab alijs ſpeciebus: ergò genus plures actũ petit ſpecies.

C Deinde natura generica eſt eſſentialiter incompleta, & imperfecta; perficitur autẽ per differentias ſpecificas; atqui non perficitur adæquatè, per vnam differentia eſſentialem, niſi per plures: ergo genus plures petit differentias, & ſpecies in quibus compleatur perfectè.

Confirmatur. Animal ſubiectum eſt exiſtens in potentia ad contraria: ergò exiſtente vno cõtrario (vna ſcilicet ſpecie) & aliud ex natura rei exiſtere (aliã nimirũ ſpeciẽ) neceſſum erit, alioquin prædicta potentia fruſtranea eſſet. *I. Cõfirm.*

Confirmatur ſecundò. Relatio quæuis terminum actũ exiſtentem expoſcit: ergò generis relatio ex natura rei ſpecies actũ *II. Cõfir.*

exiſtentes

exiſtentes differẽtiæ in quibus eius pulchritudo eluceat, & oſtẽdatur, cui maximè ſuffragari videtur Ariſt. innumeris in locis 4. enim topic. c. 1. aſſerit *ſi ſpecies prædicatur de æqualibus, cum genus interimitur quod ponitur pro genere* & c. 4. *omnis generis plures ſpecies*, & Porphyrius c. de ſpecie ſic *genus vnum, ſpecies vero plures; diuiſio namquè generis in ſpecies plures ſemper eſt*.

II. Argũ. Secundum. Quòd ex alia parte videtur genus, etiam formaliter ſumptum, quatenus genus, & vniuerſale eſt, vnicã tantùm poſtulare ſpeciem; ſi per impoſsibile animal ex ſua natura, vnicam dumtaxàt contineret ſpeciem, vt hominem reſpectu illius rationem generis, & ſimpliciter vniuerſalis obtineret; tunc etenim non eſſet gradus differentialis: eſſet ergò genericus; quia eſſet gradus perfectibilis, & determinabilis per rationale; quia de facto rationalitas, ſolùm intelligitur perficere animal ſecundùm quòd habet potentiam ad ipſum; B non enim illud perficit, quatenus potentiã habet ad hinibilitatem ad alias vè differentias: habet ergò rationem perfectibilis genus ſolum in ordine ad rationalitatẽ. Sed nè per incerta, & ambigua diuagemur, diſtinctione generis præmiſa, quæ citra omnem controuerſiam ſunt ſtatuamus: quamobrem.

I. Notab. Adnotare primò oportet, genus, & ſpeciẽ, vel ſumi poſſe primè intẽtionaliter, & ſecũde intentionaliter: primo modo eſt ipſa natura realis, quæ vniuerſalitati ſubeſt, quæ adhũc dupliciter pẽſari poteſt; primò phyſicè, & vt ſolùm dicit ſuam entitatem ex prædicatis ſuis eſſentialibus conſtantẽ, ſecundò metaphyſicè, vt dicit naturam abſtractam, aptam perfici per plures differentias eſſentiales.

II. Notabile. Secundò, eſſentiam generis, vt ſic eſſe relatiuam aptitudinem ad plures ſpecies, & ſpeciei prædicabilis aptitudinem relatiuam ad plura indiuidua, ſiue illa plura ſint actu, ſeu potẽtia, ſiue aptitudine. Sic noſt. Doct. loco citato, vt conſtat ex diffinitione generi, & ſpeciei: hoc enim eſt de eſſentia vniuerſalis; aptum nempe eſſe de pluribus prædicari; explicat autem noſter Doctor, quid ſit aptitudo, & quid potentia, habent enim diſtinctionem; aptitudo inquit, nihil aliud eſt, niſi inclinatio alicuius rei in aliquid, vel magis non repugnantia ad aliud; potentia verò dicit ordinem ad actum; in cæco enim eſt aptitudo videndi, non tamen potentia; talis ergò potentia, quæ phyſica dicitur eſt potentia; vt virtute cauſarum naturalium, A in actum reducatur: tripliciter ergò poteſt intelligi quòd genus, & ſpecies requirant plura; vel quæ actù in re exiſtant, vel in potentia, aut aptitudine, eſt què dubium an eadem ſit ratio de genere ac de ſpecie.

Opinio aliquorum. Eſt autẽ opinio multorum aſſerentium, non eſſe eandem rationem generis, & ſpeciei ad hoc; ſed aliam eſſe in genere, & aliã in ſpecie, quia vt ſpecies ſit, ſatis eſſe dicunt ſi vnum illius indiuiduum exiſtat, & habeat illa natura aptitudinem, ſeu non repugnantiam, vt ſit in pluribus; vt vero exiſtat genus, debent plures eſſe ſpecies actù exiſtẽtes, ita vt ſi ex duabus ſpeciebus, actu exiſtentibus, altera deſtruatur, non poſsit genus logicum in ſola vna conſeruari Sic Ninphus. 6. topic. c. 3. Toletus. c. de ſpecie. q. 1. citantũr què pro ea D. Thomas, & Subtilis Scotus ſed immeritò ſanè, vt legenti quæſtionẽ hanc Doctoris clarè conſtabit. *Nimphus Toletus.*

B Argumenta pro hac ſententia ſunt, quæ pro prima ratione dubitandi poſuimus; ſed quæ certa ſunt apud omnes, proponamus.

I. omnium cõueniẽtia. Indubitatum eſt apud omnes naturam genericam, & ſpecificam phyſicè conſideratam, in vno dumtaxat indiuiduo poſſe conſeruari; & in hoc eandem eſſe vtriuſq; rationem; ſi enim Deus deſtrueret omnia animalia, ſolo homine cõſeruato, vel ſolo vnico indiuiduo hominis, in illo ſaluaretur tota eſſentia hominis, & tota quidditas animalis; ſicut & modo continetur in Petro v. g. cùm Petrus ſit viuens, ſenſibile, corpus, & ſubſtantia &c. Tum etiam quia genus logicè ſumptum de qualibet ſpecie enunciatur: ergò materialiter, & phyſicè eſt in qualibet ſpecie ſecundùm totam ſuã eſſentiam.

II. Coueniẽtia. Certum eſt ſecũdò: ſpeciẽ logicè ſumptã C non requirere plura indiuidua, actù exiſtentia, vt patet in ſole & luna, ſunt etenim ſpecies logicæ ſecundùm omnes ſub diffinitione veræ ſpeciei prædicabilis contentæ: quia diffinitio ſpeciei per aptitudinem datur; ſufficit ergò aptitudo, ſeu non repugnantia ex parte naturæ, vt de pluribus prædicetur quia vt in exemplis ſuprà poſitis cõſtat plura indiuidua ſolis, non ſolùm actu non exiſtunt; ſed nec in potentia phyſica dicente ordinem ad actum. Cum viribus naturæ plures ſoles effici nequeant, tamen quantùm eſt ex ſe non repugnat naturæ ſolis eſſe in pluribus; imò nec exigit quod ſit actu in aliquo indiuiduo; tum quia vniuerſalitatis eſſentia conſiſtit in aptitudine, cui

accidit

accidit actus eſſendi? tùm etiam quia ſi nulla roſa exiſtat, roſa eſt ſpecies; imò quòd eſſe naturá vniuerſalem, vel ſpeciem logicè loquendo, nõ habet in ipſis ſingularibus; ſed prout eſt obiectiuè in intellectu.

I. Cõcluſio Prima concluſio. Ad hoc quòd aliqua natura denominetur genus, nõ requirit quòd habeat actũ plures ſpecies, nec per potentiam phyſicam realiter poſsibiles; atquè adeò genus vt totum potentiale, & vniuerſale logicum, non requirit actu vel potentia ſpecies; & in hoc eadem eſt ratio de conſeruatione generis, ac ſpeciei. Sic noſtèr Doctor loco citato, Cardinalis Sarnanus, Mauritius, Anglicus, Tataretus. *Subtilis Doctor. Sarnanus. Mauritius. Anglicus. Tataretus.*

I. Pars Probatur. Prima pars probatur: quia verba in diffinitione generis, non dicunt actum, ſed aptitudinem. Tum etiam, quia vtrumq; vniuerſale, eſt totum potentiale, & ſuperius, & ad plura eſſentialiter refertur; & natura ſpecifica eſt contrahibilis per differentias indiuiduales: ergò ſicut ad rationem ſpeciei nõ requiritur, quòd actu habeat vel potentia, indiuidua; ita nec ad rationem generis, vt genus eſt logicè.

II Pars Probatur. Secunda pars probatur. Illa natura denominatur genus, quæ ab intellectu concipitur, vt prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie; ſed hoc modo poteſt concipi, etiam ſi non habeat plures ſpecies realiter poſsibiles per potentiam phyſicam.

II. Concluſio Secunda concluſio. Vt aliqua natura genus denominetur, requiritur neceſſariò, vt habeat plures ſpecies aptitudine, ita vt ſi nec hoc modo poſſet habere ſpecies, non poſſet genus denominari, & in hoc ſenſu, tam genus, quàm ſpecies nequeunt in vno inferiori conſeruari; vt nec ſpecies in vno indiuiduo, nec genus in vnica ſpecie: ſic noſter Doctor ibidèm.

Probatur. Probatur; quia de intrinſeca ratione vniuerſalis eſt habitudo ad plura requirit ergò neceſſariò plura non actu, vel potentia: ergò ſaltim aptitudine.

Item de eſſentia generis, & ſpeciei eſt, quòd ſint tota potentialia cõtrahibilia per differentias oppoſitas: ſed quælibet differẽtia eſt ſuæ ſpeciei conſtitutiua; requirũt ergò plura ad ſui conſeruationem genus, & ſpecies; aliàs enim non eſſent ſuperiora.

II. Probatur. Secundò probatur ſic, ſequeretur etiam quòd genus non eſſet genus, & natura generica eſſet differentialis: cùm ille gradus ſit differentialis, per quem res ab omni alia diſtinguitur, ſed ſi nec aptitudinẽ haberet ad plures ſpecies, ſpecies ab omni

A alio diſtingueretur per illam naturam, aut gradum quia in illo cum nulla alia conueniret.

Cõfirmat. Præterea. Si talis gradus genericus eſſet proprius, & particularis, alijs incommunicabilis, gradus differentialis, illi ſuperadditus, eſſet ſuperfluus; quia munus differentiæ eſt, conſtituere rem in ſuo eſſe, & illam ab alijs diſtinguere, quod totũ faceret ille gradus.

III. Concluſio. Tertia Concluſio. Ad rationem generis formaliter ſumpti requiritur quòd habeat multas ſpecies, actu non exiſtentes, ſed obiectiuè in intellectu, ſaltim per cognitionẽ confuſſam, vt ſuprà diximus; ſic noſter Doctor ibidem.

Probatur Probatur, quia genus, & ſpecies ſunt correlatiua ergò ſunt ſimul.

IIII. Concluſio. Quarta concluſio. Cum hoc tamen ſtat, eſſe diſcrimẽ inter genus, & ſpeciem, ſi primè B intentionaliter ſumantur, quòd magis connaturale eſt generi aptitudo ad plures ſpecies, quàm ſpeciei ad indiuidua; quia natura generica eſt quid incõpletum, & in perfectum; atquè adeò magis petit plures actus ſpecificos, per quos eſſẽtialiter perficiatur; ſpecies verò ſecũdùm ſe quid completum eſt. Tùm etiam quòd eo modo, quo vniuerſum eſt, à Deo conſtitutum, quoduis genus plures habet actu ſpecies, ita vt vi cauſarum naturalium omnis natura generica in pluribus ſpeciebus actu ſit; cum tamen dentur plures naturæ ſpecificæ, quæ in ſolo vno indiuiduo reperiuntur.

Ad argũ. Ad I. & ad confirmat. Ad argumẽta in principio poſita. Ad primum cum ſuis omnibus confirmationibus. Eandem vim habere de ſpecie reſpectu indiuiduorũ; dicimus ergò quòd tantùm probat ſecundam concluſionem; non enim eſt de eſſentia differentiæ quæcumq; ſit, ſiue in C diuidualis, quòd actu diſtinguat vnum ab alio; ſed quòd poſsit diſtinguere: & de ratione generis nõ eſt quòd ſit adæquatè perfectũ extrinſecè (quod per plures ſpecies fit) ſed ſolum quòd ſit perfectibile: & cùm hæc relatio generis ſit rationis, ſufficit quòd terminus, nempè ſpecies, exiſtat exiſtentia obiectiua in intellectu, vt ait noſter Doct. Ariſt. autẽ, & Porphyrius intelligendi ſunt iuxta ſecundam, & tertiam concluſionem; vndè cùm intellectus cõcipit genus, & illud ad ſuas ſpecies comparat, ſi vna ex duabus ſpeciebus deficeret in apprehenſione, & ſola maneret vna, non eſſet genus logicũ; quia, deficiente termino relationis, deficit, & relatio: illud autem dictũ Ariſt. *exiſtente vno oppoſito*

oppoſito &c. intelligitur non de exiſtētia neceſſaria (quaſi vnum oppoſitum ad ſui exiſtentiam neceſſariò dependeat ab exiſtētia alterius) ſed de exiſtentia ad ordinem vniuerſi ſpectante, cuius pulchritudo maximè per oppoſitorum exiſtentiam augetur, & commendatur. Ex quo tantùm deduci poteſt noſtra vltima concluſio, ad pulchritudinem, nimirum vniuerſi maximè variarū animalis ſpecierum exiſtentiam decere.

Ad II. Ad ſecundum. Illo impoſsibili admiſſo non maneret in eſſe generis, ſed noui cuiuſdam alterius prædicabilis, quod prædicaretur in quid incompletè de ſpecie, & tamen cōuertibiliter cum ſpecie, nec enim hoc mirum debet apparere; dato enim vno impoſſibili ex eo ſequitur quodlibet. Modò autē animalitas, quæ eſt in homine ex ſe quidē indifferens eſt vt diſtinctione ſecunda docuimus, vt quantùm eſt ex ſe per hanc, vel illam differentiam contrahatur.

ARTICVLVS II. DE ſubijcibili ſpeciei prædicabilis, nempè de indiuiduo.

VT ſpeciei prædicabilis natura melius innoteſcat non abs re Dialectici de indiuiduo diſputant, quod ſubijcibile, & correlatiuum eſt ſpeciei, per quod diffinitur; qua propter Porphyrius de illo in calce ſuperioris capitis nonnulla docuit, in cuius diſputatione à quæſtionibus phyloſophicis, & metaphyſicis abſtinendum nobis erit, nè in alienam meſſem, ex profeſſo falſem mittere videamur, ſolùmq; logicales diſcutiemus.

QVÆSTIO I. AN EXACTA diffinitione Porphy. indiuiduum diffinierit.

RATIO dubitandi eſt quòd diffinitio ſolius rei vniuerſalis eſt, vnde Ariſt. planè docet. 7. metaph. c. 15. tex. 55. indiuidui non eſſe diffinitionem, nec ſcientiam, & rationem reddit, *quia ſcilicet diffinitio ſcientia, aut demonſtratio neceſſariorum tantū eſt; ſingularia autem contingentia ſunt.* Nōnulla tamen prius ad notanda ſunt apprimè neceſſaria, ad indiuidui cognitionem.

Notab. I. Primum eſt, indiuiduum multipliciter appellari: dicitur ſingulare, quatenus in ſe vnum numero eſt; dicitur indiuiduū, quòd non ſit in inferiora diuiſsibile, in quo vni-

A uerſali opponitur, quod in plura inferiora diuidi poteſt, ſoletq; appellari ſuppoſitum, perſona, prima ſubſtantia (ſi indiuiduum ſit ſubſtantiæ) poteſt autem indiuiduum capi dupliciter, vt ſupra de genere, & ſpecie dictum eſt, vel primè intentionaliter, pro ipſa nempe re, quæ ſingularis eſt vt pro Petro, Paulo &c. vel ſecundè intentionaliter, pro quadam ſcilicet ſecunda intentione, à qua res ſingularis denominatur indiuiduum. Sicut enim in homine per comparationem, vel ad ſuperiora, vel ad inferiora reſultat relatio ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis, ſecundùm quòd ad diuerſa comparatur, ſic etiam in ſingulari quandò ab intellectu in ordine ad ſpeciem comparatur, reſultat relatio ſubijcibilitatis; & cùm Petrus non ſit alijs ſuperior, concipit illum, vt non prædicabilem de alijs; & videns idem eſſe ſibi ipſi, concipit vt de ſe ipſo prædicabilem identica prædicatione.

B Secundum eſt. Quadruplex eſſe indiuiduum; vnum determinatum, quòd ſcilicet rem certam, & determinatam ſignificat, vt Petrus, aliud demonſtratiuum, ſeu ex demonſtratione, quod etiam ſignatū dicitur, & eſt compoſitum ex termino communi, & ſigno aliquo demōſtratiuo, vt hic homo, hoc album: aliud ex ſuppoſitione, quod ſcilicet ex aliqua conditione, & ſuppoſitione rem aliquam ſingularem ſignificat, vt filius Mariæ intelligitur Chriſtus ex conditione, & ſuppoſitione, quòd non habuit alium filium: quartum tādem indiuiduum vagum, quod ſcilicet ex termino cōmuni, & ſigno particulari coaleſcit, vt aliquis homo. *II. Notabile.*

Tertium tandē. Quòd cùm in indiuiduo, plura poſsint attendi. Primum, reale illud poſitiuum, à quo natura contrahitur, & in eſſe indiuidui conſtituitur, & hoc principiū C indiuiduationis, differentia indiuidualis, & à noſtro Doctore hæcceitas aptiſsime appellatur; quia facit, vt natura ſit hæc numero, & ratione talis modi poſitiui, ſic diffinitur à Porphyrio, cuius collectio proprietatum in alio reperiri nequit: cùm enim hic ſit modus procedendi noſtri intellectus, vt res occultas per earum proprietates, & accidentia venetur, differentiam indiuidualē nobis latentem per proprietates indiuidui percipimus, & quidem iſtæ proprietates quibus propria cuiuſ; indiuidui differentia indiuidualis capi poteſt, ad ſeptem capita his carminibus contenta reducuntur. *III. Notabile.*

Forma, figura, locus, tēpus cū nomine, ſanguis,
Patria ſunt ſeptē, quæ nō habet vnus, & alter.

Nomen,

Nomen, formæ pulchritudinem, colorē, temperamentum, ſingularemq; complexionem denotat; figuræ verò, quantitatem, ſtaturam, lineamenta, partiumq; proportionē; ex his ergò licèt vna, vel altera in alio indiuiduo reperiri poſsit; tota tamen illarum collectio in tali gradu, cum talibus circumſtantijs in alio eſſe nequit, ideòq; per talem collectionem in indiuiduo repertā propria illius differentia indiuidualis, qua in eſſe indiuidui conſtituitur, & ab alijs diſtinguitur, innoteſcit.

Notab. IIII. Perpendendum autem eſt, hanc explicationem ſoli indiuiduo ſubſtantiæ, in quo tales proprietates reperiuntur, conuenire, cuius differentia indiuidualis licèt vnica ſit, & ſimplex, modusq; ſubſtantialis, quippè cùm ſit ſubſtantiæ complementum; benè tamen à Porphyrio per proprietates, & accidentia nobis manifeſta deſcribitur à poſteriori.

Solet autem hic à nonnullis controuerti quæſtio illa nō parùm difficilis propter importuna argumenta vtrimquè obiecta, an ſcilicet indiuidua ſic conſiderata ſecundùm ſuum eſſe reale, & indiuiduale, ſeu primè intentionaliter conueniant in aliqua ratione vniuocā indiuidui, quidā enim aiunt, Sic Caiet. c. de ſpecie, & c. de ſubſtantia, dum agit de prima ſubſtantia, Antonius Rubius c. de ſpecie. q. 6. & c. de ſubſtantia. q. 5. quibus planè ſufragari videtur D. Thomas de potentia art. 2. ad 3. & 1. p. q. 29. art. 1. ad 3. alij negant ſic ſubtilis Doctor. 7. metaph. q. 13. in 1. d. 28. q. 1. in 2. d. 3. q. 3. & q. 6. & ibi omnes eius diſcipuli: ſed quia quæſtio hæc de quacumq; alia differentia, & ratione vltimò conſtituente procedit, ideò alibi præſsius dilucidabitur; vnde pro nunc breuiter dicimus placitum noſt. Doctoris nobis probari, indiuidua nimirum habere naturā ſpecificam, in qua conueniant vniuocè, ratione verò differentiarum indiuidualium, nequaquam vniuocè cōuenire, quod ratio hæc efficaciter conuincit, differentiæ indiuiduales ſunt modi primò diuerſi, ſunt etenim ſimpliciter ſimplices, & irreſolubiles in vlteriores cōceptus (niſi velſis in infinitum progredi) non ergò conſtant ex conuenientia, & differentia, qua ratione etiam dicimus quòd duæ ſpecies licèt in ratione generica conueniant, non tamen ſecundùm ſuas differentias ſpecificas; ſunt ergò primò diuerſi, de quorum ratione eſt in nullo vniuoco conuenire.

V. Notabile. Secundum. Quòd attendi poteſt in indiuiduo eſt negatio cōmunicabilitatis, quæ conſequitur ad talem modum poſitiuum, cùm enim ſit vltimus modus naturæ illam indiuiſibilem, & incōmunicabilem reddit, ac proinde ex illo negatio communicabilitatis oritur; in hāc autem negatione (vt docet noſter Doctor loco dudùm commemorato) cōueniunt omnia indiuidua, ab illiſq; vt ſic abſtrahi poteſt, ratio indiuidui vniuocè cōmunis omnibus indiuiduis. Nec quidquam refert quòd non ſit aliquid poſitiuū vniuocè omnibus indiuiduis commune, à quo prædicta negatio emergat, quia vt ſubtiliter notat idem Doctor: *his, quæ ſunt diuerſa ſecundùm rationes poſitiuas datur negatio hominis æquè, ac vniuocè conuenit leoni, equo, lapidi &c.*

Notabile. VI. Tertium, quòd in indiuiduo attenditur, eſt duplex relatio rationis, vna ſubijcibilitatis ad ſpeciem, qua ſcilicet ſpeciei prædicabili ſubijcitur, ſicut ſpecies ſubijcibilis ſuo generi; altera prædicabilis de vno, hoc eſt de ſe ipſo, quæ duæ relationes rationis diſtinctæ ſunt, & certum eſt apud omnes, indiuiduum ſecundùm vtramq; rationem, ſiue ſubijcibilis, ſiue prædicabilis de vno, eſſe quid commune vniuocum: ita vt ſicut vniuerſale dicitur vniuocè de omnibus vniuerſalibus, ſic indiuiduum in communi ſecundè intentionaliter ſumptum, ſecundū eandem diffinitionem de omnibus indiuiduis dicatur: cùm eadem ſit oppoſitorum ratio. De indiuiduo ſecundè intentionaliter ſumpto, diſſerit logica: de illo autem primè intentionaliter ſumpto, ſeu ſecundùm ſuum eſſe reale diſputant phyloſophia, & metaphyſica.

I. Concluſio. Prima concluſio. Indiuiduum quatenus ſubijcibile eſt, ſic diffinitur: indiuiduum eſt, quòd ſpeciei ſubijcitur, quam diffinitionem indicauit Porphyrius c. de ſpecie, cùm dixit, *indiuiduum partem eſſe ſubiectiuam ſpeciei, & ſub illa contineri, ſicut ſpecies pars eſt generis, eſtq; ſub genere.* Vnde ſpecies vt prædicabilis, & indiuiduum vt ſubijcibile ſunt correlatiua ſecundùm eſſe; quia tota eſſentia ſpeciei, vt prædicabilis eſt poſita in habitudine ad indiuidua; & tota eſſentia indiuidui, vt ſubijcibile, in habitudine ad ſpeciē.

II. Concluſio. Secunda concluſio. Indiuiduum vt prædicabile ſic à Porphyrio diffinitur, *quod de vno ſolo prædicatur* (hoc eſt de ſe ipſo) quæ prædicatio licèt vera ſit, nō tamen propria, vt ſupra diximus, ad veritatem enim prædicationis tantùm requiritur, quòd prædicatum cōueniat ſubiecto, ad propriā inſuper requiritur

requiritur, quòd ſit forma ſubiecti.

Obiectio. Quòd ſi dixeris, prædicatio in qua prædicatur indiuiduum demonſtratiuum, vt hæc, Petrus eſt hic homo, non ſolum eſt vera, ſed etiam propria, quia prædicatum ſignificat formam ſubiecti eſſentialem, & in hac Petrus eſt hoc album, importatur noua forma, quæ non includitur diſtinctè, & explicitè in ſubiecto, imo quòd talia indiuidua de multis prædicantur; cum Petrus ſit hoc album, & Ioannes hoc album; indiuiduum ergò verè, & propriè prædicatur de multis.

Solutio. Reſpondendum eſt, talia indiuidua demonſtratiua eſſe prædicata complexa; tàm complexione vocis, quàm ſignificationis, & conceptus obiectiui, quia importât duplex prædicatum (non ſecùs ac homo albus) alterum formale, nimirum homo, vel album, & ratione iſtius ſignificati prædicâtur propriè, & formaliter: alterum idêticum, quod importatur per pronomen, & ratione illius habêt eſſe indiuidui, & ſolùm identicè prædicâtur, & non propriè, & formaliter: indiuiduum ergò vt indiuiduum eſt, impropriè prædicatur, & vt ſic iſta indiuidua hic homo, hoc album æquiuocè, & ſolo nomine de multis prædicâtur; quia vt indiuidua ſunt, hoc album dictum de Petro, & hoc album dictum de Ioanne important diuerſos conceptus obiectiuos, differentias nempè indiuiduales.

Corollariū. Ex quibus liquet, prædicabile in cōmuni analogicè dici de vniuerſali, & indiuiduo, quia de vno propriè, de alio verò impropriè.

III. Conc. Tertia concluſio. Diffinitum in his diffinitionibus eſt ſecunda intentio indiuidui in concreto; materiale verò res omnes ſingulares, quæ à ſecunda intentione indiuidui denominantur, ſeu indiuidua materialiter ſumpta. Intentio autem indiuidui in communi poteſt dupliciter ſumi, vt ſuprà de genere, aut ſpecie diximus, vno modo ſecundùm ſuam eſſentiam, & naturam, quæ eſt denominare rem ſingularem, vel vt quo, & in actu ſignato, & ſic eſt ſingularis, & oppoſita ſecundæ intentioni ſpeciei, alio modo accidentaliter, & ſic eſt vniuerſalis, accidit enim indiuiduo, ab hoc, & illo indiuiduo abſtrahi, & vt ſic denominari ſpeciem à quadam ſecunda intentione ſpeciei, quæ in illa reſultat.

Ad rationem dubitandi patet, quòd indiuiduum ſigillatim ſumptum diffiniri nequit; ſumptum autem in communi poteſt, quia vt ſic licèt ſit indiuiduum vt quo, eſt tamen vniuerſale vt quod, ſeu eſt indi- A uiduum eſſentialiter; accidentaliter autem vniuerſale.

QVÆSTIO II. VTRVM indiuiduum eadem relatione ſubijcibilitatis reſpiciat ſpeciem & genus.

DVO affirmat Fōſeca 5. metaph. c. 28. q. 14. ſect. 4. alterum eſt eadem relatione ſubijcibilitatis, qua indiuiduum reſpicit genus, reſpicere etiam ſpeciem; quæ pars his poteſt argumentis ſuaderi. *Opinio Fōſecæ.*

Primò. Genus reſpicit ſpeciem immediatè, & media ſpecie indiuiduū eadem prorſus relatione: ergò & indiuiduum eadem omninò relatione reſpicit ſpeciem immediatè, & illius interuentu genus; eadē enim vtriuſquè ratio apparet. *I. Argum.*

Secundò. Species eadem relatione reſpicit omnia ſua prædicata eſſentialia ſuperiora, vnum mediante alio: ergò & indi- B uiduum reſpicit omnia ſua prædicata eſſentialia ſuperiora, vna dùmtaxat relatione, ita vt vnum mediante alio reſpiciat: eadem ergò relatione, quà immediatè reſpicit ſpeciem; & genus mediatè reſpicit. *II. Argū.*

Tertiò. Alioquin ſequeretur, quòd indiuiduum immediatè genus reſpiceret, & non media ſpecie. Sequella patet: ſi diuerſa eſt relatio, qua indiuiduum reſpicit genus, ab ea qua reſpicit ſpeciem, per illam, qua genus reſpicit, non reſpicit ſpeciem; tam enim alis ſuper fluetet: ergò genus dumtaxat, atquè adeò immediatè, illud enim immediatum eſt quod non interuentu alterius; & ille reſpectus eſt immediatus qui ad vnum terminatur non terminato prius ad aliud; & ideò genus mediatè reſpicit indiuiduum per ſuam relationem; C quia illa prius ad ſpeciem, & media illa ad indiuiduum terminatur. *III. Argumē.*

Quartò. Si indiuiduum reſpicit genus relatione eſſentialiter diſtincta ab ea, quà ſpeciem: ergò & genus reſpicit indiuiduum relatione eſſentialiter diſtincta ab ea qua reſpicit ſpeciem. *IIII. Argumē.*

Alterum aſſertum eiuſdem Doctoris eſt eſſentialiter eſſe diuerſam relationem, qua refertur ad genus ſpecies ſubijcibilis, ab ea, qua ad idem genus indiuiduum refertur; fundamentum eſt; quia ſi iſtæ relationes eſſent eiuſdem ſpeciei, inde ſequeretur, indiuiduum non minus fore ſpeciem ſubijcibilem, quam ipſam ſpeciem, cùm eadem forma, & relatio eundē

tribuunt effectum formalem. Sit tamen.

I. Conclu. Prima concluſio. Geminam habet relationem eſſentialiter diſtinctam indiuiduũ, vnam, qua reſpicit ſpeciẽ, aliam verò qua reſpicit genus.

Probatur. Probatur primò. Indiuiduum modo eſſentialiter diuerſo reſpicit ſpeciem quàm genus: ergò eſſentialiter diſtincta relatione reſpicit vtrumquè. Conſequentia patet; probatur autem antecedens; quia indiuiduum refertur ad ſpeciem ſubiectione completa; ad genus verò ſubiectione incompleta: vtrumquè ergò reſpicit modo eſſentialiter diuerſo: ergo duplici relatione eſſentialiter diſtincta. Rursùs confirmatur antecedens: genus, & ſpecies referuntur ad indiuiduum modo eſſentialiter diſtincto, genus vt prædicatum incompletum, ſpecies vt prædicatum completum, quod continet totam illius eſſentiam, atquè adeò relatione eſſentialiter diſtincta: ergò & indiuiduum reſpicit vtrumquè modo eſſentialiter diſtincto, atquè adeò duplici relatione eſſentialiter diſtincta. Tandem quòd relatiua eſſentialiter diuerſa habent correlatiua eodem modo diuerſa; ſed genus, & ſpecies prædicabilis, vt viſum eſt, ſunt relatiua eſſentialiter diuerſa: ergò illis correſpondet in ſuo correlatiuo ſcilicet indiuiduo relationes ſubijcibilis eſſentialiter diuerſæ.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Relatio ſubijcibilitatis, qua ſpecies refertur ad genus, & qua indiuiduum ad idem genus refertur ſunt eiuſdem ſpeciei, ſoloquè numero diſtinguuntur. Aſſertio hæc eſt contra ſecundum aſſertum Fonſecæ quæ ſic probatur.

I. Probat. Primò. Vtriuſquè relationis eſt idem formalis terminus, genus nimirum in quantùm genus eſt: ergò iſtæ relationes ſunt eiuſdem ſpeciei; cùm relationum diſtinctio ex terminis venãda ſit. Tum etiam ſpecies, & indiuiduum eodem modo generi ſubijciuntur ſcilicet quidditatiuè incompletè: eadem ergò relatione ſubijcibilitatis ſecundùm ſpeciem & ſolo numero diſtincta referuntur ad genus: quia ex diuerſo modo ſubiectionis ſumitur diuerſitas ſubijcibilium eſſentialis.

Præterea vni relatiuo. Vna tantùm relatio ſecundum ſpeciem in ſuo termino reſpondet, ſed terminus adæquatus generis, in quantùm genus eſt, ſunt ſpecies, & indiuidua, vt iam oſtendimus: ſunt ergò eiuſdem ſpeciei in ratione correlatiui.

Ad. Arg. Argumenta, quæ primam concluſionem A impugnant ſic diluuntur. *Reſpondet*

Ad. I. Primum. Si conceſſo antecedenti, conſequentiam negaueris, militat enim ratio ſatis diuerſa pro genere, quàm pro indiuiduo: genus quippè eodem modo refertur ad ſpeciem, & indiuidua, nimirum incompletè, indiuiduum autem reſpicit ſpeciem, & genus diuerſimodè, vt diximus.

Ad II. Secundum. Concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia ſpecies ad omnia genera eodem modo refertur (licèt ad vnum immediatius quàm ad aliud) ſubiectione ſcilicet incompleta, & idcircò eadem relatione; indiuiduum autem modo longè diuerſo refertur ad genus, & ad ſpeciem. Verum eſt quòd indiuiduum eadem relatione, qua reſpicit genus infimum, reſpicit etiam omnia alia genera ſuprema; quia eodem modo, ſubiectione ſcilicet incompleta.

Ad. III B Tertium. Negando ſequellam; quia licèt diuerſa relatione indiuiduum genus, & ſpeciem reſpiciat; dicitur tamen reſpicere genus mediatè; quia vna relatio præſupponit alteram, vt relatio ad genus, relationem ad ſpeciem.

Ad. IIII. Quartum facilem habet ſolutionem; correlatiuum enim vtriuſquè relationis ſubijcibilis in indiuiduo repertæ, non eſt genus, ſed genus, & ſpecies, quæ correlatiua ſunt eſſentialiter diſtincta.

Fundam. 2. p. ſoluitur. Fundamentum, cui nititur ſecunda pars, ſic ſoluendum eſt; negando ſequellam, & ad probationem quòd totum hoc, eſſe ſcilicet ſpeciem ſubijcibilem, non ſolùm prouenit ab ipſa forma ſubijcibilitatis; quam de formali importat, ſed etiam ab ipſo materiali, quod vt diximus natura vniuerſalis debet eſſe; cum hæc ſit, quæ C primò ſubditur generi: hinc eſt quòd indiuiduum nequit eſſe ſpecies vniuerſalis, non ex eo quòd habeat relationem eſſentialiter diſtinctam, ſed ex ſignificati materialis deffectu, quod ſingulare eſt, & non vniuerſale; quia relationes iſtæ ſubijcibilitatis non differunt ſecundùm ſe, ſed ratione ſignificati materialis, quod connotãt; ſicut ſolet ab aliquibus dici de negatione, & priuatione, quòd formaliter ſunt idem; materialiter tamen diſtinguũtur; propter quod lapis licèt nõ videns dicatur, nõ tamen cæcus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III. DENTVRnè indiuidua, quæ immediatè generi ſubijciantur.

Aliquorũ opinio. MVLTORVM eſt opinio aſſeuerãs aliqua indiuidua immediatè ſub genere contineri, illa nimirum, quæ formaliter ſignificant aliquam naturã genericam indiuiduatã, vt hoc animal ſub animali, hoc viuens ſub viuenti, & hãc ſubſtantiã ſub ſubſtantia; & hæc indiuidua (quæ ideò generica indiuidua appellãtur) licèt nõ ſint realiter diſtincta ab indiuiduis ſpecificis, nec poſsint ſine illis exiſtere: quia ratio generica nequit ſola reperiri in rebus, porrò nihil, eſt in re ſub aliquo genere, quod non ſit ſub aliqua ſpecie, imò potiꝰ idẽ in re importãt; diſtinguuntur tamen ratione ſecundũ diuerſos conceptus; quia indiuiduum ſpecificum, vt Petrus veluti de formali importat differẽtiam indiuidualẽ; indiuiduũ verò genericũ, vt hoc animal dicit de formali naturã animalis: concipiuntur ergò ab intellectu ac ſi eſſent ſeparata ab illis, & nõ in illis, ſed per ſe exiſterent, vt immediatè contẽta ſub tali genere, quorũ ſunt indiuidua, non cõſiderãtis differentijs ſpecificis, quibus natura generis contrahitur ad ſpecies infimas, nec differentijs indiuidualibus contrahentibus tales ſpecies. Iſtius opinionis ſunt Caietanus, Albertus, & Verſorius. c. de ſpecie; & multi recentiores, Sanchez lib. 3. de ſpecie q. 16. Rubius. q. 5. Oña q. 1. de genere. art. 4. citaturq; pro hac opinione D. Thom. in diſputatis quæſt. de anima. art. 11. & 3. p. q. 78. art. 5. ad 1. Fulciturq; his fundamentis. *Caietanus. Albertus. Verſorius. Sanchez. Rubio. Oña. D. Thom.*

I. Argum. Primum ex Ariſt. qui 2. de genera. Animalium c. 3. ait, quòd homo prius tempore, aut natura viuit vita plantæ (ideſt vita vegetatiua) deinde vita animalis (ſcilicet ſenſitiua) tandem vita hominis, ſed in illo priori, in quo producitur planta, aut animal, non producitur in communi: ergò in ſingulari, cùm actiones non ad vniuerſalia, ſed ad ſingularia terminentur, in illo autem ſtatu hoc viuens, & hoc animal non cõtinẽtur ſub aliqua ſpecie; cùm talis ſpecies non intelligatur producta: ergò immediatè ſub genere viuentis, & animalis continẽtur; tum etiam ex ipſo Ariſt. in poſt prædicamentis c. 13. genera ſunt priora ſpeciebus, ſed illi gradus generici ſunt indiuidui.

II. Argũ. Secũdũ. Si in homine eſſent tres animæ, vt aliqui poſuerunt, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, eſſent formæ ſingulares, & indiuiduæ: ergò conſtituerent ſua indiuidua, vt hoc viuens, hoc animal, quæ immediatè cõtinerentur ſub viuenti, & ſub animali &c. ergò & modò, cùm anima rationalis conſtituens hominem, non ſolum ſit forma rationalis, ſenſitiua, & vegetatiua; ſed & hæc rationalis, hæc ſenſitiua, hæc vegetatiua, & cõſtituat hunc hominem, hoc animal, & hoc viuens tamquam conceptus formaliter diſtinctos; cùm iſti gradus in anima ſint formaliter diſtincti, atq; adeò ſicut conceptus huius hominis immediatè ſub homine cõtinetur; ſic & conceptus animalis ſub cõceptu animalis generico; atq; adeò nõ ſolũ nomine, ſed etiã ſecundũ conceptũ eſt immediata hæc prædicatio, hoc animal, eſt animal.

Cõfirmat. Confirmatur. Sicut natura ſpecifica in ſingularibus eſt indiuidua; ſic & generica; vndè Petrus nõ tantũ dicitur hic homo, ſed etiã hoc animal, quod ſolũ dicit hanc naturã ſenſitiuam, ſicut hic homo hanc naturã humanam: ſicut ergò nihil mediat inter hunc hominem, & hominem: ita nullum prædicatũ mediat inter animal in communi, & hoc, & illud animal: nulla enim eſt maior ratio; cur inter animal, & hoc animal mediet potius vna ſpecies, quàm alia, & hoc animal ſeu hoc viuens nõ eſt magis determinatum ad hanc ſpeciem, quàm ad illam.

III. Argumẽ. Tertium. Viſo animali à longè formo cõceptum huius animalis, quia mouetur, & cognoſco illud, non vt quid cõmune, & abſtractũ, ſed vt quid particulare; ignoro tamen quale animal ſit; de tali ergò animali in indiuiduo poſſũ affirmare, quòd ſit animal: ergò quoad noſtrũ conceptũ hoc animal immediatè, cõtinetur ſub animali, cuilibet autem conceptui formali correſpondet in re aliquis conceptus obiectiuus.

IIII. Argumẽ. Quartum. Compoſitio generis cum differentia ſpecifica, vel numerica eſt compoſitio rationis: nullum ergò inconueniens eſt, vt egò ſumam animal in ſingulari determinatum, ſola differentia numerica.

V. Argumẽ. Quintum. Deſumitur ex noſt. Doctore; qui in 4. d. 8. q. 2. §. aliter ergò. 9. conclu. ſic ait, *nona concluſio eſt, quod in regularibus eſt ordo ſecundùm ordinem vniuerſalium, ante quodcumque enim vniuerſale poteſt intelligi deſcendere in proprium ſingulare, quàm contrahatur per differentiam aliquam ad aliquid inferius tamquàm ad ſpeciem, vt ſic, habeamus ordinem iſtorum ſingularium hoc ens hac ſubſtantia, hoc corpus; & ſic deinceps, vſquè ad ſortẽ, hoc patet per Auicen. 1. ſuæ phyſ. quòd prius videmus à remotis corpus, quàm animal, & animal quam hominem &c. quod*

non eſt intelligendum de vniuerſali, quia viſus non videt vniuerſale; ſed de ſingulari vniuerſalioris, & tunc eſt decima concluſio, quòd ly hoc in propoſita demonſtrat ſingulare entis, quod non eſt per ſe ſingulare alicuius minus vniuerſalis.

II. Opinio Secũda opinio abſolutè negat indiuidua aliqua ſubijci immediatè generi, quã tenẽt multi recentiores, & videtur expreſſa noſtri Doctoris; tùm q. 17. vniuer. vbi ait genus tantùm prædicari mediatè de indiuiduis, & colligitur ex locis infra citandis; vt autem ſecundùm noſtri Doctoris mentem veritatem proferamus:

I. Notab. Adnotare licet primò cũ noſtro Doct. 7. metaph. q. 13. in vno indiuiduo tantùm eſſe vnã differentiã indiuiduale, quæ determinat omnes gradus præcedẽtes vltimam vnitatem, numericã ſcilicet; ſicut vna differẽtia ſpecifica determinat omnes perfectiones præcedentes vnitatem ſpeciei, quã nec ex ſe habent, nec aliũdè, niſi ab alia differẽtia (verba ſunt Doctoris) & ſicut vna exiſtẽtia ſufficit, vt õnes prædicti gradus exiſtãt.

II. Notabile. Notandum ſecundũ ex eodẽ noſt. Doct. 7. metaph. q. 17. & in 2. d. 3. q. 1. & alibi ſæpè inter prædicata ſuperiora, & inferiora, talẽ ordinẽ, & depẽdẽtiã reperiri, quòd ſuperiora prædicata ſunt prius natura, quã inferiora, vt homo prius natura, quàm Petrus, & animal quã homo, & ſic de alijs ſuo ordine, vt docet, & probat Porphyrius. c. vltimo ex Ariſt. ſic: Illud, à quo nõ valet eſſendi conſequentia, prius natura dicitur; ſed nõ valet eſt animal, ergò homo; & quia in tota coordinatione prædicamẽtali differẽtia indiuidualis eſt vltimus actus (inquit Doctor in eadẽ diſt. q. 3.) ideò illa, & differentia eſſentialis ſunt actus metaphyſici, vt ſic eſſentialiter ſubordinati, cùm actus vltimus eſſentialiter præſupponat non vltimũ; ideò enim vltimus dicitur, quia ex propria ratione ſua eſt vltima realitas rei determinans illam realitatẽ ſpeciei, quaſi poſsibilẽ, & potentialem, atq; adeò vltimò accedens ad actũ exiſtendi, & præſupponens rem in ſuo eſſe eſſẽtiali; & ideò dicitur eſſe extra eſſentiã rei: ergò potẽtia metaphyſica taliũ actuũ ſuſceptiua non poteſt recipere ſingularitatẽ, quæ eſt actus vltimus, quin prius recipiat actum priorẽ, & non vltimũ, qui eſt differentia ſpecifica. Tandem, vt ait noſter Doctor q. 13. lib. 7. metaph. alias maxima vnitas, quæ eſt per differentiam indiuidualem, intelligeretur in eſſe prius rei, quã minor vnitas, & prior, quæ eſt per differentiam ſpecificam, cùm tamen maxima vnitas inferat minorem, non tamen è contra.

Corollarium Ex quo deducitur, genus conuenire ſpeciei immediatè, indiuiduis verò mediatè nihil aliud eſſe, quàm naturã genericã prius determinari per differentiã ſpecificã; & cũ ea cõſtituere ſpeciem quàm determinetur per differentiam indiuidualẽ ad conſtituendum hoc, vel illud indiuiduũ, atq; adeò differentiam indiuidualem immediatè ſpeciẽ infimam, conſequenter, ordine quodã omnes gradus genericos determinare. Videatur noſter Doct. in 2. d. 3. præcipuè q. 6. vbi ſatis ſubtiliter, & eruditè hoc docet.

Concluſio. Concluſio. Abſolutè dicẽdũ eſt omnia indiuidua, quæcũq; ſint media ſpecie ſubijci generi; atq; adeò genus ſẽper mediatè reſpici ab indiuiduis, media ſcilicet ſpecie: hæc colligitur apertè ex noſtro Doctore.

I. Probat. Primò probatur ex Porphyrio; qui in c. de ſpecie aſſerit, genera ſuprema ita eſſe genera, quòd nullo modo ſint ſpecies; tum ſic ſicut ſe habet ſubſtantia ad hanc ſubſtantiã ita animal ad hoc animal, ſed ſubſtantia nõ dicitur mediatè de hac ſubſtãtia: ergò nec animal de hoc animali (& idẽ de alijs generibus.) Minor probatur; vel ſubſtantia dicitur de hac ſubſtãtia, & illam reſpicit vt genus: ergò per modũ cõtrahibilis per differẽtias eſſentiales; ergò mediatè. Vel in quãtũ eſt ſpecies, & hoc eſt cõtra Porphyriũ. Dicere autem Porphyriũ fuiſſe de ſpecie metaphyſica, quæ ex genere, & differẽtia conflatur, loquutũ; cùm dixit genera ſuprema nullo modo eſſe ſpecies; non verò de ſpecie logica, quæ apta eſt eſſe in pluribus ſolo numero differentibus; eſt contra mentẽ apertam ipſius Porphyrij loqui, qui vt ibi conſtat, de ſpecie logica loquitur in ordine ad prædicationẽ, ſic enim ait; *horum igitur ſubſtãtia quidem genus ſummũ, maximeq; patens, ſolumq; genus*: vbi ait quòd ex eo quod nõ habet ſupra ſe aliud genus, atq; adeò nõ cõponitur ex genere, & differentia ſummũ dicitur, in ordine autẽ ad inferiora ſolũ habet rationẽ generis: vnde ſubdit tex. 5. *ſummũ enim genus, ad ea quidẽ, quæ ſunt ſub ſe collocata reſpectũ habet, eſt enim genus, vt patet, ad ſuperiora verò nullũ profectò habet, cum ſupremũ ſit genus, & vt principiũ primũ*; & tandem diffinit tex. 6. *diffiniunt igitur genus ſummum ſic quòd genus cùm ſit, non eſt ſpecies*; aliæ autem explicationes inutiles ſunt, & ideò nõ impugnãtur: imò & videtur expreſſa mens Ariſt. qui 4. topic. c. 7. ait genus nõ poſſe immediatè prædicari de indiuiduis.

Secundò

II. *Probatur.* Secundò ratione probatur. Quocumq; indiuiduo dato, inter illud & genus mediat aliqua ſpecies infima, vt inter animal, & hoc animal; inter viuens, & hoc viuens &c. ergò nullum datur indiuiduũ, quod immediatè generi ſubijciatur, & de quo gen9 immediatè prædicetur. Antecedens probatur; differẽtia indiuidualis nõ poteſt immediatè cõtrahere genus niſi media aliqua ſpecie infima; vt differentia indiuidualis Petri nullo pacto poteſt cõtrahere gradum animalis, niſi media natura, & differẽtia ſpecifica, nec natura generica eſt capax proximè vt fiat hoc indiuiduum donec intelligatur cõtractum ad aliquam ſpeciem: ergò inter quodcumq; indiuiduum, & genus mediat aliqua ſpecies. Antecedens probatur: non minus eſt ordo eſſentialis inter differentiam genericam, ſpecificam, & indiuidualem, quàm inter differentias ſuperiores eſſentiales magis, & minus vniuerſales vſquè ad ſpecificã; ſed corpus .v. g. non poteſt cõtrahi per differentiam animalis, quin prius contrahatur per differentiam viuentis, neq; viuens per differentiã rationalis, quin cõtrahatur per differentiam animalis: ergò neq; animal eſt aptum cõtrahi per differentiam indiuidualem & vltimam realitatem niſi pri9 contrahatur per differentiam ſpecificam v. g. rationalis: ergò inter quodcumq; indiuiduum neceſſariò mediat aliqua natura ex differentia ſpecifica conſtituta.

Cõfirmat. Confirmatur ex noſtro Doctore. De intrinſeca ratione differẽtiæ indiuidualis eſt quòd ſit vltima realitas ſupponens naturã ſpecificam cõſtitutã in omni ſuo eſſe eſſentiali; ideò enim materialis dicitur (ait Doctor) ergò præſupponit omnem gradũ ſuperiorem actuatum per differẽtiam ſpecificã: ergò omnis gradus ſuperior reſpicit quodcumq; indiuiduum media natura ſpecifica, ad quam immediatius deſcendit.

III. *Probatur.* Tandem probatur ſecundũ noſtrũ Doct. Ratio ſuperior quatenus eſt prior naturaliter inferiori, nõ eſt ſingularis: ergò pro illo priori animal. v. g. nõ eſt prius natura hoc, & determinatũ indiuiduũ, quã ſit cõſtitutũ per differentiã ſpecificam. Antecedens patet; quia ſecundũ noſtrũ Doct. in 2. d. 3. q. 1. ratio ſuperior in quantũ eſt prior naturaliter eſt indifferens ad vnitatem ſingularẽ: ergò vt ſic non habet vnitatem ſingularitatis, atquè adeò animal non eſt prius natura ſingulare, quàm contrahatur ad eſſe ſpecificum, & tandem ad eſſe ſingulare, quod ex ipſo eſt vltima realitas rei.

A *Argum. I. opinio Satisfit.* Reliquum eſt vt argumentis pro prima opinione obiectis ſatiſfaciamus.

Primo. Primo ſic. Dictum illud Ariſt. triplicem ſenſum habere; primus eſt, vt nomen vitæ nõ pro ipſa natura, & eſſentia vitæ, ſed pro operatione ipſius vitæ ſumatur, & ſic verũ eſt quòd homo prius exercet opera vitæ vegetatiuæ qualia sũt augeri, nutriri; Deinde opera animalis, vt ſentire, videre, audire, &c. vltimo opera vitæ rationalis, quia tandẽ vltimò rationis operibus inſignitur. Secundus eſt quòd embrio prius informatur anima vegetatiua, deinde anima ſenſitiua, & vltimò anima rationali, & ſic ſemper eſt embrio in aliqua determinata ſpecie ſaltim imperfecta, quia tales formæ cùm nõ ſint animæ incõmuni, ſunt determinatæ & infimæ ſpeciei. Tertius ſenſus eſt de prioritate, quam inter ſe habent prædicata ſuperiora, quæ prioritas naturæ, non eſt, in qua vnum prius in re exiſtit; ſed qua à ſuperiori B ad inferius non valet ſubſiſtendi conſequentia; alibi autem hanc prioritatem nos iuxta noſtri Doctoris mentẽ explicabim9.

Secundo. Secundo. Cum noſtro Doctore .7. metaph. quæſt. 13. quòd ſi illud eſſet verum, neceſſarium eſſet concedere multas differentias indiuiduales in eodẽ, quia quælibet eſſet ſingularis, & vnaquæquè tribueret eſſe ſingulare diſtinctũ; imo, & eſſe ſpicificũ modo verò cùm anima rationalis tribuat perfectiones illarum animarum, tantùm cõtinet vnicam ſingularitatẽ (cùm ipſa vnica ſit, & ſingularis) quæ eſt hæc rationalis, hæc vegetatiua &c. & ordine quodam ſingularizat prædictas perfectiones, vt dictũ eſt; prius enim animal. v. g. intelligitur recipere in Petro eſſe hominis, quã eſſe huius animalis: omnes ergò rationes, quæ ſunt in Petro ſunt ſingulares, vnde Petrus eſt hic homo, hoc animal, hoc viuẽs, &c. ſed per eã C dem omnino ſingularitatem per quam eſt hic homo, & licèt hic homo, hoc animal, &c ſignato Petro ſolo nomine differant, nõ verò ſecũdùm rem, quia totum quod dicit hic homo, dicit hoc animal, atq; adeò ſunt idẽ formaliter: animal autem, & homo diſtinguuntur formaliter; quia homo dicit aliquid determinatè, quod non dicit animal.

Cõfirmat. Per hæc confirmationi ſatis fit; hoc enim animal licèt explicitè tantùm videatur dicere naturam ſenſitiuam; implicitè tamen & eſſentialiter dicit naturã ſpecificam, cui immediatè ſubijcitur.

Ad. III Ad tertium. Primò quòd licèt id ita concipiamus cognitione confuſa, & cuicumq;

conceptui formali in re correſpondeat aliquis conceptus obiectiuus; ſed non ſemper correſpondet in re eo modo, quo eſt ſub conceptu formali; vnde etiam ſi poſsit intellectus præcisè hoc animal concipere, non ſequitur, quòd illud vt ſic præcisè debeat eſſe in re: ſufficit ergò quòd in re ſit hoc animal, quod tamen præcisè nõ ſit hoc animal.

II. *Reſpõdet.* Secundò reſpõdetur diſtinguendo antecedens, formo conceptum huius animalis non cognoſcendo aliquam ſpeciem determinatè, & diſtinctè concedo; vagè, & indeterminatè nego: tantùm ergò probat nos aliquando non cognoſcere diſtinctè quâ ſpecifica ratione media hoc animal ſubijciatur animali; ſicut etiam ignorare poſſumus per quam differentiam indiuidualem hic homo ſubijciatur homini: eo ergò pacto quo indiuiduum cognoſcimus, cognoſcimus etiam naturam ſpecificam, cuius eſt indiuiduum; ſi enim diſtinctè illud cognoſcamus, diſtinctè etiam eſt ratio ſpecifica cognoſcenda: ſi autem vagè, & indeterminatè ſimili etiam modo ſpecies.

Ad IIII. Ad quartum reſpondetur (etiam ſi antecedens admittatur) talem compoſitionem rationis non eſſe fictitiam, ſed habere fundamenta in re: vnde non poteſt intellectus pro ſuo libito quamcumquè rationem maluerit cum alia coniungere.

Ad V. Ad quintum quod ex noſtro Doct. de ſumitur, verba illius difficultatẽ non modicã incutiunt, quapropter variè reſpondent illius diſcipuli. Dixerim tamen vt conſentanee cum doctrina ſupra ab eodẽ tradita loquamur, quòd hoc animal, & hoc viues poſſunt dupliciter ſumi vel vagè & indeterminatè; ſecundò determinatè, & diſtinctè: primo modo ſumptum non dicit determinatè aliquam ſpeciẽ, ſed vagè, & indeterminatè: quandò ergo ait noſt. Doct. poſſe intelligi vniuerſale priùs deſcẽdere in proprium ſingulare, quàm contrahatur per differẽtiam aliquã ad aliquid inferius, loquitur de cognitione cõfuſſa, reſpectu differẽtiæ determinatæ. Adde etiã quòd indiuidua quæ generica dicuntur, poſſunt conſiderari, vel ſecũdũ id, quod explicitè importat ex vi ipſius nominis, & vt ſic tantũ videtur importare naturam genericã contractam per differẽtiã indiuiduale, vt hoc ens, natura entis, & hæcceitatem, vel ſecundùm id, quod implicitè important ex propria natura rei, & vt ſic intrinſecè, & eſſentialiter dicunt omnia prædicata eſſentialia vſq; ad ſpeciem: ibi ergò loquitur noſter Doctor, & intelligitur ſecũdum id, quod ipſum nomen ſonat, & explicitè importat; ſecundùm vero quod implicitè, naturam rei includit, intelligitur quod loco ſupra citato docet.

QVÆSTIO IIII. QVID SIT indiuiduum vagum.

CVM indiuiduum vagum ſit terminus communis affectus his ſignis particularibus aliquis, quidam; vel alijs ſimilibus: inquirimus an ſignificet aliquid ſingulare, vel commune.

Dixerunt multi indiuiduum vagum eſſe terminum communem ſignificantem conceptum vniuocè communem indiuiduis; ſic Caietanus 1. p. q. 30. & ibi citatur Diuus Thomas & alij, quod his poteſt fundamentis corroborari. *Multorũ opin. ſic Caietan. q. Sãchez. lib. 3 de ſpecie. q. 18. Rubius. q. 7.*

I. Argumẽ. Primum. Iſte terminus aliquis homo, & hic homo diſtinguuntur ex parte modi ſignificãdi per illa ſyncategoremata, ſed illud ꝑ nomẽ demonſtratiuũ hic ſignificat modum ſingularẽ: ergò ly aliquis non ſignificat modum ſingularem, ſed communem.

II. Argumẽ. Secundum. Aliquis homo ſecundũ idem nomen, & ſecundum eandem rationẽ enunciatur de pluribus, ergò eſt vniuocum. Cõſequentia patet: antecedens probatur; quidam homo ſignificat naturam humanam cum modo exiſtendi incommunicabiliter, ſed hoc ſignificatum conuenit pluribus ſecundum eandem rationem, quia Petrus eſt homo incommunicabiliter exiſtens, & Paulus ſimiliter, & de illis non ſolum ſub diuiſione, ſed etiam diuiſim prædicatur: dicitur enim Petrus eſt quidam homo, & Paulus eſt quidam homo.

III. Argumẽ. Tertium. Aliquis homo poteſt eſſe ſubiectum contradictoriarum: iſtæ enim enunciationes, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal contradictoriæ ſunt: ergo eſt terminus communis vniuocus.

Cõfirmat. Confirmatur: Prædicatio hæc vera eſt omnis homo eſt aliquis homo: non ergò ſignificat rem aliquam determinatam; alias enim propoſitio eſſet falſa, ſicut hæc omnis homo eſt Petrus, vel iſte homo.

Aliorum opinio. Dixerunt alij eſſe nomen æquiuocum, atq; adeo æquiuocè tantum de pluribus prædicari, ſicut hic terminus Petrus.

Concluſio Concluſio noſtra ſit. Indiuiduum vagum vt aliquis homo non ſignificat hominẽ in cõmuni, nec rationem communem indiuiduis, nec determinatè aliquod indiuiduũ in particulari,

particulari, ſed vagè & indeterminatè, vt aliquis homo ſignificat vnum ſingulare, licèt confuſſè, & vagè hoc vel illud indiuiduum Petrum, vel Paulum: ſic noſter Doctor q. 22. vniuer.

I. Probat. Probatur. Tum ex vi ipſius nominis indiuidui vagi, quod denotat ſignificare vagè, & indeterminatè hoc vel illud: tum etiam ex illius reſolutione; reſoluitur enim per deſcenſum diſiunctiuum; vt in ſummulis diximus.

II. Proba. Secundò probatur. Quidquid eſt commune vniuocum poteſt affici ſigno vniuerſali, & particulari, cùm poſsit accipi copulatiuè, & coniunctè pro omnibus ſuis particularibus ſimul; vel diſiunctiuè pro hoc, vel illo; ſed indiuiduum vagum, vt aliquis homo non poteſt affici huiuſmodi ſignis; non enim dicitur omnis aliquis homo, aut aliquis aliquis homo: ergò non ſignificat rationem communem.

Cōfirmat. Confirmatur. Hic terminus aliquod indiuiduum non ſignificat aliquam rationem communem omnibus indiuiduis, ſed hoc, vel illud indiuiduum vagè, & indeterminatè; ergò nec aliquis homo, quia idem eſt dicere aliquis homo currit, ac aliquod indiuiduum hominis currit.

Corolla. I. Ex quo ſequitur indiuiduum vagum diſtingui à termino communi, & à termino ſingulari determinatè ſumpto, & quaſi medium inter vtrumque tenere locum: diſtinguitur à termido communi vniuoco; quia hic immediatè ſignificat rationem communem pluribus, quam nō ſignificat indiuiduū vagum; diſtinguitur autem à termino ſingulari determinatè ſumpto; quia hic ſignificat determinatè modum exiſtendi determinatum, & certum; indiuiduum verò vagum ſignificat ſingulare determinatum; indeterminatè tamen, & vagè & indefinitè hoc vel illud.

Corollariū II. Sequitur idem etiam dicendum de hoc termino quidā homo, ac de hoc, aliquis homo, quidquid nonnulli dicant quòd aliquis homo eſt indiuiduum vagum, quia ſignificat ipſa indiuidua ſub diſiunctione ſeu complexum ſingularium ſub diſtinctione; quidā verò homo non aliter, ac hic homo, æquiuocè ſignificat plura; quia vnicuique tribuitur, ſignificat propriam illius differentiam indiuidualem Hoc gratis eſſe dictum arbitror; communiter enim pro eodem ab antiquioribus logicis aliquis, & quidam vſurpantur.

Ad argu. Reſpōdet. Ad argumenta in principio obiecta reſpōdetur. *Ad. I.* Ad primū ex dictis, quòd hic homo ſignificat rem determinatā determinatè, aliquis homo verò indeterminatè, & vagè.

Ad II. Ad ſecundum: quòd aliquis homo nō ſignificat aliquam rationem communem, ſed hoc vel illud indiuiduum, & ideò prædicatur de Petro, & Paulo, quia habet quendam modum vniuerſalitatis, cum vagè, & indeterminatè importet ſuum ſignificatum.

Ad. III Ad tertium; quòd aliquis homo eſt contradictorium particulare.

Ad confir Ad confirmationē; veram eſſe illam prædicationem propter modum illum vniuerſalitatis, quem importat aliquis homo.

DISTINCTIO. V.
de differentia.

INTER prædicabilia tertium obtinet locum differentia, quia modus prædicandi in quale eſſentiale modum ſequitur prædicandi in quid; ideò Porphyrius in tertio capite illius naturam prius diuidendo, poſtea verò diffiniendo tradit, cuius mens ſequentibus aſſertionibus comprehenditur.

LITERA PORPHIRII.

I Cōcluſio. PRIMA concluſio. *Differentia, prima diuiſione in communem, propriam, & propriſſimam diuiditur: differētia cōmunis eſt, qua aliquid à ſe ipſo cōmuniter differt, vel ab alio, vt accidens cōmune, vel aliqua; diſpoſitio, vt Socrates ſenex differ à ſe ipſo iuuene; vel Socrates albus ab alio nigro; propria eſt accidens inſeparabile, vt ſimitas in naſſo, accidens quidem inſeparabile eſt à ſubiecto: propriſſima verò eſt, quæ vnum differt ab alio eſſentialiter, vt rationalitas in homine.*

II. Cōcluſio. Secunda concluſio. *Praecedens diuiſio ad duo membra ſic poteſt reduci differentiarum quædam facit alteratum, id eſt facit tantum differre accidendaliter, vt duæ priores communis ſcilicet, & propria, alia vero facit aliud, hoc eſt differre eſſentialiter, & talis eſt tertia differentia ſcilicet propriſſima.*

III. Cōcluſio. Tertia concluſio. *Differentia alia eſt ſeparabilis vt differentia communis; alia inſeparabilis, & hæc rurſus duplex; quædam inſeparabilis per ſe vt differētia propriſſima, quæ cum ſit eſſentialis dictum eſt facere aliud, quod diuerſitatem eſſentialem importat, & non ſuſcipit magis, & minus vt rationale: alia inſeparabilis per accidens, vt differentia propria, & hæc tantum facit alteratum, quod diuerſitatem accidentalem dicit, & ſuſcipit magis, & minus.*

IIII. Quarta concluſio. *Differentia, quæ per ſe*
Cōcluſio. *inſeparabilis eſt, quædam eſt conſtitutiua gē-neris, alia verò diuiſiua eiuſdem, vt ſenſibile cōſtituit animal,& rationale, diuidit hominē.*

V. Quinta concluſio. *Totidem diffinitionibus*
Cōcluſio. *quot ſunt diuiſiones poteſt differentia diffiniri; prima eſt, quòd differentia eſt, qua ſpecies ſuperat genus; ſecunda eſt, quòd differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in qualequid: tertia, quòd differentia eſt, quæ differunt à ſe ſingula; tandem, quòd differentia eſt, quæ conſtituit eſſentiam ſpeciei.*

LITERA DOCTORIS.

METHODVM Porphyrij inſequutus ſeptem de differētia quæſtiones excitat noſter Doſtor à q. 23. vſquè ad q. 29.

q. 23. QVÆSTIO I. An prima diuiſio differentiæ in communem, propriam, & magis propriam conueniens ſit.

I Prima concluſio affirmatiua. *Habet enim*
Cōcluſio. *conditiones bonæ diuiſionis, poteſtquè ad diuiſionem bimembrem reduci.*

II. Secunda concluſio. *Diuiſio hæc eſt vocis*
Cōcluſio. *tamen ſignificationes nō quidē vocis æquiuocæ pœnes primum modum æquiuocationis, quæ ſcilicet propriè æquiuocationem dicit, ſed pœnes ſecundum modum, ſecundùm quem vox ſic æquiuoca ſignificat vnum propriè, aliud vero tranſumptiuè.*

III. Tertia concluſio. *Semper diuiſio hæc in vno*
Cōcluſio. *ſenſu vniuoca eſt, poteſt q; diffiniri.*

q. 24. QVÆSTIO II. An ſit hæc vera Sortes ſenex differt à ſe ipſo puero.

I Prima concluſio. *Sumpto differre commu-*
Cōcluſio. *niter propoſitio eſt vera, quia iſto modo quodcumque accidens impedit omnimodam identitatem: Si autem differre ſumatur propriè, vel magis propriè propoſitio eſt falſa, vt patet ex ratione iſtarum differentiarum.*

II. Secunda concluſio. *Non valet hæc conſe-*
Cōcluſio. *quentia Sortes ſenex differt à ſe ipſo puero: ergò non eſt idem ſibi puero, ergò non eſt idem ſibi; quia arguitur à ſecundùm quid ad ſimpliciter; minor enim diuerſitas nō infert maiorem, & à diuerſitate accidentali non ſequitur diuerſitas ſubſtantialis; ſic in reſponſione ad ſecūdū.*

q. 25. QVÆSTIO III. An ſit cōuenieńter data diffinitio illa, differentia eſt, qua ſpecies abundat à genere.

I Prima concluſio affirmatiua. *Et proba-*
Cōcluſio. *tur; quia diffinitio exprimit totum per ſe intel-*
Probatur *lectum diffiniti* (id eſt totam eſſentiam, & conceptum quidditatiuum diffiniti) *aliàs enim non competeret ipſi diffinito; ſed diffinitio*
A *conſtat ex genere, & differentia: ergò differentia eſt aliquid de per ſe intellectu ſpeciei* (ideſt de conceptu) *ſpeciei, & non de conceptu, & quidditate generis: aliàs enim genus prædicaretur per ſe de differentia, vel è conuerſo; quod eſt falſum, & eſſet nugatio in diffinitione, quia idem bis diceretur.*

Secunda concluſio. *Unum aliud excedere* II.
ſtat dupliciter, vel ſecundùm continentiam ac Cōcluſio.
tualem, & formalem; & ſic ſpecies ſuperat genus; quia per differentiam, quam actu includit abundat à genere; aut ſecundùm cōtinentiam potentialem, ſiue ſecundùm indifferentiam, & iſto modo genus excludit, vel eſt in pluſquàm ſpecies, quoniam genus eſt maioris ambitus, latioriſque aptitudinis, quàm ſpecies. In reſponſione ad primum.

Tertia concluſio. *Sicut compoſitum natu-* III.
rale habet formam à materia in potentia; in Cōcluſio.
B *quantùm ſcilicet materia eſt in potentia per ſe ad formam, in actu vero ab agente, quod actu inducit formam in materiam; ſic ſpecies proporcionaliter in potentia habet differentiam à genere; quod eſt proporcionale materiæ. Hæc in reſponſione ad ſecundum.*

Quarta concluſio. *Potentia generis non ſu-* IIII.
mitur hic propriè pro potentia phyſica, quæ di- Cōcluſio.
cit ordinē ad actum, ſicut ſumitur. 9. metaph. ſed ſumitur pro indeterminatione: genus ergò habet differentias in potētia, ideſt indeterminatè, & iſto modo non intelligitur propoſitio illa, quòd omnis potentia reducibilis eſt ad actum. Ibidem.

QVÆSTIO IIII. An differentia q. 26.
poſsit diffiniri

Concluſio. *Differentia ſecundę intentiona-* Cōcluſio.
liter ſumpta poteſt diffiniri.

Probatur. *Quia vt ſic eſt vna ſpecies ipſius* Probatur
vniuerſalis, quod per aliquam differentiam per
C *ſe deſcendit in ipſam; quia licèt differentia materialiter ſumpta non poſſit habere differentiā bene tamen ſecundę intentionaliter quo pacto non exercet rationem differētiæ, ſed eſt ſpecies vniuerſalis, cuius differentia eſt prædicari in quale, per quod conſtituitur differentia in ſua ſpecie.*

QVÆSTIO V. An diffinitio hæc q. 27.
differentia prædicatur de pluribus &c. exacta ſit.

Prima concluſio. *Cum differentia ſit du-* I
plex quædam vltima (ideſt ſpecifica) *& quæ-* Cōcluſio.
dam intermedia (hoc eſt generica) *diffinitio hæc, differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quale conuenit differētiæ intermediæ vniuerſaliter; & eſt vera.*

Probatur.

Probatur Probatur. *Quia in ea ponitur verũ genus illius, nempè vniuerſale, vt ſupra de diffinitione generis, & ſpeciei dictum eſt; eſt enim differentia vera ſpecies vniuerſalis, & ponitur ipſius differentiæ propria differentia, per quam vniuerſale ad ipſam differentiam deſcendit, nempè prædicari in qualequid. Quòd verò talis diffinitio non conueniat differentiæ vltimæ. Patet: quia hæc prædicatur de pluribus differentibus numero.*

II. Cõcluſio. Secunda concluſio. *Differentia infima, & ſubalterna non diſtinguuntur eſſentialiter, ſed tantũ accidentaliter, & materialiter hoc.*

Probatur Probatur *Quia ideò genus, & ſpecies eſſentialiter diſtinguuntur; quia habent modũ prædicãdi eſſentialiter diſtinctũ; genus enim prædicat partẽ eſſentiæ, ſpecies vero totũ, & ideò conſtituunt duo prædicabilia; ſed omnes differẽtiæ ſiue genericæ, ſiue ſpecificæ habent eundem modum prædicandi, per modum ſcilicet partis formalis: ergò non diſtinguuntur eſſentialiter.*

III. Cõcluſio. Tertia concluſio. *Differentia in communi comprehendens intermediam, & infimam ſic diffinitur; differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus in quale quid.*

IIII. Cõcluſio. Quarta concluſio. *Diffinitiones à Porphyrio traditæ de differentia non conueniunt ei ſecundùm ſe (ideſt ſecũdùm eandem rationem) ſed ſecundùm diuerſas, & diuerſa munera, & officia, quæ exercet differentia. Hæc ad quartum.*

q. 28. QVAESTIO VI. An conuenienter ponatur illa particula in quale quid.

Cõcluſio. Concluſio. *Differentia prædicatur in quale: hanc ſic.*

Probatur Probat Porphyrius dupliciter: primò, *quia ad quæſtionem factam per quale conueniẽter reſpondetur per differentiam.*

Secundò. *Quia ſicut eſt incompoſito reali (ſcilicet phyſico) ita proporcionaliter eſt incõpoſito rationis (ſcilicet metaphyſico) ergò incõpoſito rationis differentia habet modũ formæ; cum habeat rationem actus: forma verò qualitas, & actus idem ſunt; & quia ſumitur à forma ſpecifica eſt qualitas eſſentialis, & ideò prædicatur in quale eſſentiale.*

q. 29. QVAESTIO VII. An mortale ſit differentia animalis rationalis diuiſiua, & hominis conſtitutiua.

Cõcluſio. Concluſio negatiua. *Loquutus enim eſt Porphyrius ſecundùm opinionem Platonis, qui intelligentias animalia eſſe rationalia arbitrabatur.*

COMMENTARIVM.

Quia fundamenti cognitio ad maiorem A ſecundarum intentionum cognitionem cõfert; quapropter dialectica non ſolum de ſecundis intẽtionibus, ſed adiunctis primis differit; diſtinctionem hanc in duos articulos diuidemus; in primo agemus de differẽtia fundamentaliter ſumpta: in ſecundo de ea formaliter, & ſecundeintentionaliter ſumpta.

ARTICVLVS I. DE natura, quæ fundamentum eſt vniuerſalitatis tertij prædicabilis.

LICET natura realis differentiæ actuũ illius, officiorumq; conſideratio ad metaphyſicam pertineat quatenus pars eſſentialis eſt, & quidditas abſtrahens à materia, B conſideratio tamen illius in ordine ad prædicationem, ſeu quatenus aptum fundamẽtum eſt ſecundæ intentionis tertij prædicabilis ad Dialecticam ſpectat; quod Porphyrius attendens hoc fundamentum explicat copiosè, vt natura reali inſpecta, qualiter hanc ſecundam intẽtionem fundet, melius cognoſci poſsit, quam naturam ſequẽtibus quæſtionibus dilucidare intendimus.

QVÆSTIO I. SVFFICIENter ne proceſſerit Porphyrius in tradendis diuiſionibus differentiæ.

VIDETVR inſufficientem eſſe diuiſionem primam, qua in cõmunem, propriam, & proprijſsimam diuiditur.

Primò. Diuiſio hæc nõ eſt generis in ſpecies; genus enim æquè primo de ſpeciebus, differentia autem hic nõ prædicatur æquè primo de prædictis differẽtijs, ſed per prius C de differentia magis propria. Nec totius integralis in ſuas partes, quia nullum totum integrale in recto de ſuis partibus prædicatur, ſed diuiſum hic prædicatur de differentijs: nec vocis in ſua ſignificata; aliàs enim eſſet æquiuoca, quod falſum eſt; vox enim æquiuoca æqualiter, & ſine ordine importat ſua ſignificata, & in æquiuocis nõ eſt cõſequentia, vt non ſequitur, canis latrabilis currit, ergò canis currit. Præterea vox æquiuoca nequit diffiniri, atqui in differentia hæc contrario modo ſeſe habent; ſignificat enim cum ordine prius differẽtiam magis propriam, quam alias, & ſequitur ad diuidentia (hoc eſt dictu) quòd in differẽtijs eſt conſequentia, bene enim ſequitur diffe- *1. Argum*

rentia cõmunis facit differre: ergò differẽtia facit differre; nec eſt diuiſio per accidens, quia in hac diuiſum includitur per ſe in membris diuidentibus.

II. Argm. Præterea. Diuiſio hæc non datur per oppoſita, cum tamen hoc ſit de ratione diuiſionis, quia diuiſio hæc trimembris eſt: ergò aliquod membrorum alteri nõ opponitur; quia tantum vnum vni opponitur.

Secundò. Diuiſio hæc videtur diminuta, quia nõ comprehendit proprias paſsiones, cum iſtæ nec communes ſint, ſunt enim inſeparabiles, nec proprijſsimæ, quia nõ ſunt eſſentiales, nec propriæ cum non ſuſcipiãt magis, & minus. Nec comprehendit differentias indiuiduales, quæ verè faciunt differre; & non ſunt communes, quia non ſunt accidentia, nec propriæ, quia faciunt diuerſum per ſe, nec proprijſsimæ cum non ſint differẽtiæ ſpecificæ. Vt cõtrouerſiam hanc relictis varijs opinandi modis facilius dirimamus, obſeruanda ſunt nonnulla.

I. Notab. Primum. Differentiam in præſenti nõ vſurpari pro diuerſitate, & diſtinctione vnius ab alio; ſed pro principio, & forma, quà vnum differt ab alio. Aliud; eſſe differre, & aliud diuerſum eſſe ſi in rigore procedatur, primum eſt taliter diſtingui, quòd in aliquo ſiue genere ſiue ſpecie cõueniãt, quæ differre dicuntur. Secundum eſt, ita

II. Notabile. diſtingui quòd in nullo conueniant, quæ ſic diuerſa eſſe dicuntur, vt ſimplicia, quæ totaliter diſtinguuntur.

I. Cõcluſio. Prima concluſio. Prima diuiſio differentiæ eſt ſufficiens ſic noſter Doctor ex Porphyrio, & omnes communiter.

Probatur. Probatur, quia omnis differentia vel eſt extra rei eſſentiam; & ſic vel eſt cõmunis, & propria, vel de eſſentia, & hæc eſt proprijſsima.

II. Cõclu. Secunda concluſio. Omnes aliæ diuiſiones differentiæ ſub iſta comprehenduntur, & ſunt veluti quædam ipſius proprietates.

Probatur. Probatur inductione; differentia enim conſtituens diuerſum per accidens cõprehẽditur ſub cõmuni, & propria; conſtituẽs verò diuerſum per ſe ſub proprijſsima continetur. Similiter differentia ſeparabilis eſt communis; inſeparabilis verò propria, aut proprijſsima. Similiter diuiſio alia, qua diuiditur differẽtia, in eam, quæ genus diuidit, & ſpeciem conſtituit, ſub proprijſsima cõtinetur.

Nota. Vbi aduertendum eſt, diſcrimen verſari inter iſtos terminos aliud, & alterum, ſeu alteratum; primum ſignificat diuerſitatem A in eſſentia vnde cũ dicimus homo eſt aliud à leone, idem dictu eſt, ac homo eſſentialiter diſtinguitur à leone; ſecundum verò ſolam diuerſitatem accidentalem importat, & ſic facere aliud conuenit differentiæ proprijſsimæ, quæ ſola diuerſitatem eſſentialem conſtituit; facere verò alterum differentiæ communi, & propriæ.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Siue diuiſio hæc ſumatur primè intentionaliter, ſiue ſecundè intentionaliter pro ipſis ſcilicet rebus, quæ differentiæ denominantur, diuiſio hæc analoga eſt, ſic noſter Doctor q. 23. vniuer. qui hanc diuiſionem nõ æquiuocam primo modo, ſed ſecundo modo appellat, in qua ſcilicet diuiſum de vno membro diuidente primò, & ſimpliciter dicitur, de alio verò tranſumptiuè; tenent ibi omnes eius diſcipuli. *Scotus. Sarnanus. Anglicus Mauritius*

Probatur. Probatur, quia primò, & per ſe dicitur B de differentia proprijſsima, quæ ſola facit ſimpliciter diuerſum, cõmuni verò & propriæ tantùm ſecundùm quid, & accidentaliter.

II. Pars Probatur. Secunda pars probatur, ſecunda intẽtio differentiæ proprijſsimæ eſt ratio faciendi differre ſimpliciter (ſcilicet in actu ſignato) ſecundæ verò intentiones differẽtiæ communis, & propriæ, ſunt rationes faciẽdi differre accidentaliter, & ambæ ſecundũ quid; non ergò conueniunt vniuocè.

Ex quibus deducitur, ex his differẽtijs ſolam proprijſsimam eſſe fundamẽtum ſecundæ intentionis iſtius tertij prædicabilis, cum illa ſola ſit ſimpliciter differentia, aliæ verò ſecundùm quid, & per quandam ſimilitudinem, & attributionem ad illam. Quæ vt exactè cognoſcatur, operæ prætium fuit vt omnes diuiſiones differentiarum, etiam earum, quæ ſimilitudinem habent cum pro C prijſsima, & eſſentiali differentia, & ad illã quodammodo ſecundùm rationem differẽtiæ reducuntur, in præſenti numerarentur.

Obiectio. Quod ſi dixeris, Porphyrius ait, differentiam per accidens ſimpliciter dici differentiam; differentiam verò per ſe, cum addito.

Solutio. Reſpondendum eſt additum aliquandò eſſe diminuens, aliquandò verò perficiens; & contingit aliquando, aliquid ſimpliciter ſine addito tale appellari ob præſtantiam, & perfectionem, vt homo viuus ſimpliciter homo dicitur; aliquando verò id quod eſt imperfectius, nomen generis commune retinere, nobiliori autem ſpeciei propriũ nomen imponi, & tale cum addito appellari; quo pacto beſtiam abſolutè animal appellamus,

mus, hominem vero tale animal cum addito ſcilicet rationale, & ſic euenit in præſēti.

Ad. Arg. Reſpondet Ad argumenta reſpondetur. Ad primum per tertiam concluſionem.

Ad I. Ad ſecūdum Omnem propriam paſsionem ſub differentia propria contineri; eſt enim accidens (prædicabile ſaltim, licèt nō prædicamentale vt infra explicabitur) inſeparabile: triplex enim inſeparabilitas excogitari poteſt, vna proprijſsima, quæ conuenit ei, quod eſt de eſſentia alterius; alia communis, quam habet accidens ratione connexionis, non cum eſſentia, ſed cum tēperamentis ſui ſubiecti, vt inſeparabilitas nigredinis in coruo; alia tandē propria, quæ competit rei ex vi connexionis cum eſſentia, & hanc habet propria paſsio.

Obiectio. Occaſione illius dicti Porphyrij differentiam propriam ſuſcipere magis, & minus mouent nonnulli controuerſiam illam in phyloſophia, & metaphyſica de formarum intenſione ſatis diſcuſſam, cui tamen breuiter eſt.

Solutio. Reſpondendum: Omnino alienum eſſe à natura proprijſsimæ differentiæ magis aut minus ſuſcipere, cum ex Ariſt. 8. metaph. tex. 10. eſſentiæ ſint ſicut numeri in indiuiſibili conſiſtentes: ſicut ergò in numero per additionem vel detractionē cuiuſcumq; vnitatis eſſentia, & ſpecies illius variatur, ſic etiam eſſentiæ rerum nec augmētum, nec decrementū poſſunt ſuſcipere. De propria autem paſsione idem dicendū erit, non ſuſcipere magis, aut minus, ſeu nō eſſe graduum ſuſceptiuam. Quod ratione hac pro nunc perſuaderi poteſt: propria paſsio ſecundùm noſtrum Doctorem identificatur cum re, cuius eſt paſsio; vel ſecundùm communem opinionem neceſſariò ab eſſentia dimanat: poſita ergò tota eſſentia neceſſariò poni debet tota propria paſsio; ſed cum eſſentia, vti diximus, conſiſtat in indiuiſibili, vbicumquè ponitur, tota ponitur, ergò tota paſsio: idem enim quatenus idem, ſemper eſt natum facere idem: ſi eadem eſſentia, ſemper eadem eſt, ſemper eadem ab illa paſsio fluet. Cùm ergò Porphyrius propriam differentiam ſuſcipere magis, & minus aſſerit, non loquitur de differentia propria ſtrictè ſumpta, qualis eſt propria paſsio, quæ ex proprijs & eſſentialibus rei principijs profluit, ſed de ea, quæ ſequitur principia indiuidualia, ſeu cōplexiones, & diſpoſitiones, quæ illa comitantur, vt nigredo in coruo, albedo in cygno. Sicut ergò non eſt quis magis rationalis, quàm alius, ita nec magis riſibilis; quòd ſi prædictæ paſ-A ſiones propriè dictæ perfectius in vno in ſuos actus prorumpunt, quàm in alio, id non prouenit ex intrinſeca illarum conditione, ſed ex peculiari corporis complexione, organorumq; diſpoſitione.

De differentia autē indiuiduali. Licèt recentiores quidam cum Oña proprijſsimā eſſe differentiam arbitrentur, cum alijs tamen non eſſe propriè ſub differentiarum proprijſsimarum numero comprehenſam affirmamus, quia cum extra rei eſſentiam ſit, illam in ſuo vltimo actu eſſentiali præſupponens, ſolius modi rationem tenet, eſſentiam determinantis ad eſſe indiuiduale, & ideò differentia materialis appellatur. Vnde cōmuniter ſolet dici, naturam ſpecificam totam indiuidui eſſentiam importare; verius ergò iudico abſolutè lōquēdo ad differentiam propriam reuocari, quæ abſo-B lutè non facit aliud, ſed alterum; Petrus enim non eſt aliud, ſed alius à Paulo. Quòd ſi indiuiduum non abſolutè ſed cum reduplicatione ſumptum in quātùm indiuiduū eſt; intrinſecè dicat differentiam indiuidualem; ſic aliquam tenet ſimilitudinem cùm differentia proprijſsima, vt Rubius & alij.

Ad notandum etiam, maſculinum, & fœmeninum ſexum ſub differētijs proprijs cōtineri, quatenus accidentia inſeparabilia ſunt, à ſuis ſubiectis: adde etiam non obſtāte continuo fluxu materiæ Petrum ſenem nō eſſe in ſe alium à ſe ipſo iuuene, ſed ſemper eundem manere, non enim tota caro ſimul cōſumitur, ſed vna pars illius poſt aliā paulatim deperditur, & vi facultatis nutritiuæ, loco deperditæ, alia acquiritur; cum ergò pars carnis addita vnum faciat cùm ea, cui additur, & in præexiſtens tranſeat, ſemper manet eadem caro; ſed de hoc in G lib. de generat.

QVÆSTIO II. SIMPLICES ne ſint omnes proprijſsimæ differentiæ.

PERGIMVS iam de ipſa differentia proprijſsima, quæ tertium prædicabile conſtituit, diſputare; quia illa ſola eſt, quæ de pluribus in qualequid prædicatur, materiale igitur ſignificatum differentiæ proprijſsimæ, non eſt relatio illa realis differentiæ, quæ inter duo reperitur, ſed ipſa forma, & fundamentum illius relationis, ſeu gradus ille eſſentiæ, qui in cōpoſitione metaphyſica habet rationem actus perficientis, & determinātis naturam genericam, & conſtituentis rem in eſſe eſſentiali; hæc autē

differentia duplex eſt, quædam quæ conſti-
tuit ſpeciem ſubalternam; diximus enim ſu-
pra, omnia prædicata ſuperiora, quæ inter
ſe ſubordinationem habent, metaphyſicam
compoſitionem habere ex ratione magis
ſuperiori, quæ habet rationẽ potentiæ me-
taphyſicæ, & ratione illam actuante, & cõ-
trahente ad eſſe talis prædicati magis infe-
rioris, quæ habet rationem differentiæ, atq;
adeò, omnia prædicata eſſentialia, ſeu gene-
ra ſubalterna compoſita eſſe ex genere, &
differentia præter ſupremum genus, quod
cùm primum ſit tali caret cõpoſitione; atq;
adeò talia genera ſubalterna, & genera eſ-
ſe in ordine ad inferiora comparata, & ſpe-
cies eſſe ſubalternas in ordine ad ſua ſupe-
riora: differẽtiæ ergò tales, quæ prædictas
ſpecies ſubalternas, tãquàm actus metaphy-
ſici conſtituunt, differentiæ ſubalternæ nũ-
cupantur, vt gradus corporis ſubſtantiam
contrahit ad conſtitutionem corporis; &
gradus vitæ corpus contrahit ad conſtitu-
tionem viuentis, & gradus ſenſibilitatis cõ-
trahit viuens ad conſtitutionem animalis;
Differentia verò vltima, & infima, quæ ab-
ſolute ſpecifica dicitur, eſt quæ tãquàm ac-
tus metaphyſicus contrahit genus infimum
ad cõſtitutionem ſpeciei infimæ, vt gradus
rationalitatis cõtrahit animal ad conſtitu-
tionem hominis; cùm autem genus ſupre-
mum talis compoſitionis ſit expers, non da-
tur differentia ſuprema licet detur genus
ſupremum.

Corollariũ Quærimus ergò in præſenti, an omnes iſ-
tæ differentiæ tam ſubalternæ, quã infimæ
ſint ſimplices, cuius duplex poteſt eſſe ſen-
ſus: primus an quilibet gradus differentia-
lis ex prædictis, ſit cõceptus ſimplex nullam
admittens compoſitionem ex genere, &
alia differentia; & in hoc ſenſu hoc certum
eſt apud omnes eſſe ſimplices quoad cõpo-
ſitionem generis, & differentiæ; an autem
in illis reperiatur conſtitutio aliqua ex ra-
tione communi, & inferiori; & an vltimæ
differentiæ in quãtum vltimæ rationem en-
tis includant nec ne, res eſt metaphyſica, de
qua agit noſter Doctor lib. 4. metaph. q. 2.
& in 1. ſ. d. 3. q. 1. art. 1. Secundus ſen-
ſus eſt an ad conſtitutionem cuiuſcumq;
ſpeciei vna ſola differentia concurrat, & in
hoc ſenſu præſens procedit quæſtio, in qua
nonnulla ſunt certa apud omnes.

I. Certum Primò certum eſt dari quidẽ vltimas dif-
ferẽtias ſpeciei cõſtitutiuas, ſiue illæ ſimpli-
ces ſint ſiue ex pluribus differẽtijs cõplexæ.

Probatur Quod patet; quia quælibet ſpecies infi-
ma ab alijs eſſentialiter diſtinguitur: debet
A ergò in ſe habere propriam, & vltimam eſ-
ſentiam, atque adeò vltimam differẽtiam,
ex vi cuius eſſentialiter diſtinguatur à qua-
libet alia ſpecie; vltima enim differẽtia gra-
dus quidam eſt eſſendi, qui ita vni ſpeciei in-
fimæ conuenit, vt alijs nequeat conuenire:
habet ergò quælibet ſpecies ſuam vltimam
differentiam, ſiue ſimplicem, ſiue comple-
xam, qua eſſentialiter in ſua natura ſpecifi-
ca conſtituitur, ab alijsq; diſtinguitur.

Præterea certũ eſt in vna, & eadem ſpe- *II. Certum.*
cie plures reperiri differentias inter ſe ſub-
ordinatas ſecundùm rationem cõmunis, &
cõmunioris, conſtituentes prædicata eſſen-
tialia inter ſe ſubordinata in eadem ſpecie,
vt in homine datur corporeitas, conſtitu-
ens corpus, gradus vitæ cõſtituens viuens,
ſenſibilitas conſtituens animal, tandem ra-
tionalitas conſtituens hominem, quæ om-
nes in eadem natura ſpecifica coadunãtur;

B Certum tandem eſt differẽtias ſubalter- *III. Certum.*
nas, quibus genera intermedia, ſeu ſpecies
ſubalternæ conſtituuntur, ſimplices eſſe: to-
ta ergò difficultas in differentijs vltimis in-
fimæ ſpeciei conſtitutiuis ſita eſt; an ſcilicet
ad conſtitutionem vnius ſpeciei vnica dum-
taxat ſimplex differentia infima cõcurrat,
quæ cùm ſpecie conuertatur, an verò plu-
res differentiæ, ex quarum collectione fiat
vna differentia compoſita & in hoc ſenſu
tres reperiuntur opiniones.

Prima aſſerit nullam dari differentiam *I. opinio.*
vnicam, & gradum ſimplicẽ ſpeciei infimæ
conſtitutiuam, quæ cùm illa recurrat, ſed
omnes eſſe genericas pluribus ſpeciebus
communes; conſtituitur autem ſpecies infi-
ma ex completione, ſeu collectione mul-
tarum talium differentiarum, quarum quæ-
libet, licèt per ſe ſit communis alijs; ſimul
C tamen, coniunctæ ita reperiuntur in hac
ſpecie quòd non in alia, ſicut de complexio-
ne proprietatum indiuidualiũ dictum eſt;
nec in cõuenit (dicũt) quòd forma phyſica
ſit vna in quolibet compoſito, cùm ab vna
forma phyſica ſicut de ſumuntur plura ge-
nera, poſsint etiam, & plures differẽtiæ de-
ſumi, atq; adeò nõ colligitur vna differẽtia
ſimplex, & reciproca; eo quòd forma phy-
ſica ſit vna, & ſimplex; radix autem ſimpli-
cis paſsionis non eſt ſemper ſimplex diffe-
rentia, ſed non numquam tota eſſentia ſpe-
cifica, & differentiarum complexio, vt co-
lor eſt paſsio mixtionem conſequens qua-
tuor primarum qualitatũ, licèt ergò diffe-
rentia ſit ſimilis formæ phyſicæ in eo quòd

genus

genus actuat, & cõtrahat; in eo autem differt quòd forma phyſica vna tãtũm poteſt eſſe in vna ſpecie, cum qua reciprocatur; metaphyſicæ verò plures, ſicut materia phyſica vna eſt, metaphyſicæ verò vt genera plura ſunt in eadẽ ſpecie, vndè aliud eſt differentiam eſſe vltimam, aliud verò cum ſpecie recipocrari; poteſt autem eſſe vltima, & tamen alijs conuenire. Fulciturquè ſententia hæc potiſsimè tum Ariſt. teſtimonijs ex 1. topic. c. 3. & 6. topic. c. 6. & 2. poſter. c. 14.

I. Argum. Præterea quibuſdam exemplis. Eadem enim concluſio poteſt eſſe ſcientifica & opinatiua, ergò conſtituitur in ſuo eſſe à duplici vltima differentia, ab vna quidem in eſſe ſcientiæ & ab alia in eſſe opinionis. Item voluntas in ratione potẽtiæ ſpiritualis differt ab appetitu ſenſitiuo, & conuenit cum intellectu; in ratione verò appetitus boni differt ab intellectu, & conuenit cum appetitu ſenſitiuo.

II. Opinio Secunda ſententia præcedentem ad quaſdam ſolas ſpecies reſtringit, in alijs verò differentias dari ſimplices cum ſpecie infima reciprocas concedit: ſic Oña c. de differentia. q. 2. art. 4. & nonnulli recentiores & videtur in quibusdam hoc ab Ariſt. affirmari cum 7. metaph. tex. 48. doceat in diffinitione nihil eſſe niſi genus, & differentiã; & aliquando pluribus conſtare differẽtijs; aliquando paucioribus, ſed vt minimũ conſtare genere, & differentia vnica.

III. Opin. Tertia tandem ſententia omnem differẽtiam tam ſubalternam, quàm infimam ſimplicem eſſe affirmat, quã tamquam veriorẽ ſequentibus concluſionibus amplectimur.

Prima concluſio. Differentia eſt vnicus, & ſimplex gradus; vndè ad metaphyſicam compoſitionem cuiuſuis ſpeciei vnica dumtaxat differentia cõcurrit, quæ cum ſpecie, quam conſtituit, cõuerſim dicitur. Sic noſt. Doctor. 2. poſter q. 58. eam; ferè omnes communiter tuentur, eſtq; expreſſa Ariſt. 4. topic. c. 2. & 7. metaph. tex. 43. & ratione efficaciter conuincitur.

Omnia prædicata eſſentialia, atq; adeò omnes gradus differentiæ quibus conſtituũtur, deſumuntur ab eadem forma phyſica ordine quodam eſſentiali, vt ait Ariſt. 7. metaph. tex. 43. ita vt quaſi gradibus quibuſdam deſcendatur, & prior determinetur, & diuidatur per ſubſequẽtem, donec hoc proceſſu deueniatur ad vltimam, & indiuiſibilem differẽtiam, quæ ſumitur à gradu eſſendi vltimo ipſius formæ, vt patet in eſſentia hominis ſubſtantia corporea, animata, ſenſitiua, rationali, in qua differentiarum ſerie talis eſt ordo, vt tranſmutari nõ poſsit; quia poſterior eſt actus præcedentis, & rationalis eſt vltimus actus deſumptus ab vltimo gradu eſſendi animæ rationalis (hæc Ariſt.) ergò differentia infima conſtitutiua ſpeciei, vnica eſt, & nõ plures ſuperiores, & intermediæ differentiæ, ſicut vnius formæ vnicus eſt vltimus gradus eſſendi.

Secundò probatur. Quæuis differentia vltima ex vi propriæ formalitatis ſimul cũ vltimo genere eſt vnius ſpeciei infimæ cõſtitutiua: quælibet ergò ſpecies vnicam dumtaxat debet habere vltimam differentiam, cum hæc cum genere vltimo ſit ſufficiens ad illam conſtituendam. *II. Probatur.*

Tandem omnes illæ differentiæ, in quarum complexione conſiſtit vltima ſpeciei cõſtitutiua debent inter ſe vniri, ex duobus enim entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe: ergò habẽt inter ſe rationem actus, & potentiæ: ergo ille actus, qui habet rationem ſolius actus, erit vltima differentia, atquè adeò vnica ſolùm eſt vltima ſpeciei conſtitutiua. *III. Probatur.*

II. Cõclu. Secunda cõcluſio. Differẽtiæ infimæ ſimplices ſunt nobis occultæ, & ferè nũquàm, aut rarò à nobis cognoſcuntur, & ideò multoties verarum differentiarum loco, & differentiæ communes, & accidentia in diffinitionibus ſolent conſtitui, ſicut etiam per proprietatum collectionem differentias indiuiduales venamur.

Ad. Arg. Reſpondet Argumenta in oppoſitũ obiecta, ſic erũt diſſoluenda.

Ad. I. Primũ ex Ariſt. teſtimonijs deſumptum Ariſt. loquutũ fuiſſe vel de defferentijs ſubalternis, vt in 1. topic. c. 7. vel de differẽtijs, quæ in diffinitionibus ſolent poni; eo quòd differentiæ vltimæ ſint nobis occultæ.

Ad II. Secundum autem, quod exemplis innititur ſic; licèt eadẽ concluſio ſecundùm diuerſas rationes ad diuerſas pertineat ſpecies, ſcientiæ nimirum, & opinionis; non tamen inde ſequitur quòd illas duas differentias obtineat, quatenus eſt vnica ſpecies. Exemplo de voluntate ſic ſatisfit, cõuenientias illas, in quibus cum intellectu, & appetitu ſẽſitiuo cõuenit eſſe genericos conceptus, & nõ ſpecificos, & athomos, quia per illos cõuenit cùm rebus diuerſæ ſpeciei, quapropter differentiæ, ex vi quarum conſtituitur in eſſe appetitus, & in eſſe potentiæ ſpiritualis, non vltimæ, ſed ſubalternæ ſunt; quia differẽtiæ non cõſtituentes athomas

ſpecies

ſpecies nequeunt eſſe infimæ differentiæ.

QVÆSTIO III. VTRVM DEtur differentia infimi generis conſtitutiua.

QVÆSTIO hæc eadem prorſus eſt cum ea, quæ in c. de genere à nonnullis quæri ſolet; detur ne genus aliquod infimũ, quod immediatè ſub ſe contineat ſpecies athomas, atq; adeò detur aliqua differentia ſubalterna talis generis infimi conſtitutiua: qua in re.

Opinio nominalium

Opinio eſt Nominalium negatiuam partem amplectens; quia opinãtur inter quodlibet genus, & infimam ſpeciem infinita genera mediare; fundamentum eſt.

I. Argum

Inter quaslibet duas ſpecies ſignatas poteſt Deus plures, & plures in infinitũ creare, cùm nulla detur determinata differentia inter ſpecies, quin poſsit dari maior, & maior in infinitum, ſed quælibet conueniẽtia inter duas ſpecies eſt genus: ſunt ergò **B** infinita genera cum poſsint fieri infinitæ ſpecies.

Concluſio.

Prima concluſio ſit. Dantur differentiæ generum infimorum conſtitutiuæ, atquè adeò genera infima, & immediata ſpeciebus; ſic noſter Doctor q. 14. vniuer. & alibi ſæpe D. Thom. de natura generis vbi in Angelis non ponit niſi vnum genus infimũ, eſtquè expreſſa Ariſt. qui 5. Topic. c. 3: vitioſam eſſe ait diffinitionem, quæ non datur per genus proximũ, & 8. metaph. tex. 10. reſolutionem diffinitionis in ſuas partes non procedere in infinitum, ſed deueniendum eſſe ad differentiam vltimam, & ad genus generaliſsimum, & ratione probatur.

I. Probat.

Primò. Ab in conuenientibus alioquin recta prædicamentorum ſeries deſtrueretur, vbi ſpecies ſub proprio genere, & inferiora ſub immediatis ſuperioribus collocã- **C** tur; hoc enim eſt prædicamenta eſſe ordinata; Tum etiam rerum diffinitiones perirent, cùm ad illas requiratur, vel quòd ponatur differentia cum genere infimo, vel quòd omnia prædicata eſſentialia cum infima differentia numerentur; cùm ergò impoſsibile ſit infinita prædicata numerare; impoſsibiles eſſent rerum diffinitiones. Sequeretur etiam talem rem, infinitam graduum eſſentialium latitudinum cõtinẽtem à creato intellectu eſſe incognoſcibilem, illamquè eſſe infinitè perfectam; quia cùm quilibet gradus genericus quo inferior, eo intrinſecè perfectior, ſi tales gradus in infinitum procederent, in eadẽ re eſſet maior, **A** & maior perfectio in infinitum.

Effugium aliquorũ.

Effugium autem illud, quòd omnes tales gradus eſſentiales in re ſunt vnica perfectio eſſentialis finita, & limitata, quia pluralitas, & infinitus numerus talium perfectionum tãtùm prouenit ab intellectu; nullum eſt; ſi enim omnes illi gradus in re diſtinguerẽtur realiter, conſtituerent vnam perfectionem infinitam ſecundùm ſuam eſſentiam; ergò ſi omnes illæ perfectiones reperiuntur modo de facto in natura ſpecifica non diſtinctæ, ſed identificatæ multo magis conſtituent perfectionem infinitam ſecundùm ſuam eſſentiam: diſtinctio enim non auget perfectionem; nec identitas minuit; cùm intellectus numerum graduum eſſentialium pro libito non fingat, ſicut fingit chimæram, ſed cum fundamento in re.

II. Proba.

Secundò. In perfectionibus eſſentialiter ſubordinatis in aliqua re exiſtentibus ſecũ- **B** dum Ariſt. 8. phyſic. & 10. metaph. debet dari vltima; ſed gradus generici in re eadẽ reperti, ſunt perfectiones eſſentialiter ſubordinatæ: ergò in illis debet dari gradus vltimus, qui genus infimum dicitur.

III. Probatur.

Tertiò. Actus formalis eſt eſſentialiter perfectiuus potẽtiæ ab eo perfectibilis: ergò actus determinatus formalis debet habere aliquam immediatam, & determinatam potẽtiam, quam formaliter perficiat, actus enim, & potentia in hoc proportionãtur inter ſe, ſed omnis differẽtia infima metaphyſicè eſt act9 formalis determinatus: debet ergò habere potentiam aliquam immediatam, & determinatam, quam formaliter perficiat: hæc autem potentiã genus infimum eſt, quæ eſt potentia metaphyſica immediatè perfectibilis per actus infimos differentiales.

Cæterùm in diffiniendo an animal ſit ge- **C** nus infimum nec ne nõ modica controuerſia eſt apud Doctores. Quidam dicunt non eſſe genus infimum; quia diuerſæ operationes genericæ conſtituunt diuerſos gradus genericos, ſed præter communes operationes in quibus omnia animalia conueniunt, ſunt aliæ operationes genericæ, in quibus conueniunt tantùm aquatilia, & in illis differũt ab alijs animalibus terreſtribus & volatilibus. volatilia enim habent tamquam ſibi propriam operationem actum volandi, & terreſtria actum reptandi. & aquatilia actum natandi; prædictæ ergò operationes denotãt principia eſſentialiter diuerſa, quæ cum ſint communia pluribus ſpecie differentibus,

rentibus, genera debent eſſe. Confirmatur, ſub cane latrabili ſunt plurimæ ſpecies infimæ & ſimiliter ſub aui, plures auium ſpecies eſſentialiter diſtinctæ, vnde Ariſt. 1. de hiſtoria anima. c. 1. & 1. poſt. c. 13. autem quæ ſub animali continetur genus eſſe corui affirmat. & 7. metaph. tex. 28. ait equum & aſinum in genere quodam innominato conuenire, quòd ſi apud probatos Doctores reperiatur animal eſſe genus immediatum ad omnes ſpecies animalis, vel loquuntur ſecundùm communem vulgi opinioné, vel quia proxima genera ſunt nobis magis occulta, vel tandé; quia de animali certum eſt eſſe genus, de alijs autem an ſcilicet ſub illo alia genera détur ſub dubio eſt, & ideò id quod certum eſt aſſumentes, id quod ſub dubio eſt, reliquerunt.

Alij autem partem tuentur aſſertoriam, animal nempè eſſe genus infimum: vnde inter ipſum & omnes ſpecies animalis nulla alia genera mediare affirmant: quia aliàs (inquiunt) de nullo animali præter hominé poſset dari ſcientia; cùm alia genera præter animal vix queant cognoſci: imò quòd eadem ratione, qua talia genera ponuntur; poſsent etiam alia in infinitum multiplicari; quod nihil aliud eſt, quàm inaduertéter in Nominalium figmentum incidere. Tum etiam quod intra viuétis latitudinem tres tantùm gradus, vt omnibus perſpicuum eſt reperiuntur, gradus nempè vegetatiui, ſenſitiui, & intellectiui; omnia autem bruta in 1. & in 2. gradu tantùm eſſentialiter conueniunt, quod manifeſtum ſignum eſt non eſſe genus aliud infra animal.

Soluunt autem argumēta in cōtrarium obiecta notando, conuenientias illas particulares, quæ inter nonnulla animalia reperiuntur, vel prouenire ex ipſis differentijs (ſupponunt enim non omnem ſpecierum conuenientiam in gradu generico fundari, ſed nonnullis etiam ex gradu differentiali promanare) vel tantum eſſe accidentales, quæ genera accidétalia dici poſſunt, ex eiſdem temperaméntis; ex ſimiliq; modo procedendi, & figura accidentali exteriori deſumpta; quòd ſi inter animalia quàm plures reperiantur operationes vt volare, ambulare, repere, & ſub illarum qualibet aliæ innumeræ, maior, & maior illarum cōueniētia prouenit ratione differentiarum, quas participant altiorem & altioré habentium perfectionem. Qui autem nullam eſſentialem conuenientiam admittunt in ipſis differentijs, dicunt illam maiorem, vel minorem inter animalia aſsimilationem nō fundari in aliqua alia conuenientia vel generica, vel differentiali; ſed in maiori, vel minori acceſſu, aut receſſu vnius differentiæ ad aliam; quod, hoc exemplo numerorum ſic innoteſcit (ſunt enim eſſentiæ ſicut numeri) ternarius accedit propriùs ad quaternarium, quàm binarius; non tamen ſubinde fit ternarium, & quaternarium aliquam eſſentialem conuenientiam habere præter rationé numeri, in qua omnes aliæ ſpecies numeri conueniunt. Sed mihi vtrumq; probabiliter poſſe ſuſtineri videtur. Fundamétum autem Nominalium ſic facilè euertitur, falſum eſſe vniuerſaliter loquendo, inter quaslibet duas ſpecies poſſe à Deo aliā, & aliam produci; quia eſſentiæ rerum ſunt ſicut numeri in indiuiſibili conſiſtétes; inter numerum autem ternarium, & quaternarium non eſt dabilis alius numerus ab illis diſtinctus; ſic nec inter quaſcumq; duas ſpecies infimas, in quarum qualibet non datur latitudo. Imò eo admiſſo, illa maior, aut minor conuenientia inter quaslibet duas ſpecies aſsignabiles, & à Deo creabiles nō eſt ex ratione generica, ſed ex varijs differentijs magis, & minus perfectis ſecundùm majorem, aut minorem acceſſum, aut receſſum vnius ab alia.

A

B

QVÆSTIO IIII. SIT NE omnis differentia propriſſima alicuius generis diuiſiua, & ſpecies conſtitutiua, & realiter diſtinctiua.

PARTEM negatiuam ſuadere videntur argumenta, quæ ſequuntur.

Primum eſt. Differentia priuatiua eſt alicuius generis diuiſiua, vt irrationale animalis, & tamé nullius ſpeciei eſt conſtitutiua, non enim eſt talis ſpecies aſsignabilis. *I. Argumē.*

C Secundum. Quod diuiditur non manet totum in quouis diuidenti, vt cum lignum in duas partes diuiditur, ſed totum animal eſt in ſingulis ſpeciebus, non ergò in illas diuiditur. *II. Argumē.*

Tertium. Diſtincta differentia eſt, quæ conſtituit ſpeciem, & diuidit genus, vt cōſtat ex Porphyrio, qui differétiarum aliam eſſe dicit diuiſiuā generis, aliam verò conſtitutiuam ſpeciei; vt etiam eſt videre in ſenſibili, quod animal conſtituit, illud tamen non diuidit: ergò non eſt eadem differentia conſtitutiua, & diuiſiua. *III. Argumē.*

Confirmatur. Differentia diuidit etiam ſpeciem ab alijs: ergò non eſt ſolius generis diuiſiua. *Cōfirmat.*

Obſeruandū

I. Notab. Obſeruandum eſt primò omne totum diuidi poſſe in ſuas partes, vel realiter, vel deſignatiuè, vel intelligibiliter, cùm auté genus duplicem habeat rationem totius, & actualis, & potétialis; duplici etiam diuiſione diuiditur actuali quidem diuiſione, ſiue phyſica ſiue metaphyſica; quando in ſuas partes actuales ſiue phyſicas, ſiue metaphyſicas diſtribuitur, vt cùm dicimus animal ex materia, & anima ſenſitiua conſtat, vel ex ratione viuentis, & ſenſibilitatis; potentiali autem, quando in ſuas partes ſubiectiuas diuiditur; diuidi autem genus per differentiam eſt potentialitaté, & in differentiã generis ad vnam, vel aliam ſpeciem determinari.

II. Notab Obſeruandum præterea, differentiam, vel poſſe comparari ad idem genus, vel ad diuerſa.

I. Conclu. Prima concluſio. Omnis differentia proprijſsima ad diuerſa genera comparata eſt diuiſiua generis, & ſpeciei conſtitutiua.

I. p. probat Prima pars patet: quælibet differentia proprijſsima actuat genus, atquè adeò determinat, & trahit illud ad ſpeciem, quæ ex tali genere, & differentia conſtituitur: ſed hoc eſt diuidere genus ergò.

II p. prob. Secunda pars etiam conſtat; quælibet enim forma phyſica conſtituit aliquod cõpoſitum phyſicum: ergò quælibet forma metaphyſica conſtituit totum aliquod metaphyſicum, quod ſpecies eſt.

Præterea, diuidere genus eſt ipſũ ad aliquam ſpeciem contrahere, hoc porrò eſt ipſam ſpeciem conſtituere

Tandem quod omnis actus formalis eſt conſtitutiuus rei in aliquo eſſe, atqui differentia omnis metaphyſicè loquẽdo eſt act9 formalis ſpeciei, vt liquet; eſt ergò ſpeciei conſtititutiua.

III. p. pb. Tertia pars probatur: quia per idem per quod res conſtituitur, per idem ab omnibus alijs tale eſſe non participantibus diſtinguitur, vt inter primorum principiorum veritates continetur.

II. Concl. Secunda concluſio. Reſpectu eiusdem generis eadem differẽtia nequit eſſe ſimul conſtitutiua, & diuiſiua; ſed alia eſt conſtitutiua, & alia diuiſiua, vt patet exemplo animalis, quod per ſenſibile conſtituitur in eſſe animalis, per illud autem nõ diuiditur, ſed per rationale: ratio auté clara eſt, quòd differentia non dicitur contrahere ſpeciẽ, quam conſtituit; ſed genus quod ad ipſam ſpeciem veluti trahit.

I. Corolla. Ex quibus ſequitur diuiſionem illam, qua differentia indiuiſiuam, & conſtitutiuã **A** diuiditur, non eſſe intelligendam de differentia, vt ad diuerſa genera refertur; ſed ad idem genus, ſic autem diſtincta differẽtia eſt diuiſiua & conſtitutiua. Differentia autem, prout diuiſiua generis, & ſpeciei conſtitutiua, forma eſſentialis dicitur, ſed diuerſi modè, reſpectu ſpeciei, quia eſſentialiter illam conſtituit, reſpectu verò generis non quia ſit de illius eſſentia; ſed quia eſſentialiter illud contrahit ad eſſe eſſentiale ſpeciei.

II. Corollarium. Præterea ſequitur diſcrimen eſſe inter genus ſupremum, & genus ſubalternum, ſpeciem què infimam, quòd primum habet differentias tantùm diuiſiuas, non tamen conſtitutiuas, cum compoſitionis generis, & differentiæ ſit expers; ſecundum, vtras què habet & diuiſiuas, & conſtitutiuas: tertia verò conſtitutiuas dum taxat; cùm ſpecies infima diuidi nequeat per differen- **B** tias ſpecificas in inferiores ſpecies, ſed tantùm per indiuiduales differentias in indiuidua.

III. Concluſio Tertia concluſio. Differentiæ proprijſsimæ conuenit realiter eſſe principium formale diſtinctionis ſuæ ſpeciei; atquè adeò differẽtia realiter, & formaliter eſt diuiſiua ſiue diſtinctiua ſpeciei. Hæc in doctrina noſtri Doctoris veriſsima eſt, & ſic.

Probatur. Probatur Quæ cumquè res realis exiſtens per ſe ſub aliquo genere, per gradum proprium differentialem citra omne mentis opus ad vnum modum eſſendi eſt ita determinata, vt alios à ſua propria ratione ſecludat: ergò ſecluſa omni mentis functione ratione illius gradus determinati, quem habet eſſentialiter, diſtinguitur ab omni alia re non habẽte talem eſſendi modum, & gradũ: ergò gradus differentialis in omni re habente illum eſt realiter princi- **C** pium diſtinctionis eſſentialis: ergo formalis.

Confirma. Cõfirmatur natura humana ſub ratione naturæ humanæ formaliter eſt in rebus, ſed vt ſic dicit in ſe negationem cuiuscumquè alterius rationis eſſendi formaliter a ſe diſtinctæ: ergò à parte rei diſtinguitur formaliter ab omni alia ſpecie, datur ergò in re principiũ formale talis diſtinctionis, quod eſt differentia.

Probat. II Præterea Homo in re habet in ſe actu, & formaliter principium formale viuendi rationaliter, quod non habet equus: ergò realiter, & formaliter diſtinguitur homo ab equo: ergò per formale principium diſtinctionis: hoc autem eſt differentia cum ſit id

quod

quod ita conuenit huic, quod non alteri, quia illa entitas, quæ non conuenit alteri eſt cauſa diſtinctionis ab illa: cum ergò differentia vnius ſpeciei realiter (hoc eſt ante intellectus operationem) non conueniat alijs ſpeciebus: illa erit cauſa realis, & formalis diſtinctionis.

Obiectio. Quòd ſi dixeris quidquid eſt ſpeciei formale diſtinctionis principiũ, eſt actus formalis ſe ipſo dans rei eſſe diſtinctũ, atqui differentia realiter non eſt actus formalis ſuæ ſpeciei, ſed tãtum intelligibiliter, cum actus formalis quatenus actꝰ formalis actualiter & formaliter diſtinguatur ab illo cuius eſt actus, neceſſariò enim inter id, quod actualiter dat, & actualiter recipit actualis diſtinctio debet intercedere, quæ non intercedit inter genus, & differẽtiam: quapropter ſecluſa mentis ope nõ habet differentia rationẽ actus conſtituẽtis, nec genus rationem potentiæ contrahibilis.

Solutio. Reſpõdẽdum eſt, dari quidẽ diſtinctionem actualem ex natura rei inter genus, & differentiam, vt ſupra probatum eſt.

Ad Argumen. Reſp. Argumenta pro parte negatiua obiecta diluuntur.

Ad I. Primum ſic. Verum quidem eſſe puram priuationem aut negationẽ nõ poſſe eſſe differentiam propriiſſimam conſtitutiuã aut diuiſiuã, de cuius ratione eſt quòd ſit actus eſſentialis ſpeciei, quo excedit genꝰ quod priuationi vel negationi cõuenire nequit: dicimꝰ ergò cũ noſtro Doct. quòd cùm differentiam poſitiuam ſequatur negatio perfectionum oppoſitarum tali poſitiuo, nõnunquam ponitur loco poſitiui in diuiſionibꝰ, vt cùm ſubſtãtia diuiditur per corporeã, & incorporeã, negatio hæc ponitur loco poſitiui ſpiritualis differẽtiæ: aliquando autẽ loco pluriũ differẽtiarum collocatur, quia facilè nequeunt recenſeri, aut certo numero cõprehẽdi, vt ſic breuis, & adæquata ſit diuiſio, quo pacto ſumitur irrationale plurium nempè differẽtiarum vice putà inhibilis, rugibilis, &c.

Ad II. Ad ſecundum reſpondendum eſt, maiorem intelligendam eſſe de illo, quod diuiditur diuiſione actuali in partes, ex quibus actu componitur, non verò quod diuiditur diuiſione potentiali, ſeu vt totum potentiale, quia diuiſio hæc conſiſtit in contractione totius potentialis per ſuos actꝰ differentiales ad hanc, vel illam ſpeciem componendam, & in hoc conſiſtit diuiſibilitas prædicti totius.

Ad III. Ad tertium, quòd licèt reſpectu eiuſdẽ generis diuerſa ſit differentia cõſtitutiua à diuiſiua, quo pacto diuiſionem hanc Porphyrius intellexit, reſpectu tamen diuerſorum eadem eſt differentia diuiſiua, & conſtitutiua, vt viſum eſt.

Ad confirmat. Ad confirmationẽ. Diuerſam eſſe diuiſionem, qua differẽtia diuidit genus ab ea qua diuidit ſpecies, prima enim diuiſio in cõtractione conſiſtit, vt explicatũ eſt: ſecũda vero conſiſtit in hoc, quod eſt diuidere, ſeu diſtinguere vnam ſpeciem ab alijs.

QVÆSTIO V. POSSIT NE *eadem differentia duorum generum eſſe diuiſiua.*

CONTROVERSIAM hanc ſolent communiter logici in ante prædicamentis agitare quãdam regulã ab Ariſt. in c. 3 aſsignatam expendentes, ibiq; noſt. ſubtilis Doct. q. 10. ſed ne eadem iterum repetere cogamur, in præſenti loco cũ de differentia ſermo inſtituitur, præmittẽdã eſſe duxi. Vt autẽ rem, quam intẽdimus apertius deducamꝰ. Ad notare oportet, genera in triplici eſſe diſcrimine. quædã quæ ita ſe habẽt, vt nec vnũ ſub alio, nec vtrũq; ſub tertio contineatur, qualia ſunt ea, quę ad diuerſa ſpectant prædicamenta, vt animal & ſciẽtia, & talia vocat Ariſt. genera nõ ſubalternatim poſita. Sũt alia ſic inter ſe diſpoſita, vt vnum ſub alio cõtineatur, & ideo ſubordinata dicũtur, vt animal, & viuens. Alia tandẽ ſunt, quæ ita ſe habẽt, vt licèt vnum ſub alio nõ ſit, vtrunque tamen ſub tertio cõtinetur, vt corpus, & ſpiritus ſub ſubſtãtia, & genera quæ ſecũdo, & tertio modo ſe habent vocat Ariſt. ſubalternatim poſita, vt optimè ex eodẽ cõprobat Rubius; quo ſic præiacto, nõnulla ſunt in quibus omnes conueniunt.

I. Certum. Primum eſt, genera primo modo ſe habentia non poſſe eaſdem habere differentias ſiue diuiſiuas, ſiue conſtitutiuas, in quibus nimirũ vniuocè cõueniant, cuius ratio perſpicua eſt de diuiſiuis, quia differentia generis alicuiꝰ ſuperioris diuiſiua, eſt quippe alicuiꝰ ſpeciei ſub tali genere immediate cõtentæ conſtitutiua: vel ergò talis ſpecies ſub prædictis generibꝰ collocata, vtriuſq; prædicamenti eſt, vel neutrius, quodcumq; autẽ dederis eſt prorſus à veritate alienũ, cũ enim diuerſa prædicamenta primo diuerſa dicãtur, nequeunt ſpecies, aut differentias habere cõmunes. De cõſtitutiuis etiã nõ eſt minꝰ aperta, genera enim vel ſpecies diuerſorũ prædicamentorum

nequeunt eſſe eiuſdem eſſentiæ & naturæ, & hoc tantum eſt quod docet, & probat noſter Doctor quæſtione 10. antepraedic. vbi ſic. *Iddem ſpecie vel genere nullo modo eſt in diuerſis generibus generaliſſimis, vel quibuſcunque non ſub alternis;* & ſubdit rationem, *quia ad eſſentiam ſpeciei pertinet genus; ergò ſi iddem ſpecie, vel genere inferiori eſſet in diuerſis generibus ſuperioribus, illa ambo genera eſſent de eiuſdem eſſentia: igitur illud non eſſet idem eſſentialiter, quia duo genera non ſubalterna diuerſam eſſentiam prædicant; ſimiliter differentia cum genere facit vnum eſſentialiter, ſed cum diuerſis generibus non ſubalternis nihil idem facit eſſentialitèr.* Notantèr autem dictum eſt non poſſe eaſdem habere differentias, in quibus vniuocè conueniant; quia de differentijs analogicis certum eſt eas habere poſſe; ſubſtantia enim per corpoream, & incorpoream diuiditur, & qualitas ſimilitèr.

II. Certũ. Secundum quod tamquam certum etiam accipitur eſt, genera ſubordinata quorum nempe vnum ſub alio continetur, eaſdem habere poſſe differentias tàm conſtitutiuas quàm diuiſiuas, in hoc ſenſu, vt differentia genus ſuperius immediatè conſtituens ſpeciem inferiorem mediatè conſtituat, & differentiæ genus inferius diuidentes immediatè, diuidant mediatè genus ſuperius: exempla ſunt in procinctu; animatum quod conſtituit viuens immediatè, conſtituit animal mediatè: & rationale & irrationale quæ immediatè diuidunt animal, mediatè diuidunt viuens, non tamen poſſunt habere eaſdem differentias immediatè conſtitutiuas, quia differentia generis inferioris immediatè conſtitutiua, eſt extra rationem generis ſuperioris: vnde differentia generis inferioris immediatè conſtitutiua, tantum eſt generis ſuperioris immediatè diuiſiua. Nec eaſdem immediatè diuiſiuas, quia nulla ſpecies diuiditur ſeu contrahitur per differentiam per quam conſtituitur, ſed per differentiã generis ſuperioris diuiſiuam conſtituitur genus ſeu ſpecies inferior: nequit ergò diuidi per eandem.

III. Certũ. Vt certum quoque receptum eſt, genera ſub tertio contenta neutrum tamen ſub altero, de quibus præſens hæc diſputatio procedit, eandem differẽtiam conſtitutiuam mediatam habere poſſe, quod patet, quia differentia, quæ immediatè conſtituit tertium illud genus ſub A quo collocantur, eſt de eſſentia illorum, cum quidquid eſt de ratione generis ſuperioris, de ratione quoque inferiorum ſit.

Tota ergò dubitatio in hoc ſita eſt, an prædicta genera ſub vno tertio genere contenta eandem habere valeant differẽtiam diuiſiuam; qua in re duæ ſunt ex diametro diſſentientes opiniones. *In quo ſiſtit dubitatio.*

I. Opinio. Prima partem negantem tuetur, quam plerique his probant argumentis:

I Argum Primo ex Ariſt. qui 4. topic. loco 9. genus de pluribus dici quàm differentiam illius diuiſiuam teſtatur; quod verùm non eſſet, ſi differentia vnius generis rebus cõpeteret alterius generis; de illis enim differentia & non genus prædicaretur. Itidem teſte Porphyrio. cap. vltimo deſtructo genere omnes pariter differentias inferiores B deſtrui neceſſe eſt, quod vtique verum non eſſet, ſi differentia vnius generis ſub alio inueniretur, quia vno genere deſtructo, maneret ſub alio, nec ab affirmatione ſpeciei generis affirmatio inferri poſſet, nec à generis negatione ſpeciei negatio, quæ omnia peripateticæ doctrinæ reluctantur.

II. Argu. Secundò. Differentia ſuo generi identificatur; ſi ergò eadem differentia diuerſorum generum eſt diuiſiua, cum oppoſitis generibus identificabitur, quod eſt abſurdum. Item differentia determinatam naturam conſtituit, generi ergò determinato coniungenda eſt.

III. Arg. Tertio. Differentia duorum generum diuiſiua, vel duas ſpecies conſtituit, & hoc dici nequit, cum enim differentia vna ſit, vnica debet eſſe ſpecies, quia à quo quidpiam ſuam eſſentiam capit, ab eodem ſuã C vnitatem ſortitur. Quamobrem Ariſtot. quot ſpecies tot eſſe differentias 1. de partibus animal c 3. aſſeuerat. Tum quòd differentia, generis rationem haberet, in illa enim conuenirent duę illæ ſpecies, & genera illa ſub quibus ſunt, rationem differẽtiæ, quia per illa differrent, per illaque differentia diuideretur, vt bipes per greſsibile & volatile. Vel cõſtituit vnam ſpeciem, & hoc dictu quidem difficilè eſt, quia aliàs duo genera oppoſita poſſent eſſe de eſſentia eiuſdem ſpeciei. Imo Ariſto. 4. topic. capit. 2. reputat inconueniens, eandem ſpeciem ſub duobus eſſe generibus.

II. Opinio Secũda opinio aſſertoriã partem defendit, quã vt veriorẽ Phyloſophię doctrinę

magis

magis cõſonam amplectimur, pro qua ſit.

Concluſio. Ariſt. Scotus. Nymphus. Toletus. Oña. Rubius. c. 3 de prædicamen.

Concluſio eadem differentia duorum generum ſub tertio contentorum poteſt eſſe diuiſiua: hanc expreſſè docet Ariſt. 4. topic. c. 2. & 6. topic. c. 3. & noſter ſubtilis Doct. loco nuper citato, & probatur.

I. Probat.

Primo. Eadem ſpecies ſub duobus generibus prædicto modo diſpoſitis poteſt immediatè contineri; eadem ergò differẽtia poteſt talium generum eſſe diuiſiua, quia differẽtia immediatè conſtitutiua ſpeciei ſub aliquo genere contentæ, talis generis eſt diuiſiua: ſi ergò vna ſpecies per vnam differentiam reſpectu duorum generum conſtituitur, illa eadem differentia vtriuſque generis erit diuiſiua. Antecedens probatur. Gradus ille, qui in ſpecie rationem habet contrahibilis, & determinabilis per aliam, generis rationem induit, qui verò rationem contrahentis eſt gradus differẽtialis, euenit autem eandem ſpeciem duos habere gradus cõtrahibiles quorum vnus non continetur ſub alio, ſed vterque ſub tertio, vnum gradum contrahentem: ſit ergò etiam eandem ſpeciem ſub prædictis generibus immediatè contineri. Minor probatur exemplis Ariſtotelis virtus intellectualis, & virtus moralis duo genera ſunt vt liquet (cum ſub ſe plures habeant ſpecies virtus moralis fortitudinem temperantiam &c. intellectualis ſcientiam, fidem diuinam &c.) non ſubordinata quia vnum ſub alio continetur, vtrumque tamen ſub tertio, atqui ſub his generibus immediatè continetur prudentia, eſt enim virtus intellectualis cum intellectui inhæreat, & perfectiſsima virtus moralis; eadem ergò differentia prudentiæ conſtitutiua illorum duorum generum immediatè erit diuiſiua.

Præterea bipes eſt differentia diuiſiua animalis volatilis, & greſsibilis, quæ duo genera ſub vno tertio continentur, neutrũ tamẽ ſub alio; ex quo colligit Phyloſophus non omnem differentiam vnum genus inferre, ſed quandoque duo genera ſub diſiunctione, vt eſt bipes ergò vel animal volatile vel greſsibile.

II. Probat

Secundò probatur alijs manifeſtis exemplis, quibus veritas hæc illuſtrata manet; quantitas in continuam, & diſcretam partitur, vt communis fert opinio, & quamlibet illarum in ſucceſsiuam, & permanentem ſub diuiſam reperimus: potentia animæ diuiditur in apprehenſiuam, & appetitiuam, & alterutra in ſpiritualem & corporalem: habitus in ſcientiam, & opinionem diuiditur, & illarum quælibet in practicam, & ſpeculatiuam: propoſitio in affirmatiuam, & negatiuam ſecatur, & ſingula membra per ſimplicem, & compoſitam, cathegoricam, & hypoteticam poteris ſub diuidere, & alia id genus prope modum infinita.

Corollarium

Ex dictis inferre licet, quandoque differentiam duorum generum predicto modo ſe habentium diuiſiuam, vnam ſpeciem conſtituere; vt patet in exemplo de prudentia, quando nimirum talia genera non ſunt incompoſsibilia propter oppoſitionem & contrarietatem aliquam differentiarum quibus conſtituuntur, quandoque duas extruunt ſpecies intermedias inadæquatè tamen, vnũ genus ad vnam ſpeciem, & aliud ad aliam contrahendo, vt patet in exemplis in ſecunda probatione adductis. Licèt enim plures ſpecies infimæ eandem ſpecificam differentiam habere nequeant, quia cum vltima differentia athoma ab vltima rei perfectione, in qua alterius ſpeciei negatio includitur, deſumatur, ab ea vnitas, & eſſentialis ſpeciei diſtinctio petenda eſt; poſſunt tamen eaſdem differentias intermedias communes obtinere, atq; adeò de ſola differentia vltima in vniuerſum, cõuertibilẽ eſſe cum ſpecie, quam conſtituit, verum eſſe deprehenditur.

Ad Argumen. Reſp.

Ad argumenta pro parte negatiua ſic erit reſpondendum.

Ad I.

Ad primum. Dictum illud Ariſt intelligendum eſſe reſpectu eorum dumtaxat, quæ ſub tali genere continentur, vt in eodem Ariſtot, exemplo perſiſtentes, ſub animali greſsibili non prędicatur bipes de omnibus ſpeciebus, de quibus greſsibile enunciatur; hoc quippe non tollit quin talis differentia alijs alterius generis conuenire poſsit. Teſtimonium autem Porphyriy intelligi debet dumtaxat de differentia quæ vnius generis eſt diuiſiua, quod ſi diuerſorum ſit generum, non auſertur differentia niſi vtrumque genus auferatur, & ex his differentijs teſte Ariſtot. vt vidimus non infertur vnum genus: *manifeſtum etiam,* (inquit ille) *quoniam non neceſſe eſt, differentiam omnem proprium genus inferre, eo quòd contingit eandem duorum generum eſſe non continentium ſe inuicem*, quid apertius?

Ad II.

Ad ſecundum dicendum eſt nihil eſſe in

commodi

commodi quod eadem differentia cum diuerſis generibus identificetur, ſicut nec quod idem genus cum diuerſis ſpeciebus, differentijsque oppoſitis: differentia autem illa, quæ re idem eſt cum diuerſis generibus, determinatè quidem cum vno genere copulatur ad conſtitutionem vnius ſpeciei, & determinatè cum altero ad alterius conſtitutionem; quando vero duo genera ad vnam eandemque ſpeciem inadæquatè trahit, conſtituit quidem determinatam ſpeciem ſub illis, in adæquata continentia contentam.

Ad III. Ad tertium. Quòd differētia in qua duæ ſpecies conueniunt, ſubalterna, & communis eſt, non infima, & conſtitutiua, de qua ſolum verum eſt tot eſſe quot ſpecies. Ad aliam partem, concluſionem noſtram de generibus non oppoſitis ſed eiuſdem ordinis intelligendam eſſe, vti à nobis eſt animaduerſum; & licet Ariſt. prædicto loco inter arguendum id (vt aſſolet) negaſſe videatur, poſtea tamen id affirmat.

Obiectio. Quod ſi obijeceris, poſſet ergò idem indiuiduum ſub duabus eſſe ſpeciebus.

Solutio. Occurrendum eſt, longè aliam eſſe rationem de indiuiduo; quia ſpecies totam eſſentiam indiuidui importat, quo circa indiuiduum habere nequit duas ſpecies ſicut nec duas eſſentias totales; genus autem non dicit totam ſpeciei eſſentiam, ſed partem, nihil autem prohibet eandem rem pluribus eſſentijs partialibus, & inadæquatis conflari.

QVÆSTIO VI. NVM QVÆuis differentia diuiſiua perfectior ſit genere, quod diuidit.

Oña c. de differ. q. 1 ant. 5. CONSIDERANTVR in præſenti controuerſia genus, & differentia prime intentionaliter quidem ſumptæ, vt articulus præſens intelligit, ſecundū gradus quos important præciſè, ſuntque partes ita diſtinctæ vt alter vtra extra eſſentiam ſit alterius. Antequam autē id, quod quæſtionis titulus ex poſcit decernamus nonnulla quæ apud omnes ſunt in confeſſo præmittere placet.

I. Certum Primum eſt, differentiam quandam eſſe extrahentem, & quandam contrahentem, illa dicitur differētia extrahens, quæ ſuo generi perfectiorem gradum, quàm ſit ipſa natura generis, exhibendo, illud extrahit à proprio gradu, eleuatq; ad alium eſſendi gradum, altiorisque importat operationis principium: vt ſenſibile corpus euehit ad vitales operationes. Rationale A extrahit animal à ſentiendi gradu, & ad alium eſſendi gradum, diſtinctum ordinem operationum cauſantem, ad intellectiuum nimirum extollit. Differentia verò contrahens, quæ à proprio gradu non extrahit genus, ſed intra eundem, illud determinat ſpecierumque inæqualitatem diſtinguit; iſtius generis ſunt omnes Angelorum, brutorum animalium, plantarum heruarumque differentiæ, quæ non extrahunt proprium genus ad nouum gradum eſſendi, ſed illud intra proprium gradum relinquendo, ſolum habent limitare, & ſecundum eandem operationem determinare cum tali modo peculiari.

II. Certū. Secundum eſt, differentiam extrahentem, natura ſui generis eſſe perfectiorem quod ſatis in aperto eſt; ſi enim genus eleuat ad eſſe nobilius, altiorisque operationis radix eſt & origo; porrò B ipſo genere nobilior erit, etenim cum propter operationem ſit natura, perfectior operatio naturæ perfectioris erit indiciū Sed quid? eritne idem de differentijs, quæ tantum contrahunt, præſcribendum? in hoc eſt totum diſsidium.

Opinio aliquorū modernorum Nonnulli recentiores prædictas differentias ſuo genere eſſe imperfectiores arbitrantur. Fundamētum, cui potiſsimè innituntur eſt, quia in ſpeciebus ex talibus differentijs conſtitutis nihil reperitur perfectius quàm natura generis, cum tales differentiæ illam non euehant ad altiorem operationē quàm ipsū gen9 habet, vnde quod nobiliſsimū eſt in Angelis, eſt intellectualitas: in brutis, vilibus præſertim animalib9, ſentire, in plantis, & herbis vegetari.

Sed vt controuerſiam hanc iuxta veriorem ſententiam dirimamus, apprimè ob- C ſeruandum eſt, differentialem gradum ex ꝓpria conditione, & ratione, habere in cōpoſitione ſpeciei modum eſſendi perfectiorem quàm gradus genericus, genus enim ex propria ratione ſe habet vt quid indeterminatum, & confuſum, materiale, & potentiale, ac proinde aſsimilatur materiæ in compoſitione phyſica, eſtque radix operationum in communi, & ſub confuſa quadam indeterminataque ratione. Idcirco ex Ariſtot. noſtroque Doctore ſuperius diximus, genus ab illo gradu deſumi qui in ſpecie ſeu forma eſt imperfectior, potentialior, magis elongatus à perfectiſsimo actu exiſtentiæ, propriùsque ad materiā accedens, differentiā autē

(etiam

(etiam quæ dicitur limitans) ex propria conditione, primæuaque ratione, dicere gradum determinatum, & diſtinctum eiuſdem naturæ, rationem actus eſſentialis in eodem ordine formalíſq; ſpeciei partis habentem; virtute cuius ſpecies in particulari ac determinato, & perfectiori modo quàm per genus ſignificatur prædictas elicit operatitnes. Ac proinde illā ab eo gradu capi, qui in ſpecie vel forma, perfectior eſt, magiſque elongatus à materia, & propriùs ad actum eſſēdi accedens: determinans, actuans, & perfectiens genus, illiꝰ potentialitatem ad actum reducens, remouensq; illius imperfectionem; quamobrē Porphyrius eam generis perfectionē, pulchritudinemq; appellat.

I. *Conclu.* Prima concluſio ſit, nulla differētia eſt æqualis perfectionis cū ſuo genere. Hæc paret, quia aliàs omnes ſpecies æqualis eſſent perfectionis, ex parte quidem generis, cum in illo conueniant, & nullo modo differant; ſi ergò differentiæ eiuſdem ſunt perfectionis cum genere, æquales erunt inter ſe in perfectione, quæ enim ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe: ergò & ſpecies ab illis conſtitutæ omnino eſſent æquales, cum tamē teſte Ariſt. 8. metaph. c. 5. ſpecies ſint ſicut numeri.

II. *Conc.* Secunda concluſio. Vniuersè affirmandum eſt omnem differentiam ſuo genere eſſe perfectiorem: huic aſſertioni fere omnes libenter acquieſcunt; poteſtque vna, vel altera ratione non parum efficaci ex præcedenti obſeruatione decerpta corroborari, ex perfectiori modo eſſendi, quem differētia ex propria ratione habet, quia actus ſecundum vulgatum illud metaphyſicorum pronunciatum eſt perfectior quàm potentia ſui ordinis, & generis, cum ille det perfectionem, & eſſentiale complementum generi, hoc verò recipiat cum indigentia, vnde in eodem ordine ſubſtantiæ, omnis forma phyſica eſt perfectior materia; ergò & in ordine metaphyſico. In ſuper omnis differentia eſt principium perfectiorum operationum, quàm genus; cum illius operationes naturæ pulchritudinem patefaciant, iſtius verò quaſi truncæ ſint, nulli ſpeciei in particulari adaptatæ. Adde etiam quòd in eſſentialiter ſubordinatis vltima perfectio eſt nobilior, quia natura ſemper ab imperfecto ad ſimpliciter perfectius procedit, vt diſerte docet Ariſt. 9. Metaph. tex 9. vt & vel leuiter conſideranti omnes agentiū effectus perſpicuum fiet.

A *Obiectio.* Quod ſi obijeceris, genus habet modum eſſendi vniuerſaliorem, & communiorem, pluribusque communicabilem, differentia vero dicit modum dependentem à genere: obtinet ergò genus perfectiorē eſſendi modum.

Solutio. In promptu eſt reſponſio, modum eſſendi vniuerſaliorem, pluribusque communicabilem per modum actus, & in cauſando, maiorem arguere perfectionem, non tamen per modum potentiæ recipientis, hoc enim imperfectionem potius innuit vt videre eſt in materia prima, quæ vniuerſaliſsima eſt in recipiendo, pluribuſq; cōmunicabilis vt potentia, idcirco infimum tenet gradum perfectionis ſubſtantialis: dependentia autem differentiæ à genere cum ſit vt à cauſa materiali non arguit imperfectionem ſimpliciter, licèt enim B quod ab aliò dependet vt à cauſa æquiuoca principali efficienti, vel finali ſit eo imperfectus, quod tamen ab alio dependet vt à cauſa materiali, nō eſt eo imperfectiꝰ, niſi tantum ſecundum quid. Forma enim phyſica perfectior eſt, quam materia, à qua tamen dependet, & compoſitum perfectius eſt ſimpliciter qualibet parte, à qua dependet.

Obiectio. Quod ſi iterum obijcias, genus ſe habet per modum ſubſiſtentis ideò prædicatur in quid, differentia vero per modum qualitatis, formæque accidentalis, & ideò in quale enunciatur; genus ergò habet modū eſſendi, & prædicandi nobiliorem.

Reſpondendum eſt ad hoc ſequenti articulo.

Solutio. Aduerſæ partis fundamentum facile ex dictis infringi poteſt, prædictæ enim C differentiæ licèt non euehant gradum genericum ad nouum, altioremque gradum perfectionis, intra eundem tamen longè maiori afficiūt perfectione quàm ipſe præ habet in ſe, gradu nempe ſpecifico, & actuali: & licèt ad eandem operationē, perfectiori tamen modo cauſandā, quàm per genus ſignificatur eleuante, determinatā ſcilicet, & in ſua ſpecie perfectam. Vnde in Angelis perfectius eſt tali modo eſſe intellectiuum, quàm eſſe intellectiuum vt ſic, cum hoc ſit determinabile, illud determinatum, & in animalibus tali modo eſſe ſenſitiuum abſolutè, & in plantis, & herbis ſimiliter, quia licèt vilium herbularum differentiæ nobis ignotæ ſint, maiorem tamen viuenti perfectionem impendunt,

 quam

quam ipſum in ſe continebat.

QVÆSTIO VII. CLAVDAtur ne differentia ſuperior in inferiori

PRÆSENTIS controuerſiæ titulus eodem modo capit differentias quo præcedens genus & differentiam, ſecundum ſcilicet formales, & præſciſſos conceptus, quærit enim an gradus ſenſibilitatis, quem pro formali importat ſenſibile, in gradu præciſſo, & formali rationalitatis, quem dicit pro formali rationale includatur, eam verſat noſter Doctor ſub eiſdé verbis. 7. Metaph. quæſt 17.

Opinio. Pars affirmatiua multis probatur, eiq; Doctorem noſtrum magna ex parte ſuffragari aliqui Thomiſtæ arbitrantur, poteſt autem placitum hoc ſic ſuaderi.

I. Argum Primo teſtimonijs ex Ariſt de promptis, cuius hanc eſſe mentem ſatis expreſſam primò intuitu apparet. 7. n. Metaph. cap. 12. differentiam ſuperiorem in inferiores diuidi teſtatur, in diuiſione autem eſſentiali tota ratio diuiſi clauditur in quouis membro diuidenti, idem etiam concedit prædicationem differentiæ ſuperioris de inferiori veram eſſe, vt hanc, ſciſsio pedis eſt pedalitas, ex quo ſic deduco, omnis prædicatio vera in abſtracto eſt per ſe primo modo, cum enim abſtracta eſſentiam ſignificent, ſi vnum de altero verè enunciatur cum hoc verbo, eſt, hunc ſenſum præſtabit; hæc eſſentia eſt illa, atque adeò prædicatum eſſentialiter affirmabitur de ſubiecto: ad monet præterea Ariſtot. in diffinitionibus ſolam differentiam vltimam eſſe collocandam, quod ſi aliæ ponantur, neceſſum erit in nugationis vitium incidere, quod porrò euenit non ob aliam cauſam, niſi quia in vltima differentia ſuperiores clauduntur. Secundo in eandem ſententiam abire videtur Scotus q.

II. Argu. enim 19. vniuer. in reſponſione ad ſecundum hæc docet *Ad ſecundum dicitur, quòd differentia non prædicatur in quid de aliquo reſpectu cuius eſt differentia, ſed reſpectu cuius eſt genus, ſed ſuperior differentia eſt genus reſpectu inferioris:* & 1. poſter. quæſt. 23. & in 1. diſt. 3. quæſt. 3. affirmat rationale omnes differentias includere ſuperiores.

III. Arg. Tertio. Alioquin differentiæ eſſent prima prædicata, ſi de illis non enunciantur per ſe alia prædicata priora, atque adeò prædicata eſſent ſuprema, ſicut genera generaliſsima.

IIII. Argum. A Quarto. Hæc eſt vera, rationale eſt ſubſtantia corporea, animata, quæ differentiæ ſunt ſuperiores vt liquet.

Cæterum pars negatiua proculdubio vera eſt, communiq; fermè omnium conſenſu probata, quã vt ſtatuamus à primè obſeruandũ eſt cum noſtro Doctore ſubtili locis infra citandis, omnem differentiã præciſsè ſumptam eſſe gradum ſimpliciter ſimplicem, non quidem per phyſicæ cõpoſitionis negationem ex materia nimirum, & forma: cum differentiæ ex materia, & forma compoſitorum, re ipſa etiam ex materia, & forma compoſitionem habeant: aliàs non eſſent idem re cum his, quorum ſunt differentiæ, ſed per negationem metaphyſicicæ compoſitionis ex ratione generica vniuocè communi, & ex gradu differentiali contrahente, non B enim poſſet proceſſus in infinitum vitari, quia cum indifferentiarum differentijs eadem ratio vniuocæ conuenientiæ & differentiæ eſſet danda, rurſus eſſent quærendæ, & aliæ differentiarum differentiæ, & ſic in infinitum. Tum etiam, quòd differentiæ eſſent veræ ſpecies, cum omne quod habet prædicatum dictum de ipſo in quid, & differentiam dictam in quale, ſpeciei rationem obtineat, quippe cum ex genere, & differentia ſit conflatum, per quæ diffiniri poterit, omne autem diffinibile ſpecies eſt; ne ergò hæc admitantur abſurditate plena, affirmandum eſt, differentias conceptus eſſe ſimpliciter ſimplices, atque adeò primò diuerſas, quæ enim ita diſcrepant vt in communi ratione generica non conueniant primò, diuerſa dicuntur. Quo præiacto.

Concluſio. Concluſio negatiua ſtatuitur nullam C nempe differentiam inferiorem claudere in ſua ratione differentias ſuperiores, ac proinde gradum ſenſibilitatis non claudi in conceptu rationalitatis; docet hanc noſter ſubtilis Doctor vbique paſsim quæſt. 19. 20. & 25. vniuer. 1. poſter. quæſt. 23. & 24. 7. Metaph. quæſt. 17. in 1. d. 3. quæſt. 2. & 3. & in 4. diſt. 11. quæſt. 3. 5. ad rationes vbi ſic *quod additur quòd differentia inferior includit ſuperiorem, hoc eſt manifeſte falſum quia tunc impoſsibile eſſet per genus proximum & differentiam proximam diffiniri; quia idem bis diceretur:* vnde vnanimiter defendunt hanc ſententiam omnes eius diſcipuli, conuinciturque rationibus quibus ſupra

Scot 9. Antonius Andreas. 7. metaph. q. 15. Mauritius q. 4. & 12. vniuer. dub. vltimo. & q. 17. dub. 2 Anglicus. q. 9. & 16. Sarnanus. Tataretus.

ſupra. d. 3. art. I. q. 3. probatum eſt, genus non includi in ratione formali differentiarum, eadem enim eſt vtriuſq; ratio, cum genera intermedia ſpecies quædam ſint ex prædictis differentijs conſtitutæ: ſi ergò ipſa genera in differentijs inferioribus formaliter non clauduntur, nec differentiæ, quibus in tali eſſe conſtituuntur, quando enim aliquid ex vi ſue eſſentiæ ab alio ſecernitur, id etiam quod ei eſſe tiam exhibet in genere cauſæ formalis, ſeparari debet.

Tum præterea ſic probat noſter Doct. diffinitio teſte Ariſt. nihil aliud eſt, quàm aut primum genus cum multis differentijs, aut proximum genus, & vltima differentia, & hos duos diffiniendi modos aſsignat Ariſt. Sed ſi differentia inferior clauderet ſuperiores in ſuo conceptu, vterq; diffiniendi modus vitioſus eſſet, quia inutilem repetitionem importaret, atq; adeò nugationem: de primo patet quia eadem differentia illius generis remoti immediatè diuiſiua, ſæpius, & crebro in illis multis differentijs generis ſuperadditis repeteretur: de ſecundo etiam conſtat; quia proximum genus nihil eſt niſi genus remotũ, in quo plures differentiæ intermediæ ſunt incluſæ; eadem ergò differentia ſuperior tam in ratione differentiæ inferioris, quã in ratione generis proximi per ſe incluſa bis diceretur, quæ nugatio (ait Doctor) manifeſtè apparebit ſi nominum vice ipſæ rationes ſeu conceptus generis, & differẽtiæ collocentur, & hic eſt optimus nugationem deprehendendi modus, cum rationes loco nominum ponuntur.

Ad Argumen. Reſp. Argumenta in contrarium obiecta ſic diſſoluuntur. *Ad I.* Primum ex teſtimonijs Ariſt. deſumptum, iuxta propriũ germanumq; ſenſum exponit noſter Doct. 7. Metaph. q. 17. phyloſophum non dixiſſe differentiam ſuperiorem diuidi in differentias, ſed per differentias. Inter quæ duo, diſcrimen eſt, & quidem non paruum: primum enim eſt proprium membrorum diuidentium, in quæ dicitur diuidi diuiſũ, & in illis claudi: Secundum verò proprium eſt differentiarum per quas diuiſio fit; in eis autem genus non includitur, vnde differentia nõ in differentias; ſicut nec genus, ſed in ſpecies per differentias diuiditur, & hoc quidem non ratione ſui, ſed ipſius generis à ſe cõſtituti vt articulo ſequenti dicemus.

Secundum teſtimonium ibidem exponit noſter Doctor, & latius in 4. d. 11. q. 3. Ariſt. ibi non habuiſſe ſermonem de prædicatione per ſe primo modo qualis intelligitur per iſta abſtracta, ſed iuxta ſuperius dicta, aſſerit enim, *oportet diuidere differentiam per differentias per ſe & eſſentialiter diuidentes, vt pedes habere, differentia eſt, quæ per ſe dicitur, non per plumiferum, & in plume, quæ ſunt differentia accidentales, ſed per fiſſos habere pedes, & nõ fiſſos habere, quæ ſunt differentiæ per ſe, cum habere pedes per ſe, & quatenus tale eſt has habeat differentias, quod vt oſtendat ſubdit, illud quod adducitur, nam fiſsio pedis eſt quædã pedalitas, hoc eſt dictu, fiſsio pedis determinat per ſe pedalitatem, & ideò per ſe diuidit habens pedes non ſic autem alatum* (verba ſunt expreſſa Doctoris.)

Tertium teſtimonium ſic, quòd diffinitioni quæ ex proximo genere, & differentia vltima coaleſcit non eſt alia ex intermedijs ſuperaddenda; quia idem bis non vtiliter repeteretur, non quidem ratione vltimæ differentiæ, ſed quia in proximo genere omnia genera intermedia cum ſuis differentijs clauduntur.

Ad ſecundum dicendũ eſt prædictæ ſententiæ, ſubtilem Doct. non ſuffragari, ſed potius eam refragari ſatis apertè cõſtat, in quæſtione autẽ illa 19. vniuer. prius in aliorum opinione reſpõdet, vt ex ipſius verbis manifeſtè deprehẽditur, cuius duplex ſignũ eſt. Primũ vt rectè aduertit Anglicus, q. 9. vniuer. tunc reſpõſio eſt propria Doctoris, cum ait, (*dico*) quo pacto ſemper incipiunt ſuæ propriæ reſponſiones; cum autẽm ait (*dicitur*) tunc non ſecundum propriam mentem, ſed opinatiuè loquitur, aliorumq; reſponſionem profer. *Ad II.*

Secundum eſt vt aduertit Mauritius, quando ſtatim impugnat, impugnationeſque in ſolutas relinquit, quorum maximè pro Doctoris intelligẽtia meminiſſe iuuabit; hoc enim quia non animaduertunt, in illius doctrina parum verſati, nunc huius, nunc illius ſententiæ eſſe auſpicantur. In prædicta ergò ſolutione Doctor ait, *ad ſecundum dicitur*, & mox ſolutionem impugnat, ſic, tum quia differentia eſſet ſpecies, tum quia daretur proceſſus in infinitum, & ita nihil erit cognoſcibile, quia non erit deuenire in primam illarum differentiarum. In alijs autem locis egregiè ſe exponit, iuxta id quod ab omnibus vt certum recipitur, quòd differentia in concreto ſignificata, licèt de formali gradum ſuæ naturæ dicat, quia tamen illum per modum totius importat, ideò ipſum totum, totam ni-

mirum ſpeciem de materiali, & vt ſubſtractũ ſignificat, & quia in ipſa ſpecie omnia genera intermedia cum ſuis differentijs includuntur, id circo ratione ſignificati materialis, & materiali continentia rationale v. g. differentias ſuperiores claudere Doctor ſubtilis docet.

Ad III. Ad tertium dicendum eſt cum Doctore 7 illo metaph. q. 17. Ad ſecundum. Differentias præciſè ſumptas prima prædicata dici poſſe negatiuè quidem, quia ſupra ſe non habent aliud prædicatum ſuperius, & illis prius: non tamen poſitiuè, quod aliquid amplius importat, eſſe ſcilicet ſupremum reſpectu eorum, quæ in recta prædicamentali ſerie collocantur.

Ad IIII. Ad quartum, quòd rationale, & quæuis ſubſtantiæ differentia licet ſubſtantia dicatur, ſumpta ſubſtantia in tota ſua latitudine vt ab accidenti condiſtincta; quia tamẽ non eſt prædicamentalis ſubſtantia, abſtrahit a corporeo, & in corporeo; ſola enim prædicamentalis ſubſtantia per prædictas differentias diuiditur.

Vel reſpondetur, quòd ſicut rationale eſt ſubſtãtia, ſumpta ſubſtãtia tranſcendẽtaliter, ita & in corporea dici poteſt tranſcendentaliter, non tamen vt ſignificat differentiam contrahentem completam ſubſtantiam.

QVÆSTIO VIII. QVOMOdo intelligendum ſit differentiam eſſe, qua ſpecies abundat à genere.

NON nulla ſunt, quæ rem hanc dubiã reddere videntur.

Primum eſt. Omne illud, quod abundat ab aliquo, eſt plus illo, atqui ſpecies nõ eſt in plus genere, ſed potius è cõtra, cum ſecundum Ariſt. in antepræedicament. animal plus complectatur quàm homo.

Secũdum, quia ſi ſpecies ſuperat genus per differẽtiam, cedo à quo habet ſpecies differentiam? Non à nullo, quia ex nihilo nihil fit, non à ſe quia nihil ſe ad actum redigit: ergò à genere: non ergò ſpecies per differentiam excedit genus, cum illam genus in ſe præhabeat. Nec ſoluis ſi dixeris, genus in potentia differentiam continere; quia à nullo aliquid poteſt verius haberi, quàm ipſum in ſe habet, ex illo communi principio, nemo dat quod non habet; vnde nemo actu dabit, quod actu non habet: nõ ergò poteſt à genere ſpecies actu habere differentiam, ſi actu nõ habet illam genus, & ex quo vnam differentiam actu habet, & omnes alias habebit.

A Tertium. Si differentiæ diuiſiuæ inſunt generi in potentia, poterunt & in actu ineſſe, cum omnis potentia ſit ad actum reducibilis.

Confirmatur. Vera eſt enunciatio, in qua differentia de genere enunciatur, vt hæc, animal eſt rationale: ineſt ergò differentia generi, quod enim tantum in eſt alicui in potentia, nõ prædicatur verè de illo cum hoc verbo eſt, quod actualem extremorum vnionem præ ſe fert.

Obſeruandum eſt cum noſtro Doctore quòd ſicut duplex eſt continentia, vna actualis, qua aliquid aliud actu continet, vt totum actuale phyſicum, vel metaphyſicũ ſuas actu continet partes ex quibus actu, & eſſentialiter componitur; alia potentialis ſiue ſecundum indifferentiam, qua aliquid continere aliud in potentia dicitur; B ita & in plus alio ſe habere bifariam contingit, aut ſecundum formalem continentiam, quando nimirũ aliquid plus actu continet quàm aliud. Vel ſecundum potentialem, quia ſcilicet in potentia plusquàm aliud continet, vel quia ſecundum indifferentiam, & communitatem latioris eſt ambitus quàm aliud. Nõ vertimus in dubium, an differentia generis conſtitutiua in ipſo cõtineatur actu, vt ſenſibile in animali, certò enim cõſtat, id ita eſſe, cum ex illa eſſentialiter componatur, difficultas ergò tantum procedit de differentijs generis diuiſiuis, ad genus, quod diuidunt comparatis.

I. Conclu. Prima concluſio. Genus non continet actu, ſeu in ſuo conceptu quidditatiuo differentias per quas diuiditur; ſicut nec differentiæ in ſuo conceptu formali includũt genus, vt ſupra ſtabilitum eſt, ſed habent ſuos conceptus eſſentialiter omnino diuerſos. C Hanc vt certam omnes recipiunt, teſtaturq; aperte Ariſt. 6. Topic. c. 2. & 7. Metaph. tex. 42. & expreſsè docet Porphyrius in hoc. c. vbi ſic *potentia quidem omnes eas differentias habet, actu autem nullam, atque hoc pacto neque ex non entibus fit, neque circa idem oppoſita ſimul erunt*, vbi per actualem continentiam, eſſentialem intelligit.

Probatur. Probatur autem concluſio: quia contraria nequeunt eſſe de eſſentia alicuius, genus autem contrarijs differentijs diuiditur; vel ergò vtraq; eſt de eſſentia generis, vel neutra, cum non ſit maior ratio de vna differentia diuidente, quàm de alia.

Præterea genus de pluribꝰ prædicatur, quàm

quàm eius differentia diuiſiua, vt animal de pluribus quàm rationale: ergò differentia diuiſiua in ratione generis non clauditur, quia quod eſt de eſſētia generis, æquè latè patet ac ipſum genus, cum de eiſdem de quibus genus, affirmari neceſſum ſit.

Item genus modum habet materiæ potentialis, & perfectibilis, differentia verò formæ, & contrahentis: ſed materia, ſeu cōtrahibile, & forma contrahens mutuo ſeſe à ſuis rationibus formalibus excludunt, aliàs enim nō eſſent duæ partes diffinitionis; committereturquè in diffinitione nugatio.

Tandem quòd genus eſt, in quo ſpecies conueniunt, differentia vero id, in quo differunt; habent ergò conceptus obiectiuales formaliter diuerſos.

Quod adeò verum eſt, vt etiam ſi à parte rei genus ſit per differentias in ſpeciebus contractum, non ideò illas per modū incluſionis actu continere dicatur, hoc eſt tamquam partes ex quibus eſſentialiter coaleſcit, ſed tantum per modum coniunctionis (vt aduertit Caietanus) quod nihil aliud eſt, quàm actu cum alio coniungi in ratione perfectibilis, & actu perficientis.

II. Conc. Secunda concluſio. Differentiæ generis diuiſiuæ in illo continētur in potētia, quod nihil aliud eſt, quàm genus poſſe à differētijs contrahi, & perfici. Hæc etiā eſt certa.

Probatur. Patet, quia omnis potētia maximè paſſiua continet in potētia ſuum actum, & omne perfectibile ſuam perfectionem, atqui genus ad differentiam, vt potentia ad actum, & perfectibile ad perfectionem comparatur.

III. Conc. Tertia concluſio Differentiæ ex potētia generis ſuo modo dicuntur educi, cum ad actum reducuntur.

Probatur. Probatur; quia differentiæ licèt nō propriè educi dicantur, vt formæ phyſicæ ex materia, ſicut tamen in potentia generis contineri dicuntur, ita & quando in actu ponuntur, ex eius potentia quaſi educuntur, ab ipſa forma, quæ omnes gradus eſſētiales ordine quodam in genere cauſæ formalis exhibet actu, vt anima rationalis tribuens homini gradum rationalis, qui actꝰ eſt reſpectu animalis (in cuius potentia intelligitur contineri, quatenus vt eſt prius illo per eundem eſt perfectibile) talē gradum in actum reducit: non quidem in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, quatenus formaliter actu tribuit gradum rationalis, à quo animal actu perficitur.

A Quarta concluſio. Species abūdat à genere in differentia. Concluſio ex dictis exponitur. Differentiæ tria eſſe munera diximus; primum, genus diuidere, ſeu contrahere ad ſpeciem, ex quo fit quòd ipſum genus quaſi diuidatur in ſpecies: ſecūdum eſt, ſpeciem conſtituere, ſicut enim motus à termino aquo ad terminū ad quem procedit, ita diuiſio generis, quidam quaſi motus eſt, procedens vt à termino à quo à genere, quod trahit ad ſpeciem, in qua velutì ſiſtit, vt in termino ad quem, illam conſtituendo. Ac proinde vnum ſine alio nequit intelligi, & hoc eſt quod explicuit Porphyrius dicens, differentia eſt qua ſpecies abūdat à genere, vel qua ſpecies genus excedit, hoc eſt quòd adiuncta generi differentia, ſpeciem conſtituit, genereque perfectiorem reddit. *IIII. Conc.*

Probatur. Probatur autem concluſio, ſpecies actu B continet non ſolum genus, ſed etiam differentiam, quia cum diffinitio totum per ſe diffiniti intellectum exprimat, conſtetquè genere, & differentia, vtrumq; erit de per ſe intellectu ſpeciei: ſuperat ergò ſpecies genus ratione differētiæ, quæ ab ipſa actu continetur non vero à genere.

Ad I. Ad primum argumentum diſtinguenda eſt maior, ſecundum continentiam actualem nego, & ſic in plus ſe habet quàm genus: ſecundum potentialem cōtinentiam concedo; & ſic eſt intelligendus Ariſt.

Ad II. Ad ſecundum, quòd ſicut compoſitum naturale formam habet ex materia in genere cauſæ materialis, vt ab ea in cuius potentia præcontinebatur; in actu vero ab agente, quod actu formam in materiā introducit; ſic ſpecies in potētia habet differentiam à genere, quod proportionem ha C bet cum materia, actu verò à forma.

Ad III. Ad tertium, reduci quidem hanc potentiam generis ad actum in ſpeciebus, quia ad actum reducere poſsibilitatem differētiarum in genere, eſt ſpecies conſtituere, & non eſt in conueniens oppoſita in eſſe actu eidem generi, rationale enim, & irrationale homini, & equo, qui idem ſunt genere actu in ſunt, licèt in conueniens ſit quòd eidem numero in ſint.

Quod ſi dicas eadem numero animalitas quæ eſt in Petro eſt in potētia ad alias differentias. Reſpondet Doctor potentiā hanc non dicere ordinem ad actnm, quia non eſt ſimpliciter potentia, de qua 9. Metaph. c. 2. ſed tantum quædam indeterminatio, & in differentia ſecundum quid, quā

ſupra. d. 2. art. 1. q. 5 explicuimus, & de tali potentia non intelligitur, propoſitio illa, quòd omnis potẽtia eſt reducibilis ad omnem actum, ſufficit enim quod ad vnũ actum ſit redacta. Verum eſt quòd poten tia naturæ, quæ proxima, & completa eſt cum fiat per intellectum, per quem abſtra hitur à differentijs contrahentibus, illa qui dem per eundem intellectum in omnem actum eſt reducibilis, cum per illum vniri poſsit intelligibiliter in prædicatione, ſi na tura ſit generica, cum quauis ſpecie, & ſi ſpecifica cum quouis indiuiduo.

Ad confir mat. Ad confirmationem reſpondetur à noſ tro Doctore prædicationem, in qua diffe rentia de genere vniuerſaliter prædicatur eſſe falſam, ut ſi dicas omne animal eſt ra tionale, particulariter autem & indefinitè veram, vt animal eſt rationale: & non eſt in coueniens aliquid predicari verè de eo, quod eſt in potentia, ſeu indeterminatè ſe habet ad ipſum, ſufficit enim quòd in re aliquod animal ſit coniunctum cum ratio nali.

QVÆSTIO IX. QVIBVS RE bus compoſitio hæc generis, & differẽ tiæ conueniat.

CONTROVERSIÆ huic quibuſ dam concluſionibus brebiter ſatisfa cienius, & à Deo optimo maximo incipien tes ſit.

I. Conclu. Prima concluſio. Deus caret omni gene ris, & differentiæ compoſitione, atq; adeò non eſt alicuius generis ſpecies: concluſio non ſolũ eſt ab omnibus tam phyloſophis quàm theologis recepta; ſed etiam eccle ſiæ diffinitione cõfirmata, quæ Deum om nino ſimplicem, omnis compoſitionis, ge neris; etiam & differentiæ expertem fate tur in .c. firmiter de ſumma trinitate & fi de catholica; eamq; egregiè ſatis probat

I. Probat. noſter Doctor in 1. d. 8 q. 2 ſic cõpoſitio generis, & differentiæ eſt compoſitio rea litatis, & realitatis, quarum altera præciſè ſumpta in primo ſigno naturæ eſt in potẽ tia ad alteram, & perfectibilis per alterã, ſed nulla realitas eſt in Deo, quæ habeat rationem potentiæ, & perfectibilis: ergò nulla eſt in Deo, quæ rationem generis ob tineat: minor probatur; quia omnis reali tas eſſentialis in Deo eſt infinita, ſed nulla realitas de ſe infinita quantumcũq; præci sè ſumpta eſt in potentia ad aliã realitatẽ: ergò nulla realitas eſt in Deo, quæ habeat rationẽ generis, atq; adeò nec differentiæ.

II. Probat Secundo. Genus, & differentia rationẽ A habẽt partis, & partis: ſed nihil eſt in Deo, quod partis rationem habeat; quia hoc imperfectionem dicit, quæ ſummæ ſimpli citati Diuinæ repugnat.

II. Conc. Secunda cõcluſio. In Angelis reperitur compoſitio generis, & differentiæ. ſic noſ ter Doctor in 2 d. 3. q 1.

Probatur. Probatur. Tum quod talis modus com poſitionis metaphyſicæ non eſt contra na turam, & ſimplicitatem Angelorum, ſicut nec aliæ compoſitiones ex eſſe, & eſſentia, ex natura, & ſuppoſito. Tum etiam quia in Angelis reperitur alia, & alia realitas fi nita, & limitata, quarũ vna per aliam perfi citur, & determinatur: cõſtat ergò ex per fectibili, & perficienti, ex potẽtia, & actu; atq; adeò ex genere, & differentia.

III. Conc Tertia concluſio. In omnibus ſubſtãtijs materialibus tam completis, quam incõ B pletis compoſitio ex genere, & differẽtia reperitur; quia in omnibus prædictis da tur ratio contrahibilis, & contrahentis, de terminabilis, & determinantis, ratio con uenientiæ, & differentiæ ſecundum ratio nes limitaats, & finitas, & in eis datur præ dicata, quæ magis, & minus diſtant ab exiſ tentia: ergò in eis datur compoſitio ex ge nere, & differentia.

IIII. Conc Quarta concluſio. In omnibus acciden tibus tam corporalibus, quàm ſpirituali bus datur compoſitio ex genere, & differẽ tia, quod idem dicendum eſt de quibuſcũ que rebus, & modis phyſicis, imo & de en tibus rationis ſuo modo, quia in omnibus datur ratio conuenientiæ, & differentiæ, quarum vna eſt extra rationem formalẽ alterius, vt in prædicamẽtis magna ex par te videbimus.

C

ARTICVLVS II. DE Differentia ſecunde inten- tionaliter ſumpta.

PER ſpecta iam natura quæ fundamẽ tum eſt ſecundæ intentionis hoc ter tium prædicabile conſtituentis nõ erit dif cile ipſius intentionis ſeu differentiæ natu ram percipere, de, qua exponenda ſeſe of ferunt, quæ ſequuntur.

QVÆSTIO I. NVM DIF- ferentia diffiniri poſsit?

PARS negatiua ſic poteſt ſuaderi.

Primoſ

I. Argu. Primò. Quod diffinitur, habet differentiā, cum diffinitio conſtet genere, & differentia; ſed differentiæ non eſt differantia, quia aliàs proceſſus eſſet in infinitum: differentiæ ergò non eſt diffinitio.

Cōfirmat. Confirmatur. Sola ſpecies eſt, quæ diffinitur, ſed differentia nō eſt ſpecies: ergò.

II. Argu. Secundò Res, quæ diffinitur, ab alijs per ſuam diffinitionem differt, ſed dici nequit differentiam ab alijs differre, cum differentia abſtractum quid piam ſit, differens vero, vel differt concretum, quæ cum ſub oppoſitis modis in ſeparabilibus ſignificentur, neutrum de altero enunciari poſſe ſæpè repetitum eſt.

III. Arg. Tertiò. Si aliquo modo differentia eſſet diffinienda, maximè per prædicari; ſed non ſic, cum nullum poſsit aſsignari correlatiuum aut ſubijcibile talis prædicabilitatis, non genus, nec ſpecies, quia quodlibet eſt correlatiuum alterius, vt genꝰ ſpeciei, & vice verſa, vni autē vnum tantū opponitur; neutrum ergò differentiæ. Tum etiā quia per ordinem ad ſpeciem non conſtituitur in eſſe vniuerſalis, cum non in eſſe prædicabilis de multis, nec per ordinem ad indiuidua, cū hæc prædicatio mediata ſit, quæ non conſtituit vniuerſale.

IIII. Argum. Quartò, quod Porphyrius plures aſsignat differentiæ diffinitiones: ergò neutra illarum valet; cum vnius rei vnica tantum debeat eſſe diffinitio ex Ariſt 6. Topic.

Notabile. Obſeruaddum eſt cum noſtro Doctore q. 27. vniuer. ad ſecundum argum. differentiā vel eſſe nomen primæ intentionis, & ſic vel ſignificat relationem realem differentiæ inter ea, quæ differunt, hoc pacto eſt nomen abſtractum, illiuſq; concretū differens, vel ſignificat gradum illum differentialem, hucuſque explicatum, conſtituentem ſpeciem, facientemque illam ab alijs differre, eſtq; principium ſupra dictæ relationis, & hoc eſt differentiam ſumimetaphyſicè. Aut eſt nomen ſecundæ intentionis, & ſic vel ſignificat intentionem illam applicabilem ei, quod eſt principium formale differentiæ, conſtituitq; hoc tertium prædicabile, & ſic eſt cōcretum, ſicut & alia nomina intentionalia, de quibus diſſerit logica, cuius abſtractum propter nominum indigentiam per circum locutionē ſignificatur Sic, ſecunda intentio differentiæ, ſeu relatio rationis prædicabilitatis qua natura illa, ſeu gradus differentialis in eſſe differentiæ logicæ, ſeu vt eſt tertiū prædicabile conſtituitur; tranſſumiturque vt ait noſter Doctor ſeu transfertur à dif-A ferentia vt eſt nomen primæ intentionis, vel quoad originationem (vt pleriq; Scotiſtæ intelligunt) à differentia prout gradum differentialem ſignificat, eo quòd ſit quaſi origo; & fundamentum prædictæ intentionis iuxta modum ſupra de vniuerſali expoſitum; vel quoad ſimilitudinem vt Mauritio, & alijs Scotiſtis placet à differētia vt relationem ſignificat; cum qua aſsimilatur, in hoc quòd vtraq; in gradu differentiali fundatur; vel etiam, (vt probabiliter ſolet dici vt ait Doctor) ſignificat aliam ſecundam intentionem, aut relationem rationis, quæ denominat prædictum gradum facientē differre. Licet enim prædictus gradus nulla indigeat operatione intellectus atque adeò nec vlla ſecunda intentione vt ſpeciem faciat realiter, & formaliter differre, cum hoc habeat à parte B rei, vt articulo præcedenti probatum eſt; poteſt tamē dici intellectum tribuere prædicto gradui aliam ſecundam intētionem differentiæ, quatenus illum conſiderat vt facientem differre ſpeciem ab alijs. à qua intentione denominatur faciens differre ſpecie, vel numero, quod idem de differentia communi, & propria dici poteſt.

I. Conclu. Prima concluſio. Differentia primè intētionaliter ſumpta vt pote rationale diffiniri nequit. Hæc nulla ex dictis indiget prouatione. Differentia etenim ſimplex conceptus eſt, expers quidem generis, & differentiæ compoſitionis, diffinibile autē genere debet eſſe & differentia cōflatum.

II. Concl. Secunda concluſio. Quatuor diffinitiones differētiæ à Porphyrio per ſcriptæ (ſecunda excepta) cum primè intentionaliter accipiantur vt exempla ab eodem pro-C ducta indicant non obſcurè, differentiæq; primè intentionaliter ſumptæ cōueniant, deſcriptiones quædā ſunt, differentiæ munera, actus vè, & officia ſuperiꝰ relata notificantes; hæc etiam exploratam veritatem habet; prima enim conuenit ei prout ſpeciei eſt conſtitutiua, eſt enim ſenſus (ait noſter Doctor) differentia eſt qua abundat ſpecies à genere; ideſt, quæ generi copulata conſtituit ſpeciem vbi ſpecies non quà ſpecies eſt, ſed qua cōſtituta ponitur, vt differētiæ correlatiuum: explicat ergò diffinitio hæc potiſsimum differentiæ actum conſtituendi ſcilicet ſpeciem. Secunda conuenit differentiæ vt diuiſiuæ, aliumque illius actum oſtendit, diuidēdi nempè genus, vnde ſic ſtatuitur, differētia

eſt quæ

eſt quæ ſeparat ea, quæ ſub eodem genere continentur: continet ergò rationem diuidendi, & id quod diuiditur, nempe genus, & ea in quæ diuiſum diuiditur, ea nempe quæ ſunt ſub eodẽ genere, hoc eſt ſpecies. Tertia, actum faciendi differre exprimit: ſic enim air, qua differunt à ſe ſingula. Quarta autem quæ ſic ſe habet. Differentia confert ad ſubſtantiam rei, & eſt pars eſſentiæ, ac diffinitionis eius, non eſt à præcedentibus diſtincta, vnde nõ multũ valet vt ipſe Porphyrius ait in litera; conuenit enim differentiæ conſtitutiuæ.

III. Conc. Tertia concluſio. Differentia ſecundè intẽtionaliter ſumpta vt de illa in hac parte diſſeritur, diffiniri poteſt, vt ſic enim eſt vna ſpecies vniuerſalis, atq; adeò genere, & differentia conſtat, vniuerſale vtiq; genus ipſius, eſt, vt videbimus, illius vero differẽtia per quam ſcilicet vniuerſale ad differentiam vt ad veram ſuam ſpeciem deſcendit, eſt prædicari in quale eſſentiale: ex acte ergò diffiniri poteſt; his enim duabus rationibus, cuiuslibet rei diffinitio integratur.

Argum. Satisfit Primo. Ad primum argumentum in principio obiectum reſpondet noſter Doctor. Differentiæ quidem non eſſe differentiam, reſpectu cuius differentia rationem habeat differentiæ, poteſt tamen habere differentiam reſpectũ cuius ipſa eſt ſpecies, hoc eſt dictu, differẽtia primè intentionaliter, & fundamẽtaliter ſumpta, quo pacto exercet officium differentiæ conſtituendo ſpeciem, & faciendo illam differre, non habet differentiam, & ſic diffiniri nõ poteſt; ſumpta verò ſecundè intentionaliter quo pacto ſpecies eſt vniuerſalis, differentiam habet, per quam in eſſe tertiæ ſpeciei vniuerſalis conſtituitur.

Obiectio. Quod ſi obijeceris. Differentia vt ſic per ſe, & eſſentialiter eſt differentia: non ergò eſt ſpecies habens differentiam.

Solutio. Reſpondendum, eſſe quidem differentiam vt quid (vel vt alij) in actu ſignato, ſpeciem verò vt modum, ſeu denominatiuè, & in actu exercito.

Secundo. Ad ſecundum, conſtat ex obſeruatione differentiam concretum quoddam eſſe.

Tertio. Ad tertium quæſtione ſequenti videndum eſt, quod ſit differẽtiæ correlatiuum.

QVÆSTIO II. QVOD SIT ſubijcibile differentiæ.

SCISCITATVR præſens cõtrouerſia, num differentia in eſſe tertij vniuerſalis per ordinẽ ad ſpeciem quam extruit, vel ad inferiora illius conſtituatur. Dixerunt nonnulli etiam ex recentioribus, differentiam ſub propria tertij prædicabilis ratione, non eſſe eſſentialiter vniuerſale, ſub vniuerſali in communi tanquam ſpeciẽ ſub genere comprehenſum niſi accidẽtaliter, & ſecundariò tantũ, & ſic probant.

Aliquorũ I. Opinio.

I. Argum. Primò. Vel enim differentia comparari poteſt ad propria ſua inferiora, ſic porrò veram habet vniuerſalis eſſentiam nõ tamen ſpeciem à præcedentibus diſtinctã conſtituit, genere nimirum vel ſpecie, vt rationale reſpectu huius, & illius rationalis, de quibus in quid prædicatur eſſentialiter eſt ſpecies, vel comparari poteſt ad inferiora ſpeciei, quam conſtituit, vt rationale ad Petrum, & Paulum, quo pacto cũ mediatè, & per accidens plura reſpiciat, non per ſe, & eſſentialiter, ſed tantum mediatè, & per accidens vniuerſalis rationem ſubibit; ideò etenim differẽtia, ſpeciei reſpicit inferiora, quiã primò, & per ſe ſua propria inferiora reſpicit, & his mediantibus de illis enunciatur: ergò ſi differentia vt rationale, vniuerſale quid eſt, & non ſingulare, ideò ſane eſt, quia in quid vt ſpecies de ſuis proprijs inferioribus enunciatur. Vel tandem poteſt ad ipſam ſpeciẽ, quam conſtituit referri, & ſic non eſſe vniuerſale mox, & nos approbabimus.

II. Argu. Secundò. Vniuerſale dicit vnitatem in multis, atqui vniuerſalis vnitas tantum generica eſt aut ſpecifica: ergò vniuerſale vt ſic tantum eſt genus, aut ſpecies.

Confirma. Confirmatur. Vniuerſale vt vniuerſale eſt, à ſuis ſingularibus, & inferioribus abſtrahitur, refertúrque ad particulare, ſiue ad partem, quam ſub ſe vt inferiorem continet, ſed omne ſingulare, ſiue particulare, & inferius quatenꝰ tale eſt, aut eſt ſpecies ſub genere contenta, aut indiuiduum ſub ſpecie: ergò omne vniuerſale vt tale, aut eſt genus ſpeciem reſpiciens aut ſpecies ad indiuidua terminata.

II. Opinio. Secunda opinio quæ modo celebris eſt in ſcholis, docet differentiam eſſentialiter quidem vniuerſale eſſe, conſtituiq; per ordinem ad ſpeciẽ, quam extruit. Duo ſunt potiſsima iſtius opinionis fundamenta.

I. Argum. Primum eſt, quòd de ratione vniuerſalis eſt ordo ad plura vt plura ſunt vel formaliter, vel virtualiter: ſed ordo differentiæ ad ſpeciem eſt ordo ad plura virtualiter, quatenus in virtute, & potentia ſua cõtinet inferiora quæ multa ſũt formaliter.

dicitúrq;

diciturque ſuperioris, totiusque potentialis rationem habere, quatenus virtualiter & in potẽtia cõtinet quidquid ſpecies: formalitas enim ſuperioris nõ tam in inæqualitate, ſuorum ve ſubijcibilium exceſſu, quàm in continentia conſiſtit, quinimò de ratione vniuerſalis non abſoluta inæqualitas eſt, cum reſpectu ſui adæquati ſubijcibilis æqualitatem habeat, vt genus reſpectu omniũ ſpecierum ſimul ſumptarũ.

II. Argu. Secundum. Quoduis prædicabile per ordinem ad ſuum immediatum ſubijcibile eſſentialiter conſtitui, omnis ſchola fatetur, atque adeò per immediatam prædicationem, cum prædicatio mediata, & ſecundaria per accidens ſe habeat ad vniuerſalis rationem, quamobrem genus non conſtitui per prædicationem de indiuiduis ſuperius docuimus: ſed differentia ſpeciẽ dumtaxat à ſe conſtitutam reſpicit immediatè, inferiora autem illius mediatè, & ſecundariò, per ordinẽ ergò ad ſpeciem in eſſe vniuerſalis conſtituitur. Minor probatur. Differentia eſt actus formalis ſe ipſa immediate ſpeciem conſtituens, ſed actus formalis primò, & per ſe ordinem dicit ad illud, cui eſſe dat; vnde cauſalis hæc eſt vera, ideò Petrus eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis, & de Petro probatur riſibile medio homine, neceſſariò ergò fatendum eſt differentiam in eſſe huius tertij prædicabilis per ordinem ad ſpeciem à ſe extructã conſtitui.

I. Notabi. Cæterum, vt veritatem iuxta noſtri Doctoris mentem hauriamus, eorum, quæ ſupra de vniuerſalis eſſentia ſunt præfinita meminiſſe iuuabit: docuimus enim, vniuerſale cum vnum ſit in multis, & de multis eſſentialiter conſtitui per ordinem immediatum ad plura, vt plura ſunt, ita vt ſicut correlatiuum patris eſt filius, ſic, & vniuerſalis ſunt plura particularia, vt expreſſe docet Ariſtot. 1. poſter. c. 2. vnde particulare eſt quod ſub vniuerſali continetur, illiusque pars ſubiectiua eſt, & cum vniuerſale prout vniuerſale totũ quoddã ſit, vt admonet Ariſt. 1. phyſic. cap. 2. vbi ſic *vniuerſale totum eſt quoddam* quippe cũ multa complectatur vt partes, & Porphyrius. c. de ſpecie genus vocat totum reſpectu ſpeciei, & ſpeciem reſpectu indiuiduorum, ſub inde fit talem reſpectum eſſe ſuperioris ad inferiora, quia quodlibet illorum plurium eſt inferius. Diximus etiã vniuerſale abſtrahi debere non tantũ abſtractione formali vt forma, ſed totali vt totum, & ſuperius, quod immediatè illa A plura vnit in aliqua vna ratione communi, & ſuperiori, quæ, diuiſa, & plurificata in inferioribus reperitur, & prædicabile quod eſt de ratione vniuerſalis non eſt vtcumq; prædicabile, ſed prædicabile vt totum ſuperius de pluribus inferioribus.

Secundò ſupponendũ eſt, aliud eſſe vniuerſale, aliud eſſe plura, eſſe enim plura dicit partitionem, & diuiſionem naturæ: naturam verò eſſe vniuerſalem conſiſtit in indiuiſione; vnde natura, quæ cum vnica ſit in ſe reſpicit plura, vniuerſalis dicitur; nõ ergò reperitur pluralitas in natura vniuerſali, ſed omnimoda vnitas, quippe cum omni ſit cauſa pluralitatis exuta per abſtractionem intellectus (differentiæ enim ſunt quæ inferunt pluralitatem, & veluti ſecant, partiunturque naturam in plures partes ſubiectiuas) per quam intelligibiliter B vnitur, vnaque redditur per omnimodam identitatem, imo, & vnitate numerica rationis vti diximus, quòd ſi plura dicatur continere, non vt plura ſed vt omnino vnum, hoc enim eſt quod Porphyrius docuit, plures homines participatione ſpeciei vnum hominem eſſe. — II. Notab.

Tertiò obſeruandum diuerſam eſſe rationem differentiæ & rationem prædicabilis; ipſa enim differentia ſpecifica poteſt conſiderari, aut vt differentia eſt, hoc eſt ſecundum actum, ſeu officium vnum ab alio diſtinguendi, vel ſecundum rationem prædicandi in qualequid, idcircò diuerſimodè eam Porphyrius diffinit, & vt differre facit, & vt prædicabilem. — III. Nota.

Prima concluſio ſit. Differentia ſecundè intentionaliter ſumpta prout eſt intentio, à qua denominatio differentiæ, ſeu faC cientis differre ſumitur, non eſt eſſentialiter vniuerſalis nec ipſa intẽtio per ſe ſumpta eſt eſſẽtialiter vniuerſalitas, atq; adeò differẽtia, quæ in communem, propriam, & proprijſsimam diuiditur, tantum denominatiuè, & accidentaliter, & non eſſentialiter erit vniuerſale, ſicut & quælibet alia res in communi conſiderata. Hæc eſt contra nonnullos, quæ ſic. — I. Conclu.

Probatur ex ſecũda obſeruatione, quia vt ſic tantum eſt ratio faciendi differre, & non reſpicit plura, vt de illis prædicabile, ſed plura, vt ea à quibus facit differre: ipſam autem ſpeciem reſpicit, vt eam, quam facit differre. Reſpectus autem ad ſpeciẽ, vt ſtatim dicemus, non eſt ordo vniuerſalitatis. Item ſequeretur, quòd differentia, — I. Probat.

quæ

quæ diuiſum eſt in prædicta diuiſione, eſſet eſſentialiter vniuerſale, & prædicabile, & rogo ad quod prædicabile pertineat, ſi ad tertium prædicabile: ergò ad illud pertinent differentia communis, & propria, cuius oppoſitum ab omnibus recipitur, cum prædicabile hoc in quale, eſſentiale prædicetur, quod differentia communis, & propria præſtare nequeunt: ſi ad nullum; ergò diſtinctum conſtituit prædicabile.

II. Conc. Secunda concluſio. Differentia proprijſsima vt tertium prædicabile eſt, eſſentialiter eſt vniuerſale, atque adeò ſub vniuerſali in communi eſſentialiter continetur, conſtituitq; tertiam ſpeciem vniuerſalis. Sic noſter Doctor locis infra citādis, omneſque illius diſcipuli, eſtque apud recentiores communior.

I. Probat. Probatur primo ex Porphyrio, qui quinque ſpecies vniuerſalis conſtituit, aliàs autem duo tantum eſſent vniuerſalia, quod omnium logicorum cōſenſui aduerſatur. Præterea ex diffinitione vniuerſalis, quæ differentiæ eſſentialiter conuenit, cum eſſētialiter multa inferiora reſpiciat, de quibus in quale eſſentialiter prædicatur vt rationale à Petro, & Paulo abſtractum de illis prædicatur, & in illis eſt: eſt ergò eſſentialiter vniuerſale.

III. Conc. Tertia concluſio. Hanc vniuerſalis rationem differentia non ſortitur per ordinem ad ſpeciem, quam conſtituit; ſed per ordinem ad inferiora talis ſpeciei. Sic Porphyrius, qui differentiam diffinit per ordinem ad plura ſub ſpecie cōtenta, & docet noſter Doctor. q. 27. vniuer. omneſque illius diſcipuli.

Porphyr. Scotus. Tataret9 Anglicus. Sarnanus Nicolaus d. Orbellis

Et probatur prima pars ratione quadā efficaci ex prima obſeruatione deducta. *1. p. prob.* Reſpectus differentiæ ad ſpeciem non eſt totius potentialis ad partes ſubiectiuas, cùm ſpecies non ſit pars differentiæ ſubiectiua, ſed adæquatum potiùs illius ſubiectum, cum quo reciprocatur; atque adeò nec ſuperioris ad plura inferiora, cum ſpecies vna ſit in ſe formaliter, & æqualis, nec illam intelligibiliter vnit in aliqua ratione communi, ſed tantum conſtituit; imò & ſi ſpecies vniuerſalis ſit, nō illam reſpicit differentia in quantum vniuerſalis eſt, ſed vt eſt ſubijcibilis iuxta, ſuperi9 animaduerſa.

2. p. prob. Secunda pars ex ſuperiori euidenter oſtenditur. Differentia eſt eſſentialiter vniuerſalis, & totum prædicabile ab alijs diſtinctum non per ordinem ad ſpeciem, quā conſtituit; ergò per ordinem ad illius inferiora.

Ex dictis ſequitur diuerſum eſſe reſpectum, quem differētia dicit ad ſpeciem, quā A conſtituit, & quem ad inferiora illius, quia licet eandem rationem prædicet de vtriſque, actum ſcilicet eſſentialiter, non tamē eodem prorſus modo, cum de ſpecie prædicetur, vt prædicatum formale, & æquale, de inferioribus verò ſpeciei vt vniuerſale, & ſuperius, atque adeò non eodem omnino genere prædicationis, nec eodem omnino conceptu concipitur, quia idem gradus differentialis concipitur reſpectu inferiorum conceptu totali, ſeu per modum totius ſuperioris, reſpectu vero ſpeciei per modum prædicati formalis æqualis, & modus prædicandi ſequitur modum concipiendi, ſeu modum eſſendi in intellectu. Vndè prædicatio hæc homo eſt rationalis non eſt alicuius vniuerſalis de pluribus prædicabilis, ſed alicuius prædicati, reducitur tamen ad prædicationem tertij B prædicabilis. Reſpectus ergò quem differētia dicit ad inferiora ſpeciei, eſt reſpectus vniuerſalitatis, & prædicabilitatis de pluribus, quem verò ad ſpeciem eſt tantum prædicabilitatis de vno: claritatis gratia prædicabile de vno ſolo ſolet dici prædicatum, & illius correlatiuum ſubiectum dicitur: prædicabile verò de pluribus abſolutè dicitur prædicabile, eiuſque correlatiuum ſubijcibile.

Quarta concluſio. Differentia immediatè reſpicit inferiora ſpeciei in ratione vniuerſalis vt plura inferiora ſunt, in ratione verò talis vniuerſalis vt talia inferiora sūt ſub tali modo. Quæ concluſio ſic expenditur, licèt vèrum ſit prædicatione prædicati differentiam de ſpecie, quam conſtituit immediatè prædicari, vt ſic autem nō prædicatur de illa vt vniuerſale eſt, & de pluribus C prædicabile: at verò prædicatione totius ſuperioris, & vniuerſalis immediatè prædicatur de inferioribus ſpeciei, cùm rationem vniuerſalis, & ſuperioris non reſpectu ſpeciei, ſed inferiorū ipſius habeat: nō ergò in ratione vniuerſalis mediat ſpecies inter inferiora ipſius, & differentiam, quòd ſi mediat, illa quidem mediatio materialis eſt, quod nonnulli exemplo aui exponunt; licèt enim auus non habeat nepotem niſi filio mediante, auus tamen in ratione aui immediatum ordinem dicit ad nepotem, per illumquè vt per ſuum primarium, & immediatum terminum diffinitur, quia fili9 quoad illam relationē aui non mediat formaliter, ſed materialiter. *IIII. Conc.*

Ad ar-

Ad Argumen. Argumenta pro prima opinione obiecta ſic diſſoluuntur.

Ad I. Reſ. Primum, negando differentiam mediatè, & per accidens reſpicere inferiora ſpeciei: nec verum eſt ea reſpicere, aut de eis enunciari medijs proprijs inferioribus.

Ad II. Secundum ſoluitur, ſi minor negetur; ſicut enim fundamentum remotum intentionis generis eſt multorum formalis vnitas naturæ, in qua cõueniunt vt in natura contrahibili formaliter per differentias eſſentiales, & intentionis ſpeciei fundamentum eſt multorum vnitas formalis in natura completa materialiter tantum determinabili, ſic etiam fundamentum remotũ intentionis differentiæ eſt vnitas formalis multorum, in gradu ſpeciem formaliter conſtituente.

Ad confirmat. Confirmationis minor diſtinguenda eſt materialiter quidem id verũ eſſe, omnia inferiora vniuerſalis vel ſpecies eſſe, vel individua; formaliter autem eſt falſum, cum ſpecies & indiuidua diuerſam formaliter rationem ſubijcibilitatis ſortiãtur in ordine ad diſtinctas vniuerſalis ſpecies, de quo diſtinctione vltima.

Ad argu. 2. opinio. Argumenta ſecundæ opinionis facilem ex dictis ſolutionem habent.

Reſpondet Ad I. Ad primum reſpondendum eſt, verum quidem eſſe differentiam phyſicè, & realiter, ſeu metaphyſicè ſumptam (quo pacto actus eſt, ſpeciem conſtituens, & faciens differre) prius ſpeciei, quàm inferioribus illius cõuenire, vt rationale prius homini, quam Petro & Paulo. Nõ tamẽ eſt vniuerſalitatis fundamentũ, reſpectu illius cui prius conuenit, ſed eorũ in quibus primò eſt diuiſa & multiplicata, quia natura, quæ proximum fundamentum eſt vniuerſalitatis, debet eſſe diuiſibilis: quod quia nõ habet differẽtia reſpectu ſpeciei quam cõſtituit, cum in illa non ſit vt vna in multis diuiſa, ideò reſpectu illius in ipſa non eſt fundamentum vniuerſalitatis, ſed ſolius prædicationis per modum prædicati æqualis; quia verò in inferioribus ſpeciei eſt multiplicata, ab eiſq; abſtrahi poteſt totali abſtractione vt totum nimirum ſuperius à partibus ſubiectiuis, & inferioribus, ideo reſpectu illorum eſt fundamentum vniuerſalitatis.

Ad II. Ad ſecundum facilè ex dictis, de ratiõne vniuerſalis eſſe reſpectum ad multa ſimpliciter, ſpecies autem ſimpliciter vna eſt, vt dictum eſt.

A

QVÆSTIO III. NVM DIFferentiæ diffinitio à Porphyrio tradita, apta ſit omni differentiæ.

NON leue faceſsit negotium diffinitio illa prima differẽtiæ logicæ ſumptæ à Porphyrio conſtituta, quæ ſic ſe habet, *differentia eſt, quæ de pluribus differentibus ſpecie in qualequid prædicatur*; eam enim omnem differentiæ tam ſubalternæ quàm infimæ ad aptare cupientes logici, miſerè torquentur, quia Porphyriũ illius tertij prædicabilis non attigiſſe rationem aſſeuerare, ſtultum eſſe, probatiores illius interpretes fatentur.

Caietanus præfinitam difinitionẽ omni differentiæ per non repugnantiam accomodat, ita vt differentiæ infimæ (quæ totum in hac re offendiculum protendit) in quantum differẽtia eſt illud non repugnet, tametſi ei, qua ratione infima eſt aduerſetur. *Opinio Caietanus.* B Sed hanc Caietani accomodationem, quam approbat Soto parum eſſe veritati accõmodatam, nemo eſt qui non videat, formalitatem enim ſuperioris nõ ſolum per nõ repugnantiam, ſed poſitiuè etiam ſuis inferioribus conuenire debere, res eſt explorata, cum ipſum ſuperius in ſuis inferioribus exiſtat poſiuè (niſi prædicata ſuperiora in concauo Lunæ cum Platone cõſtituas) quidquid autem in aliquo eſt, poſitiuè debet illi cõuenire. Tum quòd ratio ſuperior non poteſt contrahi per rationem ſibi oppoſitã, nec eſſentia, aut paſſio ſuperioris ſuo inferiori repugnat: non ergò debet prædicta ratio, aut paſsio differentiæ vt vltimæ repugnare. Alia, quibus figmentum hoc Caietanicum conuellitur, obuia ſunt paſsim apud Doctores.

Dixerunt alij prædictam diffinitionem C ſub diſiunctione eſſe accipiendam ſic: differentia eſt quæ de pluribus differẽtibus ſpecie vel numero &c. qui diffiniendi modus per diſiunctionem frequens eſt apud Ariſt. qui enuntiationem per affirmationem, vel negationem, & accidens per ad eſſe, vel ab eſſe diffinit.

Alij dixerunt ſic eſſe diffinitionem illã intelligendam, de pluribus differentibus ſpecie, nõ inter ſe, ſed ab alijs. Quo pacto Petrus, & Paulus ſpecie differunt, nõ à ſe inuicem, ſed ab equo, & Leone. Alij ſic explicandam eſſe illam particulam de pluribus differentibus ſpecie; ideſt, ſub aliqua ſpecie auſpicantur.

Alij tandem prædictas expoſitiones vt omnino extortas reſpuẽtes, facile à præſenti

ſenti difficultate ſe expedire autumant, ſi aliam diffinitionem comminiſcantur omni differentiæ conuenientẽ; quòd ſcilicet differentia eſt, quæ de ſpecie quam conſtituit, in qualequid prædicatur, quælibet enim differẽtia ſicut & vnam ſpeciem immediatè conſtituit, ad quam immediatè terminatur, de illa immediatè enunciari neceſſum eſt. Fundamentum iſtius opinionis tetigimus iam quæſtione præcedenti.

Vt tamen cum noſtro Doctore ſubtiliſſimo, qui plenius Porphyrij mentem eſt aſſequutus, veram intelligentiam proferamus: obſeruare oportet quòd ſicut gradũ differẽtialem duplicem eſſe diximus, infimum, & ſubalternum: ita & ſecunda intẽtio vniuerſalitatis, quæ in huiuſcemodi gradu differẽtiali reſultat duplex eſt, vna, quæ denominat differẽtiam ſubalternam alia quæ infimam.

I. Conclu. Prima Concluſio. Differentiæ diffinitio à Porphyrio tradita, non conuenit differẽtiæ in communi, ſed tãtum ſubalternæ. Sic noſter Doctor. q. 27. vniuer. omneſque illius diſcipuli; & eam communis omniũ dialecticorum conſenſus confirmat.

1. p. prob. Prima autem pars negatiua concluſionis probatur; quia aliàs omni differentiæ conueniret, atque adeo vltimæ, vt differẽtia vltima eſt, ſicut conuenit ſubalternæ in quantum ſubalterna eſt, cum differentia in cõmuni eodem modo ab vtraquè participetur, & quidquid ſuperiori conuenit vt eſſentia, vel paſsio ipſius, conueniat etiam inferiori vt inferius illius eſt.

2. p prob. Secunda autem pars liquet, quia ſola ſubalterna differentia eſt, quæ ſub ſpecie intermedia quam conſtituit, plura continet eſſentialiter diſtincta.

II. Concl. Secunda Concluſio. Differentia in communi ſic diffinitur, differentia eſt, quæ de pluribus prædicatur in qualequid. Sic noſter Doctor loco citato, & probatiores dialetici. Sicque eam intellexiſſe Porphyriũ conſtare videtur, iuxta Argiopili expoſitionem, ſecundum quam ſic traditur differentiæ diffinitio. Eſt, quæ prædicatur de pluribus, & differentibus ſpecie, vbi illa coniunctio (&) in ſola diffinitione differẽtiæ collocata, denotat illam particulam de differentibus ſpecie per parenteſim interclusam accipiendam eſſe, huncque reddat ſenſum; differentia eſt quæ prædicatur de pluribus in eo quod quale quid, imò & aliquando de differentibus ſpecie. Tum etiã quod prædicta diffinitio omni differẽtiæ conuenit, per illamque diſtinguitur exac-
A tè ab alijs prædicabilium ſpeciebus.

III. Conc. Tertia Concluſio. Differentia ſubalterna & infima non eſſentiali, ſed ſola materiali & accidentaria diſtinctione ſecernuntur, atque adeò differẽtia, quæ hoc tertiũ prædicabile conſtituit eſt ſpecies infima. Sic noſter Doctor ibidem, eſtque ab omnibus recepta.

Probatur. Probatur, quia aliàs prædicabilia non eſſent quinario numero comprehẽſa, maximè quòd vtraque differentia eũdem eſſendi modum, & prædicãdi habet, eodemque modo reſpicit ſua inferiora, (ex quibus deducitur idẽtitas, vel eſſentialis prædicabilium diſtinctio) vt prædicatum nimirum incompletum, & vt forma, & actus. Qua ratione ſuperius diximus, genera ſuprema intermedia, & infima accidentariè tantùm inter ſe diſtingui, vt autem dif-
B ferentia petit eſſentialiter, quòd prædicetur de inferioribus ſpeciei, quam conſtituit: quòd autẽ talia inferiora ſint ſpecies, aut indiuidua, per accidẽs, & materialiter ſe habet ad rationem differẽtiæ, vt hoc tertium prædicabile conſtituit: non enim ſpecies vel indiuidua reſpiciuntur à differentia quatenus ſpecies ſunt, vel indiuidua reduplicatiuè, vnde licèt ſpecies & indiuidua vt ſic diſtinguantur eſſentialiter, non verò in quantũ termini ſunt relationis differentiæ, rationemq; ſubijcibilis ipſius gerunt; relatio quippe ſubijcibilitatis in ſpeciebus & indiuiduis ad differentiam ſubalternam vel infimam eiuſdem rationis & ſpeciei eſt.

Obiectio. ſubtilis Scoti. Obiectio tamen noſtri Doctoris cõtra dicta non leuis eſt. Simili modo ſe habet modus prædicandi in quid ad differens
C ſpecie, & ad differens numero, ac modus prædicandi in qualequid reſpectu eorundem: ſed per diuiſionem, & contractionẽ ipſius inquid per differens ſpecie & numero, duo vniuerſalia genus nimirum & ſpecies conſtituũtur: ergò & per diuiſionem & contractionem ipſius inqualequid duo alia vniuerſalia debent conſtitui, maximè cùm ſupra docuerimus, eſſentiales generis & ſpeciei differentias in differentibus ſpecie, & differẽtibus numero conſiſtere.

Solutio. ipſius Doctoris. Reſpondet tamen Doctor. Diſcrimen eſſe longè diuerſum, quale enim eſſentiale omnino vniuocè dicitur de differẽtia ſubalterna & infima, hoc eſt ſecundũ eandem omnino ſpecificam rationem, inqua, perfecta vniuocatio reperitur, quia vtraque

dicit

dicit partem eſſentialem, quæ eſt actus, & forma metaphyſica, qualitas ve eſſentialis rei, atquè adeò eodem prorſus modo (incompletè ſcilicet) reſpicit ſuum terminum, & licèt vna differẽtia ſit magis in cõpleta quàm alia, cum tamen illud magis, & minus intra eandem ſpeciem ſit, nõ variat eſſentiam differẽtiæ, in quid vero æquiuocè conuenit generi, & ſpeciei, hoc eſt non ſecundum eandem rationẽ ſpecificã, ſed eſſentialiter diſtinctã (extenſiuè enim ſumit hîc Doct. æquiuocationẽ, vt rectè aduertit Mauritius; quo etiã pacto Ariſt. in genere dixit æquiuocationes latere) gen9 enim dicit propriè partẽ eſſentiæ, appropriatè verò per modum totius; at ſpecies totã dicit eſſentiam per modum totius propriè, & appropriatè, & hos duos modos diximus intrinſecè includi, in hoc quòd eſt immediatè prædicari de pluribus ſpeciebus, vel immediatè de indiuiduis.

Obiectio. Si iterum obijeceris, differentiam ſubalternam propriam habere diffinitionẽ, quæ infimæ non conuenit, atqui quæ differunt diffinitione, differunt eſſentia.

Solutio. Reſpondetur. Diffinitionem illam ad differẽtiam abſolutè ſumptam, prout hoc tertium prædicabile conſtituit, comparatam, non eſſe eſſentialem, ſed accidentalẽ. Vnde noſter Doctor eam appellat deſcriptionem quandam differentiæ ſubalternæ, licèt eſſentialis ſit reſpectu differẽtiæ ſubalternæ, quatenus ſubalternæ, innumera ſunt iſtius rei exempla.

QVÆSTIO IIII. QVO PACTO *differentia in qualequid prædicetur.*

QVÆSTIO hæc vltimæ particulæ diffinitionis differentiæ intelligentiam expoſcit, eamq; agitamus propter noſtrum Doctorẽ, qui eandem verſat q. 28. vniuer. ita tamen vt rem actã agere nõ videamur, videtur autẽ in cõgruè poni.

I. Argum. Primò. Diximus ſuperius, differentiam perfectiorem eſſendi modum obtinere, quàm genus, eſt ergò illi modus prædicãdi perfectior nimirum in quid adſcribendus.

II. Argu. Secundò; quia aliàs differentia accidẽtaliter, & denominatiuè prædicaretur, quod qualitati affine eſt, atq; adeò non eſſentialiter, nec vniuocè, cum prædicatio denominatiua ab vniuoca, teſte Ariſt. in prædicamentis, diſtinguatur.

Notabile. Obſeruandum eſt cum noſtro Doctore, quòd ſicut actus eſt duplex, primus qui cõſtituit rem ſimpliciter in actu, in eſſe nẽpe eſſentiali, & ſpecifico, ſecundus qui rem in A ſuo actu eſſentiali ſimpliciter conſtitutam ſupponit, & tantũ conſtituit in tali actu ſecũdum quid, ſic duplex eſt forma, & qualitas eſſentialis ſcilicet, & accidẽtalis, & ab hac duplici qualitate, duplex emergit modus qualis: differentia ergò à primo actu, forma ve ſpecifica ſumitur, quæ qualitas eſſentialis dicitur. 5. metaph. qualitasquè æquiuocè dicitur de actu, & forma ſubſtãtiali, & de qualitate, quæ vnum conſtituit generaliſsimum accidentis.

Concluſio. Corcluſio eſt communi omnium conſenſu recepta, differentiam in qualequid enunciari, eamq; Porphyrius probat, quòd ad queſtionem factam per quale conuenienter per differentiam reſpondemus. Tum etiam quod hòc commune reperitur in cõpoſito phyſico, aut metaphyſico quòd in vtroque aliqua pars reperitur, quæ rationem tenet materiæ, & potentiæ, & alia ra- B tionem formæ, & actus, hoc enim exigit entis per ſe conſtitutio docente Ariſt. 8. metaph c. 6, 9. & 15. Differentia vtique non induit rationem materiæ in præſenti, cum non ſit potẽtia & indeterminata, ſed modum formæ, forma autẽ actus, & qualitas in idem recidunt: habet ergò differẽtia modum qualis eſſentialis, atq; adeò prædicatur in quale: ad prædicationem ergò in quid non ſufficit vt id quod prædicatur, prædicet quid hoc eſt rei quidditatẽ, ſed quòd prædicet quid per modum quid, hoc eſt per modum ſubſiſtentis, ſeu ſubiecti, quod præſupponitur, & veluti ſubſternitur. Differentia autem prædicat quid per modum qualis, quid autem vt res & quale vt modus nõ opponũtur, ſed res rei, & modus modo, vt bene aduertit Doctor.

Satisfit argumento. Ad primum argumentum reſpondendũ C eſt, quòd vt ſupra diximus, modus prædicandi in quale eſſentiale præſtantior eſt abſolutè, & ſimpliciter modo prædicandi in quid incompletè generis, cum differẽtia habeat modum eſſendi abſolutè & ſimpliciter perfectiorem, vt. q. 6 art. præcedent. probatum eſt. Nec enim habet rationem qualitatis accidentalis, ſed eſſentialis, quæ æquiuocè qualitas dicitur, hæc autem ratio abſolutè perfectior eſt, quàm ratio determinabilis, & potentialis, cum illa ſit ratio aut modus actus primi, dantis rei eſſentiale complementum.

Obiectio. Quòd ſi obieceris. Genus habet modum ſubſiſtẽtis, vt ait Doct. & illius prædicatio

 eſt ſubſtan-

eſt ſubſtantiua; differentia verò modum adiacentis, cuius prædicatio eſt adiectiua; vnde adiectiuo ſignificatur nomine.

Solutio. Occurrendum eſt, hoc tantum probare, modum prædicandi differentiæ ſecundum quid eſſe imperfectiorem, & ſuperari à modo prædicandi generis, quatenus ſic vel ſic concipitur ab intellectu, abſolutè tamen, vt dictum eſt, eſſe longè perfectiorem. Nomen autem ſubſiſtentis non vſurpat Doctor, vt ſignificat rem completè & perfectè per ſe ſtantem, ſed rem, quæ vt potentia alteri ſubſternitur, actui nempe vt ab illo perficiatur, quod im perfectionem innuit.

Ad II. Reſpondet Ad ſecundum ex dictis quòd cum differentia non prædicetur in quale accidentale, ſed eſſentiale, non prædicatur denominatiuè, quo pacto ſit denominatiuorum intelligēda diffinitio, in antepræ dicamētis.

QVÆSTIO V. NVM DE ſe mutuo prædicentur genus & differentia

QVÆSTIO hæc non procedit de genere, & differentia præciſe, & abſtractè ſumptis ſecundum ſcilicet gradus, quos præciſè important, palam enim eſt ſic de ſe mutuo non prædicari, cum mutuo ſeſe excludant à ſuis rationibus formalibus, ac perinde ſe habeant, ac ſi realiter diſtinguerentur, qua ratione falſam prorſus eſſe diximus prædicationem hanc, animalitas eſt rationalitas: agimus ergò de illis in concreto. Quæ tamen vt ſic, quia duplex ſortiantur ſignificatum, vnum formale gradum nempe, quem explicitè important; alterum meteriale, quod eſt ipſa ſpecies, certum eſt, ſi differentia pro materiali ſignificato, ſeu pro ſuppoſito, & ſubſtracto accipiatur, ſic genus de illa per ſe, & eſſentialiter enunciari; ratio autem perſpicua eſt, ſic enim rationale, v. g. idem dicit, quod habens rationalitatem, hoc autem idem eſt cum ſpecie, & pro illa ſupponit, ſed de ſpecie eſſentialiter genus prædicatur, vt animal de homine, de rationali ergò ſic accepto non ſecus ac de homine animal enunciabitur; quod idem dicendum eſt vice verſa de differentia reſpectu generis, vt in hac animal eſt rationale.

Tota ergò difficultas in ſenſu formali poſita eſt, pars autem quæſtionis affirmatiua non eſt deſtituta patrono, ſicq; poteſt probari.

A Primò. Hunc ſillogiſmum (omnis homo per ſe, & eſſentialiter eſt animal, omnis homo per ſe, & eſſentialiter eſt rationalis: ergò rationale, per ſe, & eſſentialiter eſt animal) aptum eſſe compertum eſt, quippe cum in 3 figura ſit constructus, atqui vtramque partem antecedentis veram eſſe, non eſt, qui inficiatur: opus ergò eſt vt & conſequens ſit verum, ſicut enim ex præmiſsis neceſſarijs concluſio ſequitur neceſſaria, ſic ex per ſe per ſe. *I. Argum*

Confirmatur homo per ſe eſt rationalis: ergò rationale per ſe eſt homo, ergò rationale per ſe eſt animal. Prima conſequentia probatur, quia propoſitio neceſſaria conuertitur in neceſſariam: ergò per ſe in per ſe: ſecunda patet, quia homo per ſe includit animal. *Confirmat*

B Secundò. Species intelligitur ſub differentia formaliter: ergò ſi genus prædicatur per accidens de differentia, per accidens etiam de ſpecie prædicabitur. Conſequentia patet, quia quando aliquid prædicatur de alio per accidens, per accidens etiam prædicatur de quolibet, quod ſub ratione illius tāquam ſub ratione formali intelligitur. *II. Argu.*

Prima concluſio ſit. In ſenſu formali nec differentia per ſe, & eſſentialiter de genere prædicatur, nec genus de differentia. Sic noſter Doctor 3. metaph. q. vnica, eamquè expreſsè docet Ariſt. 4. topic. cap. 2. & 6 topic. c. 2 & 3. metaph. tex. 10. *I. Conclu.*

C Probat eam ſic noſter Doctor. Licèt genus; & differentia prædicentur de toto per ſe, non tamen ſignificant totum per ſe, ſed genus materiale, differentia formale, vnde vtrumq; ſignificat partē ſpeciei per modum totius, & ſicut materiale eſt extra formale, ſic conceptus generis eſt extra rationē differentiæ; non ergò per ſe, & eſſentialiter de ſe inuicem prædicari poſſunt. *Probatur.*

Secunda concluſio. Differentiæ generis diuiſiuæ de illo prædicantur formaliter, & directè prædicatione quidem accidentis quinti prædicabilis ſi ſeorſum ſumantur. *II. Conc.*

Prima pars patet, illam enim prædicationem directam, & formalem dictitamus, in qua prædicatum eſt forma ſubiecti; ſed differentiæ, modum habent formæ, & qualitatis, reſpectu generis, genus autē modū ſubiecti, cuius ambitus, & amplitudo per differentiā coarctatur: prædicantur ergò de illo prædicatione directa, & formali. *1. p. prob.*

Secunda

2. p. prob. Secunda pars probatur, quia quæuis differentia reſpectu generis accidentis induit rationem, vt rationale reſpectu animalis in communi (non quidem accidētis nominalis aut prædicamentalis, ſed accidentis verbalis, ſeu prædicabilis, quo pacto etiam ſubſtantia, quæ extra rei eſſentiam eſt, illi accidere dicitur, vt poſtea) cum ergò differentia ſit extra rationem generis, ei accidere dicitur, eo maximè quòd ei adeſſe, & abeſſe poſſe conſtat, datur enim animal, quod non eſt rationale: prædicantur ergò differentiæ de genere accidentaliter. Ex quo fit differentiam enunciari de ſpecie in quale eſſentiale, de genere verò in quale accidentale.

Notanter autem dictum eſt, ſi ſeorſum ſumantur differentiæ, quia multi probabiliter affirmant diſiunctiuè ſumptæ prædicari de genere admodum proprij quarti prædicabilis, vt cum dicimus animal vel eſt rationale, vel irrationale, atque adeò talem prædicationem ad quartum prædicabile referendam eſſe, eo quòd modum proprij habent, cum conueniant vt ſic omni, ſoli, & ſemper, etenim omne animal vel eſt rationale, vel irrationale, atq; adeò conuerſim prædicantur.

III. Conc. Tertia concluſio. Genus de differentia indirectè, & accidentaliter enunciatur; illa enim eſt prædicatio indirecta, in qua ſubiectum de accidenti prædicatur, quamobrem hanc indirectam enunciationem appellamus, riſibile eſt homo, aut album eſt corpus, genus autem rationem ſubiecti habet ratione differentiæ, indirectè ergò de illa enunciatur. Hæc omnia dicta applicanda ſunt differentiæ ſuperiori, & inferiori, quòd in concreto, ratione ſubſtracti, & in ſenſu identico poteſt vna de aliâ prædicari; non verò in ſenſu formali.

Corollariū Ex dictis ſequitur in doctrina noſtri Doctoris, ſupra dictos terminos ſenſum identicum admittere in concreto, quia vt ſic important pro ſubſtracto, & materiali illud tertium, in quo identificantur, nempe ſpeciem: in abſtracto verò prædictum ſenſum non admitere, quia omnino excludunt illud tertium, ob idq; diximus, enunciationes ex dictis terminis in abſtracto conſtructas, prorſus, eſſe falſas, vt animalitas eſt rationalitas ſenſibilitas eſt rationalitas, in nullo ſenſuque admittendas.

Ad I. Ad primum argumentum partis aduerſæ dicendum eſt, quòd ſi ad ſignificatum materiale attendamus, conſequens illud non ſolum eſt verum, ſed etiam neceſſarium, & per ſe, & in materia naturali, ſi verò formalia ſignificata inſpiciamus, accidentalis eſt illa prædicatio, licet enim ex neceſſarijs non poſsit niſi neceſſarium ſequi, alioquim præmiſſæ ſine concluſione veræ poſſent eſſe. Ex per ſe verò poteſt ſequi per accidens, cum tamen illud aliàs ſit neceſſarium, nec enim quidquid reperitur in antecedenti neceſſarium eſt vt in conſequenti reperiatur, ſi id ad conſequentiæ bonitatem non ſpectet.

Ad confir Ad confirmationem prædicto loco reſpondet Doctor primam conſequentiam ineptam eſſe, quippe cum in ea fallacia ſit cōſequētis, quia in ſubiecto poteſt eſſe cauſa inhærentiæ prædicati, licet in prædicato cauſa non ſit cur ſubiectum ſibi inſit, tametſi ergò neceſſaria conuertatur in neceſſariam, nō tamen per ſe conuertitur in per ſe, quia antecedens cauſam habere poteſt quare conſequens ſiue prædicatum ſibi inſit, licet non è contra.

Ad II. Ad ſecundum. Conſequentia neganda eſt, & ad eius probationem illud aſſumptum eſt diſtinguendum, ex vi formalitatis illius prædicati concedo, aliunde nego, ſenſibile ergò licet homini non conueniat ex vi rationalis, aliunde tamen conuenit, quia nempe eſſentialiter eſt animal.

QVÆSTIO VI. NVM DIFferentia ad aliqua comparata generis, vel ſpeciei rationem ſortiatur.

COMPARAVIMVS iam differentiam ad ſpeciem quam conſtituit, ad inferiora illius, & differētiam ſuperiorem ad inferiores. Primo, modo rationem prædicati habet. Secundo, modo tertij prædicabilis. Tertio, modo nullam. Sciſcitatur præſens controuerſia, num differentia aliquam aliam patiatur comparationem, per quā alicuius alterius prædicabilis functionem habeat.

Opinio Pleriq; ſunt ex recenſioribus, qui quaſdam cōplicationes fingentes, ex differētia ſuperiori & inferiori, in ordine ad quas, differentias magis latè patentes generis aut ſpeciei adſtruūt rationem ſubire, vnde ſenſibile reſpectu rationalis ſenſibilis, & ſenſibilis irrationalis, genus eſt (dicunt) & rationale reſpectu huius, & illius rationalis eſt ſpecies. Firmanturque fundamentis non contemnendis.

Primum eſt illud generis induit rationẽ, quod differentijs oppoſitis diuiditur & A informatur, teſte Ariſt. atqui inferior differentia ſuperioris differẽtiæ eſt diuiſiua, vt idem Ariſt docet 7. metaph. tex. 43. & reſpectu illius ſe habet vt actus & forma, vt ipſi cõtrarij haud inficiantur, nihil ergò eſt incommodi, quia ſicut eadem differentia ad diuerſa comparata rationem habet actus & potentiæ, actus quidem ſi cum genere quod diuidit conferatur, potentiæ verò & contrahibilis ſi cum inferioribus differẽtijs, ſic etiam in ordine ad diuerſa, tum differentiæ tum generis rationem habeat.

Cõfirmat. Confirmatur. Differentia ſuperior vlteriorem poteſt perfectionẽ ſuſcipere à differentia inferiori, vt ſenſibile gradum intellectiuum à rationali, & quælibet differentia diuiſiua eo ipſo quòd diuidit generis ſuperioris conceptum, diuidit etiam & contrahit differentiam cõſtitutiuam talis B conceptus, ſed quod diuiditur & contrahitur eſtque perfectibilis, rationem habet potentiæ in ordine metaphyſico ergò & generis.

Secundum. Senſitiuum rationale vt ſic eſt vnũ ens per ſe, ex actu & potentia conſtitutum, vt pote ex gradu communi & gradu ſibi proprio; ergò eſt ſpecificum, ac proinde ſub ſenſitiuo tãquam ſub genere contentum, quod de ipſo & de ſenſibili irrationali vt de pluribus ſpecie differentibus in quid prædicatur, & rationale de hoc & illo rationali vt de pluribus numero differẽtibus in quid.

Concluſio. Concluſio tamen negatiua nobis probatur, quam luculenter probat & deffendit Fonſeca, 5. metaph c. 28. q. 18. ſect. 2. & eam licet in terminis non expreſſerit ſubti C lis Doctor, tamen haud leuiter adumbrauit, probaturque.

I. Probat. Primò. Quia huiuſmodi compoſitio figmentum eſt, nec enim poteſt intellectus ad libitum ſimiles complicationes confingere, & quamcumque rationem cum alia connectere, vt ſupra de indiuiduo generis dictum eſt: ergò nec duas differentias aut actus ſeorſum ſumptos immediatè cõiungere, cum ſecundum ſe conſideratæ non ad ſe inuicem immediatè ordinentur, in ratione actus & potentiæ, contrahibilis & contrahentis. Sed tantum habent rationẽ actus & differẽtiæ conſtituentis ſuum gradum, vt ſenſibile conſtituit animal, rationale hominem, quòd ſi natura animalis ex ſenſibili conſtituta, per rationale contrahitur per ſe, non tamen hoc habet ſenſibile per ſe & ſeorſum ſumptum, niſi tãtum per accidens, ratione naturæ quam conſtituit.

II. Probat Secundò. Compoſitum illud ex differẽtijs magis latè & minus latè patentibus cõfictum, vt ſenſibile rationale, comparatũ ad inferiora ſpeciei, nempe hominis vt ad Petrum & Paulum, rationem habet vniuerſalis, cum de illis prædicetur vniuocè, & ſit vnum ens per ſe, erit ergò vnum ex quinque prædicabilibus vulgatis, non proprium & accidens vt conſtat, cum ſit de illorum eſſentia, non genus aut ſpecies cum de illis non prædicetur in quid, aliàs enim de eiſdem ſenſibile in quid prædicaretur, de quo enim aliquid in quid prædicatur, de eodem & genus illius in quid prædicari neceſſe eſt, nec differentia, cum omnis differentia ſit conceptus ſimplex, nullam habens generis & differẽtiæ compoſitionem vt nuper vidimus.

Admonere autem licet, quòd ſi prædictæ complicationes quoad nomen videantur differẽtiam ſuperiorem & inferiorem dumtaxat importare, quoad rem verò (vt ſupra in ſimili dictum eſt de indiuiduis genericis) dicunt ipſas naturas ſpecificas, vt hoc rationale dicit naturam humanam. Vnde idem importat atq; hic homo, cum differentia indiuidualis ex propria ratione ſua ſit contractiua naturæ ſpecificæ, cum qua indiuiduum cõſtituit, quod idem proporcionaliter dicendum eſt de alijs differentijs, vnde ſenſibile rationale eſt ſenſibile, idem eſt ac homo eſt ſenſibilis.

Ad argu. Ad argumẽta oppoſita ex præiactis reſpondere non erit difficile.

Ad. I. Ad primum, ex prima probatione noſtræ concluſionis patet, vnde neganda eſt minor abſolutè, vel diſtinguenda, primò per ſe & immediatè nego, per accidens tranſeat.

Ad ſecundum. Quòd prædictæ differentiæ ſeorſum ſumptæ & ſeparatæ, à naturis quas conſtituunt, non poſſunt vniri & vnum ens per ſe efficere, cum vt ſic habeãt rationem actus & actus.

(.?.)

DISTINCTIO

DISTINCTIO VI. DE Proprio quarto præ dicabili.

ABSOLVTA iam trium prædicabi lium eſſentialium tractatione, quæ ni mirum vel totam eſſentiam vel partem eſ ſentiæ de re enũciant, ordo debitus expoſ cit, vt eorum prædicabilium naturas diſpi ciamus quæ extra rei eſſentiam diuagan tur, inter quæ quia proprium ad eſſentiam rei proximius accedit, vt pote quod ab il la propagatur, accidens vero commune quod quintũ prædicabile conſtituit, omni no eſt extraneum, reiq; eſſentiæ prorſus forinſecum, ideo prius de illo diſſerit Por phyrius, & quidem pauca his duabus con cluſionibus comprehenſa.

LITERA PORPHIRII.

I. Concl. Prima concluſio. *Proprium quadrifariã accipitur. Primò pro eo quod conuenit ſoli & non omni vt homini eſſe medicũ* (quod intel lige de actu ſeu de habitu medicinæ, nõ de aptitudine ad ſcientiam) *Secundo. Pro eo quod conuenit omni & non ſoli, vt bipedẽ eſſe. Tertio. Pro eo quod conuenit omni & non ſo li, ſed non ſemper, vt caneſcere* (*quod de cani cie propria intelligendum eſt.*) *Quarto. Pro eo quod conuenit omni ſoli & ſemper vt riſibile.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Proprium quarto mo do eſt quod accidit omni ſoli & ſemper, & con uerſim de ſpecie prædicatur.*

LITERA DOCTORIS.

SVBTILIS Doctor, quatuor excitat de Proprio quæſtiones à quæſtione. 30. vniuer vſque ad 33.

quæſt. 30 QVÆSTIO. I. Vtrum proprium ſit vniuerſale.

I. Concl. Prima concluſio affirmatiua. *Probat pri mò ab vniuerſalis diffinitione, prædicatur enim proprium de pluribus. Secundo. Quia proprium demonſtratur de eo cuius eſt pro prium, vniuerſalium autem eſt demonſtra tio ex Ariſt. 1. poſte.*

II. Conc. Secunda concluſio. *Proprium æquiuocè ſumitur, quia poteſt eſſe nomen primæ inten tionis quo pacto opponitur communi, vel ſecũ dæ intentionis, ſignificans ſcilicet ſecundam intentionẽ quæ conſtituit prædicabile non præ dicans eſſentiam, vt diffinitur. 1. topic. & ſic eſt ſpecies vniuerſalis.*

III. Conc. Tertia concluſio. *Proprium dicitur, pro*
A
prium & commune, ſiue vniuerſale, proprium quidem reſpectu ſpeciei, commune vero reſpe ctu indiuiduorum ſub ſpecie contentorum, quia de illis dicitur, vt de pluribus, in reſpon ſione ad primum.

quæſt. 31 QVÆSTIO II. An diffinitio pro prij quòd ſcilicet accidit omni ſoli & ſem per exacta ſit.

I. Concl. Prima concluſio affirmatiua. *Et proba tur quia per hanc diffinitionem explicatur eſſentia proprij, vt eſt quartum prædicabile ab alijs diſtinctum.*

II. Conc. Secunda concluſio. *Verbum hoc accidit poſitum in diffinitione proprij non ſignificat accidens, ſecundum quòd Ariſt. diuiſit ens 5. metaph. c. 13. in ſubſtantiam & accidens. Nec vt ſignificat intẽtionem accidentis quin ti prædicabilis, ſed prout eſt idem quòd extra eſſentiam rei, conuertibiliter tamen cum ea, quo pacto differentia non accidit, quia dicit*
B
partem eſſentiæ, in corpore .q. & in reſpon ſione ad 2. & 5.

quæſt. 32 QVÆSTIO III. An propriũ ſit diſ tinctum vniuerſale ab accidenti.

I. Concl. Prima concluſio affirmatiua. *Quia pro prium eſt accidens quod conuenit rei ratione formæ, egrediturque ex per ſe principijs rei, prouenit quòd ab eſſentia vt à cauſa præciſa per ſe & immediata, & ideo conuertitur cum eſſentia à qua dimanat, poſita enim cauſa ne ceſſaria & immediata & præciſa ponitur ef fectus, & ea amota amouetur: ergò poſita for ma, ponitur ſemper proprium ab illa dima nans, & ea amota amouetur. Accidens ve rò quintum prædicabile, non fluit à princi pijs per ſe rei ſed ab extrinſecis & ideo com mune dicitur.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Intentio proprij eſt illa quæ aplicatur tali accidente, egredienti*
C
ſcilicet ab eſſentia rei.

III. Conc. Tertia conc. *Proprium prædicatur de ſu biecto in ſecundo modo dicendi per ſe, quod non poteſt intelligi ſine repugnantia, ſub op poſito illius, vt homo ſub oppoſito reſibilitatis, aliàs enim cauſa per ſe neceſſaria & imme diata intelligeretur ſub oppoſito ſui effectus primi. Sub oppoſito autem accidentis commu nis poteſt ſubiectum ſine repugnantia intelli gi, quod adhuc de accidenti in ſeparabili ve rum eſt, cum coruus poſſit albus intelligi, Ethiops nitens candore.*

quæſt. 33 QVÆSTIO IIII. Vtrum propriũ neceſſario ſemper in ſit.

I. Concl. Prima conclu. affirmatiua. *Et probatur ſemper ineſt ſubiecto ſua forma, cum non ſit*

 id quod

id quod eſt niſi per illam, ergò ſemper in erit ſibi proprium à tali forma vt à cauſa neceſſaria & immediata fluens.

II. Conc. Secunda concluſio. *Subiectum reſpectu proprij non eſt ſolum in potentia paſsiua, ſed etiam effectiua, quia proprium à ſubiecto cauſatur*, intellige non de vera & phyſica efficientia & cauſalitate ſed tantũ metaphyſica vt alibi docet Doctor *vnde non eſt in potentia contradictionis. Ad tertium.*

COMMENTARIVM.

SI ad amuſsim eſſet natura proprij primæ intentionaliter ſumpti per veſtiganda, eſſet logici lineas tranſilire, & in phyſicam, metaphyſicamq; meſſem falcẽ mittere: ea ergò ſolum de natura proprij expendemus quæ neceſſaria videbuntur ad plenam iſtius quarti prædicabilis intelligentiam.

QVÆSTIO I. QVID SIT materiale ſubſtractum ve iſtius quarti prædicabilis.

PROPRII nõmen non vt ab improprio & metaphorico, ſed vt à cõmuni ſecernitur, in præſentiarũ ſumi palam eſt, cuius quatuor acceptiones adducit Porphyrius, vt in litera poſſunt videri, à qua diuiſione parũ aut nihil difert quam tradit Ariſt. 1. topic. vt apte à recenſioribus explicatur. Ex quibus omnibus acceptionibus cum proprium quarto modo dumtaxat ſit tale ſimpliciter, cætera vero ſecundum quid, Analoga erit diuiſio hæc Quod ergò in præſenti quærimus eſt an materiale & ſubiectum quod ab intentione iſtius quarti prædicabilis denominatur, ſit proprium ſecundum omnes quatuor acceptiones, an verò ſolum quarto modo ſumptũ.

Opinio Alberti Canteri Lobani. Fõſecæ. Nõ deſſunt tam ex antiquis quàm ex iunioribus qui non ſolum proprium quarto modo, ſed pleraque etiam ſecundo modo ad hoc quartum prædicabile arbitrantur referri, his conuicti rationibus.

I. Argum. Prima, quodcumq; accidens nõ contingens & quod ad eſſe & abeſſe nequit eſt quartum prædicabile, atqui multa ſunt accidentia quæ neceſſariò & non contingenter ſubiecto conueniunt, & tamen non habent vnicum ſubiectũ immediatũ ſed plura, eo quòd non habent vnam cauſam adæquatam à qua progrediatur: ergò plura accidentia quæ ſecundo modo dicuntur propria, ad quartum prædicabile referuntur, maior patet ex diffinitione quinti prædicabilis. Minor probatur, multis exemplis,
A viſus & auditus vniuocè conueniunt homini & ſimiæ, non tamen datur ſub animali primũ ſubiectum viſiui vel auditiui quod vniuocè cõmune ſit homini & ſimiæ. Intellectus & voluntas vniuocè & neceſſariò cõueniunt homini & Angelo cum nullo tamen illorum prædictæ potentiæ reciprocãtur, neque cum communi aliquo genere, calidum & frigidum neceſſariò cõueniunt igni & aquæ nullum tamen datur primum ſubiectum quod igni & aquæ cæterisq; calidis & frigidis ſit commune, à quo procedat, & idem de albedine reſpectu niuis, nigredine reſpectu corui, quæ totam ſpeciẽ aut genus ſequella naturali comitantur, efluuntque à temperamento nõ indiuiduali ſed ſpecifico.

II. Argu. Secunda. Quòd de eſſentia iſtius quarti prædicabilis non eſt reciprocatio cum ſu-
B biecto, nõ enim dicitur conuertibiliter cũ ſuis inferioribus per ordinem ad quæ in eſſe quarti prædicabilis conſtituitur, riſibile enim non conuertitur cum indiuiduis humanæ ſpeciei, ergo nec cum ipſa ſpecie.

Cõſirmat. Confirmatur quædam differẽtia de vna tantum ſpecie, quædam verò immediatè de pluribus ſpeciebus prædicatur, quæ nimirum (vt diximus ſupra) duorum generum ſub tertio contentorum eſt diuiſiua, atq; adeò duarum ſpecierum conſtitutiua, quæ tamen differentiæ vnũ ſpecie prædicabile conſtituunt: ſmili ergò modo accidens quod neceſſariò vni tantum ſpeciei, & quod pluribus ſpeciebus conuenit, vnum prædicabile conſtituent.

I. Notabi. Cæterũ obſeruãdũ eſt primò, cum noſt. Doct. q. 32. vniuer. §. ad quæſt. quod cum
C accidẽs ſit id quod eſt extra rei eſſentiam, accidẽtia ſunt in duplici diſcrimine, quædã ſunt quæ ſubiecto cõueniũt ab extriſeco, illa nẽpe quæ ab aliquo agente extrinſeco cauſantur, & hoc dupliciter, aut ſic quòd amota cauſa à qua cauſatur tale accidens maneat adhuc in ſubiecto, vt nigredo cauſata ab æſtu & calore ſolis quæ adhuc æſtu abeunte remanet in cuti, aut amota cauſa nõ manet effectus vt lux in aere, quæ ſole recedẽte nõ manet, alia accidẽtia ſũt quæ ab intrinſeco cõueniũt à cauſis nẽpe in ipſo ſubiecto exiſtẽtibus & hoc trifariã, vel ratione materiæ vt quãtitas nõ ꝙ à materia cauſetur (vt bene aduertit Mauri ſed qui l. eſt cõcreata materiæ vt nõnullis placet, vel quia tenet ſe ex parte materiæ, illã ad formæ introductionẽ diſponẽdo. Alia ſunt

quæ

quæ ratione qualitatum primarum indiuidualis ve complexionis in ſunt, vt qualitates ſecundæ quæ ex certa primarum intenſione procedunt, vt colores ſapores &c. & hæc accidentia hucuſque commemorata communia dicuntur. Alia tandem ſunt quæ ſpeciei in ſunt ratione formæ ita vt forma rei ſeu eſſentia & quidditas illorum ſit cauſa per ſe præciſa & immediata (non quidem propria & phyſica cauſalitate vt bene Anglicus animaduertit cum in ſententia Doctoris paſſiones cum eſſentijs quarum paſsiones dicuntur realiter identificentur ſed latè & metaphyſicè ſumpta) ſic riſibilitas effluit ab hominis eſſentia. Talia accidentia rei proprietates, propriæ ve paſsiones nuncupantur, quæ neceſſariò ſemper rebus in ſunt in ſeparabiliter, vt bene probat noſter Doctor quæſt 33. vniuerſa. non ſolum naturaliter ſed & per potentiam Dei, implicat enim idem à ſe ipſo ſecerni. Quia ergò poſita cauſa neceſſaria præciſa & immediata, effectum neceſſariò poni neceſſum eſt, & illa amota amoueri, ideo in omni habente formam ſpeciei talem ve eſſentiam, reperitur ſemper & tale accidens proprium, in non habentibus verò non reperitur, & ideo etiam eſt cum ſpecie conuertibile, de eaque demonſtrari poteſt.

II. *Notab.* Obſeruandum præterea, iſta accidentia propria triplicia eſſe, quædam dicuntur infima, quæ ab infima ſpecie ſeu gradu ſpecifico promanant, vt riſibile à natura humana, alia intermedia ſeu ſubalterna, quæ nimirum à generibus intermedijs procedunt, vt nutritiuum à viuenti, & ſenſitiuum pro potentia ſumptum ab animali, alia tandem ſunt ſuprema, quæ ſcilicet à genere generaliſsimo immediatè procedunt, vt æqualitas à quantitate, quia quæ habent gradum eſſentiæ determinatum, ab illo gradu determinatæ poſſunt oriri paſsiones, ſed genera ſubalterna & ſuprema determinatum habent gradum eſſentiæ, ab illo ergò gradu determinatæ poſſunt effluere paſsiones, vnde ſupremorum generũ plures aſsignauit Ariſt. proprietates in prædicamentis. Propriorum rurſus quædam ſimplicia ſunt, vt riſibile, admiratiuum &c. quædam complexa ſub diſiunctione, vt reſpectu numeri eſſe parem vel imparem, nec in conuenit vt docet Ariſt. 5. topic. c. 2. vt idem ſubiectum plures habeat proprias paſsiones, vt eſt videre in homine. Quibus præ-

A iactis.

Concluſio. Concluſio noſtra ſic ſtatuitur, omnia & ſola accidentia quæ ex per ſe principijs rei vt à cauſa per ſe præciſa & adæquata immediatè egrediuntur, conueniuntque omni ſolo & ſemper & à Porphyrio propria quarto modo dicuntur, ſunt materiale ſubſtractum iſtius quarti prædicabilis, & quæ ab illius ſecunda intentione denominantur, cætera verò accidentia communia dicuntur, ad quintum prædicabile ſpectantia, ſic noſter Doctor quæſt. 32. vniuerſa. vbi hæc §. ad quæſtio. *Dicuntur accidentia communia vel quia communiter in ſunt ſubiecto & alys, vel communiter id eſt indifferenter in ſunt & non in ſunt, ſiue ſic ſiue ſic non ſunt conuertibilia:* ergò ſecundum Doctorem tantum accidens conuertiblie cum eſſentia à qua fluit eſt ſubſtrac-

B tum iſtius prædicabilis, eamq; ſatis expreſſit Porphyr. qui relictis tribus primis proprij acceptionibus, proprium quarto modo dumtaxat ad hoc prædicabile aſſumit, eo quòd tria priora per analogiam & proporcionem ad quartum propria dicantur, ſimpliciterq; ad quintum prædicabile pertineant, quòd ſi de illis aliquantulum egit, ideo fecit, vt noticia plenior iſtius quarti prædicabilis haberetur, vt & ſupra fecit de differentia communi & propria.

Probatur autem ratione; illud accidens ad hoc prædicabile ſpectat, ex quo enunciationes fiunt per ſe in ſecũdo modo perſeitatis, eſtque de ſubiecto demonſtrabile ſed hoc tantum eſt id quod per ſe ab eſſentia rei emanat, cum eaque reciprocatur, quale eſt proprium quarto modo, hoc ergò dumtaxat ad quartum prædicabile eſt referundum.

C Ad argumenta in principio obiecta.

Ad primum, neganda eſt minor, nec exẽpla nobis officiunt, viſſus enim & auditus paſsiones ſunt procedẽtes à gradu animalis, intellectus & voluntas à gradu ſubſtantiæ intellectualis Angelis, & hominibus cõmuni, calor autem & frigiditas non ſunt elementorum paſsiones, nec albedo niuis aut nigredo corui vt diſtinctione ſequẽti.

Ad ſecundum quæſtioni ſequenti.

Ad cõfirmat. Hoc peculiare eſt propriæ paſsioni, quòd cum præcisè & per ſe profluat ab eſſentia ab vnica tantum promanare debet, atque adeò vnam exigit radicem determinatam.

QVÆSTIO II. SIT NE PROprium eſſentialiter vniuerſale, & quod illius ſubijcibile.

I. Opinio. DIXERVNT nonnulli proprium vt hoc quartum prædicabile conſtituit non eſſe eſſentialiter vniuerſale.

I. Argu. Probantque ſic. Primò, quòd commune & proprium opponuntur hac enim ratione proprium à cõmuni ſecernitur, quòd proprium vni tantum, cõmune autem pluribus conueniat: ergò & vniuerſale, cum commune & vniuerſale idem propriùs ſint.

II. Argu. Secundò. Proprium non eſt vniuerſale in ordine ad ſpeciē à qua fluit vt fatemur, nec in ordine ad inferiora ſpeciei vt ſequens probat opinio.

2. *opinio.* Dixerũt alij, eſſe quidem vniuerſale, ſed per ordinem ad ſpeciem, vt ad ſuum proprium ſubijcibile, quod aſſertum pleriſq; recentioribus ſummopere plauſibile eſt, cuius duo potiſsima ſunt fundamenta

B

I. Argum. Primum. Predicabile conſtituitur in ordine ad id per quod ſuam habet formalitatem, ſed hãc habet proprium comparatione ad ſpeciem, à qua fluit; ergò per ordinē ad illam vt ad proprium ſubijcibile in eſſe quarti prædicabilis conſtituitur, minor in quà ſi ſit difficultas probatur, quia omne prædicabile per comparationem ad id quod reſpicit immediatè, ſuam habet formalitatem, proprium autem immediatè reſpicit eſſentiam vt propria paſsio illius.

II. Argu. Secundò. Cõuertibilitas cum ſpecie cõuenit proprio quà quartũ prædicabile eſt, ſed illam non habet niſi comparatione ſpeciei, cum porrò non conuertatur cum inferioribus illius, vt liquet: ſolum ergò cõparatione ſpeciei eſt quartũ prædicabile, maior probatur ex noſtro Doct. paſsim hoc teſtante q. 30. vniuer. §. ad quæſt. ait. *ideo proprium eſt vniuerſale quia conuerſim*

C

prædicatur, & Paulo infra ſubdit, *alio modo proprium eſt nomen ſecundæ intentionis, ſignificans intentionem ſecundam, ſcilicet prædicatum conuertibile, non prædicans eſſentiam, vt diffinitur. 1. topic & ſic eſt ſpecies vniuerſalis, quia vniuerſale deſcendit in ipſum, per differentias per ſe diuiſiuas eius, ſcilicet prædicari conuertibiliter*, &. q. 31. ad quæſt. ait, *per omni ſoli & ſemper habetur cõuertibiliter, & per has differentias deſcendit vniuerſale in propriũ*, & in reſponſio ad 1. ſic, *illa enim particula omni, in hoc quod eſt vna, ex qua habetur cõuertibilitas eius cum ſpecie, dicit vniuerſalitatem eius*, & ante q. 12. probauerat, prædicari conuertibiliter diuidere vniuerſale, & trahere ad proprium tam quam

A

differentia per ſe.

I. *Notabi.* Vt autem ſententiam noſtrã ſtatuamus obſeruandum eſt primò, in natura quæſtione præcedēti explicata per intellectus cõparationem, quandam fundari ſecundã intentionem relationē vè, rationis, quæ proprij eſt ſignificatum formale, illud in eſſe quarti prædicabilis logicè conſtituens: de hac ergò, modò inueſtigamus, num ordo & relatio ſit vniuerſalitatis, eſſentialiter proprium in eſſe vniuerſalis conſtituens, & quis ſit terminus illius, hæc autem relatio triplex eſt, ſicut materiale ſubſtractum (propriam nimirum paſsionem) triplex eſſe diximus, infimum, medium & ſupremum, vna quæ denominat proprium infimum, alia medium, alia ſupremum

II. *Notab.* Secundò, obſeruandum eſt, quòd cum ratio generica & differentialis ab eodem principio in re deſumantur, in relatione formalitas generica & formalitas ſpecifica, per ordinem ad eundem terminum formalē debent deſumi, quippe cum tales formalitates eædem ſint, paternitas eſt ordo ad filium non tantum quatenus relatio eſt ſed etiam prout paternitas vt ſuo loco dicemus, verum eſt quod ſicut prædictæ rationes ſaltim per intellectum diſtinguuntur, ita etiam in termino formali illarum duæ ſunt formalitates diſtinguibiles vna quæ rationem genericam terminat & alia ſpecificam & differentialem.

I. *Conclu.* Prima concluſio. Proprium logicè ſumptum vt conſtituit hoc quartum prædicabile eſt eſſentialiter vniuerſale & forma qua in eſſe talis conſtituitur eſt quædam ſecunda intentio ſeu relatio rationis vniuerſalitatis eſſentialiter Hanc communis ferme omnium dialecticorum ſchola tuetur, docet eam Doctor. q. 30. vniuer. vt vidimus & probatur à diffinitione vniuerſalis quod vnum eſt in multis & de multis, ſed proprium eſt in inferioribus ſpeciei à qua fluit & ab illis abſtrahitur, de illiſque prædicatur.

II. *Conc.* *Scotus* *Tataretꝰ* *Nicolaus de Orbellis* Secunda concluſio. Propriũ logicè ſumptum rationem induit vniuerſalis non in ordine ad ſpeciem à qua dimanat, ſed ad inferiora illius, hanc expreſsè docet noſter Doctor loco dudum cõmemorato vbi ſic in reſponſi ad primum. *Proprium autem eſt reſpectu ſpeciei, commune reſpectu indiuiduorum ſub ſpecie contentorum, quia de illis dicitur vt de pluribus non de ſpecie cuius eſt proprium.*

I. *Probat.* Concluſio hæc eiſdem poteſt.

Argu-

Argumentis ſuaderi quibus ſupra de differentia id ipſum probatum eſt, riſibile enim in homine non eſt in pluribus inferioribus ſed vt in vno & æquali.

II. Probat Secūdò probatur hoc argumēto (quod eandem vim habet ſi differentiæ accōmodetur) proprium non ſolum ſecundum rationem genericam eſt vniuerſale, ſed etiā ſecūdum rationem ſpecificam eſt tale vniuerſale, ergò ſicut ſecundum rationem genericam in eſſe vniuerſalis per ordinē ad plura vt plura ſunt conſtituitur, ita in eſſe ſpecifico talis nempe vniuerſalis in ordine ad talia plura vt tali modo ſubſunt conſtitui debet, antecedēs patet ſic enim quinque ſpecies vniuerſalis, vniuerſalia ſpecifica dicuntur. Conſequentia probatur, quia ſicut de eſſētia vniuerſalis eſt ordo ad plura, ita & de eſſētia talis vniuerſalis erit ad talia plura vt talia ſunt. Vnde genus non ſolum vt vniuerſale eſt reſpicit plura, ſed etiam ſecundum rationem ſpecificam vt tale vniuerſale eſt ſcilicet genus talia plura reſpicit, tunc ſic ſpecies vt vidimus ſicut non habet rationem plurium inferiorum ita nec talium plurium: ergò propriū ſicut in eſſe generico vniuerſalis non conſtituitur per ordinem ad ſpeciem, ſed ad inferiora illius quatenus præcisè plura inferiora ſunt, ſic & in eſſe ſpecifico non per ordinem ad ſpeciem, ſed ad eadem inferiora vt talia inferiora ſunt & tali modo reſpiciuntur conſtituendum eſt.

Cōfirmat. Confirmatur. Formalitas relatiua generis & formalitas relatiua ſpeciei ab eodē termino formali deſumuntur, ergò formalitas relatiua vniuerſalis & formalitas relatiua talis vniuerſalis ab eiſdem inferioribus deſumi debent.

Vnde incongruenter procedunt, qui aſſerunt differētiam & proprium rationem vniuerſalium habere per ordinem ad inferiora ſpeciei, in eſſe verò ſpecifico conſtitui in ordine ad ſpeciem cum qua conuertuntur, iam enim proprium & differentia prius haberent rationem ſpecificamq; genericam, cum prius (vt ipſi fatentur) reſpiciant ſpeciem quàm inferiora illius.

I. Corollo. Deducitur quòd inferiora ſpeciei à qua fluit propriū, quatenus præcisè plurium habet formalitatem, rationem genericam illius terminant, quatenus verò talia plura ſunt, ſpeciei nempe à qua fluit, & cum qua conuertitur, terminant rationem illius ſpecificam & differentialem.

II. Coroll. Deducitur tandem, proprium diuerſa relatione ſpeciem à qua fluit reſpicere quàm inferiora illius, vt ſupra de differentia dictum eſt. Speciem enim reſpicit non vt ſuperius & commune, ſed vt æquale quartumque prædicatum cum ipſa conuertibile, inferiora vero illius vt vniuerſale reſpicit & commune, & quartum prædicabile, atque adeò diſtincta relatione vniuerſalitatis nempe, & quidē immediatè, quia licet materialiter ſumptum prius ſpeciei, quàm inferioribus illius conueniat, nō tamen prius habet vniuerſalis rationem in ſpecie, quàm in inferioribus illius. Quam immediationem vocat Tataretus immediationem prædicandi videlicet quòd inter ipſum & ſua ſubijcibilia nihil mediat, quod habeat talem modum prædicādi reſpectu illorum ſubijcibilium, non vero immediationē cauſæ & ſubiecti, quæ mediatio non impedit propriam rationem prædicabilis, hoc autem de genere inferri nequit, cum tam ſpecies quàm illius indiuidua eodem modo reſpiciat, vt ſuperius & vniuerſale gradum eſſentiæ potentialem importans, ob idque ſola mediata vel immediata prædicatio non variat in illo rationem vniuerſalis.

Ad argumenta primæ opinionis. *Ad argu. I. Opinio.*

Ad. I. Ad primum. Doctor reſpondet, quòd proprium vt eſt res primæ intentionis opponitur communi, non verò vt eſt ſecunda intentio, quod eſt dictu, quòd propriū ſumptū pro ipſa proprietate quæ ab eſſentia procedit, opponitur accidenti cōmuni, illud enim eſt propriū vnius, hoc vero pluribus commune, logicè verò ſumptum eſt quid commune. Secundò reſpondet, proprium & commune adhuc logicè ſumpta non habere oppoſitionem, ſi ad diuerſa cōparentur, vnde eadem res eſt propriū prædicatum reſpectu ſpeciei, commune verò & vniuerſale reſpectu inferiorum illius.

Ad II. Ad ſecundum ex dictis.

Ad argu. II. Opinio Ad argumenta ſecundæ opinionis.

Ad I. argument. Ad primum. Diſtinguenda eſt minor, habet formalitatem proprij & quarti prædicati per ordinem ad ſpeciem concedo, formalitatem vniuerſalis & quarti prædicabilis nego.

Ad ſecundum. Diſtinguatur etiam maior, formaliter nego, materialiter cōcedo, quod ſic intellige, verum quidem eſſe materiale iſtius prædicabilis neceſſariò debere eſſe paſsionē propriam quæ ab eſſentia rei dimanat, atque adeò cum illa conuertibilem, ſicut materiale tertij prædicabilis

neceſſariò debet eſſe gradus differentialis eſſentiam conſtituens, conuertibilitas ergò de eſſentia proprij vt eſt quartum prædicatum nō vero vt prædicabile & vniuerſale eſt. Noſter autem Doctor ipſe ſe exponit, per conuertibilitatem quidem explicari naturā ipſius proprij vt eſt vniuerſale, quia quod omni & ſoli indiuiduo alicuius ſpeciei conuenit & ſemper, neceſſariò debet conuerti cum ipſa ſpecie, & ex hac conuertibilitate modus eius prædicādi deprehenditur.

Et cū obijcitur Ex ſpeciali modo prædicandi ſpecialis ratio vniuerſalitatis deſumitur, ſed ratio ſpecialis prædicandi iſtius quarti prædicabilis qua ab alijs prædicabilibus ſecernitur, eſt prædicari in quale proprium, quam accipit ab ſpecie à qua promanat, & cuius per ſe primò proprium eſt, indiuiduis autem non ineſt vt propriū, niſi ex participatione ſpeciei. Ergò per ordinem ad ſpeciem debet de ſumi. Reſpondendum eſt ad hoc quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO III. QVÆ SIT *diffinitio proprij vt eſt quartum prædicabile.*

HABEMVS geminam proprij diffinitionem. Apud Ariſt. 1. topic. c. 4. & Porphyrium in præſenti, & licet verbis non nihil diuerſis idem tamen important. Prima ſic ſe habet proprium eſt quod non indicat quid eſt eſſe rei ſoli autem ineſt & conuerſim prædicatur. Secūda vero quod accidit omni ſoli & ſemper, quod modo diſquirimus eſt, num vtraque diffinitio cō ueniat proprio vt eſt quartū prædicabile.

I. Conclu. Prima concluſio ſit, per vtramque diffinitionem hoc quartum prædicabile diffinitur. Sic expreſſe noſter Doctor. q. 31. quia omnes particulæ diffinitionis à Porphyrio traditæ ſecundè intentionaliter intelliguntur, per primā enim ſcilicet (accidit) ſignificatur ratio prædicati & modꝰ prædicandi illius, ſcilicet in quale accidentale, quod indicauit Ariſt. per illam negationem, non indicat eſſe rei, hoc eſt non prædicat aliquid eſſentiale, ſed tantum accidentale fluens tamen ab eſſentia rei, illa particula (omni) diſtribuit inferiora ſpeciei, hunc; ſenſum reddit, conuenit omnibus ſub ſpecie cōtentis, & ſolis illis, & ſemper, quod ſignificāt verba illa diffinitionis Ariſt. ſoli autem ineſt & conuerſim prædicatur. Licet nonnulli aſſerant hanc Ariſt. diffinitionem non tam eſſe proprij vt eſt

A quartum prædicabile, quàm vt eſt quartū prædicatum, cum per conuertibilitatem detur, quod non reprobo.

II. Concl. Secunda concluſio. Ex prædicta diffinitione exacta illius quarti prædicabilis diffinitio, aliarum diffinitionum inſtar, colligi poteſt, proprium eſt quod prædicatur de pluribus in quale accidentale, vt quid fluens ex per ſe principijs illorū, quæ diffinitio genere & differentia conſtat, nempe prædicari ſeu prædicabile, quod genus eſt omnium prædicabilium, cæteræ vero particulæ rationem habent differētiæ, per illam particulam in quale accidentale diſtinguitur à genere, ſpecie, & proprio, per vltimam ab accidenti, quod vt quid extraneum rei & aduentitium prædicatur.

III. Concl. Tertia concluſio. Proprium infimum ſubalternum & ſupremum, logicè & ſecundè intentionaliter ſumpta non diſtinguun B tur eſſentialiter, ſed tantum accidētaliter, hæc patet ex ſupra dictis, quia eundē modum prædicandi habent, vt ſcilicet perfectiones quædā à determinato gradu eſſentiæ propagatæ, habentque prædicari de inferioribus ſpeciei a qua efluunt, quod autem iſta inferiora ſpecies ſint vel indiuidua, accidentariè ſe habet ad rationem proprij: hoc ergò quartum proprij prædicabile ſpeciem infimam vniuerſalis conſtituit.

Illud autem ad notare oportet, in diffinitione proprij non poni ſpeciem vt terminum illius quem vt vniuerſale reſpiciat, hoc enim eſt quod intendimus, ſed vt principiū à quo fluit, vt denotetur modus ſpecialis prædicandi illius, ſeu reſpiciendi ſua inferiora, vt talia inferiora & ſubijcibilia illius ſunt, nimirum non vt prædicatum eſ C ſentiale nec vt omnino extraneum, ſed vt quid proueniens ab eſſentia rei. Vnde licet rationem proprij vt eſt quartum prædicatum & conuertibile habeat, per ordinem ad ſpeciē, quæ illius terminus eſt, ſub hac ratione, non vero proprij vt eſt quartum prædicabile, ſed vt reſpicit inferiora illius.

DISTINCTIO VII. DE Accidenti quinto prædicabili.

INTER quinque vulgata prædicabilia vltimum tenet locum accidens, nō quia in eſſe

in eſſe vniuerſalis minus vniuerſale ſit, ſed quia magis ab eſſentia rei elógatur. Cuius A cognitio non modicè confert, vt quid inter propoſitiones per ſe & per accidens interſit, percipiatur. De quo hæc Porphyrius proponit.

LITERA PORPHIRII.

I. Concl. Prima concluſio *Accidens eſt quod poteſt adeſſe & abeſſe, abſque ſubiecti corruptione. Vel ſic accidens eſt quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe. Vel tandem ſic, quod nec eſt genus, nec ſpecies, nec differentia nec proprium, ſemper tamen ineſt ſubiecto.*

II. Conc. Secunda concluſio. *Accidens aliud ſeparabile aliud inſeparabile vt nigredo corui.*

LITERA DOCTORIS.

B SCOTVS de hoc prædicabili tres mouet quæſtiones à trigeſsima quarta vſquè ad trigeſsimam ſextam.

quæſt. 34 QVÆSTIO I. Vtrum accidens ſit de numero vniuerſa Quandam diuiſionem accidẽtis præmittit, vt id de quo diſeritur percipi poſsit exactè. De qua nos poſtea.

I. Concl. Prima concluſio affirmatiua. *Et patet, quia ſecundum quòd in præſenti ſumitur, prædicatur de pluribus, & modũ habet prædicandi diſtinctum ab alijs.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Secunda intentio accidentis quæ hoc quintum prædicabile conſtituit, denominat accidens commune non quidẽ in particulari vt hoc album, ſed in communi.*

quæſt. 35. QVÆSTIO II. Vtrum diffinitio accidentis à Porphyrio traddita ſit conueniens.

Supponit accidentis diffinitionem dupliciter poſſe intelligi, nimirum adeſſe & abeſſe, vel primè intentionaliter, vel ſecũdè intentionaliter.

I. Concl. Prima concluſio. *Diffinitio accidentis hoc ſecundo modo intellecta conuenienter explicat naturam huius quinti prædicabilis. Et probatur, quia explicat modum prædicãdi illius ab alijs diſtinctum, nempe contingenter, vnde prædicta diffinitio conſtat genere & differentia.*

II. Conc. Secunda concluſio. *Diffinitio hæc conenit etiam accidenti inſeparabili quod dupliciter intelligi poteſt, vel per ſe loquẽdo, ſubiectum enim quantum eſt ex ſe poteſt eſſe ſine tali accidenti, cum enim non habeat per ſe cauſam in ſubiecto, non ineſt neceſſariò vel per ſe quã tum eſt ex parte ſubiecti, vel poteſt poni illud* A *adeſſe & abeſſe ſecundum intellectum.*

QVÆSTIO III. Vtrum ratio proprij & accidentis eidem conuenire poſsit. quæſt. 36.

Prima concluſio. *Nequit idem accidens reſpectu eiuſdem habere rationem proprij & accidentis communis, quinti ſcilicet prædicabilis. Hæc patet, quia oppoſita reſpectu eiuſdẽ non inſunt, ergò nec eidem conuenire poteſt, eſſe proprium & accidens reſpectu eiuſdem.* I. Concl.

Secunda concluſio. *Nec etiam reſpectu diuerſorum id quod eſt proprium reſpectu vnius, poteſt eſſe accidens commune reſpectu alterius. Et probatur, quia ſi alteri conuenit præter id cui proprium eſt: non ergò erat proprium illius cum illo conuertibile.* II. Concl.

COMMENTARIVM.

B SICVT præter materiam & formam (vt egregiè aduertit ſubtilis Doctor. q. 34.) quæ ſunt de eſſentia rei, & præter accidentia ex illius per ſe principijs egrediẽtia, aliqua conſequuntur eſſentiam nõ per ſe nec cõuertibiliter, ſic præter modos prædicandi hucuſque relatos in quid nempe & in quale eſſentiale, & accidentale fluens ab eſſentia, eſt vltimus modus prædicandi in quale accidẽtale, vt quid rei eſſentiæ extraneũ & aduentitium de quo præſens diſputatio inſtituitur.

QVÆSTIO I. QVOD SIT materiale & ſubſtractum iſtius quinti prædicabilis.

DIXERVNT nonnulli, id dumtaxat quod verè accidens eſt, eſſe quod iſtius quinti prædicabilis denominationẽ ſuſcipit, non vero ſubſtantiam aliquam, cum C illi conuenire nequeat adeſſe & abeſſe.

Supponendum tamen eſt primò, cum noſtro Doctore .q. 34. vniuer. accidens multipliciter ſumi, vnde aut eſt primæ intẽtionis aut ſecundæ, & ſecundum membrũ adhuc ſumitur multipliciter. Si enim primæ intentionis, vel ſumitur accidens prout eſt idem quòd contingens in paucioribus, de quo 2 phyſic. tex 48. vbi caſus vel fortuna dicuntur accidentia quia cauſæ per accidens. Vel ſumitur pro ente adueniente rei iam in ſuo eſſe completo cõſtitutæ, vt diſtinguitur contra ſubſtantiam, & eſt illud quod non habet eſſe per ſe ſed in alio, quo pacto diuiſit Ariſt. ens in ſubſtantiam & accidens, quod in nouem prædicamenta

dicamenta accidentis partitur vnde accidens dicitur prædicamentale, vel largius ſumi poteſt pro quouis prædicato accidẽtario, quod extra rei eſſentiam diuagatur ſiue illud ſit conuertibile ſiue in conuertibile, ſiue accidens ſimpliciter ſiue ſubſtantia, & in hac acceptione etiam proprium accidens dicitur, & ſubſtantia quæ non eſt de eſſentia rei accidens illius dicitur, vt eſſe manuatum vas eſſe aureum, & ideo accidens ſic acceptum prædicabile ſeu verbale dicitur nempe ab hoc verbo accidere, quo accidendi verbo vſus eſt Porphy. in diffinitione proprij. Tertio, ſumitur pro accidẽtario prædicato, quod nec rei eſſentiam ingreditur, nec ab ea neceſſaria conſequutione dimanat, ſiue id ſubſtantia ſit ſiue accidens in qua acceptione ſolum propria excluduntur.

Accidens autem in hac acceptione, aut poteſt ſumi in cõcreto vt album aut in abſtracto vt albedo vel in ſingulari, vel in cõmuni prout ſecundum eſſe cognitũ abſtrahit ab exiſtẽtia in ſingulari.

I. Conclu. Prima concluſio ſit. Omne illud attributum accidentariũ quod eſt extra rei eſſentiam ſiue illud ſit accidens prædicamentale ſiue prædicabile ſiue accidens ſiue ſubſtancia, & quod ab eſſentia non dimanat, eſt materiale cui aplicatur ſecunda intentio iſtius quinti prædicabilis. Sic noſter Doctor, & communiter omnes.

Probatur. Fundamentum eſt, omne illud quod extra rei eſſentiam diuagatur & ab illa non dimanat poteſt adeſſe & abeſſe abſque ipſius rei corruptione, atque adeò poteſt eſſe diffinitum materiale iſtius diffinitionis. Id autem non ſolum eſt accidens propriè dictum, ſed etiam ſubſtantia quæ non pertinet ad eſſentiæ complementum, nec ab illa dimanat.

Confirmat. Confirmatur. Quidquid vniuerſalis rationem induit, ad aliquod vniuerſale reuocari debet, ſed accidentia quæ verbalia dicuntur, & ab eſſentia rei nõ dimanant, rationem habent vniuerſalis cum vniformiter de multis enuncientur, vt eſſe ligneum de cathedra & domo, & nulliuis alterius quàm iſtius quinti, vt conſtat, cum eſſe fabricatum in tali vel tali materia, accidens ſit cathedræ aut domui. Adeſſe autem & abeſſe non tantum in hærẽtiam, ſed etiam quamcumque accidentariam & contingẽtem conuenientiam importat.

II. Conc. Secunda concluſio. Tale accidens vt materiale ſit iſtius quinti prædicabilis nõ debet ſumi in abſtracto ſed in cõcreto, nec in ſingulari ſed in communi. Sic noſter Doctor loco citato. Prima pars probatur, quia prædicta accidentia in abſtracto non prædicantur de ſubiecto, cum omnino falſa ſit hæc, Petrus eſt albedo, debet ergò in concreto ſumi. Secunda pars patet. Quia nulla ſecunda intentio quinque vniuerſalium ſingularibus aplicatur.

QVÆSTIO II. IN QVIBVS differat accidens quintum à quarto prædicabili.

HANC verſat noſter Doctor q. 32. vniuer. vbi agit de proprio, videntur autem parum aut nihil diſcriminis habere.

I. Argum. Primo, omne accidens dicitur per ſe in ſecundo modo de ſubiecto: ergo in hoc non differunt, antecedens probatur, quia omne accidens per ſubiectum diffinitur, aliàs enim eſſet abſolutum atque adeò ſubſtantia, & etiam omne accidens per ſubiectũ habet eſſe, ob idque entis ens appellatur, ergò per ſubiectum diffiniri debet, atque adeò per ſe de ſubiecto prædicabitur.

Confirmat. Confirmatur. Albedo v. g. aut per ſe ineſt homini, & ſic erit proprium, vel per accidens, & tunc rogo de illo alio accidenti, per quod inſit, aut per ſe, aut per accidens, & ſic in infinitum.

II. Argu. Secundò. Diffinitio per ſe ineſt diffinito, ergò diffinitio accidentis quæ per adeſſe & abeſſe datur per ſe conuenit accidenti, tunc ſic accidens per ſe adeſt & abeſt ſubiecto: ergò per ſe adeſt ſubiecto, patet cõſequentia quoniam arguendo à tota copulatiua ad partem tenet conſequentia, tunc vltra per ſe accidens adeſt ſubiecto ergò non poteſt abeſſe.

III. Arg. Tertiò. Aliqua accidẽtia communia neceſſariò & inſeparabiliter conueniunt ſubiecto, vt quantitas corpori, nigredo coruo, & albedo cygno.

Concluſio. Concluſio tamen ſit in multis differunt accidens commune & proprium. Cardinalis noſter Sarnanus decem aſsignat differentias, hæ tamen ſunt potiſsimæ apud omnes. Prima eſt quod proprium ab eſſentia rei procedit ob idque conuerſim de tali ſubiecto dicitur & neceſſariò, accidens verò commune aliũde prouenit, vt viſſum eſt, vnde accidentariè non conuerſim ſed contingenter omnino dicitur. Secũda eſt, quòd proprium primò conuenit ſpeciei à qua dicitur dimanare, indiuiduis autem ſecundariò participatione ſpeciei, accidens

verò commune è contra, primò conuenit indiuiduis & eorum ratione ſpeciebus & generibus quod expreſsit Ariſtot. 10. metaph. tex. 25. dicens, albus homo, quoniã Callias albus, quod de accidentibus realibus intelligendum eſt, quia accidentia rationis vt genus & ſpecies, ita naturis communibus conueniunt vt ſingularibus communicari nequeant. Tertia eſt quòd proprium non ſuſcipit magis & minus, bene tamen accidens commune. Quarta, quòd proprium poteſt ſuis conuenire ſubiectis, tametſi nõ exiſtant, propter naturalem & neceſſariam cõnexionẽ, accidens verò hoc non niſi & ipſa eorumq; ſubiecta exiſtant.

Quinta. Quo admodum in ſeparabilitatis, quod proprium cum re ſit idem, cum eſſentia à qua ꝓcedit in doctrina noſtri Doctoris, ab illa realiter ſeparari nequit, etiam per diuinam potentiam, accidens vero cõmune & ſi naturaliter ſeparari non poſsit, B poteſt tamen à Deo, vel vt ait noſter Doctor. q. 35. vniuer. quæcumque accidentia cõmunia etiam in ſeparabilia vt nigredo in coruo, & albedo in cygno cum non habeant per ſe cauſam in ſubiecto, non habent neceſſariam connexionem cum ipſo, atq; adeò non inſunt ei neceſſariò vel per ſe, quantum eſt ex parte ſubiecti: ſubinde fit, quòd licet non ſint ſeparabilia potentia phyſica & vi naturalium cauſarum, ſunt tamen ſeparabilia potentia metaphyſica, quantum eſt ex parte naturæ ſubiecti, in quo ſunt, quia non vendicat ſibi talia accidentia ſuapte natura; atque adeò vt ſubtiliter docet noſter Doctor, tam loco citato, quàm ſupra de proprio. q. 32. accidens commune quodcumque poteſt per intellectum ſeparari à ſubiecto, integra & ſalua illius natura, non ſolũ abſtractione præciſiua, ſed etiam negatiua, intelligendo ſubiectum ſub negatione talis accidentis, ſeu C compoſitiua ſub cõtrario illius ſine repugnantia, eſſentiæ ve ſubiecti detrimento, vt coruus poteſt intelligi non niger, vel albus, & Ethiops candore nitens, ſicq; poteſt compoſitiuè intelligi tale accidens vt præſens vel vt abſens abſque ſubiecti corruptione. Propria verò paſsio ita conuenit ſubiecto vt ab illius eſſentia dimanet influxu neceſſario & indiſſolubili connexione, vnde illam ſibi vendicat ex vi propriæ naturæ, vt integritatem & complementum illius, nõ quidem eſſentialẽ, cum ſubiectum paſsionis in ratione, ſubiecti per inſtans naturæ paſsionem præcedat, non ergò ſu-

A biectũ in ſua ratione ſubiecti includit paſſionem, vt integrantem rationem ſubiecti tam illius, id enim quod poſterius eſt nequit eſſe de conceptu prioris, ſed vt quid fluens ab illa neceſſariò, ducta neceſsitate ex ipſa eſſentia ſubiecti. Vnde licet à ſubiecto poſsit propria paſsio per intellectum ſeparari abſtractione præciſiua, qua ſcilicet vt ſimplici cognitione nihil affirmãdo aut negando vna res ſine alia intelligitur, vt dum hominem intelligit, præcisè, non intelligendo riſibilitatem; non tamen abſtractione negatiua per compoſitionem ſubiecti cum negatione paſsionis, vel cum contrario illius, quia aliàs intelligeretur immediata per ſe cauſa & neceſſaria, ſub oppoſito ſui effectus primi, & intelligeretur non habens neceſſariam & reciprocam cõnexionem cum ſua paſsione, & ſic intellectus falleretur, cõcipiẽdo rem aliter quàm eſt à parte rei.

Corollariũ Ex dictis facilè deducitur, diuiſionis accidentis in inſeparabile & ſeparabile à Porphyrio aſsignatæ intelligentia, intelligenda enim eſt de inſeparabilitate nõ quidem ab intrinſeco, ex neceſſaria connexione cũ eſſentia ſubiecti, qualis eſt propriæ paſsionis, ſed ab extrinſeco, quæ non tollit ſeparabilitatem per ſe loquendo.

Ad 1. argument. Ad primum argumentum. Reſpondet Doctor, negando antecedens. Ad probationem, quòd licet omnia accidentia per ſe reſpiciant ſubiectum, & per illud diffiniantur, non tamen vt ab illius eſſentia dimanant, ſed vt per id in quo ſuſtentantur, vnde non prædicantur per ſe de illo in ſecundo modo, plus ergò requiritur ad prædicationem per ſe, quòd ſcilicet egrediatur ex per ſe principijs ſubiecti.

Ad confir mat. Ad confirma. ex eodem. Quodlibet accidens in eſſe quidem alicui ſubiecto per ſe, prout diſtinguitur contra per aliud, id eſt ſine medio, & ad illud ſubiectũ eſt ſtatus, non vero per ſe vt diſtinguitur contra accidentaliter & contingenter, & eſt idem quòd per ſe in ſecũdo modo, vt egrediens ex per ſe principijs rei.

Ad ſecundum, neganda eſt vltima conſequentia, quia committitur fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter ſicut non tenet, contingens neceſſario eſt contingens: ergò contingens neceſſario eſt.

Sed noſter Doctor impugnat hanc ſolutionem, quòd argumentum hoc non procedit, ſimpliciter ad ſecundum quid, ad eſſe enim, loco generis ponitur, abeſſe vero

ſine

ſine ſubiecti euerſione eſt differentia ſpecifica accidentis, quia cōuenientiam illius oſtendit, ſed à genere poſito ſub differentia ad genus abſolutè & ſimpliciter, qui modus arguēdi exactiſsimus eſt, vt homo eſt animal rationale, ergò homo eſt animal, ſic in propoſito, ideo ſecundam adhibet ſolutionem ſubtilem quidem & difficilem qua etiam vſus eſt. q. 11. vniuer. ad 1. argum. quæ vt capi poſsit.

Obſeruare oportet cum Mauritio, Anglico, & Cardinali Sarnano, quòd in propoſitione prædicatum appellatur à Doctore inhærens, quia ſupponit ſubiectum veluti forma materiam, etiam ſi non ſit accidens illius, vnio verò ſeu copula per verbum (eſt) expreſſa, inhærentia appellatur, quia mediante illa quaſi inhæret prædicatum ſubiecto. Aduerbia autem determinantia quæ in propoſitione collocantur cuiuſmodi ſunt neceſſariò, per ſe, formaliter & alia id genus quandoque cadunt ſupra copulam, & illam tantum determinant, & tunc dicuntur, dicere in hærentiam. Quandoque prædicatum, & tunc dicunt in hærens. Ly ergò per ſe cum in propoſitione determinat tantum vnionem, dicit in hærentiam, & tunc denotat quòd prædicatū conuenit per ſe ſubiecto ita vt illa in hærētia ſit perſaica & nō accidentalis, vt in hac albedo eſt per ſe ens, ly per ſe tantum dicit in hærentiam, cum enim ens, per ſe includatur in albedine, denotat quòd ens cōuenit albedini per ſe in primo modo, non tamē dicit in hærens, ſeu determinat prædicatum, redderet enim hunc ſenſum, albedo eſt ens per ſe, qui falſus eſt, eſſet enim ſubſtantia. Quandoq; è contra, ſolū determinat prædicatum, & tunc dicit in hærens vt cum dicitur homo per ſe prædicatur de pluribus &c. vel eſt per ſe ſpecies, ſi enim in hærentiam determinaret, propoſitio eſſet falſa, falſum enim eſt, per ſe conuenire homini intentionem ſpeciei & prædicati, determinat ergò tantum in hærens ſeu prædicatum & denotat ſolum quòd tale prædicatum eſt per ſe tale, vt quod ſpecies eſt per ſe ſpecies & per ſe prædicatur, & idem dicendum eſt de hac homo eſt per ſe prædicatum, quod prædicatū per ſe vt ly per ſe determinat in hærens, dicitur per accidens de homine, vt ly per accidens determinat in hærentiam, aliquando tamen ly per ſe determinat tam in hærentiam quàm prædicatum, vt in propoſitionibus de primo & ſecundo modo dicendi per ſe, homo eſt animal, homo eſt riſibilis, quia in illis A tam copula & vnio quàm prædicatum eſt per ſe, quo ſic præiacto.

Ad argumentum, cum ais accidens per ſe adeſt & abeſt, ſy ly per ſe determinet in hærētiam eſt verum, quòd ſcilicet hoc prædicatum adeſt & abeſt, per ſe, conuenit accidēti, cum ſit illius diffinitio, & in eodem ſenſu verum eſt conſequens, ſcilicet ergò per ſe adeſt, cum quælibet pars diffinitionis per ſe conueniat diffinito (ſumendo tamen ly adeſſe & abeſſe ut dicunt aptitudinem) ſi verò per ſe determinet in hærens eſt falſum, quòd ſcilicet hoc quodeſt adeſſe per ſe cōuenit accidenti communi, cum hoc ſit de ratione proprij, quod eſt accidens per ſe, commune verò accidens per accidens.

Ad tertium ex dictis.

B *QVÆSTIO III. NVM ACcidens ſit eſſentialiter vniuerſale, & quod illius ſubijcibile.*

PRIMA opinio affirmat, accidens ad ſubiecta comparatum quo pacto hoc quintum prædicabile conſtituit non eſſe eſſentialiter vniuerſale, quam aliqui recentiores deffendunt, quod probatur. *I. Opinio.*

Primò. Accidens vel eſt ſingulare, & ſic nequit eſſe in pluribus ſubiectis, vel vniuerſale & abſtractū, & ſic reſpicit ſua propria inferiora à quibus abſtrahitur, vt albū in communi, hoc & illud album, quòd ſi ſubiecta reſpicit, non vt inferiora, ſed vt ſubiecta in hæſionis & denominationis, & hoc ideo quia prius natura reſpicit ſua inferiora, quæ pluribus in ſunt ſubiectis, cū omne per accidens ad illud quod eſt per ſe C reduci debeat. *I. Argum.*

Confirmatur. Accidens non abſtrahitur à ſubiectis primò & per ſe, ſed à ſuis inferioribus, quòd ſi ab illis abſtrahitur, ideo eſt quia in ſe habent accidentia ſingularia & in quantum præciſè & formaliter ea in ſe habent, ſi enim Petrus non haberet in ſe actu albedinem, ratio albi ab eo nō poſſet præcindi; rationem ergò vniuerſalis non habet accidens per ſe & eſſentialiter, in ordine ad ſubiecta, ſed tantum per accidens. *Confirmat*

Secundò. Accidens vt quintum prædicabile, eſt prædicabile per accidens: ergò eſt vniuerſale per accidens, atque adeò nō per ſe & eſſentialiter. Antecedens probatur, predicatur per accidens: ergò eſt prædicabile per accidens. *II. Argu.*

Tertiò,

III. Arg. Tertiò. Prædicatio vniuerſalis eſt prædicatio vniuoca, vt viſum eſt, atqui prædicatio quinti prædicabilis, non eſt vniuoca cum ſit denominatiua, vt ex Ariſt. nc. ante prædicam. conſtat. Tum etiam quòd cum accidens & ſubſtantia non ſint idem nomine & ratione, hoc eſt diffinitione, accidens nequit eſſe prædicatum vniuocum reſpectu ſubſtantiæ, cum illud nomine & ratione idem debeat eſſe cum ſubiecto.

A

II. Opinio Secunda opinio concedit quidem quintum hoc prædicabile eſſentialiter eſſe vniuerſale, ſed num per plures ſpecies, an per plura indiuidua conſtituendum ſit? nō vnanimiter præfinitur. Plerique enim per plures ſpecies conſtitui volunt, idq; ex præſ-ſiſſe videtur Porphyrius cap. de genere, vbi genus & accidens ſolum per prædicari in quid & in quale tranſmutabiliter diſtingui decernit.

Fundamentum autem eſt, quòd propriū accidens ſpecificum dicitur, quia vnam habet radicem à qua pullulat neceſſariò, cōmune verò accidens ſic dicitur, quia per plura quibus ineſt diuagatur: affirmatur ergò tale accidens de pluribus ſpeciebus.

B

Alij autem per plura indiuidua dumtaxat conſtitui arbitrantur, hoc innixi fundamento, quòd accidens commune ab ipſis ſingularibus indiuiduis ſuum eſſe capit immediatè, ergò in eſſe quinti prædicabilis, per immediatam prædicationem de indiuiduis cōſtitui debet, cum res ſic ſe habeat ad prædicationem quo pacto ſe habet ad eſſe.

Hoc inter omnes conuenit, accidens ad ſua inferiora comparatum veram induere vniuerſalis rationem, & concretum ex natura accidentis & tali intētione eſſe eſſentialiter vniuerſale, non tamen diſtinctum à duobus prioribus generis nempe vel ſpeciei, coloratum enim comparatione ad album & nigrum genus eſt, & album reſpectu huius & illius albi ſpeciei rationem habet, de accidenti ergò ad ſubiecta inhæſionis, accidentaliſque prædicationis comparato, quo pacto quintum hoc prædicabile conſtituit ab alijs diſtinctum, preſens controuerſia procedit.

C

I. Notabi. Pro cuius deciſione in memoriam reuocare oportet, quæ ſupra. diſt. 2. art. 1. q. 8. docuimus, actum eſſendi proprium, quem exigit natura quæ ab vniuerſalitate denominari poteſt, eſſe actum eſſendi in pluribus per multiplicationem, abſtrahendo ab hoc quod eſt eſſe per inhærentiam vel idētitatem.

Præterea eſt ſupponendum, quòd in natura accidentis ad ſubiecta comparato, reſultat quædam ſecunda intentio ſeu relatio aptitudo ve rationis ad plura ſubiecta quæ accidentalitas dicitur, à qua quintum hoc prædicabile accidens denominatur, ſicut ſecunda intentio primi prædicabilis generitas dicitur. à qua in eſſe generis cōſtituitur. De illa ergò quærimus an eſſentialiter ſit ordo vniuerſalitatis, vniuerſale eſſentialiter conſtituens. *II. Notab.*

I. Conclu. Prima concluſio ſit. Accidens quintum prædicabile ad ſubiecta comparatū vt plura ſunt, habet rationem vniuerſalis, in ordine verò ad eadem vt talia plura ſunt, ſubiecta ſcilicet de quibus accidentaliter tranſmutabiliter prædicatur, rationē talis vniuerſalis ab alijs quatuor eſſentialiter diſtincti. Sic fere omnes communiter eamq; probat noſter Doctor, accidens ſic ſumptum prædicatur de pluribus, diciṫque ordinem vniformem ad plura, album enim vniformiter reſpicit hoc & illud corpus, de quibus poteſt æqualiter prædicari, & habet modum prædicādi ab alijs diſtinctum, in quale accidentale tranſmutabiliter, ergò vt ſic habet eſſentialiter rationem vniuerſalis, & talis vniuerſalis ab alijs diſtincti. *Probatur.*

II. Conc. Secunda concluſio. Immediata ſubijcibilia iſtius quinti prædicabilis per ordinem ad quæ primò & immediatè in eſſe iſtius prædicabilis eſſentialiter conſtituitur, ſunt plura indiuidua ſiue ſolo numero ſiue eſſentialiter diſtincta, concluſio hæc à multis recētioribus vt probabilior defenſatur & eam reputo expreſſam eſſe noſtri Doctoris. q. n. 34. ad primum argumentum ſic ait, *id cui aplicatur hæc intentio. Accidēs, illud primò ineſt ſingulari, quia non conſequitur principia ſpeciei ſecundum ſe.*

Probatur. Probatur autem concluſio, ideo primū & immediatum correlatiuum generis per ordinem ad quod conſtituitur, ſpecies eſſe dicūtur, quia prius illis quàm indiuiduis conuenit, ideoque indiuidua reſpecit in ratione generis, quia prius reſpicit ſpecies: ergò è contra primum & immediatum accidentis correlatiuum per quod diffinitur, & in eſſe talis prædicabilis conſtituitur erunt indiuidua, vt ſic cū illis primò & immediatè conueniat, & medijs illis, ſpeciebus in ratione quinti prædicabilis. Antecedens patet, conſequentia probatur ex diſcrimine inter proprium & accidens nuper aſsignato, communique omnium Phyloſophorum conſenſu recepto, quod tradit

D. Thom.

Ariſtot. *Porphyr.* *S. Thom.* *Scotus.* D. Thom. lib. de Ente & eſſentia cap. 4. Ariſt. loco citato. Porphyrius c. vltimo, & noſter ſubtilis Doctor loco citato & q. 32. vniuer. quòd propria paſsio primò & immediatè cõuenit naturis communibus, cum ſit quaſi naturalis partus eſſentiæ, mediatè verò & ſecundariò indiuiduis, contra verò accidentia cõmunia primò & immediatè indiuiduis cum non dimanent ab eſſentia, nec poſſunt niſi rei exiſtenti conuenire, atqui indiuidua ſunt quæ primò & per ſe exiſtunt, ratione verò ſecũdaria ſpeciebus & generibus conueniunt, ſi ergò indiuidua ſunt accidẽtium communium prima & immediata ſubiecta, non ſolum exiſtentiæ ſed etiam conuenientiæ: erunt quippe eorũdem primum, & immediatum correlatiuum.

Obiectio. Obijcies forſitã, prædicatio hæc Petrus eſt coloratus, vtique accidentis eſt prædicatio, ſed prædicatur de Petro media aliqua ſpecie, nempe albo. Tum etiam albũ & nigrum immediatè prædicantur de ſpecie cygni & corui, mediatè vero de indiuiduis.

Solutio. Occurrendum eſt. Quòd cum dicimus prædicationem accidentis immediatam eſſe de indiuiduis, id nos intendere, quod nõ prædicatur media ſpecie ſub qua illud indiuiduum cõtinetur eſſentialiter, vt quòd album de Petro non prædicatur medio homine: quòd verò accidens magis latè patens medio alio minus late patenti prædicetur, nihil incommodi eſt. Ad aliam vero partem negamus aſſumptum cum Ariſt. lib. de cauſis, quia prædicta accidentia nõ ab eſſentia cygni aut corui ſed ab indiuiduali complexione procedunt, ob idque omnia accidentia communia indiuidualia dicuntur, vt pote quæ immediatè ab indiuiduo habẽt eſſe, proprium verò accidens ſpecificum.

Illud tamen prætereundem non eſt, in prædicto correlatiuo accidentis, duo eſſe conſideranda, ſubiecta enim quatenus plura ſunt, rationem terminãt genericam vniuerſalitatis illius, quatenus verò talia plura ſunt vt diximus, ſubiecta ſcilicet contingentis inhæſionis, rationem ſpecificam & differentialem illius.

III. Conc. Tertia concluſio. Adæquatum correlatiuum accidentis, nõ ſolum ſunt indiuidua ſed etiam ſpecies imo & genera, videnda ſunt pro hac aſſertione, quæ ſupra de genere. diſt. 3. art. 3. q. 3. conc. 3. docuimus, de correlatiuo immediato, & adæquato, eodem ergò modo probatur ſic. Habitudinem accidẽtis vt eſt quintum prædicabile, licet immediatè terminent indiuidua, mediate autem terminant etiam ſpecies, imo & vſque ad ſuprema genera, cum accidentia quæ indiuiduis conueniunt, non ſolum de ſpeciebus talium indiuiduorum, verum etiam de ſupremis illorum generibus enũcientur. Vnde eo ipſo quòd Petrus eſt albus animal albũ & ſubſtantia eſt alba, adæquatum ergò correlatiuum accidentis omnia iſta comprehendit.

Ad argu. I. Opinio. Ad argumentæ primæ opinionis.

Ad. I. Ad primum dicendum eſt, accidens in communi vt prædicatũ eſt eſſentiale, primò & immediatè reſpicere inferiora propria à quibus primò & per ſe abſtrahitur, vt ab eis in quibus eſſentialiter includitur, cæterum vt prædicatum accidentale non reſpicit ſua propria inferiora, ſed vt ſic poſtulat eſſentialiter inferiora accidentalia, à quibus accidentaliter determinatur, vnde reſpicit vt ſic primò & immediatè ſubiecta inhæſionis.

Ad confir. Ad confirma. Quòd ratio vniuerſalis abſtrahit à tali vel tali modo eſſendi, eſſentiali ſcilicet vel accidentali, & à tali vel tali modo abſtractionis, nimirum vt prædicatum eſſentiale vel accidẽtale, & hanc rationem eſſentialiter & æqualiter participat hoc prædicabile, quatenus vero tale eſt, ſcilicet accidentale, exigit eſſentialiter quòd abſtrahatur à ſubiectis non quidem ſecundum ſe conſideratis, cum in illis vt ſic non includatur, ſed quatenus actu exiſtentia reali accidentaliter cõiunguntur, cum inferioribus accidentis. Ex quo tantum deducitur, quintum hoc prædicabile ratione propriæ differentiæ, modiq; prædicãdi ſpecialis, cæteris eſſe imperfectius.

Ad II. Argum. Ad ſecundum. Diſtinguendum eſt ly per accidens, tam in antecedenti quàm in conſequenti, ſi dicat vel determinet inhærentiam, vtraque propoſitio eſt neganda, falſum etenim eſt, per accidens conuenire accidenti eſſe prædicabile & vniuerſale. Si verò determinet inhærens, ſcilicet prædicatum, vtraque eſt concedenda, cum verũ ſit, eſſe vniuerſale vel prædicabile per accidens, eſſentialiter cõuenire accidenti, vt quintum prædicabile eſt. Eſt ergò accidẽs per ſe vniuerſale per accidens, vt per ſe determinat inhærentiam, per accidens verò inhærens.

Ad III. Argum. Ad tertium. Diſtinguẽda eſt maior, prædicatio vniuoca ſtrictè, vt ſcilicet dicit rationem

tionem communem non ſolum vniformiter ſed etiam eſſentialiter ab inferioribus participatam, quo pacto diſtinguitur à prædicatione accidentali, in qua ſignificatione vniuocum ab Ariſtot. in ante prædicam. vſſurpatur, neganda eſt maior. cum ab illa abſtrahat prædicatio vniuerſalis vt ſic. Prædicatio vniuoca largè, vt ſolum dicit rationem communem vniformiter participatam, ſiue illa ſit eſſentialis ſiue accidentalis; concedenda eſt: ſic enim prædicationem accidentis comprehendit, ſolum que Analogam, & æquiuocam excludit. Prædicari autem nomine, & ratione eſt nomen rationem que per illud importatũ de aliquo affirmari, quo pacto Petrum Album eſſe dicimus.

QVÆSTIO IIII. NVM *Phorphyrius apte Accidens diffinierit.*

TRIPLICEM Porphyrius. Accidẽtis diffinitionem præfixit. Prima eſt, Accidens eſt quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione, Secunda quod contingit eidem in eſſe & non in eſſe, Tertia quod nec eſt genus, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſemper autẽ ineſt ſubiecto Prima diffinitio videtur deſſumpta ex Sophyſta Plato. Duæ vero poſteriores ex Ariſto. 1. topic. c. 4. circa eas autem nonnulla dubia occurrunt

I. Argum Primum eſt, Quòd prima diffinitio non videtur cum vltima cohærere, illa enim ait accidens poſſe adeſſe, & abeſſe hæc vero ſemper in eſſe.

II. Argu. Secundum eſt, quòd pleraque ſunt accidentia communia quibus ad, eſſe & ab eſſe abſq; ſubiecti corruptione conuenire nequit, vt combuſtio domus; lethales morbi, mors, & corruptio rei ſimpliciter.

I. *Notabi.* Supponendum tamen eſt cum noſtro Doctore Q. 35. vniuerſa. verba diffinitionis accidentis adeſſe nempe & abeſſe, ſeu in eſſe & non in eſſe, bifariam capi poſſe, vel prime intentionaliter, prout realem inhærentiam dicit, quo pacto ſumitur à Phy 8. phyſic. tx. 62. & 7 metaph. tx. 2. cum dicit Accidentis eſſe eſt in eſſe. vel ſecundè intentionaliter ſeu intelligibiliter, & ſic prædicationem eorum quæ ſunt extra ſubiecti eſſentiam, vel alterius generis à ſubiecto ſignificant, accidẽtariam ſcilicet & denominatiuã, ſicut prædicari (de) ſi ꝓpriè ſumatur eſſentialẽ denotat eorũ prædicationem quæ sũt in eodẽ genere cũ ſubiecto

Quod vt magis illuſtretur, cum eodem Doctore obſeruare oportet, quòd cũ iuxta A regulam topicam, quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis & alterum, ſicut (eſſe in) tripliciter poteſt ſumi, cõmuniſsime, communiter & propriè. primo modo conuenit omni prædicato ſiue ſit commune ſiue ſingulare, ſiue eſſentiale, ſiue accidentale, ſiue directum, ſiue indirectum, quod cumq; enim ſit, & inquauis prædicatione ſecundum communem vſſum loquẽdi, Prædicatũ dicitur in eſſe ſubiecto in propoſitione. Secundo modo ſumitur magis ſtrictè, vt accidentibus cõueait etiam ſingularibus, vt huic albo quod in eſſe dicitur ſubiecto, quo pacto ſumitur eſſe (in) ab Ariſt. in diuiſione illa quadri membri, tradita in ante prædicam. Tertiò modo tãtũ conuenit accidenti cõmuni quod propriè in eſſe dicitur. vt albo, Sic etiã dici (de) totidem modis ſumitur, communiſsime, cõmuniter, B & propriè. Primo modo ſumptum conuenit omni prædicato inquauis propoſitione, quo pacto communiter ſolet dici prædicatũ dicitur de ſubiecto. Secũdo modo magis ſtricte cõuenit prædicato vniuerſali, & hoc pacto (dici de,) ponitur in diffinitione vniuerſalis. vnde in hac acceptione abſtrahit à dici de eſſentialiter ſiue accidẽtaliter, Tertio modo ſumitur pro dici eſſẽtialiter, quo pacto conuenit his dumtaxat quæ ſunt ſuperiora in eodem genere.

Prima concluſio, Prædictæ diffinitiones ſunt conuenienter aſsignatæ, omnes enim eandem accidentis conuenientiam contingentem oſtendunt, ſolumq; in verbis differunt, Tertia itidem quæ per negationem datur, idem explicat, in ea enim loco generis illud poſitiuum ponitur, nempe in eſſe ſubiecto, ſeu aptum eſſe vt in ſit, quod vt innueret addit illam particulam ſemper, C quæ aptitudinem denotat, hæc enim eſt quæ ſemper Accidẽti cõuenit, etiã ſi actualis ſeparetur, nomine autẽ ſubſiſtẽtis eum nõ abſolutè ponatur, ſed cum illo addito in ſubiecto, in exiſtẽtiã intilligi, per ſpicuũ eſt. ille autẽ negationes locũ tenent differẽtiæ, nec mirũ quod eum accidens omniũ prædicabiliũ ſit imperfectiſsimũ, & illorũ cognitionem ſupponat per eorundẽ negationes diffiniatur, cum id ſæpe ſoleat euenire *I. Conclu.*

Secunda concluſio, Cum verba diffinitionis Accidentis tam primè quàm ſecunde intẽtionaliter poſsint vſurpari, Accidẽs per illa poteſt vtroq; modo diffiniri, ꝙ ſi ſecunde intentionaliter ſumantur congruèq; *II. Concl.*

intelligantur, exactam conſtituunt huius quinti prædicabilis diffinitionem, ſic noſter Doctor, & probat, quia congruè intellecta proprio genere propriaq; & ſpecifica differentia conſtat, loco generis ponitur ad eſſe, hoc enim, prædicatum non eſſentialе importat, quod genus eſt ad proprium & accidens, illudque Porphyrius in diffinitione proprij per accidendi verbum expreſsit, cætera autem propriam Accidentis differentiam oſtendunt, cum per illa, & illius correllatiuum nempe ſubiectum, & modus ſpecialis de illo enunciandi nempe accidentariè ſeu contingenter, importetur, quæ, difinitio in ſeparabili etiam conuenit Accidenti, iuxta ſenſum ſuperius præfixum.

III. Conc. Tertia concluſio. Diffinitiò Accidentis Quinti prædicabilis ſic poteſt ex dictis ordinari, Accidens eſt quod prædicatur de pluribus indiuiduis in quale accidentale per acidens, hoc eſt accidentaria, & contingēti prædicatione, hæc ex dictis colligitur

Ad Primum Argumētum in prima concluſione ſatisfit.

Ad Secundum. Varij varia reſpondent, difficultatibus plena, verior tamen ſolutio eſt quam tradit noſter Doctor, ſubiectum duplex eſſe aliud, in hæſionis aliud denominationis, in accidentibus non denominantibus ſubiectum, ſed alia à ſubiectis, vt locus in hæret corpori locanti, & denominat corpus locatum; præbet etiam exemplum Doctor in actione ſecūdū aliorum opinionem, quæ eſt in patiente denominat autem Agens. iſtæ ergò denominationes, eſſe combuſtum, mortuum, corruptum, ſunt denominationes terminatiuæ non vero ſubiectiuæ, vt egregiè ad notant Mauritius, & Sarnanus, ideſt nō denominant ſubiectum cui in hærēt, quod eſt materia prima quæ in traſmutatione manet ſine corruptione, ſed ſuos terminos à quibus, nempe domum & hominē, ſicut generatio eſt denominatio terminatiua, termini nēpe ad quē Diffinitio autem Accidētis de ſubiecto in hæſionis intelligenda eſt Lethalis autem morbus licet ſubiectū cui in hæret ad corruptionem diſponat, quandiu tamen durat, durat etiam ſubiectum. *Mauritiꝰ Sarnanus.*

QVÆSTIO. V. NVM IDEM Proprij, & Accidentis ratio nen habere poſsit.

HÆC Eſt vltima quæſtio, quam noſter Doctor in hoc Porphyriano prædicabiliū tractatu verſat, in qua id apud omnes conuenit, reſpectu eiuſdem ſubiecti implicare, cū implicationē inuoluant, eſſe per ſe & nō eſſe per ſe, fluere & nō fluere ab eſſētia rei reſpectu eiusdē id ergo eſt in quo litem excitant, an idē quod reſpectu vnius ſubiecti eſt proprium, reſpectu alterius Accidens ſit commune.

Opinio Thomiſt. Cōmunis eſt omniū Thomiſtarū cōſēſus partē aſſertoriā amplectēs quę ſic ꝓbatur.

I. Argum. Primò, qualitates elementorum ſunt propriæ illorum paſsiones vt calor ignis, frigiditas aquæ, cum tamen alijs contingēter conueniat, item lux quæ paſsio eſt ſolis reſpectu medij eſt accidens commune.

II. Argu. Secundò, Quantū & coloratum ſunt paſſiones corporis in communi, cum conueniant omni ſoli, & ſemper, verum tamē accidentia communia ſunt reſpectu huius, & illius corporis. Item eſſe diſgregatiuum viſus eſt propria paſsio albi, accidens verò commune reſpectu Petri.

III. Arg. Tertiò, nihil in conuenit, quod idem reſpectu diuerſorum ſit genus vel ſpecies, & accidens, proprium & ſpecies: ergo nec quòd idem ad diuerſa comparatū proprij & Accidentis rationem induat.

Concluſio. Concluſio tamen negatiua proculdubio vera, eſt quam docet noſter Doctor omneſq; diſcipuli. Probatur autē ratione eiuſdē Doctoris ſatis quidē efficaci, id quod reſpectu vnius eſt propriū reſpectu eiusdem nequit eſſe cōmune, ergo nec reſpectu alterius ſubiecti, cōſequētia probatur, quia ſi reſpecctu alicuius ſubiecti erat accidēs cōmune, ergo reſpectu eiusdē ſubiecti erit Accidēs cōmune, & propriū, per ſe & nō per ſe quod implicat: ſequella patet, eſt propriū vt ſupponis, ꝙ autē nō ſit propriū reſpectu eiusdem probatur, per vos conuenit alijs, non ergo huic cōuenit cōuertibiliter, adq; adeo nec vt propriū, ideo enim proprium dicitur, quia ſoli conuenit illi à cuius eſſentia dimanat, & cum qua conuertitur, cum de eſſentia propriæ paſsionis ſit, vt oriatur ab eſſentia tamquam à cauſa præciſa, & adequata, eamq; ex neceſsitate inferat, ergo id quod alijs eſt commune, aliaſq; habet cauſas, vnde procedat, reſpectu nullius propria paſsio eſſe poteſt, ergò implicat iſtas duas intentiones proprij nimirum, & Accidentis eidem rei aplicari poſſe.

Ad argu. Argumenta partis aduerſæ facilem habent ſolutionem.

Ad I. Ad Primum Reſpond. Doct. qualitates elemen-

elementorum non eſſe propria illorum quarto modo, ſed accidentia communia, A cum non conſequantur formam ſpeciei (quippe cum alijs cõueniat) vt cauſã præciſam & adequatã. Et quia cum alteratio in illis qualitatibus præcedat generationem & corruptionem formæ ſubſtãtialis, vt patet, quia agens in elementum ſuas inducit qualitates, adhuc manẽte forma ſubſtãtiali elementi corrupendi, illa enim in tota tranſmutatione manet, vt patet cum aqua calefit: ex hoc duo decuntur, prædictas qualitates ſuſcipere magis & minus elementumque manere poſſe ſub oppoſito ſiue contrario ſuæ qualitatis, quæ duo cum propria paſsione cohærere non poſſunt, quòd ſi prædictæ qualitates in aliquo gradu remiſſo, ſemper in ſunt elementis, tantum ſequitur in prædicto gradu eſſe in re accidentia inſeparabilia, licet intelligibiliter iuxta ea quæ de nigredine corui, & albedine cygni ſtatuimus, poſsint ſeparari. B Sequuntur ergò non formam, ſed materiam, nomine autem materiæ vt bene animaduertũt Anglicus & Mauritius, non intelligit Doctor materiam primam, ſed materiam indiuidualem ſeu conditiones & complexiones indiuiduales. Verum; eſt aptitudines elementorum ad prædictas qualitates obtinẽdas eſſe proprias illorum paſſiones, ſicquepeream aqua ſe reducit ad priſtinã frigiditatem. De luce autem idem dicendum eſt nõ eſſe propriam paſsionem ſolis aut ignis ſed accidens commune.

Ad II. Ad ſecundũ. Quòd ſicut aptitudo ad formam eſt de eſſentia materiæ, nõ tamen ipſa forma, vnde materia poteſt eſſe ſine hac vel illa forma, nõ tamen ſine hac aptitudine. Sic licet aptitudo ad eſſe quantum vel eſſe coloratũ ſint paſsiones corporis, eſſe C verò actu quantum vel eſſe coloratũ, ſunt accidentia cõmunia, vnde corpus ſine hac vel illa quantitate aut colore eſſe poterit non tamen ſine aptitudine.

Ad aliam partẽ argumẽti cum Mauritio & Anglico dicendũ eſt. Aliud eſſe principaliter & immediatè accidere ſubiecto, & ſic accidens dici, & aliud mediatè & concomitanter, id ergò quod eſt proprium alicuius vt ſubiecti proximi & immediati, non poteſt eſſe accidens alterius, vt ſubiecti proximi & immediati, hoc autẽ eſt quod intẽdimus, quod autẽ id quòd alicui eſt propriũ mediante eo ſubiecto cuius eſt proprium accidat alteri, non in conuenit: tunc enim ſicut eſſentia à qua fluit alteri accidit ita & proprium concomitanter.

Ad III. Ad tertiũ. Quòd cum de ratione proprij ſit ita pcedere ab hoc quòd nõ ab alio atq; adeò quòd ſoli & cõuertibiliter in ſit, eo ipſo ꝙ alterius accidẽs eſſet reſpectu etiam proprij ſubiecti nõ proprium ſed accidens eſſet, ex quo enim alijs cõuenerit, nulli conuertibiliter cõuenit. ex eo autem quod id quod reſpectu ſuorum inferiorũ eſt genus accidens ſit reſpectu aliorũ nempe ſubiectorum, non ſequitur illa implicatio, quòd reſpectu eorundem inferiorum nõ genus; ſed accidens ſit.

DISTINCTIO VIII. DE Comparatione vniuerſalium inter ſe.

ENVCLEATIS iam quinq; prædicabiliũ naturis in vltimo capite Porphyrius eorum conuenientias propriasq; differẽtias ſpeciatim expendit, & quidem diffusè, nos tamen brebẽ illius ſummã his duabus aſſertionibus proponemus.

LITERA PORPHIRII.

I. Conclu. PRIMA conc. Omnes predicabiliũ cõueniẽtias cõprehẽdens, *commune eſt omnibus prædicabilibꝰ, de pluribus prædicari, quod inductione patet, genus cõuenit cum differẽtia ſubalterna, quòd de pluribus ſpeciebus prædicantur,* licet hoc verum ſit, exemplũ tamẽ ab hoc auctore productum, de rationali quòd etiã de Deo prædicatur, tam à veritate quàm à fide prorſus alienũ eſt, *conueniunt etiã, quòd quidquid tam de genere quàm de differentia prædicatur, & de ſpeciebus quæ ſub ipſis ſunt prædicãtur, & ſicut amoto genere ſpeciem ſub illa contentam auferri neceſſe eſt, ſic & deſtructa differẽtia Genus & ſpecies has habent conuenientias quòd prædicatur de pluribus, & quòd ſunt priora his de quibus dicuntur, & reſpectu illorum rationẽ totius potẽtialis habent. Genus conuenit cũ proprio, quòd ex ſpecie vtrumq; infertur, vt ſi homo eſt ergò animal eſt, vel ergò riſibile eſt, & quòd æqualiter à ſuis inferioribus participatur, Plato enim ſicut non magis animal ita nec magis riſibilis quàm ſortes, conueniunt etiam in prædicatione vniuoca. Genus conuenit cũ accidenti in hoc quod eſt de pluribus prædicari. Species in duobus conuenit cum differentia, & quòd æqualiter à ſuis inferioribus participantur, & quòd ſemper his ad ſunt, quibus cõmunicantur.*

nicantur differentia & proprium duas habēt conuenientias, & quòd æqualiter à ſuis inferioribus participantur, & ſemper conueniūt ſpeciei. Differentia, & Accidens conueniunt vtique, in prædicari de pluribus, & ſemper ac omni adeſſe, ſi ſit Accidens inſeparabile. Cōuenit ſpecies cum proprio, & in prædicatione reciproca, & in participatione æquali à ſuis inferioribus. cum Accidenti vero conuenit, in hoc quòd eſt de pluribus prædicari. Proprium & Accidens in ſeparabile conueniunt quod in ſeparabiliter conueniunt ſubiecto, cum omni vero Accidenti conuenit in hoc, quòd eſt prædicare in quale.

II. Concl. Secunda concluſio. Continēs illorū differentias, *genus & differentia differunt quincupliciter, primò quòd genus de pluribus quā differentia prâdicatur 2. quòd genus potentia continet Differentiam, non tamen è contra. 3. quod genus eſt prius Differētia quapropter ex ablatione generis ſequitur Differentiarum ablatio, non tamen è contra, Quarto quòd genus in quid, differentia in quale prædicatur, Quinto, quod reſpectu ſpeciei genus habet rationem materiæ Differentia verò formæ, Genus & ſpecies totidem habent differētias, prima quod genus in potentia continet, quidquid actu ſpecies, ſpecies autem non continet quid quid genus in potētia, ſecunda quod genus eſt materia ſpeciei, non tamen è contra vnde genus eſt prius ſpecie, & illo ſublato ſpecies deſtruuntur, ſed non è contra. Tertia genus directe de ſpecie enunciatur, non è cōtra. Quarta, quod genus latioris eſt ambitus quā ſpecies vnde illam quoad poteſtatem vincit, vincitur tamen ab ea quoad actum. Quinta quod nec ſpecies ſummum genus eſſe poteſt nec contra. Genus, & proprium differunt quod genus prius eſt ſpecie, & prædicatur de pluribus ſpeciebus, proprium autem de vna ſola cuius eſt proprium, vnde genus cum nulla ſpecie conuertitur, ſicut proprium, in ſuper quod ſublata ſpecie aliqua, non ſtatim aufertur genus, non enim ſoli vni conuenit, quod in proprio reperitur. Genus, & Accidens differunt; quod genus ſpecie eſt prius; Accidens verò poſterius, generis communicatio non recipit intenſionem, ſicut Accidentis communicatio, vnum enim eſt magis album quā aliud, non tamē magis animal Genus in quid, Accidēs in quale prædicatur, Genus prius cōuenit ſpeciebus quā indiuiduis Accidens vero è cōtra. Species & differētia differūt, quod illa in quid prædicatur, hæc in quale, hæc illam præcedit cum illam conſtituat, illa ſolum de indiuiduis enunciatur, hæc de ſpeciebus ſi ſub alterna ſit. Proprium & diffe-* A *rentia differunt, quod illud de vna ſola ſpecie affirmatur, hæc vero ſi ſubalterna ſit de pluribus; & tunc non conuertitur cum vna ſpecie mediata, ſicut propriū. Differentia differt ab Accidēti quod illa prædicatur de ſpecie & omnibus indiuiduis illius, nō vero Accidens. illa nō ſuſcipit magis, & minus, hoc autē ſuſcipit. Differētiæ cōtrariæ nō miſcētur, ſicut Accidētia cōtraria, cū ex albo & nigro fiat fuſcum Species à proprio differt quòd illa ſi ſub alterna ſit reſpectu vnius eſt ſpecies, & genus reſpectu alterius, hoc vero ſēper eſt propriū, ſpecies eſt natura prior proprio, hoc poſterius, præterea habēt diſtinctas diffinitiones. Differt ab accidenti quòd ſpecies in quid Accidēs vero in quale prædicatur, illa eſt prior Accidēti, hoc ſuſcipit magis, & minus, illa vero nō, Demū Propriū, & Accidens differūt quòd illud vni ſoli ſpeciei conuenit; ſecus vero in Accidēti, vnde illud cū ſpecie cō-* B *uertitur, ſed nō Accidens, hoc tandem ſuſcipit magis & minus illud vero minime.*

LITERA DOCTORIS.

CONSVLTO *duas quæſtiones noſtri Doctoris octauā nimirū & duodecimā in locum præſentem retulimus, quia ante aliarū cognitionem præmiſſæ, non ita facile ac modo percipi poſſent.*

QVÆSTIO I. *Vtrum vniuerſale vniuocum ſit & genus ad hæc quinque.* QV. II.

Prima concluſio. *Affirmatiua,* I. Conclu. *probatur quia ratio vniuerſalis æqualiter eis conuenit, quod ſi quædam prædicabilia alijs ſint perfectiora, vt genus ſpecie, talis exceſſus vt pote à proprijs differentiis proueniens* C *non tollit vniuocationem cum in omni genere detur vna ſpecies, quæ cæteris preſtet.*

Secunda Concluſio. *Quælibet iſtarum* II. Conci *intentionum poteſt vt quid & ut modus accipi, quando eſt illud quod intelligitur tunc eſt quid, quando autem eſt ratio ſub qua intelligitur eſt modus.*

QVÆSTIO II. Vtrum *ſint tantū quinque vniuerſalia.* Q. XII.

Concluſio *Vniuerſalia tantum ſunt quinque, quorum ſufficientia ſic colligitur, quod prædicatur, vel in quid vel in quale, ſi in quid vel vt dicens totam eſſentiam, & ſic eſt ſpecies, vel partem eſſentiæ vt genus, ſi in quale vel in quale eſſentiale, & ſic eſt differētia vel in quale Accidentale, & hoc vel conuertibiliter, ideſt vt Accidēs dimanans ab eſſen-*

eſſentia rei & ſic eſt proprium, vel vt accidēs commune, & ſic eſt quintum prædicabile.

QVÆSTIO I. SINTNE VNIuerſalia quinario numero comprehenſa.

NON deſſunt pleriq; paſsim à Doctoribꝰ relati, qui prædicabilia vel ad maiorem vel ad minorē numerū redigere conentur, quorum argumenta triuialia ſunt, & quæ ex dictis facile poſſunt enodari nō nulla tamen proferamus.

I. Argum. Primum eſt quod numerum prædicabilium auget. Ens & accidens rationem vniuerſalis induunt, vt liquet, ad nullū tamen prædictorū reuocari poſſunt. Quod & de indiuiduo ſatis notum apparet.

II. Argu. Secundū. Prædicatio hæc Petrus eſt exiſtens eſt prædicatio vniuerſalis, ſed nullius ex quinq; enumeratis, cū exiſtentia non dicat quidditatē ſubiecti, hoc enim ſolius Dei exiſtētiæ proprium eſt, nec qualitatē, cum nō præſupponat ſubiectum, vnde per eam non reſpondemus ad quæſtionē factā per quale, ſed per an res ſit. Tum etiā quod accidens quintū prædicabile ad quod poſſet reuocari (cū exiſtētia nullius rei ſit ꝓpriū) ſui ſubiecti exiſtētiā præſupponit, hoc enim ſuperiꝰ inter eſſe diximus inter proprium & accidens, quòd hoc niſi vtrūq; actu exiſtat. Accidens nempe & ſubiectū, nequit illi conuenire, quia licet in connexionibus neceſſarijs verbum (eſt) ab omni tēporis differētia abſoluatur, atq; adeò ab omni exiſtentia actuali, at vero in cōtingētibus, ad certum aliquod tempus eſt determinatū, vnde vt prædicati cum ſubiecto cōiunctio vera ſit, præſupponi debet exiſtentia ſubiecti, pro ea temporis differētia quam copula ſignificat, atqui exiſtentia non ſupponit ſuum ſubiectū exiſtēs, ſed potius ponit ipſum actuale ſubiectū, quod idem dicendū eſt de his Petrus generatur, corrumpitur, &c. cum enim per generationē exiſtentia adueniat, & per corruptionem deſtruatur, non præſupponunt ſuum ſubiectum exiſtens, cum tamen de ratione accidētis Porphyrio reſte hoc capite ſit, vt ſit poſterius natura ſuo ſubiecto, illudq; præſupponat.

I. Conclu. Prima conc Sit cōmuni ferme omnium conſenſu probata, prædicabilia tātum eſſe quinque, atq; adeò prædictam diuiſionem *Probatur.* adæquatā eſſe. Sic noſter Doct. Relictisq; varijs modis eam colligendi, quam traddit Doctor ſufficiētiſsima eſt, ex modo prædicandi de ſuis inferioribus de propta, atq; adeò à priori ſecundū dicta à nobis ſupra, ſic, vniuerſale eſt illud quod prędicatur de A pluribus, tunc ſic, quod prædicatur de pluribus, aut prædicatur in quid, aut in quale, prædicari in quid eſt prædicare eſſentiā ſubiecti per modū eſſentiæ, ideſt per modū ſubſiſtentis & non denominantis, & hoc bifariā euenit, vel quòd prædicet totā eſſentiā ſubiecti, & ſic eſt ſpecies, alias enim ait Doct. ſi aliquid præter eſſētiā ſpeciei eſſet de eſſētia indiuidui, iam duo indiuidua eſſētialiter differrent, & nō tātū numero & materialiter, & ſpecies in illa non tantum materialiter, ſed etiā formaliter diuideretur, poſſetq; indiuiduū diffiniri. Si verò prædicet partē eſſentiæ eſt genus, id autē quod prædicatur in quale, per modū denominātis & qualificātis prædicatur, & hoc dupliciter, vel prædicat partē eſſētiæ per modū actus, & denominantis, & ſic eſt differētia, quæ ideo in qualequid ideſt eſſentiale dici- B tur, vel prædicat accidens per modū denominantis & ſic prædicatur in quale accidentale, & tunc vel prædicat accidens cōuertibile, egrediens ſcilicet ab eſſentia ſubiecti, & ſic eſt propriū, vel accidens cōmune & ſic eſt quintū prædicabile, ſed prædicari de inferioribus non contingit, niſi aliquo ex his quinq; modis, qui per ſe diuidunt rationem vniuerſalis, ſcilicet prædicari de pluribus, diuiſio ergo hæc vniuerſalis in quinq; prædicabilia non ſolum conueniens eſt, vt pote quæ rationē generis per differentias per ſe diuidit, ſed etiam adæquata.

Secunda concluſio. Ex prædicta diuiſione non tantū colligitur ſufficientia vniuerſalium vt probatū eſt, ſed etiam ordo, ordiniſq; ratio à Porphyrio in illorum tractatione obſeruata Sic Doct. ꝓbatur, quia prædicari in quid per modum partis materialis & cætera ſubſtentātis, modū prædicandi C in quid per modū totius eſſentiæ præcedit, & ideo prius d̄ genere actū eſt, & quia modus prædicandi in quid modo prædicādi in quale prior eſt, ideo tam de genere quàm de ſpecie prius quàm de differentia. Demum modus prædicandi in quale eſſentiale prior eſt modo prædicandi in quale accidentale, & in quale accidentale cōuertibile precedit in quale accidentale nō cōuerſim. Tum etiā ex prędicta diuiſione facilè modi perſeitatis percipi poſſunt, tria enim vniuerſalia cū vel partē diffinitionis, vel totā eſſentiā & diffinitionē importent, ad primum modū dicendi per ſe ſpectant, quartum vniuerſale, nempe proprium ad ſecundum modum dicendi per ſe. *II. Conc.*

III. Conc. Tertia conc. Quinq; tantum ſunt ſubijcibilia, & probatur, prædicabile & ſubjicibile correlatiua ſunt, ergò quodlibet prædicabile habet ſuũ propriũ ſubijcibile, ſed tãtum ſunt quinq; prædicabilia: ergò ſubijcibilia quinario numero ſunt compreheñſa.

In reſponſione ad primum explicat noſter Doct. quo pacto ſufficiẽtia prædicatorum colligatur, & quidem diuerſa ratione ac prædicabilium, ſicut & diuerſa eſt ratio prædicati in topic. ab Ariſt. conſiderata, ac prædicabilis à Porphyrio, quod nos in proprio loco libros topic. expendentes explanabimus, pro nunc autem ſufficiat ſcire, ea tantũ prædicata fuiſſe ab Ariſt. ibi enumerata, ex quibus propoſitiones dialecticæ, ſeu problẽmata cõficiuntur, ſiue illa ſimplicia ſint ſiue compoſita, quæ quatuor ſunt, genus, diffinitio propriũ & accidens, quorum ſufficientia pœnes prædicare eſſentiã, vel non eſſentiã, cõuertibiliter, vel non cõuertibiliter de ſubiecto propoſitionis, vel problemmatis dialectici deprehenditur, prædicabile autem vt diximus, ſicut per ordinem ad inferiora conſtituitur, ita per diuerſum modũ prædicandi de illis plurificatur, qui quincuplex eſt. de modo colligẽdi numerum prædicamentorũ ſequenti lib. d. 2. pro nunc autem prædicabilia non diſtingui pœnes diuerſitatem rerũ quæ prædicãtur ſicut prædicamenta, quæ ideo denario numero ſunt compræhenſa, quia decem tãtum ſunt ſuprema rerum genera. In rebus autẽ quãtumuis diuerſis reperitur eadem ratio generis ſpeciei &c. vnde ſuprema rerum genera & ſi ſecundũ ſe cõſiderata primò diuerſa dicãtur, in ratione generis ſpecificè conueniunt, vt dicemus, quia eundẽ modũ ſpecificum habent reſpiciendi ſua inferiora, è cõtra etiam eadem res ad diuerſa cõparata plures poteſt habere prædicabiliũ rationes, vt albũ quod ſpeciei habet rationem reſpectu huius & illius albi, accidens eſt ſubiectorum comparatione.

Ad argu. Argumentis in contrarium obiectis ſic occurrendum eſt.

Ad I. Argum. Ad primum dicendum, ex diffinitione vniuerſalis ſufficienter excludi analoga & æquiuoca, qualia ſunt ens, accidens & indiuiduum primè intẽtionaliter ſumptum, & cõplexa vt diffinitio, quæ non habet vnicum modum prædicandi prædicabilis de quo hic agitur, in quid vel in quale, habet tamen vnum modum prædicandi prædicati de quo agitur in topicis, eſſẽtiam nempe cõuertibiliter, & ideo ibi vnum prædicatũ conſtituit. Indiuiduum ſecundè intentio- A naliter ſumptum ait Doctor reducitur ad ſpeciẽ, quia ab hoc & illo indiuiduo vt ſic abſtrahitur intentio indiuidui in cõmuni, cui, ſpeciei intentio aplicatur, vbi aduerte q ens in præſẽti & in ante prædic. q. 4. æquiuocum eſſe affirmat noſter Doctor, ideoq; excludit à ratione vniuerſalis, & q. 32. vniuer. in reſponſione ad 1. argum accidens prime intentionaliter ſumptum æquiuocũ eſſe docet, ad nouẽ genera, quo pacto autem hoc intelligendũ ſit, longam exigit diſputationem, in metaphyſica dilucidandã.

Ad II. Argum. Ad ſecũdum, quòd cum exiſtẽtia nullius rei creatæ ſit eſſentia, nec propria paſsio, ſed tantũ per participationem & accidẽtaliter cõueniens, prædicatio illa abſolute loquendo eſt quinti prædicabilis, non enim eſt æternæ veritatis, cum verbum eſt in illa propoſitione non abſoluatur à tempore, B quia tunc incipit eſſe vera, quãdo prædicatum incipit conuenire ſubiecto, quod fit in inſtanti productionis, verum eſt quod ſi ad rem exiſtentem vt ſic comparetur, eſſentialiter prædicatur.

QVÆSTIO II. NVM Diuiſio vniuerſalis ſeu prædicabilis in hæc quinque prædicabilia ſit vniuoca, & generis in ſpecies infimas.

CVM diuiſum & membra diuidentia vniuerſale nempe in cõmuni & quinq; ſpecialia prædicabilia, conotatiua quædã ſint, explorata res eſt, quæſtionem nõ procedere de ſubſtractis ſeu ſignificatis materialibus illorum, cum illa ſint res omnium prædicamentorum, imo & entia rationis in quibus genera ſpecies differentiæ &c. repe- C riuntur, quibus omnibus nequit dari cõmune genus, tota ergò diſputatio poſita eſt in illis formaliter ſumptis ſiue in abſtracto ſiue in concreto an nimirum vniuerſale formaliter ſeu ſecunda intentio vniuerſalitas, ſumpta ſiue in abſtracto ſiue in concreto, ſit vniuocum & genus ad quinque prædicabilia eodem modo conſiderata.

Opinio Boetij. Ammonij. Simplicij. Alberti. Auicenæ. Clypei. Thomiſt. Caietani. Fonſeca. Oña. Opinio eſt in hac controuerſia tam antiquis quàm pleriſq; recentioribus probata, vniuerſale adſtruens, non eſſe genus, ſed analogum quid ad prædicta. Hiſq; roboratur fundamentis.

I. Argum. 1. Illud porrò analogũ eſt, cuius formalis ratio vni cõuenit primò & per ſe, alijs verò per accidẽs, & ratione prioris, ſiue cũ depẽdẽtia ab illo, ſed prædicabile de pluribus primò & per ſe cõuenit prædicabili in quid, quod

quod genus & ſpeciem comprehendit præ-dicabili vero in quale quod alia tria cōple-A ctitur mediatè & peraccidēs vt ꝓbatū eſt.

Confirmat. Confirmatur. Vniuoca prædicatio eſt propria vniuerſalis, ſed hæc his quinq; ana logicè conuenit: ergò & ipſa ratio prædicabilis ſeu vniuerſalis. min. probatur, quia eſſentialis prædicatio dicitur vniuoca ſimpliciter, accidentalis verò non proprie & ſtrictè ſed tantum ſecundum quid.

II. Argu. Minus cōuenit eſſentialis prædicatio cū accidentali quàm prædicationes accidētales inter ſe, ſed iſtæ tantum analogicè conueniunt: ergò & illæ, min. probatur, quia modi eſſendi accidentales accidentium in ſubſtantia tantum analogicè cōueniunt, ergò & prædicationes accidentales, cum modus eſſendi fundamentum ſit & adæquata cauſa modi prædicandi.

III. Arg. Tertiò. Si vniuerſale eſſet genus ad hæc quinq; multa ſequerētur incōmoda abſurditate plena, vt quòd genus ſub ſua ſpecie B cōtineretur, atq; adeò ſpecies latius pateret quàm ſuū genus, quia genus eſt ſpecies vniuerſalis, ſed vniuerſale eſt genus: ergò eſt ſub ſua ſpecie. Imo ſequeretur ipſū vniuerſale eſſe ſub ſe ipſo, atq; adeò idē ſe ipſo latius patere: ſequella patet, quia quidquid eſt ſub aliquo inferiori, vtiq; ſub eius ſuperiori eſſe debet, ſed vniuerſale eſt ſub genere & gen9 ſub vniuerſali, ergò vniuerſale eſt ſub vniuerſali. Præterea vna ſpecies ſub alia contineretur, & vnum oppoſitū de alio prædicaretur, ſi enim vniuerſale eſt ſpecies, ergò vna ſpecies oppoſita non ſolū in actu ſignato ſed etiam in actu exercito ſcilicet cum hoc verbo eſt prædicatur.

Dixerunt alij prædicabilē aut capi poſſe pro prædicabili de pluribus, vel prout abſtrahit à prædicabili de vno vel de pluribus C quod in ſua ratione tantum dicit ſubiecto conuenire, & de illo directè & formaliter affirmari poſſe. Si primo modo ſumatur quinq; prædicabilium comparatione non vniuocū ſed analogum eſt. Si verò ſecūdo modo vniuocū eſt & genus ad hæc quinq;, quia prædicta eius ratio æquè omnibus cō uenit per variasq; differentias cōtrahitur.

Notabile. Sed vt veram doctrinam traditam à noſtro Doctore ab omnib9q; cōmuniter receptam proferamus, opere pretiū erit in memoriam reuocare quod ſuprà d. 2. q. 2. ar. 2. de ſecūdis intentionibus ad notauimus, rationem primarum habere poſſe, quatenus in illis aliæ fundantur intentiones, quod ideo euenit, quia ſicut & res primæ intentionis poſſunt ſumi vel in cōmuni vel in ſingulari, vt hæc genereitas ſingularis & genereitas in cōmuni, & ſicut hæc albedo quæ eſt in homine & illa quæ eſt in equo ſolo numero differunt, ita & hæc genereitas quæ eſt in animali & illa quæ eſt in colore. Et quæuis ſecūda intentio cuius cumque vniuerſalis in ſe quidem ſingularis eſt conſtituit tamen vniuerſale. Hoc eſt quòd dici ſolet, prædictas intentiones eſſe ſingulares in eſſendo, vniuerſales in denominando & conſtituendo, ſicut hæc vox animal à me pro lata in eſſendo quidem ſiue quo ad ſuū eſſe ſingularis eſt, in repræſentando verò vniuerſalis, quia rem cōmunē repræſentat, vel eſſe vniuerſales vt quo, cū ſint formæ à quibus naturæ conſtituuntur vniuerſales, ſingulares vero vt quod, quia quæuis in ſe eſt vna numero.

Sicut ergò à rebus particularibus abſtrahit intellectus rationes communes, quibus applicat ſecundas intentiones vniuerſalitatis, vel ſpeciei, ſi ratio illa communis à ſolo numero diſtinctis ſit abſtracta, vel generis ſi ab eſſentialiter diuerſis, à qua forma rationis ratio ſeu natura illa communis accidentaliter denominatur, vt homo accidentaliter dicitur ſpecies, cū accidat ei per intellectum abſtrahi comparari, & talem formam rationis habere, ſic ab ipſis particularibus intentionibus ſecundis abſtrahuntur rationes communes, vt ab hac & illa genereitate genereitas in communi, in qua reſultat quædam ſecunda intentio ſpecieitatis à qua accidentaliter denominatur ſpecies, quòd idem proportionaliter dicendum eſt de quolibet alio prædicabili formaliter ſumpto, vt de ſpecieitate ab hac & illa ſpecieitate abſtracta, de differentia ab hac & illa differentia. Vnde genus eſſentialiter eſt genus, & differentia eſſentialirer eſt differentia, accidentaliter verò ſunt ſpecies, vt comparantur ad ſua inferiora, ita vt ratio eſſentialis iſtarum intentionum & ratio accidentalis earundem per ordinem ad diuerſa deſumantur.

Hanc duplicem intentionum rationem eſſentialem & accidentalem diuerſi mode exprimunt Doctores, & quidem Doctor terminis ſingularibus & compendioſis & aliquantulum ſub oſcuris, per Quid nempe & Modum, quibus paſſim vtitur in hac materia q. 6. vniuer ad 1. argum. quæſt. 8. ad 1. q. 26. & alibi ſæpe, ſic, quælibet intentio poteſt conſiderari vt quid

vel vt modus, quãdo eſt quod intelligitur
tunc eſt quid, vt modus autem quando eſt
ratio ſub qua intelligitur, vt genereitas. v.
g. tunc ſumitur vt quid cum ſecũdum ſuã
eſſentiam & quiditatẽ accipitur, vt ipſum
nomẽ indicat, tunc verò ſumitur vt modꝰ,
cũ accipitur vt modus ſub quo aliud intelli
gitur, ſeu vt determinatio & accidens alte
riꝰ. Ex quo deducitur prædicari vt q d eſſe
prædicari eſſentialiter, prædicari verò vt
modum prædicari denominatiuè, vnde in
hac hoc genus eſt genus, ly genus ſumitur
vt quid, in hac verò vniuerſale eſt genꝰ ſu
mitur, vt modus quia vniuerſale intelligi-
tur ſub modo generis, & in hac genus eſt
ſpecies, genus ſumitur vt quid ſpecies vt
modus, & eadem intentio poteſt eſſe quid
& modus ſui ipſius, vt in hac ſpecies eſt ſpe
cies, ex parte ſubiecti ſumitur vt quid ex
parte prædicati eſt modus, quia ſub modo
ſpecieitatis ſumitur ſpecies in ordine ad
ſua inferiora, ad hanc ſcilicet & illã ſpeciẽ.

Alij his terminis quo & quod, ſic, quæli
bet intentio poteſt cõſiderari vt quo vt ſci
licet eſt ratio formalis conſtituens naturã
prædicabilem, & hoc eſt illi eſſentiale, aut
vt quod vt ſcilicet ipſa exercet officium
prædicãdi & eſt quæ prædicatur, & hoc eſt
accidẽtale. Illud etiam prætereundem nõ
eſt, quòd ſicut accidens reale geminam ha
bet prædicabilis habitudinem, vnam prædi
cabilis eſſentialis & in quid ad ſua propria
inferiora vt album ad hoc & illud album,
aliam prædicabilis accidentalis, ad ſua ſu-
biecta, ita quodlibet prædicabile vt genus
v. g. dicit habitudinẽ prædicati in quid ad
hoc & illud genus, prædicati vero acciden
talis ad res quas denominat, hæc enim ani
mal eſt genus, accidentaria prædicatio eſt
his ſic præiactis.

I. Conclu. Prima conc. Diuiſio hæc vniuerſalis ſeu
prædicabilis in hæc quinq; vulgata prædi-
cabilia, eſt vniuoca, quippe cũ vniuerſale
Scotus. vniuocum ſit ad illa, ſic noſter Doctor lo-
Anglicus. cò citato & omnes illius diſcipuli, & proba
Nauarri. tur, illa ratio eſt vniuoca quæ ſecũdũ ſe to
Sarnanus. tam æqualiter participatur à ſuis inferiori
Tataretꝰ bꝰ, ſed ſic ſe habet ratio vniuerſalis quinq;
prædicabilium cõparatione: ergò eſt vni-
uoca: minor prob. quia id quod ſecundum
totum ſuum eſſe eſt in vno, & ſecudũ idem
totum eſſe eſt in alio, ſine extremorum de
pendentia, æqualiter ab illis participatur,
ſed tota ratio vniuerſalis reperitur in vno
prædicabili, & eadem tota ratio in alio, &
extrema non depẽdent inter ſe ex natura
rei, ergò ratio vniuerſalis æqualiter parti-
A cipatur, minor probatur quoad primã par
tem ratio eſſentialis vniuerſalis eſt prædi-
cari de multis vel eſſe in multis, præcindẽ
do ab omnibus alijs, quia cætera per acci-
dens ſe habent ad rationem vniuerſalis vt
ſic, atqui prædicabile quodlibet ex viſue eſ
ſentiæ eſt vnum in multis & de multis, er-
gò tota ratio eſſentialis vniuerſalis eſt in
quolibet prædicabili, quòd ſi prædicabile
aliquod alio eſt perfectius, hoc nõ à ratio
ne vniuerſalis ſed ꝓpriæ differẽtiæ peten-
dũ eſt, imo in quouis genere hoc cõmune
deprehenditur, vt ſpecies (cum numerum
imitentur) ſeſe in perfectione excellant.
Quò ad ſecundã, quia prædicabilia in parti
cipatione eſſentiæ vniuerſalis ex natura
rei non dependẽt inter ſe cum intellectus
poſsit, conſtituere vnum prædicabile alijs
omnibus prætermiſsis in ratione vniuer-
B ſalis, ſolum enim depẽdent in ratione præ
dicabilis & ſubijcibilis.

Secunda conc. diuiſio hæc eſt generis in *II. Conc.*
ſuas ſpecies infimas, prima pars patet, quia
ratio vniuerſalis abſtrahitur ab his prædi-
cabilibus, vt à pluribus eſſentialiter diſtinc
tis, cum prædicabilia vt viſum eſt, diſtinc-
tas habeant diffinitiones, genere & differẽ
tia conſtãtes, ergò eſt ratio generica. Secũ
da pars expeculiari prædicabiliũ diſcurſu
cõſtat, omnia enim genera generaliſsima
ſubalterna & infima numero & accidenta
liter dumtaxat diſtingui, nec ſub ſe habere
diuerſos prædicãdi modos, per quos in ſpe
cies inferiores diuidantur ſatis dictũ eſt, &
de alijs prædicabilibus eſſe ſpecies infimas.

Tertia conc. Subijcibile in communi in *III. Conc.*
quinq; ſpecies ſubijcibiliũ ſicut prædicabi-
le in quinq; prædicabiliũ ſpecies diuiditur,
C quorũ diſtinctio non materialiter ſecundũ
rerum quæ ſubijciuntur diuerſitatẽ deſumi
debet, cum idem indiuiduum .v. g. ſpeciei
differentiæ & proprij ſubijcibile ſit, ſed for
maliter ex diuerſo modo quo ſubijciũtur,
ſcilicet eſſentialiter, accidẽtaliter &c. cor
reſpondens diuerſo modo prædicandi præ
dicabiliũ, vnde indiuiduũ ſubditur ſpeciei
vt dicenti totam ſuam eſſentiam, differen
tiæ vt actui, proprio vt complenti formæ
perfectionem, accidenti vt omnino ſuæ eſ-
ſentiæ extraneo.

Deducitur ex dictis quinq; prædicabilia
ſi ad ſua inferiora comparentur à ſecunda *Ad argu.*
intentione ſpeciei prædicabilis denomina
ri, ſi vero ad vniuerſale quod ſuũ genus eſt,
à ſecunda intentione ſpeciei ſubicibilis.

Ad primũ

Ad I. Ad primum ex ſupra dictis.

Ad confirmat. Ad confirm. Vniuocam prædicationem quam propriã eſſe diximus vniuerſalis, nõ eſſe ita ſtrictè accipiendam propræcipua ſpecie, vniuocæ ſcilicet eſſentialis, ſed vti diximus ab illa abſtrahit & ſolũ dicit rationẽ ex æquo participabilẽ, ſiue id fiat eſſentialiter, ſiue accidentaliter, & hæc vere propriè & vniuocè cõuenit prædicabili eſſentiali & accidẽtali, quod nomen & diffinitionem ſubiecto tribuit, ſicut enim de Petro albũ dicitur, ita & albi diffinitio, & hoc eſt quod dixit noſter Doctor, aliud eſſe vniuoce prædicari & aliud eſſe vniuocum prædicatum in prædicam. q. 3. ad. 4. de quo ibi.

Ad II. Argum. Ad ſecendum neganda eſt min. tametſi enim accidẽtia diuerſorũ prædicamẽtorũ ſecundum ſe ſumpta analogicè cõueniant in modo eſſendi in ſubſtantia, cõueniunt tamẽ in ratione prædicabilis de pluribus vniuocè quia ordinem habent eiuſdem rationis ad ſua ſubiecta & eodẽ modo prædicantur. Modus autẽ prædicandi cũ proprietas ſit non rei vt eſt in ſe ſed aplicata ab intellectu, modum eſſendi rei nõ vt in ſe ſed vt in intellectu ſequitur, quod exactè explicat Doct. loco citato ibique expendetur.

Ad III. Argum. Ad tertium Cum noſtro Doctore in cõmoda illa in ſecundis intẽtionibus nulla eſſe, ex noſtra etenim præuia animaduerſione difficultates omnes placari poſſũt quæ hoc ſecundarum intentionum Arcanũ adoriuntur. Licèt ergò eſſentialiter genus ſub ſua ſpecie, aut idem ſub ſe ipſo, aut vna ſpecies ſub alia contineri non poſsit, poteſt tamen accidentaliter & denominatiuè atq; adeò ſi tam vniuerſale quàm illius ſpecies ſumantur vt quid, nec vniuerſale ſub genere, nec ſub ſe ipſo cõtineri nec vna ſpecies de alia prædicari poteſt (intellige prædicatione exercita & eſſẽtiali, bene tamẽ ſignata, vt cũ dicitur gen9 prædicatur .I. dicitur de ſpecie) poteſt autem ſi vna ſumatur vt quid & alia vt modus, ſicut hęc eſt vera plurale eſt ſingulare, vt plurale accipitur vt quid & ſingulare vt modus. Secũdæ ergò intentiones nõ opponuntur, niſi vtraq; accipiatur vt quid vel vtraq; vt modus, vnde cum infertur, oppoſitum de oppoſito enũtiatur, figuræ dictionis fallacia cõmittitur, quia cõmutatur modus in quid, aut è contra, hæc ergò, vniuerſale eſt vniuerſale idẽtica eſt ſi in vtroque extremo ſumatur vt quid, directa vero & denominatiua, ſi ex parte ſubiecti ſumatur vt quid, ex parte verò prædicati vt modus (quod idem dicẽdũ eſt de hac ſpecies, eſt ſpcies) quia ſicut **A** accidit animali ab intellectu quod ſuarum ſpecierum cõparatione ſit genus, ita & vniuerſali cõparatione ſuarũ. Vnde deducitur vniuerſale vt quid eſſe ſub ſe ipſo vt modo, & vt modum ſe ipſo vt quid latius patere.

QVÆSTIO III. NVM DIuiſio hac prædicabilis in communi in quinq; prædicabilia immediata ſit.

STABILITVM eſt has quinq; vulgatas prædicabilium ſpecies nullas ſub ſe ſpecies habere inferiores, ac proinde infimas eſſe, cõtineriq; ſub vniuerſali vt ſub proprio genere. Modo diſquirẽdũ ſupereſt, num illi immediatè ſubſint vt proximo & immediato generi, an verò ſupra ſe habeãt alia genera quæ media ſint inter vniuerſale vt ſic & ipſa quinq; prædicabilia, quòd ſi primum detur, vniuerſale genus infimum **B** erit, ſi ſecũdum erit ſupremum, ſub ſe alia genera intermedia comprehendens.

I. Opinio. Fonſece. c. 28. q. 12. Scoti. 3. Primam partẽ nonnulli defendunt. Hoc innixi fundamento, quia ex quo aliqua genera intermedia dantur, & alia multa danda erunt, cum non modica ſpecierum confuſione, cum vniuerſale in eſſentiale & accidentale, in quid & in quale, in neceſſariũ & contingens ſecari poſsit, tunc autem ſic inſurgo, aut prædictæ differẽtiæ conſtituunt genera intermedia ſubordinata ſecundum ſuperioris & inferioris ſeriem, aut diſparata: non primum, quia neceſſarium nõ poteſt eſſe ſuperius ad quale, cum non omne quale ſit neceſſarium, vt patet in accidẽti cõmuni, nec quale ad neceſſarium cum non omne neceſſarium prædicetur in quale, vt cõſtat de genere. In ſuper neceſſariũ & accidentale ſubordinari nequeunt, quia non omne neceſſarium prædicatur accidẽ**C**taliter, nec è couerſo. Itidem eſſentiale & quale quo pacto ſubordinanda erunt? cum non omne quod prædicatur eſſentialiter prædicetur in quale, nec è cõtra. Nõ diſparata, quia aliquod neceſſarium prædicatur in quale, & aliquid in quale prædicatur neceſſariò. Item aliquod neceſſarium eſt accidentarium, & viciſsim. Demũ aliquod eſſentiale eſt in quale & è conuerſo.

II. Opinio Secundam partẽ pleriq; tenent, quam ſic tuẽtur, à quacumq; eſſentiali multorum cõueniẽtia præcindi poteſt cõceptus eiſdẽ cõmunis, ſed quinq; prædicabilia non ſolũ conueniunt eſſentialiter in ratione vniuerſalis, ſed in alia etiam ratione media inter vniuerſale & ipſa prædicabilia: ergò illa ratio eſt

tio eſt preciſibilis. Quæ cum ſupra ſe gen9 habeat nempe vniuerſale ſub quo eſt, & infra ſe prædicabilia eſſẽtialiter diſtincta vt ſuas ſpecies, generis intermedij rationẽ habebit. Cõfirmatur; quæuis differẽtia eſſentialis adiuncta generi quod diuidit, vnam ſpeciẽ conſtituit, vnde quia in homine plures ſunt eſſẽtiales differẽtiæ ſubordinatæ, plures ſpecies intermedias ſubordinatas conſtituunt, vt corporeũ ſubſtãtiæ additũ corpus conſtituit, & huic additũ animatũ, viuens, cui adiunctũ ſenſibile animal conſtituit, & huic additum rationale, hominẽ. Atqui in genere plures reperiuntur differẽtiæ eſſentiales ſubordinatæ, vt neceſſariũ, eſſentiale, in quid, de differentibus ſpecie, conſtituent ergò ſpecies ſeu genera intermedia ſubordinata.

Attamẽ licèt in hac aſſertione cõueniãt, diſcrepant tamẽ in prędictorũ generũ ſubordinatione præfinienda. Quidam enim ſic procedunt, vt in hac ſerie ſummũ genus ſit prædicabile, huic immediatè ſubeſt neceſſarium, tertio loco eſſentiale prædicabile quarto prædicabile in quid, cui9 ſpecies infimæ ſunt genera & ſpecies, Alij vero hoc, ordine procedunt, prædicabile aliud eſſentiale, aliud accidentale, eſſentiale aliud in quid, aliud in quale, in quale cõſtituit differentiã, vnde non amplius diuiditur. Prædicabile autem in quid, in genus & ſpeciẽ vt in infimas ſpecies. Accidẽtale quod primæ diuiſionis alterũ membrum erat, in neceſſariũ & contingẽs partitur, ſiue quod in idẽ recidit in accidens proprium & cõmune, vt in duas ſpecies infimas. Nobis autem qui Scoticam ſectamur diuiſionem, aliquantulum aliter procedendum eſt, vnde ſit.

Oña.
Rubias.
Murtia.

Concluſio, qua nobis ſecunda pars probatur quam tenet noſter Doct. & cõmunis Schola fundamentiſq; pro ea adductis cõuincitur efficaciter. Diuiſionem autẽ hanc hoc ordine recẽſet Doctor. Prædicari prima ſui diuiſione in prædicari in quid & in quale diuiditur, quia iſti ſunt primi modi prædicãdi, rurſus prædicari in quid vel cõpletè totã eſſentiã, vel in cõpletè, hoc cõſtituit genus illud ſpeciẽ, vnde prædicari in quid eſt genus infimũ ad ſpeciem & genus, quorũ differentiæ cõpletè ſcilicet & in cõpletè ſignificatur per prædicari de pluribꝰ differẽtibus aut ſolo numero aut ſpecie, vt ſupra docuimus. d. 4. de ſpecie. q. 4. Prædicabile in quale quod alterũ membrum eſt primæ diuiſionis aliud eſſentiale & hoc eſt differentia, nec vltra procedit, vel accidentale, & hoc diuiditur in cõuertibile ſeu neceſſarium & hoc eſt proprium, & in non conuertibile ſeu contingens & hoc eſt accidens commune, in qua diuiſione nulla reperitur ſpecierum confuſsio.

Concluſio.
Scotus.

QVÆSTIO IIII. DE COGnitionis prædicabilium neceſsitate.

VIDETVR nõ eſſe neceſſariam prædicabilium cognitionem ad predicamenta & alia, alioquin enim eam Ariſtot. præmiſsiſſet, tũ quod multi, ea quæ ſequuntur addiſcunt ſine præuia hac cognitione.

Concluſio tamen ſit. Hanc prædicabiliũ conſiderationẽ ſeriò & apprimè neceſſariã eſſe, ad prædicamentorũ cogitionem, quia prædicamentũ, ſeries eſt & ordinatio prædicabilium, vbi genera in ſpecies diuiduntur, & ſpecies adunantur in genere, oportet ergò noſce rerũ ordinabilium naturas. Eſt etiam neceſſaria ad diffinitiones & diuiſiones, cum diffinitio cõſtet genere & differentia, diuiſio autem in ſcientijs ſemper eſt generis in ſpecies, ſciri ergò debet quid genus quid differẽtia quid ſpecies, vt quid diffinibile ſit, quid diffinitio, & quid diuiſũ percipiatur. Eſt in ſuper neceſſaria ad propoſitionũ cognionem, vt quid de quo prædicari poſsit, & quo pacto an neceſſariò .l. contingenter, ſicq; verum à falſo ſeparari & neceſſarium poſsit à contingenti, atque propoſitiones per ſe deſeruiẽtes demonſtrationi teneri poſsint, vnde ad demõſtrationem eſt maximè neceſſaria, quæ cõſtat ex proprijs rei & non extraneis, in qua diffinitio genere & differentia conſtituta medium eſt, & de ſpecie demonſtratur propria paſsio. Neceſſaria etiam eſt ad inueniendum medium in ſyllogiſmis, nõ enim ſciri poteſt, quid ſit antecedẽs ad ſubiectũ, & conſequens ad prædicatũ, aut è contra, niſi notitiam habeamus prædicatorum magis & minus communium.

Concluſio.

Cæterum quòd tractationem hãc in ſui operis veſtibulo non præmiſſerit Ariſt. nõ ideo increpandus, eſt ſufficit enim quòd omnia logicæ neceſſaria optima methodo diſpoſuerit, qui autem ſine cognitione prædicabilium logicam addiſcebant, labore, magiſtriq; induſtria eam cõparabant.

(.?.)

ET HÆC DE PORPHYRIAno Prædicabilium libro.

LIBER

D. O. M.

LIBER SECVNDVS IN QVO PRAEDICAMENTA ARISTOTELIS STAGIRITAE EXPENDVNTVR. VNA CVM QVÆSTIONIBVS SVBTILISSIMI DOCTORIS SCOTI.

AVTORE R. P. FRATRE HIERONIMO VALERA, S. Franciſci de Lima Guardiano, Sacraq; Theologia Lectore emerito.

Autor operis. EXPEDITA iam Porphyriana introductione, aggredimur dilucidandã doctrinam Ariſtotelis, quem cõmunis antiquorum conſenſus auctorem fuiſſe *Inſcriptio* iſtius libri teſtatur. Inſcribitur autem op9 hoc prædicamẽtorum, ſeu categoriarum, & quid prædicamentum ſeu categoria ſit *Finis.* ſtatim explanabitur. Finis illius eſt, res omnes ad certa quædam capita reuocare, vt facilè quæ & quot ſint quæ prædicari & ſubijci poſſũt in propoſitionibus, dignoſci poſsint, quia vt benè admonet noſter ſubtilis Doctor, id de quo hic diſſeritur, eſt per ſe pars obiecti, quod in libris periermenia. conſideratur, & hoc itidem pars obiecti *Vtilitas.* libri priorum, quod ſyllogiſmus eſt. Ex quo illius vtilitas innoteſcit, & quidem nõ ſolum ad omnes logicæ partes, verũ enim uero ad cæteras ſcientias capeſcẽdas, ſim- *Proportio.* plicium cognitionem perficiẽdo. Inſuper & illius proportio, ad totam enim logicã erit partis ad totũ, ad alias vero partes, *Modus procedendi.* ianuæ ad interiora domus. Modus procedendi facilis & introductorius, per exempla, diffinitiones, rationesq; probabiles, potius quàm per demonſtrationes. *Ordo.* Ordo illi debitus tam doctrinæ quàm naturæ;
A primum locum expoſcit (præmiſſo quidẽ introductorio prædicabiliũ tractatu, quippe qui generum, ſpecierum, differentiarũ quibus prædicamẽta coaleſcunt, cognitionem præſtat.) Tum quia cæterarum partium logicæ intelligentia ex prædicamentorum cognitione dependet, tum etiam quia de ſimplicibus diſſerit, primisq; aliorum elementis à quibus initium ſumit natura. *Diuiſio.* Diuiſio huius operis eſt in tres partes, in antepræ dicamẽta ſcilicet, quæ præludia quædam ad prædicamenta continet neceſſaria, & in ipſa prædicamenta, & tandem in poſt prædicamenta. Nos autem claritatis gratia totũ hunc librum in octo diſtinctiones ſecabimus, in prima agemus de terminis ſignificantibus res ſimplices. In ſecunda de predicamento in communi. In tertia de primo prędicamento ſubſtantiæ. In quarta de Quantitate. In quinta de Relatione. In ſexta de Qualitate. in ſeptima de Sex vltimis prædicamẽtis. In octaua de Oppoſitione, alijsquè rerum ſimplicium affectionibus.

DISTINCTIO

DISTINCTIO I. DE terminis ſignificantibus res ſimplices.

QVIA omnia prædicamenta trifariã poſſunt cõparari, primò ad aliquod vnum in quo conueniunt, vt ad ens æquiuocè vel analogicè, ideo Ariſt. primò diſſerit de æquiuocis: vel poteſt vnũ quodque prædicamentum ad ſua inferiora referri, & ſic vniuocè dicũtur, & ideo Ariſt. agit de vniuocis: vel tandem poteſt vnum prædicamẽtum ad aliud comparari, & ſic vnum quodam modo aliud denominat, & ideo agit de denominatiuis.

Summa Ariſtot. SVMMA LITTERÆ ARISTOTELIS IN I. & II. Capi.

I.Conclu. PRIMA Concluſio. *Æquiuoca ſunt quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſecundum illud nomen diuerſa, vt animal & homo, & quod pingitur.*

II.Concl. Secunda concluſio. *Vniuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eadem, vt animal homo atque bos.*

III.Conc. Tertia concluſio. *Denominatiua ſunt, quæ ab alio ſumunt denominationem, quæ ſolo caſu differũt, vt à gramatica gramaticus, à fortitudine fortis.*

IIII.Cõc. Quarta concluſio. *Eorum quæ dicuntur, quædam ſunt complexa, vt homo currit, quædam incomplexa, vt homo, leo &c.*

V.Concl. Quinta concluſio. *Incomplexa, quædam non ſunt in ſubiecto, & de ſubiecto dicuntur, vt homo: quædam ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, vt hæc albedo. Quædam nec ſunt, nec dicuntur de ſubiecto, vt Socrates. Hæc Ariſt. in 1. & 2. capite.*

Littera Scoti. SVMMA LITTERA DOCTORIS.

SVBTILIS Doctor decem excitat quæſtiones antepredicamentales. I. Vtrum liber prædicamentorum ſit de vocibus. II. Vtrum iſte liber ſit de decem prædicamentis, vt de ſubiecto. III. An aliquid ſit vniuocum iſtis prædicamentis. IIII. Sit ne ens vniuocum decem prædicamentis. V. An Æquiuocorum diffinitio ſit conueniens. VI. Sit ne vniuocorum diffinitio conueniens. VII. Vtrum omne genus ſit vniuocum ſuis ſpeciebus. VIII. Num diffinitio denominatiuorum ſit conueniens. IX. Vtrum prima regula Ariſt. A ſit vera. X. Num ſecunda regula ſit vera, Nos autem hunc ordinem aliquãtulum inuertemus, eas quæſtiones primò diſputantes quæ ſignificationi terminorum ſub ſeruiunt, in diſtinctione autem ſequenti, quæ ad prædicamentorum in communi notitiã ſpectant, diſputabuntur.

QVÆSTIO I. Vtrum liber prædicamentorum, ſit de X. vocibus.

Concluſio. *Iſte liber non eſt de decem vocibus, vt de primo ſubiecto. Patet, quia nulla pars logicæ eſt ſic de voce. Tum etiam quia in mente etiam ſunt enunciationes, & ſyllogiſmi.* Concluſio

QVÆSTIO II. Vtrum iſte liber ſit de decem prædicamentis, vt de ſubiecto.

Concluſio. *Obiectum iſtius libri eſt illud intentionale, in quo prædicamenta vniuocè cõueniunt, quod prædicamentum in communi ſeu generaliſſimum dici poteſt. Probatur, quia* B *omnes proprietates quæ per ſe de iſtis determinantur, eſt in quantum habent rationem generaliſſimi.* Concluſio

QVÆSTIO III. Vtrum diffinitio æquiuocorum ſit conueniens? q. 5. eſt Doctoris

Prima concluſio. *Diffinitio æquiuocorum tradita ab Ariſt. conueniens eſt, pro æquiuocatis, quia æquiuocata ſunt illa quæ in ſolo nomine conueniunt, rationem verò habent diuerſam ſecundum illud nomen in quo æquiuocantur.* I.Conclu.

Secunda concluſio. *Æquiuocum ſiue æquiuocatio ſumitur dupliciter, actiuè & paſſiuè, actiuè ſumitur pro æquiuocante, & hoc eſt nomen, paſſiuè verò pro æquiuocatis, in quibus eſt alia & alia habitudo, in æquiuocante quidem ad æquiuocata, & è conuerſo,* quod poſtea explicabitur. II. Conc.

Tertia concluſio. *Quia æquiuocata in vno nomine, poſſunt in alio vniuocari, & ibi* C *habere eandem rationem, ideo in diffinitione æquiuocorum, adiungitur, ſecundum illud nomen, nomine autem ſubſtantiæ, intelligitur eſſentialis intellectus, & hunc diuerſum eſſe dicitur in æquiuocatis.* III.Conc.

QVÆSTIO IIII. An vniuocorum diffinitio ſit conueniens. quæſt. 6. Doctoris

Prima concluſio affirmatiua. *Quæ diffinitio poteſt conuenienter intelligi tam de vniuocis vniuocatis ſic quorum non vt ſignificatorum eſt nomen vniuocantis commune, quia non ſignificantur immediatè per tale nomen, ſed prout contentorum ſub ratione quam immediatè ſignificat illud nomen Quàm etiam de vniuocantibus intelligi poteſt, ſic vniuocãtia ſunt, quorum nomen vt pars totius commune eſt* I. Cõclu.

ne eſt vniuocatis, & ratio ſubſtantiæ eadem vniuocatis, ſecundum illud nomen.

II. Conc. Secunda conclu. *Diffinitio æquiuocorum non poteſt ſic intelligi de æquiuocātibus, quia illorum non eſt nomē, cum nihil ſit æquiuocās niſi ſola vox, nec habent aliquam diffinitionē quorum neutrum impedit, in vniuocorum diffinitione, quim vniuocātibus conueniat, quia & habēt idē nomē, & eādē ſubſtātiæ rationē.*

III. Conc. Tertia concluſio. *Nullum nomen vniuocans eſt denominatiuum, reſpectu eiuſdem, quia denominatiui ratio non eſt ratio ſubſtātialis denominatorum, quod intelligendum eſt de vniuoco eſſentialiter, quo pacto nequit denominatiuum eſſe vniuocū reſpectu ſubiecti quod denominat.*

Q. VII. Doctor. QVÆSTIO. III. Vtrum genus ſit vniuocum ſpeciebus. Hanc quæſtionē mouet Doctor propter exēplum generis adductum in diffinitione vniuocorum, cum tamen ipſe *Ariſt. 7. Phyſico. in genere multas latere æquiuocationes aſſerat.*

I. Cōclu. Prima concl. *Affirmatiua, & patet, cū de illis prædicetur ſecundum idem nomen, & rationem, quæ eſt ratio ſubſtantiæ illis ſpeciebus.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Id à quo ſumitur vniuocatio generis eſt id quod in ſpeciebus eſt imperfectū, & potentiale, habet que modum materiæ, in eis quē eſt principiū alicuius operationis cōmunis, vel paſsionis, & quanto genus communius tanto eius minor in re vnitas.*

III. Cōb. Tertia concluſio. *Genus logicè eſt vniuocum, phyſicè tamen æquiuocum dicitur, eò quod apud Phyloſophum naturalem id tantū vniuocum dicitur, quod eſt vnum ſecundum vltimam formam completiuam.*

QVÆSTIO. III. Vtrum diffinitio denominatiuorum exacta ſit.

I. Concl. *Prima concluſio affirmatiua.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Nomen concretum nō ſignificat proprie ſubiectum ſed tantum formam, vnde idem ſignificatur per nomen abſtractum, & concretum, licet ſub diuerſo modo ſignificandi, propter quem modum ſignificandi dicitur, ſubiectum co intelligi, non tam quàm intraneum illi intellectui per ſe ſed tamquam ad quod dependet intellectus ſub tali modo intelligendi.*

Cum tota rerū ſimpliciū cognitio prout nominibus ſignificantur, ex nominum ſeu terminorū cognitione depēdeat, ideo ſubtiliſsimus Doctor & ferme Omnes interpretes Ariſt. de ipſis ſolēt terminis diſputare, quid ſint, & quomodo ſignificēt, quod & nos intendimus tractare, ita vt vno quoque termino explanato, rē quoq; per illū ſignificatam explanemus.

QVÆSTIO. I. VTRVM Liber prædicamentorum ſit de Decem vocibus, aut Decem prædicamentis.

A DVÆ priores Quæſtiones noſtri Doctoris in hac expendendæ erūt, in qua obiectū iſtius libri inveſtigamus, diſſident maximè tam græci quàm latini Ariſtot. interpretes, in præfiniendo iſtius libri ſubiecto. Quidam enim voces ſimplices rerum ſimplicium ſignificatiuas, Alij conceptus Alij res ipſas tam vocibus, quam conceptibus ſignificatas, obiectum ſtatuūt; & inter hos, nonnulli rem ſimplicem ſeu ens in cōplexū, alij ens dicibile aut ordinabile in genere, quibus omnibus exploſis, mēs noſtri Doctoris ſequenda eſt pro qua.

Ad notare oportet cum eodem. Q. 2. §. ad quæſtionem bifariam poſſe Prædicamēta conſiderari, vel in quantum entia ſunt, I. *Notabi.*
B vel in quantum conſiderantur à ratione, ſeu vt proprietati rationis ab intellectu attributæ ſubſunt. Primo modo conſiderata, ſub Metaphyſicæ ſcrutinio cēſentur eſſe, quæ ens in toto ſuo ambitu reſpicit vt obiectū, ob idque modos entis perſcrutatur, res que in decē genera ſuprema diſtribuit, prædictis modis entis cōſtituta, ex quibus plenior ētis cognitio cōſurgit. Si vero ſecundò ad dialecticā ſpectāt, quæ de illis prout ſubſunt ſecūdæ intētioni, generaliſsima quē dicūtur, differit, paſsiones que ſibi inhærentes demonſtrat, licet enim iſtorum ſecundum ſe non ſit cauſa aliqua, tamē ſuarū paſsionū cōparatione, ſcilicet intētionaliū, cauſam habēt, vnde de ſubſtātia oſtēdit vniuocè prædicari, & nō eſſe in ſubiecto, & pari modo de alijs generibus ſecūdū talē rationem determinat, quia in quātū talia in ſuas diuidūtur ſpecies, & illæ
C vlterius in alias, & ſupra ſe nihil habent quod per diuiſionem ad illa deſcendat, prædictæ ergò paſsiones eis inſunt, quatenus generaliſsima ſunt, illæ que in præſenti determinantur.

Quòd ſi de aliquibus alijs quæ iſtis generaliſsimis prout ſunt entia cōueniūt, determinatur, hoc non ideo ſit vt hoc primò & per ſe intēdat, in prædictaq; ſiſtat cognitione ſed ad pleniorē horū notitiā quantū ad prædicta intētionalia tranſit. Plerumq; enim neceſſariū eſt rerū quæ fundamenta ſunt ſecundarum intentionum, naturas, & proprietates aliquas inveſtigare, vt ſic plenius capi poſsint prædictæ intētiones, quarū cognitio ex cognitione modi ſe habēdi

naturæ

naturæ realis maximè ſolet pendere, vnde falsò nonnulli auſpicantur, nihil in ipſa re logicam conſiderare, quod non ſit ſecunda intentio. Sed in hoc ſenſu intelligendum eſt, vt verum habeat, quod quidquid in ipſa re quæ fundamentum eſt conſideratur, etiam ſi natura & proprietas aliqua realis ipſius ſit (quod logicæ denegãdũ nõ eſt) hoc tamen nõ ideo eſt vt in prædicta ſiſtat cognitione, ſed vt ad pleniorem ſecundæ intentionis cognitionem inſurgat.

I. Conclu. Prima concluſio ſit, obiectum materiale iſtius libri ſunt res ſimplices, conceptus & voces res ipſas ſignificantes, licet primò & principaliter ipſæ res, in quibus ſubiectio & prædicatio paſsiua ſeu obiectiua reperitur, ſecundariò conceptus & voces ipſarũ ſignificatiuæ. *Probatur.* Concluſio quo ad primam partem ſicut ſupra de obiecto logicæ probanda eſt, quia de omnibus his agitur in præſenti, & in omnibus iſtis reperitur forma rationis, licèt diuerſi modè vt dicem9, dicuntur enim ſubijci & prædicari. Secunda pars cõcluſionis probatur, quia ipſe res conceptibus expreſſæ, vocibusque explicatæ ſuntque primò & per ſe ſubijci & prædicari dicuntur, conceptus verò & voces non niſi vt rerũ ſunt ſigna, de illis ergò agit logica vt de his quæ primò & principaliter ſuo formali ſubſunt obiecto, ſecundariò de cõceptibus & de inde de vocibus vt de ſignis quibus explicantur, illis quidem formaliter, iſtis verò inſtrumentaliter.

Vnde ſequitur vt optime oſtendit noſter Doctor q. 1. §. ad quæſt librum hunc non eſſe de decem vocibus vt de primo ſubiecto, nec aliquam logicæ partem ſic eſſe de voce, cum de conceptibus, & de ipſis rebus etiam differatur.

II. *Conc.* Secunda concluſio, obiectum formale iſtius libri eſt rerum ſimplicium ſecundum rationem ſuperioris & inferioris, ſubiectioni & prædicationis ordinatio, quæ alio nomine prædicamentũ dicitur, ſic noſter Doctor & probatur, hic agitur de rebus ſimplicibus vt ordinantur ſecundum rationẽ ſuperioris & inferioris ſubiectionis & prædicationis vt cõſtabit, cum eas diuidamus in varia genera, & ſpecies, in qua ratione vniuocè conueniunt, licet res ſecũdum ſe cõſideratæ non habeant tantam vnitatem, illud ergò intentionale ſeu ordinatio omnibus iſtis cõmune, erit primum & formale iſtius libri ſubiectum.

Obijcit. 1. Quòd ſi quis obiecerit, ſi de ſubſtãtia hic determinatur & de quantitate &c ſecundum quòd aliquid ineſt eis per accidens, A illud ſcilicet intentionale, quod nõ poteſt eis in eſſe per ſe, ergò tãtum de eis per accidens hic determinatur. *Reſpon.* Occurrit Doctor, non eſſe in conueniens illã tantum per accidens & vt de obiecto materiali determinari, quæ per ſe metaphyſicus cõſiderat.

Obijcit. 2. Obijciat quis ſecundo, in libro præcedẽti (vt viſum eſt) de vniuerſalibus ea ratione quã ſubijciuntur & prædicantur diſſeritur, non ergò hic iterum agendum eſt, de rebus ſimplicibus vt ſubijciuntur, & prædicantur. Aut ſaltim ſequitur, librum hunc prædicamentorũ libro prædicabilium ſubalternari, cum obiectum illius, genus nempe generaliſsimum aut prædicamentũ ſub ſubiecto iſtius nempe vniuerſali contineatur, quia ſicut ſubiectum ad ſubiectum ita ſcientia ad ſcientiam.

Reſpon. Reſpondendum eſt ad primam partem, B ſupra explicatam fuiſſe naturam vniuerſalis in communi, hic autem in particulari, non inquirendo an vniuerſalia prædicentur, ſed quæ nam ſint quæ prædicantur & ſubijciuntur, vnde præcedens Porphyrianum opus præſentis eſt introductio. Ad ſecundam partem reſpondet Doctor, ad rationem ſcientiæ ſubalternæ, obiectorũ ſubalternationem ſubiectionem vt non ſufficere, ſed quòd etiam principia ſubalternatæ à ſubalternante accipiantur, vt in poſteri. in præſenti ergò licet ſubiectum ſub ſubiecto ſit, nõ tamen hæc ſcientia ſumit ſua principia ex illa, & ideo alterũ deeſt, quod propria ſcientiarũ ſubalternatio expoſcit.

QVÆSTIO II. QVIT SIT Terminus vniuocus.

C LICET noſter Doctor Ariſtoteli cum ordinem ſectatus, prius de æquiuocis diſſerat, quàm de vniuocis, ſed quia cognitio obliqui à cognitone recti maximè dependet ideo prius vniuocorũ diffinitionẽ expendamus, quæ ſic ſe habet. *Vniuoca ſunt quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſeccũdum illud nomen eſt eadẽ, vt homo & equus vniuocantur in animali.*

Argum. Videtur autem diffinitionem hanc exactam non eſſe, cum latius pateat quàm illius diffinitum, quia album prædicatur de homine & equo ſecundum eandem rationem, alioquim æquiuocum eſſet, & tamen non eſt vniuocum reſpectu iſtorum, cum denominatiuum ſit.

Notabile. Obſeruandum eſt, in quauis vniuocatio

ne tria

ne tria eſſe conſideranda, & res quæ vniuocantur, & conueniunt in nomine & in ratione, per tale nomen ſignificata, & illa ratio in qua prædictæ res conueniunt, & tandem ipſum nomen ſignificans immediatè rationem illam illis rebus comunem: res ipſæ dicuntur paſsiuè vniuoca, ſcilicet vniuocata, nomen vero dicitur actiuè ſcilicet vniuocans.

I. Conclu. Prima concluſio. Per hanc Ariſtotelis diffinitionem, diffiniuntur vniuoca vniuocata, Sic noſter Doctor, & probatur ex exemplo ab Ariſtotele adducto, ait enim *vt animal, homo atq; bos communi nomine vtraque animalia nuncupantur*, loquitur ergo de vniuocatis, de bobe nempe & homine qui in animali vniuocantur, & conſtat ex ratione ab ipſo ſubiuncta. *ſiquis aſſignet vtriuſq; rationem, quid vtrumq; ſit in eo quod ſunt animalia, eandem aſſignabit vtrius quæ rationem*, hoc autem manifeſtè ad vniuocata refertur, quæ eandem rationem habent communem eodem nomine ſignificatam.

Explicat. Diffinitio. Explicatur autem hæc diffinitio ex Doctore ſic. *vniuoca* (ſcilicet vniuocata) *dicuntur*, in quo oſtenditur, res in ſe non eſſe vniuocas æquiuocas vè niſi quatenus nominibus vel conceptibus ſignificantur, aut concipiuntur, *Quorum*, non vt immediate ſignificatorum nomen eſt vniuocans *commune*, quia tale nomen non ſignificat immediatè aliquod vniuocatorum, in quo ab æquiuocis diſtinguitur, ſed *quorum* vt ſub vniuocante contentorum eſt nomen vniuocans commune, *& ratio ſubſtanciæ* vniuocatorum tali nomine ſignificata *eadem illis*, dicitur *ratio*, hoc eſt diffinitio aut propriè ſumpta, qualis eſt, rerum genere & differentia conſtantium, aut largè vt comprehendit quam cumque rerum ſimpliciũ eſſentialem explicationem: conceptum ve obiectiuum, vt generum ſupremorum. Dictio illa *ſubſtãtiæ* eſſentiam & quiditatẽ dicit, huncq; ſenſum præſtat, ratio ſubſtantiæ eſt eadem & eſſentialis vniuocatis, ita vt ratio ſubſtantiæ ſignificata per nomen vniuocans, ſit ratio ſubſtantiæ avt diffinitio & quiditas eſſentialis vniuocatorum, licèt non adæquata & propria ſed inadæquata & communis

Ex quo deducitur, vniuocata (inter quæ relatio datur æquiparantiæ cum eodem nomine ſignificentur atq; adeo vna res abſolutè ſumpta nõ eſt vniuoca) in illa ratione communi plurium poſſe denominationem ſuſcipere, vnde homo & bos non tantum plures dicuntur ſpecies, ſed etiam pro ut in animali conueniunt, in quo vniuocantur, plura animalia dicuntur.

II. Concl. Secunda concluſio. Diffinitio hæc facile poteſt vniuoco vniuocanti aplicari, ſic, terminus vniuocus eſt qui ſignificat vnam rationem communem pluribus, diuiſiuè ſeu ſeorſum ab illis participabilem, cum enim intellectus vt vidimus, naturas communes à particularibus exuendi vim habeat, nomen, hanc rationem pluribus communem ſignificans, vniuocum erit.

III. Con. Tertia concluſio. Vniuocatio actiua ſeu vniuocum vniuocans non tantum datur in voce, ſed etiam in mente Hæc patet, quia ſicut datur nomen rationem ſignificãs pluribus communem, ita etiam datur mentis conceptus eandem rationem pluribus cõmunem repræſentans, & talis conceptus dicitur formalis, ratio vero per illum repræſentata conceptus obiectiuus, ſeu ratio obiectiua.

Obſerua. Sed aduerte quòd iam cõmunis vſus obtinuit, vt ipſa ratio pluribꝰ cõmunis vniuoca dicatur, ipſa vero inferiora vniuocata, quo pacto ſolet dici, rei in res ſeu naturæ in inferiora diuiſio, vniuoci in vniuocata.

IIII. Conc. Quarta concluſio, In vniuocis datur latitudo, quia vnus terminus eſt magis vniuocus quàm alius, ille nimirum, qui naturam magis vnam, & minus diuiſibilem, atquè adeo magis æqualiter inferioribus participatam ſignificat.

Notabile. Vnde Supponendũ eſt cũ noſtro Doctore q. 7. Ante pre. & in lib. Elench. Q. 13. 15. & 16. & in 1. D. 3. Q. 1. & 3. & D. 8. Q. 3. Triplicem vniuocationem dari, Phyſicam Metaphyſicam & Logicam. Prima eſt quæ ſub eodem nomine vnam importat naturam formaliter prorſus indiuiſibilem, hoc eſt in plura ſpecie diſtincta. Sed ſolo numero & materialiter. Secũda vero quãcumq; rationem importat à pluribus præciſam vel præciſibilem, à quibus participatur. Tertia vero ſupra hanc, ſolam ſecundam intentionem vniuerſalitatis ſuperaddit, quippe cum illa ſit fundamentum iſtius, & logicus rationibus communibus metaphyſicis prædicabilium intentiones attribuat.

Corollariũ Ex quo deducitur vt ait Doctor 15. elenco. § *Ad aliam rationem*, ſolum vnum ſecũdum formam completiuam (qualis eſt ſpecies infima quæ vltimã differentiã quæ eſſẽtiam rei complet, includit) vniuocum dici Phyſicè. Hoc autem ideò ait Doctor, quia Phyloſophus naturalis ipſas res in ſe conſi-

conſiderat, in quibus ſola natura ſpecifica cum omnimoda vnitate reperitur, aliæ verò rationes genericæ, cum, differentijs eſſentialibus ſint contractæ, non habent omnem vnitatem, vel modi eſſendi, vel ordinis & perfectionis eſſentialis, obidquè, in ſola ſpecie athoma comparationem fieri, in genere latere æquiuocationes, & corpus æquiuocum eſſe ad corruptibile, & in corruptibile affirmat. quia in re aliam naturã eſſe videt corporis corruptibilis, & in corruptibilis, Logicus autem quippe qui res conſiderat vt cadunt ſub ratione, ab omnibus prædictis per rationem præcindit id que omne apud ipſum eſt vniuocũ, quod ſecundum vnam rationem ſecundum quã de multis dicitur, ab intellectu conſideratur, & à quibus cumq; logicus vnam rationem communem abſtrahit, illa dicuntur in illa ratione communi vniri ſeu vniuocari, vnde corpus apud logicum vniuocum eſt ad corruptibile, & in corruptibile. Multa ergò vniuoca ſunt apud logicum, quæ apud naturalem æquiuoca dicuntur.

II. *Notab.* Quòd vt, Amplius innoteſcat, obſeruare iterum oportet, quòd cum quadruplex vnitas in qualibet vniuocatione conſiderari poſsit, Prima eſt vnitas ipſius rationis præciſæ ſeu naturæ communis pluribus, Secunda eſt modi eſſendi, qua ſcilicet natura illa communis eundem eſſendi modum habet in inferioribus. Tertia, Vnitas ordinis eſſentialis, qua ſcilicet abſq; ordine eſſentiali prioris, & poſterioris; ſed æquè primò in illa deſcendit. Quarta. Tandem vnitas gradus perfectionis eſſentialis, quã nempe cum eadem perfectione eſſentiali eſt in pluribus, ita vt non ſit in vno eſſentialiter perfectior quàm in alio, ſiue ex ſe ſiue ex adiuncta differentia, Prima vnitas, rationis ſcilicet, conceptus vt obiectiui pluribus communis, eſt de intrinſeca ratione cuius cumque vniuoci, ita vt ea defficiẽte, non iam vniuocum ſed æquiuocum ſit, vt Quæſtione ſequenti, ex alijs autem tribus vnitatibus, quò plures vel pauciores fuerint repertæ in aliquo vniuoco, eò magis vel minus vniuocum erit.

Hinc apud Scotiſtas quadruplex gradus vniuocationis conſtituitur. Primus eſt, & omnium perfectiſsimus, in quo omnes cõmemoratæ vnitates reperiuntur, quo gradu vniuocationis ſola ſpecies athoma potitur. Secundus gradus tres priores continet vnitates, ab eo tamen quarta defficit, perfectionis ſcilicet eſſentialis, qui gradus in quouis genere reperitur, quod ratione

A differentiæ eſſentialis perfectioris adiunctæ, perfectius eſt eſſentialiter in una ſpecie quàm in alia. Tertius eſt in quo ſunt duæ priores, duæ autem aliæ poſteriores defficiunt, Quartus tandem ſolam priorẽ habet, rationis ſcilicet pluribus cõmunis, caret autem alijs, & ideo omniũ minimus cẽſetur. Hic autem quartus adhuc duplex poteſt eſſe, aut ille qui vnam dicit rationẽ communem inquouis membro intrinſecè repertam, aut ille qui vnam rationem aut formam vni intrinſece conuenientem alijs autem extrinſece, vt ſanum (ait Doctor Q. 16. elench. §. propter hoc) vniuocum eſt hoc vniuocationis modo, quia ſolum vnum primò ſignificat, humorum nempe proporcionem, quæ in animali reperitur vt in ſubiecto, in vrina vt in ſigno, & in dieta vt in conſeruante.

B Ad Argumentum in principio poſitum cum noſtro Doctore Reſpondendum eſt. in preſenti vniuocum eſſentiale dun taxat diffiniri, & illum ſolum vniuocum appellari, poſſe tamen vniuocum ſumi largius, prout importat vnam rationem communem, ſiue illa ratio ſit ratio eſſentialis ſubiecti, ſiue denominatiuè, ſiue per accidẽs conueniat ſubiecto, & licet primo modo Prædicatum accidentale, non vniuocum ſed denominatiuum ſit, benè tamen ſecundo modo. vnde dixit Doctor ſupra Q. 3. Ad. 4. vniuocè prædicari de multis non conuenire denominatiuo, benè tamen eſſe vniuocum prædicatum, quia primum rationem eſſentialem vniuocatis importat, ratio autem denominatiui non eſt ratio ſubſtantialis denominatiuorum & in 1 ſent. d. 8. Q. 2. *Ad Argument. 1. Opinio*

C Sumpto vniuoco primo modo, prædicatũ denominatiuum medium eſſe ait, inter vniuocum & æquiuocum, Si verò Secundo modo, vniuocum, & æquiuocum eſſe immediata apud logicum.

QVÆSTIO III. DE ÆQVIuocis & Analogis.

AEQVIVOCA (inquit Ariſt.) *ſunt quorum ſolum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſecundum illud nomen diuerſa.*

Non vocamus in controuerſiam Grãmaticos, qui leuibus conuicti argumentis, æquiuoca dari negant, quos merito communis omnium Phyloſophorum vſſus explodit, ſed id vt certum ſupponimus, cum in nume-

innumera ſint nomina paſsim nobis obuia quæ plura ex æquo ſignificant, vt Populus arborem et vrbem, frons folium, & partem capitis. de ſola ergò diffinitionis conuenientia, quæſtio hæc excitatur.

I. Argum

Primum cõtra eam opponitur. Æquiuoca diffiniri non poſſunt, cum non habeant rationem ſubſtantiæ, ideſt diffinitionem ineptè ergò illius diffinitio exquiritur.

II. Argu.

Secundum, contra præfixam diffinitionem, ſi æquiuoca dicũtur, ergò ſunt voces, dici enim ſolius vocis proprium eſt, ſed voces ſunt nomina: ergò prima particula & ſecunda repugnãt. Itẽ. Si ſolũ nomẽ eſt cõmune: ergo nihil aliud, quia ex vi illius exclusiui hoc ſequitur. Subditur ergo ſuperfluè particula illa, ratio ſubſtaniæ diuerſa.

III. Argumẽ.

Tertium contra exemplum. Si Animal æquiuoce diceretur de homine vero & picto pari ratione quod libet nomẽ æquiuocũ eſſet ad veram naturam & eius ſimilitudinem, atque adeo omnis propoſitio eſſet diſtinguenda, & nulla eſſet abſolutè & ſimpliciter vera.

IIII. Arg

Quartum tandem, ſignificare forma nominis eſt, ergò vbi ſunt plura ſignificata, plures ſunt nominum formæ atque adeo plura nomina, vnum ergò nomen plures nequit habere ſignificationes.

Suppoſito, in æquiuocis etiamdari æquiuocationem actiuam & paſsiuam, ſeu æquiuocum æquiuocans, & æquiuoca æquiuocata.

I. Conclu.

Prima concluſio. Sit prædictam diffinitionem ſatis conuenienter eſſe datam pro æquiuocis æquiuocatis, pro ipſis ſcilicet rebus quæ æquiuocæ dicuntur, quæ ſic eſt intelligenda, æquiuoca æquiuocata ſunt quorũ vt ſignificatorum ſolum nomen eſt cõmune, vt ſignum, quia ipſa æquiuocata ſunt immediata ſignificata ipſius nominis, vnde nomen cõmune quod æquiuocũ æquiuocans dicitur, eſt id quod ex æquo & immediatè plura diſtincta vt diſtincta sũt ſignificat, ſicut ergo tota ratio nominis vniuoci in hoc conſiſtit, quòd immediatè ſignificat id in quo plura conueniunt, quanuis in aliquo alio differant, tota verò nominis æquiuoci, in hoc vt immediatè ſignificet rationes in quibus differunt res quæ æquiuocantur, licèt in aliquo alio conueniant, id tamen non ſignificatur per nomen æquiuocum, ideo duæ illæ particulæ ſubdũtur, ſecundũ illud nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa eſt, quæ enim in vno nomine æquiuocantur, in alio vniuocari poſſunt, vt animal latrabile, piſcis quidã marinus & ſydus quoddam cœleſte, ſub hoc nomine canis æquiuocantur, quia vt hoc nomine ſignificantur, in ipſo ſolo nomine canis conueniunt, vniuocantur autem in hoc nomine ſubſtantia, vel corpus, quia vt prædictis nominibus ſignificantur, non tantum in ipſo nomine ſed in ratione per illud immediatè ſignificata conueniunt.

II. Concl. Scotus. Sarnanus. Anglicus. Mauritius

Secunda conclu. Duplex eſt gradus ſeu æquiuocationis modus, Sic noſter Doctor q. 23. vniuerſali. & in lib. Elench. q. 15 & 16 ex Ariſtotele ibidẽ primus eſt in quo vox æquiuoca multa importat primò & equaliter, abſque ordine aliquo, habitudine ve æquiuocatorũ, vt hæc vox canis, quia non prius aut magis vnũ quàm aliud, Secundus eſt in quo vox aliqua vnũ propriè aliud vero per tranſumptionem ſignificat, translatio ergò & tranſumptio à propria ſignificatione ad impropriam per aliquam ſimilitudinem, ſecundum modum æquiuocationis cauſat, probatque Doctor ex Ariſto. 1. elench. c. 2. dicit enim, quod ſecundus mo modus æquiuocationis, & Amphibologiæ reſultat ex hoc quod ſoliti ſumus ſic dicere, ſicut ridere actũ hominis propriè ſignificat, & per quandã, tranſlationẽ floritionẽ vel florigererationem pratorum. Primus modus à caſu. Secundus à conſilio.

III. Concl. Scotus. Rada in 1. controuer. contro 21. Arti. 2.

Tertia conclu. Inter æquiuocum & vniuocum nullum datur medium. Sic noſter Doct. q. 15 & 16. elench & in 1. d. 8 q. 3. & omnes illius diſcipuli probat que. tum ex Ariſt. qui in præsẽti de vniuocis & æquiuocis differens, nullũ inter ea mediũ conſtituit, tum etiã ratione, inter iddẽ & diuersũ vnum & multa nullum in rebus medium reperitur, ergò nec in vocibus inter ſignificare vnum aut multa, datur medium, ſed vniuocum vnum ſignificat, æquiuocum vero multa.

Confirmatur, omne quod concipitur, cõcipitur ſub eadem ratione vel diuerſa, ac qui illa quæ ſub eadẽ ratione concipiũtur, ſub illa vniuocantur, quæ autẽ ſub diuerſa concipiuntur ratione, ſub illis rationibus diuerſis æquiuocantur.

Ex quo deducit Doctor q. illa. 16. elench *§. propter hoc dicendum*. Analoga inter vniuoca & æquiuoca medij rationem non habere, ſed vniuoca vel æquiuoca eſſe, Si enim Analogum rationem vnam ſuis inferioribus communem importat, vniuocum eſt vt ſanum, quòd ſi plura cum translatione æquiuocum vt ridere.

Prætermittendum non eſt, quòd aduertit Doctor in 1.d.8.q.25.Ad Argument.1. opinio.illam dici vnitaté attributionis ſecundũ quam reſ aliquæ ad inuicem habent habitudinem, prioris et poſterioris menſurati ad menſuram, excesſi ad excedés quæ vnitas cũ minor ſit vnitate vniuocationis illá non infert, cum illa tamen ſtare poteſt vt genus vnitatem habet vniuocationis ad ſpecies ſubſe cõtétas, cũ qua ſtat vnius ſpeciei ad aliam attributio, ſecumdum quam Phyloſophus dixit, primum in vno quoq; genere aliorum eſſe menſuram, atquè adeo Analogia ſtare poteſt cum vniuocatione, poterit etiam vt ait Doct.q.15. elénch. vnitas attributionis cũ æquiuocatione ſtare, ſi illa quæ in re habitudiné habent ad inuicẽ ſub diuerſis rationib9 ſignificentur.

Obſerua etiam quod noſter Doct. q.15. vniuerſ. & q. 10. prædicam. vnitatem proporcionis videtur admittere inter res primo diuerſas diuerſorum ſcilicet generum probatque ex 5. metaph. eamque conſiſtere ait in ſimiliter ſe habere, ſicut enim color ſe habet ad albedinem ita animal ſe habet ad hominem. Sed nos alibi.

IIII. Concluſio. Quarta conc. in conceptu vltimato non datur æquiuocatio actiua ſeu æquiuocum æquiuocans, & hoc eſt quod dici ſolet in mente vltimata non dari æquiuocationem Sic noſter. Doct. & probatur, ideo vox aliqua eſt æquiuoca, quia ipſa vna exiſtés plura ſignificat, non vt in vna ratione conueniunt, ſed vt plura ſunt ſecundũ proprias eſſentias diſtinctas, ſed nullus conceptus vltimatus poteſt ſic plura ſignificare, quia conceptus vltimatus, eſt ſimilitudo naturalis rei cuius eſt cõceptus, ſed ſimilitudo naturalis vnius nequit eſſe ſimilitudo naturalis alterius prout diſtincti vt ſuo loco probabitur. ergo nec poteſt eſſe conceptus plurium vt plura & diſtincta ſunt.

Ad I. argmeunt. Ad Argumenta Reſpõdendum eſt. Ad. 1 diſtinguatur antecedes, æquiuocum materialiater & in particulari ſumptũ cõcedo, Secũnde intentionaliter & iu communi nego, Secunda enim intétio æquiuoci vniuoca eſt, quia omnia æquiuoca in hoc conueniũt, quòd eſt denominare res æquiuocas ratio hæc cõmunis intentionalis abeis abſtrahitur, quæ licet vt quid, ſeu vt alij vt quo & in actu ſignato æquiuoca ſir, vt modus tamen, ſeu vt quod & in actu exercito vniuoca eſt, Hæc ergò intentio eſt quæ diffinitur, licet illa quibus ineſt hæc intentio non ſint vniuoca, nec diffinibilia, ſicut hæc intentio generaliſsimum eſt diffinibilis & diffinitur à Porphyrio, licet ſubſtantia, vel aliud cui in eſt hæc intentio nõ diffiniatur.

Ad II. Ad II. Supra explicata eſt illa particula (dicũtur,) diffiniũtur auté æquiuoca æquiuocata in plurali, quia relatiua æquiparantiæ (ait Doct)ſic ſolent ab Ariſtotele diffiniri. 5. Metaph. quodlibet autem æquiuocatum habitudinem importat rationis, non tantum ad nomen æquiuocans, ſignificati ad ſignum, ſed etiam ad aliud æquiuocatum, ſydus enim cœleſte non dicitur æquiuocari ſub hoc nomine canis, niſi comparatione ad animal latrabile & marinum quæ ſunt æquiuocata.

Ad. III. Ex vi autem illius excluſionis (ſolum nomen eſt comune) non infertur an ratio ſubſtantiæ diuerſa debeat eſſe ſub eodem nomine, an etiam ſub alijs, & hoc explicari oportuit vt æquiuoco eſſentiale.

Ad tertium. quod libet nomen ſic comparatum æquiuocum eſſe, cum ſolum nomen ſit commune, nec ideo omnis propoſitio eſt diſtinguenda, quia abſolute & ſimpliciter ſtat pro proprio ſignificato. Nec enim in conuenit quòd idem nomé reſpectu aliquorum vniuocum ſit, aliorum verò comparatione æquiuocum, ſicut eadem res prout diuerſis nominibus ſignificatur, vniuoca aut æquiuoca dici poteſt. Ad. IIII.

Ad Quartum in libri Periermeni.

Nomen ergo vniuocum vnica impoſitione ad plura ſub eadem ratione ſignificanda impoſitum eſt, vna enim impoſitio ex vna ratione ſignificandi accipitur, ob id nequit viuocum ab vnius ſignificatione cadere, quim ſimul etiam cadat ab aliorum ſignificatione, Æquiuocum verò quia diuerſis rationibus ita & diuerſis impoſitionibus plura ſignificat, à ſignificatione vnius poteſt deponi, quim ab altero ſignificando defficiat.

QÆSTIO. IIII. NVM

Verum ſit denominatiua ſolo caſu differre an etiam in ſignificato.

De *Nominatiua* (ait Ariſt.) *dicuntur quæ cumquè ab aliquo ſolo differentia caſu ſecundum nomen habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis &c.*

Suppoſitis his quæ de termini in abſtractum et Concretum, Abſolutum, connotatiuum & Denominatiuũ diuiſione, in noſtra introductione prædiximus, quæ forsã mo

do po-

do poterunt ex actius capi, ſi in memoriã reuocentur) antequam ad id circa quod li tem excitant Doctores, deveniamus, quæ omnibus ſunt in confeſſo præmittamus.

Certum eſt, tria in quauis denominatione reperiri, denominans, denominatum, & denominatiuum, denominans eſt forma per nomen abſtractum importata, vt albedo, dicitur què denominans, quaſi de ſe aliud nominans, denominatum eſt quod à tali forma denominatur, vt corpus denominatur album ab albedine, denominatiuum autem ipſum concretum, quod pro formali formam denominantem importat, pro materiali ſubiectũ, vt album. Hæc denominatio duplex eſt, vna intrinſeca, extrinſeca altera. Illa eſt quæ à forma in ipſo ſubiecto recepta emergit, vt paries ab albedine ſibi adhærente albus dicitur, hæc verò quæ ſumitur à forma extrinſeca, quæ nimirum non in re quæ denominatur ſed in alio poſita eſt, ſic paries viſſus nominatur à viſsione quæ non in ſe ſed in oculo iacet, intrinſeca rurſus duplex eſt, vna accidentalis quæ ſumitur à forma accidentali, quæ nimirum procul eſt ab eſſentia rei, ſiue illa ſit accidens prædicabile, ſiue prædicamentale, vt à riſibilitate riſibile, à veſte veſtitus, ab Aureo Auratus. Alia verò eſſentialis quæ ex eſſentialibus rei deſumitur, vt rationale à rationalitate.

Conueniunt ergò omnes ſola concreta accidentalia ſubhac diffinitione comprehendi, non verò eſſentialia, vnde denominatiuum debet eſſe connotatiuum, formam ſubiecto accidentaliter conuenientem importans, quod expreſſe conuincit particula illa (ab alio appellationem habent) hoc eſt ab accidentaria & extranea forma, nec enim homo aut rationale ſignificant formam alteri adiacentem.

Denominatiua igitur quæ Græcè Paronyma dicuntur, ea ſunt quæ ab alio (ſcilicet à ſuo abſtracto) appellationem accipiunt, vt candidum à candore, à quo ſolo caſu, ideſt ſyllabarum cadentia, ſeu terminatione aut inflexione vocabuli diſcrepant, quæ diffinitio rebus ipſis conuenit, vt illis in quibus exercetur talis denominatio, vocibus autem vt eis quibus ſignificatur, ſignificant enim appellationis variationem per variationem caſus.

Sunt autem denominatiua in triplici diſcrimine quædam ſecundum rem & vocem, quæ ſcilicet cũ formis à quibus appellationem ſortiuntur, conueniunt vocè & in re, vt fortis à fortitudine. Alia quæ in re & nõ A in voce vt virtus & ſtudioſus, Alia tandem in voce, & non in re, quæ nimirum in ſola voce conueniunt, non tamen in re ſignificata, vt ſtudium et ſtudioſus.

Ea verba Ariſtot. in prædicta diffinitione poſita (à quo, ſolo caſu differunt) non leuem offerunt ambigendi anſam, num etiã differant in re ſignificata, & hoc eſt quod exquiri ſolet, num denominatiuum idem ſignificet, quod abſtractum, ſcilicet formã duntaxat, vel etiam aliquid aliud vt ſubiectum, duæ enim opiniones ſibi aduerſæ controuerſiam hanc ſinuoſam reddunt.

Prima (quam plerique Doctores tam ex Antiquis quàm ex recentioribus profitentur) affirmat, concreta Accidentium vt album & ſimilia, compoſitum ex forma accidentali et ſubiecto cui adiacet, adæquatè ſignificare: ita vt illorum quodlibet ſit per B ſe et partiale ſignificatum nominis concreti, vnum materiale & aliud formale. non quidem ita vt vtramque partem proxime et immediate ſeu in recto ſignificet, ſicut nomina abſoluta in ſubſtantijs compoſitis, quæ in recto omnes & ſingulas partes vt interſe copulatas ſignificant, ſed hoc ordine vt ſignificatum in recto, atque adeo primarium ſit materiale, nempe ſubiectum formale verò ſit in obliquo atque adeo ſecundarium.

Id autem diſcriminis conſtituendũ eſſe volunt, inter nomen abſtracti vt albedo, & nomen ſignificans effectum formalem accidentis, vt eſſe album, ſedere, ægrotare, & nomen concretum, vt album, ſedens, ægrotans, quòd primum ſolam formam ſignificat, Secundum eandem formam vt in hæ C rentem ſubiecto, vnde formam & illius inhærentiam ſignificat ſubiectum vero tantũ conſignificat, concretum verò vtrumquè per ſe ſignificat, ſubiectum, formam, illorum que vnionem, ſed ordine conſtituto.

Opinio hæc ſic explicata, probatur primo ex Ariſtotele, diſerte hoc teſtante. 7. metaphyſi. tex. 3. vbi ait quòd ambulans ſedens & ſanũ, apparẽt magis entia quàm ambulare, ſedere, & ſanum eſſe: quia illa includunt ſubſtantiam & ſubiectum affectũ aliquo horum Accidentium, et tex. 25. in dictis ſecundum accidens (ait) non eſt idẽ quod quid eſt, propter duplex ſignificare, vt muſicum & albũ, quia ſignificãt id quod accidit, et id cui accidit.

Secundò, Significare eſt intellectum cõſtituere ex Ariſt. 1. perier. c. de verbo, ſed

nomen concretum intellectũ ſubiecti conſtituit, hoc eſt dat intelligere ſubiectum: cum accidens ſine ſubiecto intelligi nequeat, & ex hoc probatur, quòd ſubiectum primò ſignificatur, quia illud primò intelligitur prolata voce, cum ſubiectum ſit prius cognitione accidenti.

III. Argum. Tertio, Nomina illud ſignificant in recto & per ſe, pro quo accipiuntur & ſupponũt cum ſuppoſitio ſit acceptio nominis pro re ſignificata, & terminus ſupponẽs ex hoc quòd ſupponit, non habet nouum ſignificatum, atqui prædicta nomina accipiuntur & ſupponunt in enunciationibus pro ſubiecto, non tantum poſita vt ſubiecta vt in hac album currit, vnde Ariſtotel. 1. poſt. tex. 35. hanc eſſe per accidens affirmat, album eſt lignum, quia ſignificatur, quòd illud cui accidit album eſt lignum: hoc ergo eſt quod in ſubiecto ſupponitur per albũ: ſed etiam poſitum vt prædicatũ cum enim dicitur homo eſt albus, ſenſus eſt, homo eſt habens albedinem, & hoc eſt ſubiectum in recto, cum forma in obliquo.

Confirmat. Confirmatur, quia ſi tantum ſignificaret album idem quod albedo, ſed ſub modo cõcernentis vel in hærentis, ergo de quo dicitur album de eo dicitur interpretatio eius ſcilicet albedo concernens, aut in hærens, atq; adeo falſa eſſet enunciatio hæc, homo eſt albus, cũ homo nõ ſit albedo in hærens.

IIII. Argumẽ. Quarto, Idem ſignificat diffinitum & diffinitio, & eo modo ſignificat nomẽ quo diffinitur, ſed in diffinitione concreti ponitur ſubiectũ primò & in recto, forma verò in obliquo, & ſecundario, vt albũ eſt habẽs albedinẽ, ſic ergò per concretum ſignificabitur.

II. Opinio. Secunda opinio aſſerit concretũ & abſtractũ in Accidẽtibus non differre in re ſignificata, ſed tantum in modo ſignificandi, & concipiendi, quia vtrumq; eandem formam ſignificat, illud per modum adiacentis ſubiecto atque adeo nõ ſignificat ſubiectum, ſed tantum connotat, innuit &, ſinuat illud quaſi extrinſecè & in obliquo.

III. Opini. Tertia opinio, media via procedit, & vtramque extremam nititur conciliare, ſic terminum denominatiuum à parte ſubiecti poſitum, principalius ſignificare ſubiectum, vt ſub eſt formæ, à parte verò prædicati aut, abſolutè ſumptum ſolam, formam connotando ſubiectum.

I. Notabi. Congruit tamen ad veritatem hanc iuxta ſecũdam opinionem quæ eſt noſtri Doctoris elucidandam animaduertere cum eodem, quòd licet Accidens non ſit ſine ſubiecto, in ſe tamen eſſentia quædam eſt A ab eſſentia ſubiecti diſtincta, cum in diuerſo genere conſtituatur, licet non ita perfecta, cum ergo eſſentia Accidentis ſub propria ratione intelligitur & ſignificatur, correſpondet ei modus ſignificandi abſtractus quando autem intelligitur prout ſubiectũ informat, tali modo intelligendi correſpondet modus ſignificandi concretus.

Concluſio. Scotus. Concluſio Sit, quæ ſententia ſecunda nobis probatur. Sic noſter Doct. ſicut ergo eadem eſſentia accidentis ſub vtro què intelligendi modo intelligitur, ſic etiã idem ſignificatur per nomen abſtractum & concretum, licet ſub modo ſignificandi diuerſo. Vnde denominatiuum per ſe & in recto ſignificat accidens, ſubiectum vero in obliquo, & ſic ſolet appellari, ſignificatum conſuſum, minus principale, materiale conſignificatum vel connotatum.

I. Probat. B Probat. concl. primò ex Ariſt. expreſſè eam teſtãte c. de ſubſtantia, album ſolã qualitatẽ ſignificare docet, & in hac diffinitione, denominatiua à denominantibꝰ formis ſolo ait caſu differre, quæ ſi verba attẽtius ponderentur noſtrum exprimũt aſſertum.

II. Probat. Secundò probatur, ſi tam formale quàm materiale eſſet ſignificatum per ſe concreti, vt prima opinio affirmat, nullo modo de ſubiecto poſſet prædicari, cum totum vt totum de ſua parte prædicari non poſſit, falſum enim eſſet dicere homo eſt conſtans ex homine & albedine, Tum etiam quod ſi per ſe primò ſignificaret ſubiectum, accidens non diffiniretur per ſubiectum tam quàm per additamentum, ſed vt per quid eſſentiale, contra Ariſtot. 7 Metaph. tex. 17. id enim quod primò & per ſe ſignificat nomen, primò & per ſe in diffinitione locatur.

C Tertiò ſi denominatiuũ ex parte prædicati poſitũ ſignificaret primò & per ſe ſubiectum, cõmitteretur in propoſitione nugatio quia addendo rationẽ concreti loco nominis, idẽ bis diceretur, & idẽ de ſe ipſo prædicaretur, vt cũ dicimꝰ corpus eſt albũ, ſenſus eſſet corpus eſt corpus albũ, & ſi ex parte ſubiecti, hæc albũ eſt lignũ eſſet eſſentialis, quia prædicatũ eſſet de eſſẽtia ſubiecti.

Tandem quod libet denominatiuũ eſſet cõplexum re, cũ ſub vna voce plura per ſe ſignificet, & in complexorum exem pla poſita ab Ariſtot. falſa eſſent, vt currit vincit, Præterea eſſet æquiuocum, quia illa plura per ſe ſignificata res ſunt diuerſorũ generum, quibus non eſt aliqua ratio ſubſtantiæ commu-

communis, aut ſaltim non ſignificantur ſub aliqua tali ratione communi ſubiectum & A Accidens per denominatiuum. Quod ſi dixeris non eſſe æquiuocum quia non ſignificat vtrumquè ſub propria ratione ſed formam ſub modo inhærentis, & ſubiectum vt informabile. Contra hoc inſtat Doct. quod non ſignificat aliquid ſub propria ratione, non ſignificat illud, ſicut ille qui non intelligit aliquid ſub propria eius ratione, non intelligit illud; ergò ſimpliciter eſſet dicere, non ſignificare ſubiectum. Inſuper propria ratio ſubiecti eſt ratio informabilis, nomen ergo illud ſub hac ratione ſignificans ſub propria ſignificat.

Addi etiam poteſt, quòd ſignificatio expreſſa, clara diſtincta et determinata eſt præſtātior quàm obſcura, cõfuſa & inuoluta, implicita, et indeterminata: ſed denominatiuum vt ipſi etiam contrarij fateri tenentur, ipſam formam accidentalem ſigni B ficat clarè, expreſſè, explicitè, diſtinctè, & determinatè, ſubiectum verò confuſſe implicitè, & indeterminatè, quatenus affectum accidenti, ſeu vt terminat accidentis dependentiam, non exprimendo quid nam ſit illud ſubiectum, vt album clarè, & determinate dicit albedinem, ſed non dicit determinatè. Num albedo ſit in homine quantitate &c. Sed omnia hæc indeterminatè confunduntur ſub illa dictione habens, quia ex vi ſignificationis haud ſignificatur, quid ſit illud habens, hoc autem eſt innuere, & inſinuare ſubiectum, ergo perfectius ſignificat denominatiuum formam quam ſubiectum, quapropter ſola illa in enunciationibus attenditur, vt prædicatum eſſentialiter vel accidentaliter ſubiecto conuenire dicatur.

Cæterum vt Argumenta opinionis aduerſæ facilè refelli poſsint, id quod aliquantulum obſcurè noſter Doctor in Argumentorum ſolutionibus proponit, vt radicitus capere poſsis, obſerua, quod Accidens vel poteſt conſiderari ſecundum ſuam eſſentiā, quo pacto ordinem dicit tranſcendentalem ad ſubiectum, quia ſua aptè natura eſt forma ſubiecti, et entis ens dicitur, vel vt actu adiacet ſubiecto, & illud informat, quod non eſt ei eſſentiale, ſed complementū ſui eſſe, habet enim ſe inhærentia reſpectu exiſtentiæ Accidētis, ſicut ſubſiſtentia reſpectu ſubſtantiæ, quia ergo abſtractum ab hoc ſecundo abſtrahit, ſolam formā ſignificat ex modo ſignificandi, quaſi cohærentem, id eſt ſine hærentia & informatione, quod vocant, per modum per ſe ſtantis, ideo ex modo ſignificādi nō dat intelligere ſubiectum, quia tamen ſecundum ſuā eſſentiam ordinē dicit ad ſubiectum, ideo dat intelligere ſubiectū ex ipſa re ſignificata, quia ſcilicet res quā per ſe ſignificat dependētiam habet à ſubiecto, & ideo dixit Ariſtot. 7. Metaphyſ. in diffinitione accidentis abſtracti ponendum eſſe ſubiectum, concretum verò quia ſignificat eſſentiam accidentis per modum ſubiecto inhærentis, non ſolum dat intelligere ſubiectum primo modo vt abſtractum, ſecūdum quam conſiderationem ait Doctor quòd modus ſignificandi concretus non eſt principium intelligendi ſubiectum, ſed dependentia rei ſignificatæ à ſubiecto, inſuper dat illud intelligere vt actu eſt ſubiectum, cui ſcilicet actu inhæret accidens, & B ſic dicitur cointelligi, ex vi modi ſignificandi concreti, non quidem tanquam intraneum illi intellectui per ſe, quem ſcilicet conſtituit nomen primò & principaliter, ex vi ſuæ ſignificationis, ſic enim ſolius accidentis intellectum conſtituit, hoc eſt quod ex vi ſuæ ſignificationis ſeu intentione imponentis ſicut primò et per ſe ſolū ſignificat accidens, ſic primò et per ſe dat illud intelligere, ſed tamquam id à quo dependet intellectus Accidentis.

Ad I. argument. Ad Primum Argumentum ex Ariſt. teſtimonijs deſumptum, ibi loquutum fuiſſe de homine albo, & alijs huiuſmodi de quibus in veſtibulo capituli dubitationē propoſuerat, illa enim ſunt entia per accidens vt ipſe in 5. metaphyſicæ.

Ad II. Argum. Ad Secundum, diſtinguatur maior ex vi C ſignificationis, & intentione imponentis concedo, ex modo ſignificandi & dependentia rei ſignificatæ nego. et cum obijcitur, ſubiectum primò intelligitur per vocem: ergò primò ſignificatur. Reſpondet Doct. dupliciter poteſt aliquid primo intelligi per vocem, aut vt condicio ſine qua nō poteſt intelligi res ſignificata, aut primò ex intentione imponentis, primo modo poteſt intelligi ſubiectum, tamquam ſine quo non intelligitur accidens, ſed non ſecundo modo.

Ad. III. Ad Tertium. Diſtinguenda eſt maior, terminus illud ſupponit quod ſignificat, concedo, pro eo ſupponit ſemper quod ſignificat, nego. aliud enim eſt ſupponere aliquid, et aliud ſupponere pro alio, vnde ſuppoſitione perſonali, cõmune ſupponit pro ſup-

poſitis, non tamen ſupponit ſuppoſitum quia non ſignificat ſuppoſitū, ſufficit enim ad hoc quòd aliquo modo ex modo ſignificandi importetur. Terminus ergò concretus. Supponit pro ſubiecto et nō ſubiectum, vt in hac album currit, album eſt lignum, et tunc hoc fit, quando ſignificatum concreti quod eſt accidens non eſt natum Supponere per ſe et reſpectu talis prædicati, tunc porro ſupponit pro eo cui accidit, nempe ſubiecto, et licet hoc non habeat ex primæ va ſignificatione ſermonis, dicimus quòd prædicatum ſignificatur illi in eſſe.

Ad confir. Ad confirma. Illam nō eſſe veram interpretationem albi, licet vt intelligatur ſic ſoleat explicari, album etenim formam ſignificat ſub vno modo ſignificandi, totum vero hòc albedo vt concernens, ſignificat formam ſub duobus modis oppoſitis, quia albedo ſignificat formam ſub vno modo quaſi per ſe ſtantis, et vt concernens dicit alium oppoſitum modum, vnde vera interpretatio cōcreti nominis deberet eſſe per nomen quod formam ſub vno ſignificandi modo ſignificaret, quod forte non eſt poſſibile (ait Doctor) addito hoc modo vt concernens.

Ad IIII. Argum. Ad quartum, Diſtinguatur maior, ſi ſit diffinitio ſimpliciter cōcedo, hæc enim tantū cōſtat genere et differētia, quæ ſunt intra eſſentiā et per ſe intellectū rei diffinite ſi vero ſit diffinitio per addicamētū, vbi ſcilicet aliquid additur præter eſſentialia diffiniti, nego, hæc enim quia aggregat in ſe aliquid quod nō eſt de eſſentia diffiniti, ideo plus ſignificat quàm nomen diffiniti, et talis eſt accidentis diffinitio, quæ vt accidens cognoſci queat complete, addit ſubiectū.

QVÆSTIO. V. QVID

Sit terminus complexus & in complexus et de rebus quas ſignificant.

CVM Prædicamenta ſint rerū ſimplicium coordinationes, et plerūque euenire ſoleat vt res ſimplices penuria nominū vnica voce explanari nequeant, ſed pluriū multiplicatione, ſicut ex aduerſo res cōplexæ vnica voce cōprehenduntur, ideo Phyloſophus de cōplexis et in cōplexis diſſerit, vt ſic quæ à prædicamētis reijci, quæ ve in illis collocari debeāt, valeat dignoſci

I. Conclu. Prima conc. Terminus cōplexus eſt cōpoſitus ex pluribus dictionibus cōgruè ſe habentibus, per ſe ſignificatiuis, ex quarum ſignificatione, totius ſignificatio completur, vt in noſtra introductione diximus Hac autem diffinitione terminus complexus voce et re ſimul diffinitur, vt homo iuſtus, cum alij dentur complexi voce tantum et non rè, quando ſcilicet ſunt plures voces idem ſignificantes, vt enſis gladius, alij verò re tātū et nō voce, ſicut vox vna, plura ſignificās, ceu termini æquiuoci, vera tamē cōplexio in voce et re cōſiſtit, quādo enim res ſignificata eſt vna, licet nomine cōplexo ſignificetur, in prædicamēto collocatur, et res cōplexa etiam ſi vna voce ſignificetur, reijcitur à prædicamento.

II. Concl. Sed ad notare oportet, terminum complexum cōponi non poſſe ex duabus Syncathegorematicis dictionib9. quippe cum cōgruè cōiūgi nequeāt, poteſt tamē ex termino categorematico et ſyncategorematico cōponi, vnde omnis homo et nō homo cōplexa erūt, habet quippe terminus Syncategorematicus cōceptū in mēte, daturq; terminus mentalis Syncategorematicus, quia aliquid aliud cōcipimus, hac enūciatione audita, omnis homo eſt albus, ab eo ꝙ cōcipimus percepta hac, homo eſt albus.

Obſerua prætetea, terminū hunc cōplexū, aliquando partibus aliqua vnione ſiue verbi ſiue alicuius alterius cōnexis cōſtare vt homo eſt iuſtus. Petrus & Paulus aliquādo terminis nō cōiunctis, quādo res ſignificatæ ſeipſis ſunt coniunctæ, vt homo doctus. res ergo complexœ illæ erunt quæ cū interſe aliquam habeant connexionem termino complexo ſignificantur.

Secunda conc. Terminus in complexus eſt vnica dictio, cuius partes nihil ſignificāt per ſe, aut ſaltim ex illarum ſignificatione nō cōpletur ſignificatio totius, aut qui vnā rem tantū ſignificat. Vnde Armiger, omnipotens, termini ſunt incomplexi, tamet ſi enim partes ſeorſum ſumptæ, ſignificent aliquid, prout tamen hos terminos componunt, vnum ſignificant. Res in complexæ ſunt, res ſimplices, et terminis in complexis ſignificantur.

Ex quibus deducitur, terminū connotatiuū non eſſe complexum, ſed in cōplexū, quia non ſignificat ſubiectū per ſe, ſed tantū conſignificat, ſeu connotat, et inſinuat, ſicut autē ſubſiſtentia non facit vnū per accidens cū ſubſtātia ſed vnū per ſe, quod termino poteſt incōplexo ſignificari, ita nec inhærentia, cum ſit proprium complementū et vltimus terminus accidentis, non facit cum illo ens per accidens.

DIS-

DISTINCTIO II. DE rerum ſimplicium ordi natione in communi.

ACTVM eſt de rebus ſimplicib9,pro ut terminis ſignificantur,nunc de ipſarum rerum ordinatione in cõmuni,quid nẽpe talis ordinatio ſit,quot ſint rerũ ordinationes præfiniendæ,quæ in omnibus & in earum qualibet collocari debeant,quo pacto diſtinguantur,diſſerẽdum occurrit, his etenim expeditis,non erit ita difficile cuiuſque Prædicamenti, ordinationis ve ſpeciatim naturam indagari.

LITERA ARISTOTELIS.C.3.&4.

I. Conclu PRIMA.C. *Quando aliquid prædicatur de altero tãquã de ſubiecto quidquid prædicatur de prædicato & de ſubiecto prædicatur*

II.Conclu Secunda concluſio. *Generum non ſub alternatim poſitorũ diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ, at generum ſubalternatim poſitorum nihil prohibet easdem eſſe differentias.*

III.Cons. Tertia concluſio in c.4. *In complexorum aliud eſt ſubſtantia,aliud Quantitas,aliud relatio.aliud Qualitas,aut vbi,aut quando, aut ſitum eſſe,aut habere,aut Agere aut Pati, in his autem extra compoſitionem ſumptis nõ inuenitur verum vel falſum, in illorum autem ad ſe inuicẽ compoſitione eſt affirmatio, aut negatio,veritas aut falſitas.*

LITERA DOCTORIS.

Qu. III. QVÆSTIO An aliquod Prædicatũ intentionale Sit iſtis vniuocum.

I. Conclu. Prima conc. *Aliquid intẽtionale vniuocũ rebus omniũ generũ aplicari poteſt, & probatur,rerum primæ intentionis diuerſitas nõ impedit quim ab intellectu pereundẽ modum cõcipiẽdi poſsint concipi,nõ quidẽ ſecundũ ſuas entitates, ſic enim maximè differunt, ſed ſub hac conſideratione,an habeãt inferiora ſpecie vel numero diſtincta, quæ ratio æqualis eſt,& vniuoca rebus etiã diuerſorũ generũ quæ vnicam rationẽ habent tales intentiones fundandi,intentiones autem rebus attribuuntur,quatenus ſic ab intellectu concipiuntur. atque adeo prædicamenta & ſi ſpectata illorum natura primò diuerſa dicantur,poteſt tamen aliquid eis in eſſe denominatiuè, cuius rei etiam accidentia realia præbent exemplum, album enim denominatiuè de ſuperficie & de homine dicitur,cum tamen diuerſorũ ſint generum,tum etiam quòd res nõ eſt tota & adæquata intentionis cauſa ſed tãtum occaſio, intellectus autem eſt principalis,ideo minor vnitas ſufficit in re, quàm ſit in intentione.*

II.Concl. Secũda cõc. *Aliquid intentionale dicitur de iſtis decẽ generibus vniuocè.Probatur quia aliquid intentionale de eis enunciatur ſecundum idem nomen & eandem rationem, vt genus dicitur de ſubſtãtia,quãtitate &c.quarũ quælibet prædicatur de pluribus ſpecie diſtinctis:ergo vniuocè. Præterea ex eo q; intentio rebus diuerſorũ generũ aplicetur, nõ tollitur ab ea vnitas ſpecifica,aut generica:ergo nec vniuocatio,antecedẽs probatur: ſola diuerſitas in materia accidentali nõ diuerſificat ſpeciẽ rei quia differentia ſpecifica eſt diferentia formalis, vnde circulus aureus, & circulus æneus non differunt ſpecie, & patet ratione quia materia accidẽtalis cum eo cui additur tantum facit ens per accidens, quod nõ poteſt eſſe alicuius generis ſpecies, ſed intentio ſpeciei. v. g. vel generis rebus diuerſorum generum aplicata vt animali, & colori,tantum differunt pœnes materiam per accidens, cum nulla ſecunda intentio rei primæ intentionis per ſe inſit:ergo ex illa non tollitur vnitas ſpecifica prædictarum intentionum*

De hoc nihil explanandum ſuper eſt.

Q. IIII. QVÆSTIO. V, Num *Ens ſit decem prædicamentis æquiuocum.*

I.Conclu. In vniuerſa ſua logica videtur Doct. entis æquiuocationẽ tueri.q.12.vniuerſal. in reſpõs.ad.4.in ante præ.q.2.§.ad Quæſtionẽ,& in hac præſenti.q.4.id laté probat & argumẽta oppoſita ſoluit,& q.5.d æquiuocis §.ad quæſtio.in lib.elencho.q.15. idem iterũ probat.q.16.§.propter hoc. & in Metaphyſi.lib.4.q.1.ens logicé æquiuocũ eſſe, Metaphyſicé verò Analogũ præſcribit. in ſua vero Theologia oppoſitũ docet,vnde in 1.Sẽt.d. 3.q.1.&2. & d.8.q.3.vniuocũ eſſe affirmat,quod quo pacto verum habeat alibi latè dilucidabitur.

Q. IX. *Q.De Veritate primæ regulæ ab Ariſt. trad.*

I.Conclu. Prima conclu. *Sit,prima illa regula quando alterũ de altero prædicatur vt de ſubiecto &c.vera eſt patet,quia per illã ſignificatur q eſt prius priori, eſt prius poſteriori, l. quod eſt ſuperius ſuperiori,eſt ſuperius inferiori,cuius veritas nulli dubia eſt,ſed omnibus nota;conuenienter ergo vt regula conſtituitur.*

II.Concl. *II.C.Regula hæc tunc eſt vera,quãdo illa tria ſumũtur in eodẽ genere eſſẽtialiter ordinato,quidquid prædicatur eſſentialiter (ſicut ſumitur prædicari) d prædicato, eſſẽtialiter p̃dicatur de ſubiecto.cũ hoc etiã eſt intelligẽda regula,quãdo prædicatum intermediũ nõ variatur in comparatione ad prædicatũ de ipſo*

& ad ſubiectum de quo prædicatur. Vnde hæc non valet, ſubſtātia eſt generaliſsimum, animal eſt ſubſtantia: ergo animal eſt generaliſsimum, quia ſubſtantia variatur, in maiori & minori, in prima ſupponit ſimpliciter, in ſecunda perſonaliter.

Nota tamē, quód licèt regulam hāc prędicatorū eſſentialium cōparatione ſolum conſtituat Ariſt. quod exinde liquet, cùm ad prædicamentalem lineam ſtabiliēdam præfigatur, in qua prædicata dūtaxat eſſētialia collocantur. Itidē ex illo verbo Ariſtotelis (de ſubiecto) quod prædicationē eſſentialem innuit, ſicut (in ſubiecto) accidentalē, nihil ominus regula verū habere poteſt vt pleriq; anima aduertūt, in prędicato accidētali dū modo ſuppoſitio aliæq; obſeruentur argumētationis circūſtātiæ, vnde aptè cōcluditur, Paulus eſt homo & homo eſt riſibilis, ergo Paulus eſt riſibilis, nix eſt alba, album eſt coloratum; ergo nix eſt colorata.

Qu. X. QVÆSTIO De veritate. 2. regulæ diuerſorū generū & nō ſubalternatim poſitorū.

Obſerua. Aduertit D. *ex topic. c. 5. q. idem dicitur multipliciter, genere ſpecie & numero, & idē numero tripliciter, accidēti, proprio & diffinitione, & ex 5. metaph. q. tot modis dicitur idē ſecundū ſe, quot modis vnū ſecūdū ſe, ſcilicet numero ſpecie, genere & proporcione, vnitas. l. idētitas in proporcione conſiſtit in ſimiliter ſe habere, vt ſicut color ſe habet ad albedinem, ita animal ad hominem.*

I. Conclu. Prima conclu. *Idem proporcione & idem numero quo ad illos duos modos ſcilicet accidēti & proprio poteſt eſſe in diuerſis generibus, animal enim & color ſunt idem proporcione. Socrates & albus ſunt idem numero accidēti Socrates & riſibile ſunt idem numero proprio & manifeſtum eſt eſſe in diuerſis generibus. Vbi aduerte quod cum Ariſtot. 5. Metaph. ait ex vno numero inferri vnū ſpecie, loquitur de vno numero vt eſt modus vnius per ſe, cum ergo ſubiectum & Accidens ſint vnū numero per accidens, & non per ſe, ideo ex illo nequit in ferri, ſunt ergo vnum ſpecie.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Idem ſpecie, vel genere, nullo modo eſt in diuerſis generibus generaliſsimis, vel quibus cumque non ſubalternis, vt ſpecies vel differentiæ, niſi forte idem ſub genere ſuperiori poſsit eſſe in diuerſis generibus inferioribus.*

Vtramque partem ſupra in c. de differētia explicuimus d. 5. Art. 1. q. 5. vbi ſub duobus generibus ſub vno tertio ſuperiori contentis eandem ſpeciem poſſe inueniri docuimus & illa tandem ſpecies ſub alterna quæ ſub duobus generibus continetur, eadem etiam ſub ſe, ſub alia ratione minus vniuerſali ſumpta, inadæquatè continet, vt animal bipes ſub greſsibili & volatili continetur, & illud itidem bipes per volatile, & greſsibile diuiditur, atq; adeo eorum genera ſub alia conſideratione minus vniuerſali includit.

Qu. XI. QVÆSTIO V. *S*int ne tantum decē generaliſsima.

Conclu affirmatiua. *Prædicamentorum autem diſtinctio nō ſumitur pœnes aliquid logicum tantum, ſed pœnes ipſas eſſentias, cum hæc intentio generis generaliſsimi, tantum numero ſit plurificata in iſtis decem, quapropter quoad id in quo eſt difficultas colligendi nimirum illorum ſufficientiā, magis ad Metaphyſicum quàm ad logicam ſpectat.*

QVAESTIO I. QVID & quotuplex Prædicamentum ſit.

PRÆdicamentum quód græcé Categoria, Latine veró prædicatio dici ſolet, terminum eſſe ſecundæ intentionis sōſtat. ꝑ materiali multa prædicata & ſubiecta inter ſe eſſentialiter ordinata importās, vt homo animal viuēs &c. Pro formali veró relationem rationis illorum ad inuicem, ſecundum quam ita ordinata dicuntur, vt quædā ſint in infimo loco, alia in ſupremo qui rationis ordo in ipſa naturali prædicatorū diſpoſitione fundatur, non enim talia prædicata pro noſtro libito, ſed prout ipſa rerum natura expoſcit, ordinātur. Tripliciter autem poteſt prædicamentum ſumi vel pro ipſo ſupremo genere, quod ex cōmuni vſu prædicamētū appellari cōſueuit Secundò pro ipſo ordine rerumque diſpoſitione. Tertiò pro tota prædicatorum Serie, à ſupremo genere vſque ad athomas ſpecies, & indiuidua; materialiter prædicata formaliter vero ipſā ordinationē dicēs

Prædicamentum in hac acceptione, Sic poteſt diffiniri, eſt quædam prædicatorum ſuperiorum & inferiorū ſub vno ſupremo genere diſpoſitio. De prędicamentorū numero, modoque illius colligendo, nō vnanimiter omnes ſentiunt, relictis tamen varijs opinādi modis quos paſsim apud Doctores relatos inuenies, quibuſdam aſſertionibus rem hanc conficiemus.

I. Conclu. Prima concluſio, Prædicamenta de nario numero ſunt comprehēſa, hæc licét á nullo hactenus demōſtrata ſit, ab ea tamé

recedere

recedere nefas eſſet,cum eàm cõmũnis to
tius ſcholæ conſenſus cùm Ariſto. Subtili
Doctore & Angelico libẽter amplectatur
& ꝓbatur quia tot cenſenda ſunt prædica-
menta,quot modi eſſendi in prima ſubſtã
tia ſed decem tãtum ſunt modi eſſendi, &
prædicandi de prima ſubſtantia,decem er
go tantum ſunt prædicamenta.

Quod adeo verũ eſſe arbitramur, vt etiã
ſi Ens & Accidẽs vniuoca eſſe cẽſeãtur,nõ
ob id vnũ aut duplex cõſtituẽdum ſit,ma-
ximã enim cõfuſionẽ & in diſtinctionẽ pa-
reret, cum ſub latitudine entis multi ſint
eſſendi modi:vt ergo hæc vitetur, quæ ex
rerum permixtione poteſt oriri, cum res
prorſus inter ſe permixtæ à parte rei repe
riantur,ideo decem quaſi communes loci
aut claſſes eorum omnium de quibus, &
ex quibus poteſt diſputari, ſeriò ſunt conſ
titutæ,nec plures quàm decem,vt facilius
percipi poſsit,quid ad quod genus ſpectet,
quæ duo nulla alia ratione congruentius
potuerũt præſtari,quàm diuiſionem hanc
iuxta generales eſſendi modos conficien-
do,ita vt quilibet eſſendi modus ſuum cõſ
tituat prædicamentum.

Obiectio. Vrgebit quis,prædicamentũ nihil aliud
eſt quàm alicuius ſupremi generis ordinã
tio, cum his quæ ſub ipſo collocantur, er-
gò ſi ens vniuocum eſſet (quod idem de
Accidẽti) cùm his quæ ſub ipſo ſunt vnicũ
conſtitueret adæquatum Prædicamentũ,
eienim Prædicamẽti diffinitio cõueniret:
ergo & prædicti modi eſſendi non poſſent
eſſe ſuprema genera, cũ ſupra ſe aliud ge-
nus habeant,quod ſummi generis diffini-
tioni à Porphy. in c. de ſpecie traditæ ad-
uerſatur,quod ſupra ſe nullum aliud genꝰ
ſit vt ſpecies infima, nullas ſub ſe ſpecies
habet.

Reſpon. 1. Occurrendũ eſt, non ſtatim ex vniuoca
tione ea eſſe genera inferri,vt multi ꝓba-
biliſsimè aut ex illorum trãſcendentia,aut
quia non per differentias (ſicut genus) ſed
per modos contrahũntur,deducunt.Cum
ergo Ens aut Accidens genera nõ ſint,nec
conſtituẽt prædicamẽtum, quod ſupremi
generis ordinatio debet eſſe, nec decem
prædicamenta ſupra ſe genus habebunt.

Reſpon. 2. Imo eo ad miſſo,nihil confectũ eſt,quiã
genus ſupremum prædicamẽtale nihil ali
ud eſt,quàm quoddam primum caput eo
rum quæ diſtinctionem rerum cauſant,vn
de decem prædicamenta, decem ſuprema
genera dicũtur,quia dicunt eſſentias ſupra
quas nihil datur cauſans diſtinctionem, &
diuiſionem diuerſorum modorum eſſendi
A qui per naturas rerum diffundũntur,vnde
Accidens vt ſic nequit ſupremum genus eſ
ſe alicuius prædicamenti,cum peculiarem
rerum diſtinctionem & diuiſsionem cau-
ſare non poſsit.

Secunda concluſio, Prædicamentorum *II. Concl.*
diuerſitas ex diſtinctis eſſendi modis ac
prędicandi in ordine ad primam ſubſtan-
tiam deſumitur. Sic noſter Doctor lib. 5.
Metaphyſic. q. 6. & cum eo ferme omnes
communiter,& probatur, quia prima ſubſ
tantia vaſis eſt, & fundamentum, rerum
omnium quæ in ordine naturæ poſſunt aſ
ſignari,apprimè ergo prima rerum omnĩ
um diuiſio pœnes varios modos eſſendi
ac prædicandi, illius comparatione venan
da eſt: tot ergò cẽſenda erunt prædicamẽ
tà,quot fuerint modi eſſendi in prima ſubſ
tantia, atqui decem tantum ſunt modi,
B ergò prædicamenta decem tantum erunt,
minor hæc longam exigebat modorum
inquiſitionem,quibus res omnes afficiunt
primam ſubſtantiam , hoc autem ple-
nius fieri poterit cum omnium prædicamẽ
torum modi ſigillatim fuerint diſcuſsi.

Obijciat quis, Si Prædicamenta per va *Obiectio.*
rios eſſendi modos ſecernũtur,plura erũt
quàm decem,cum alius ſit eſſendi modus
abſtractorum,alius cõcretorũ, contingen
tis & neceſſarij,in actu vel in potentia.

Occurratur ſic, Non quemcumque eſſẽ *Reſpond.*
di modum variare prædicamenta,ſed eos
tantum qui ponunt in ſubſtancia certam
aliquam entis rationem,vniuocè ſub Ente
vel Accidenti contentam , vt Quantitas
dat ſubſtantiæ eſſe quãti,Qualitas eſſe qua
lis.Eſſe verò concretè vel abſtractè actu
vel potentia,contingenter vel neceſſariò,
C non afferunt certam entis rationem cum
ad omnia prædicamenta pertineãt,& ean
dem rem ad certum genus determinatam
diuerſi modè ſignificent.

Tertia concluſio Prędicamẽta, ſeu mo *III. Conc.*
di eſſendi illorum diſtinguũtur ſaltim ex *Scotus 5.*
natura rei,& formaliter. Sic noſter Doct. *Metaph*
loco citato, contra cõmunem Thomiſta *Quæ. 6.*
rum opinionem. licet pleriq; ſint qui noſ *Flandria.*
tram teneant, & probatur quia res diuer *q. 7. ar. 2.*
ſorum prędicamentorum habent diuerſas *Fonſeca.*
diffinitiones obiectiuas,quarum vna in re *Q. 3. nũc*
eſt extra aliam & ipſa prædicamẽta à par *eã recitan*
te rei primò diuerſa dicuntur,ſecluſa ergò *dẽ aprob.*
intellectus functione formaliter ex natu
ra rei diſtinguuntur.

Vnde diſtinctio realis rei ſcilicet à re nõ *Corollariũ*

neceſſaria eſt ad omnia prædicamenta, licèt enim ſic aliqua diſtingui vt ſubſtantiā quantitatem, & qualitatem omnes fermè fateantur, de alijs autem dubium eſt num ſola diſtinctione rationis, aut formali ex natura rei, ſiue: modali, ſeu vt ait Flandria reali eſſentiali vt res ſignificat eſſentiam rei, contenta ſint.

Nec diuiſio hæc dicenda eſt indiuerſa entia, aut entitates ſiue res, ſi res ſtrictè ſumatur (niſi large vſurpes rem contra nihil vt infra explicabitur) cum pleraque ſint prædicamenta quæ modorum tantum rationem ſortiuntur, vt de ſex vltimis dicemus, Sed in diuerſos modos eſſendi.

QVÆSTIO. II. QVÆ ponantur in prædicamentis.

DECEM eſſe rerum prædicamenta, veluti quaſdam communes rerum claſſes, ſedes, ac domicilia, omnium ve elementorum diſſerendi ſeminaria, in præcedenti cōtrouerſia ſtatutum eſt: reliquum eſt vt diſpiciamus, num omnia quo quomodo ſunt, aut cogitari poſſunt, ſiue perfecta ſiue imperfecta, & aliorum partes, aut modi, ſiue entia ſiue entium negationes, ſiue finita, infinita ve, ſiuè realia ſiue rationis, in Prædicamentis locum habeāt.

Quod vt explicatius habeatur, Ad notare oportet, bifariā poſſe intelligi rem aliquam in Prædicamēto collocari, vel directè, vel indirectè & reductiuè, ea dicuntur directè collocari in Prædicamento, quæ in ipſa recta linea prædicamentali ſub Supremo genere directè & per ſe ſedem habent, ea nimirum quæ generi ſupremo directè & per ſe ſubduntur, de eiſquè directè & eſſentialiter enunciatur, vt homo, animal viuens ſub ſubſtātia. Ea verò indirectè & reductiuè, quæ non continentur per ſe & directè ſub ſupremo genere, & ob id ipſam rectam lineam non ingrediuntur, quia tamen ſunt aliquid illorum quæ per ſe, & directè ſub illo conſtituuntur, ideo ad ea reuocantur, & ad latus illorum in prædicamento perſiſtunt. Quapropter in quouis Prædicamēto præter lineam directam prędicamentalem, ex prædicatis de quibus ſupremum genus eſſentialiter & directè prædicatur, vt quid in eis eſſentialiter incluſum protenſam, aliæ in directæ & collaterales quaſi lineā rectam hinc inde cingentes cōſtituendæ ſunt, vt ſedes ſint & domicilia eorum, quæ ob imperfectionis deffectum interius ingredi non meruerunt, perſtitere tamen in ipſis quaſi domus veſtibulis ac atrijs ad ea quæ interius ſunt reuocata.

Linea autem recta Prædicamentalis duplex eſt, vna adæquata, in adæquata altera illa eſt tota ipſa omnium prædicatorum de quibus ſupremum genus directè prædicatur, ordinatio: quæ vnica eſt, ſicut eſt vnū adæquatū prædicamentū. Secunda verò eſt, quæ ex his prædicatis quæ ſub genere ſupremo ſub ordinationē habēt coaleſcit, quæ ſicut & ipſa ſub ordinatio iuxta rerum ſub ordinatarum vatiationem, variatur, vnde duplex eſt, vna quæ continet vnam ſub ordinationem, alia alteram ſub eodem genere, vt ſub eodem genere ſubſtantiæ (vt hoc exemplo rem hanc oculis ſubijciamus) quia ſubſtantia in corporea cum alijs generibus vſque ad infimas Angelorum ſpecies ſubordinatur, vnan lineam inadæquatam conſtituit, & quia ſub eodē genere ſubſtantiæ Supremo, corpus, viuēs Animal vſq; ad illius athomas ſpecies ſub ordinantur aliam lineam extruunt in adæquatam, Prædicamentum ergo cuiuſdam Arboris inſtar conſiderandum eſt, vnde ſicut ex vna radice eodem ve arboris trūco varij rami procedunt; Sic ex eodem ſummo genere per duas differētias oppoſitas diuiſo, duo genera propagantur, quæ rurſus per alias diuiſa, duas lineas in adæquatas conficiunt, vnam adæquatam conſtituentes.

Cum ergo inquirimꝰ, num aliqua in prædicamentis collocentur, nū ab illis reijciātur, de recta linea intelligēdum eſt, in qua re nonnulla ſunt certa apud omnes.

Certum eſt, Entia ſola in prædicamentis collocari, cum ens habens ſcilicet eſſentiam ſit, quod in decem genera diuiditur, ea ergo quæ nullam eſſentiam habent ſpecies aut indiuidua ſummi generis eſſe nequeunt. Sumimus autem in præſenti ens nominaliter & ſubſtātiuè vt eſſentiam ſignificat, non verò participialiter ſeu adiectiuè vt eſt participium verbi (eſt) & idem quod exiſtens, ipſam exiſtentiam formaliter importans, cum Prædicamenta illam nō includant, vt ex eorum diffinitionibus liquet & ex. Phyloſæpho. 2. poſt. tex. 9.

Vnde à prædicamentis excluduntur non entia, vt negationes & Priuationes & etiam impoſibilia, & chimerica, & cōmentitia, conficta quidem ex poſsibilibus ſed

qui

quæ ſimul cohærere non poſſunt. cum iſta veram eſſentiam non habeant.

Sola entia realia in Prædicamentis collocari omnes quoque recipiunt, (ſolo Buridano excepto qui relationes rationis in Prædicamento relationis conſtituit) quia ens reale eſt quod in hæc decem Prædicamenta ſecundum Ariſtotelem diuiditur. Vnde entia rationis meritò reijciuntur à Prædicamentis, cum non entia ſed entis vmbræ ſint, nec vniuocè conueniant in aliquo genere cum ente reali, non ergò poſſunt ſub eodem genere Prædicamenti contineri. Verum tamen eſt, quod licet entia rationis non ingrediantur lineam rectam Prædicamentalem, vt res ſeu prædicata quæ diſponuntur, ponuntur tamen vt conditiones ad Prædicamentorum diſpoſitionem neceſſariæ, cum res ipſæ ſecundum cõditionem generis, et ſpeciei, ſuperioris, et inferioris, Prædicabilis, et ſubijcibilis, conſtituantur; ac proinde ſeriem ipſam ſeu ordinationem intentionalem eſſe animaduerſum eſt.

Certum etiam eſt, ſola entia per ſe, et incomplexa in Prædicamentis collocari, atque adeo entia per accidens releganda eſſe à prædicamentis, quia talia entia vt non ſunt vnius eſſentiæ, ſed plura continent, ex quibus eſſentia vna cõflari nequit ita vera eſſe genera aut ſpecies non poſſũt aut his ſubiecta indiuidua quã obrem reijciuntur à Prædicamentis entia complexa, quod non ſolum verum eſt de complexis ex naturis diuerſorum prædicamentorũ, quæ entia per accidens dicuntur, vt homo albus, talia enim iuxta diuerſarum naturarum exigentiam quibus conſtant, ad diuerſa prædicamenta ſpectant, ſed etiam de cõplexis ex partibus eiuſdem ordinis compoſitis, quæ entia per ſe dicuntur, vt diffinitiones, tametſi enim diffinitio idem importet, quod diffinitum, diuerſi mode tamẽ, illa explicitè et per modum plurium, hoc implicitè et per modum vnius, diffinitio autem licet quo ad vtramque partem ad idem prædicamentum pertineat, non tamẽ eodem modo, ratione enim generis in recta linea collocatur, ratione differentiæ ad latus.

Vnde etiam entia artificialia à Prædicamentis expelluntur, vt entia per accidens, ex rebus diuerſorum Prædicamentorum conſtituta, ſubſtantia ſcilicet et forma artificiali, quæ qualitas quædam eſt.

Certum etiam eſt ſola vniuoca in Prædicamentis collocari, intellige de Prædicatis, A quod propter indiuidua dictum puta, quæ non ponuntur vt prædicata vniuerſalia atque adeo vt vniuoca in Prædicamentis, vnde æquiuoca reijciuntur, vt procul abigatur Prædicamentorum confuſio.

Quibus ſic præhabitis, eaquæ difficiliora ſunt, nec vnanimem habent Doctorum cõſenſum, his aſſertionibus dirimamus, nec enim inquacumque re fas eſt, aliorum opiniones recenſendo, maximè dum fundamenta non adeo vrgent, tẽpus diſſipare.

Prima concluſio, Sola entia completa in recta prædicamentorum ſerie ſunt conſtituenda, ab ea que entia incompleta reijcienda, docet Doctor loco ſtatim commemorando, ſed quid completum et incompletum Phyloſophy in hac materia appellent, paucis explanemus, quia res eſt non adeo facilis intellectu. Et quidẽ vniuerſè *I. Conclu.* B non eſt idem quòd compoſitum, compoſitum enim eſt quod ex partibus coaleſcit et hoc triplex, vel phyſicum quod ex partibus phyſicis materia nempe et forma cõſurgit, vel metaphyſicum, quod ex partibus metaphyſicis genere ſcilicet et differẽtia, et integrale quod ex partibus integralibus, quæ partes licet non ſint de eſſentia rei, ſunt tamen de complemento et integritate ſubſtantiali rei, iſtæ autem quædam ſunt ætereogeneæ, diuerſæ ſcilicet rationis vt caput, manus, pes &c. ex quibus ſubſtãtia hominis integratur, aliæ homogeneæ eiuſdẽ nimirũ rationis, vt partes ligni, quarum quælibet lignum eſt, et ad hæc tria compoſitorum genera alia omnia reuocantur.

Non ergo abſolute id completum dicitur in præſenti, quod compoſitum eſt, ſiue Phyſice ſiue metaphyſicè, cum partes inte- C grales ex materia et forma ſint phyſicè cõpoſitæ, et tamen ſunt incompleta entia, et anima rationalis ex genere et differentia metaphyſicè conflatur, & tamen eſt ens incõpletum, et Angelus ſimpliciter completus eſt, qui tamen à compoſitione phyſica eſt immunis, & ſupremũ genus in vnoquoque prædicamento metaphyſica compoſitione ex genere et differẽtia caret, nec eſſe cõpletũ in maiore perfectione conſiſtit, cõ quæuis pars ſubſtãtiæ longè ſit perfectior quouis accidẽti, & tamẽ hoc vt ens cõpletũ ſedem habet in prædicamento, illa vero vt quid incõpletũ remouetur: id ergo per indiuiduũ cõmodius explicare poſſe arbitror ſolũm enim in eo eſſe completum ſimpliciter reperiri poteſt, ac proinde eorum gene-

ra & ſpecies illud ergò indiuiduum eſt ens ſimpliciter & abſolute completum, quod omne ſuum complementum habet intra proprium genus requiſitum, per negationes autem ex actius ſic explicatur, quod ad nullius entis per ſe ſeu vnius eſſẽtiæ cõſtitutionem ex ſua natura ordinatur, nec actu vnum per ſe cõſtituit, vt hic homo, hæc albedo, licet enim ex vtroque vnum per accidens fieri poſsit, non tamen vnum per ſe ens ergò incompletum erit, quod per ſe et ſuapte natura, ad totum conſtituendum vel alterius complementum ordinatur, vt hæc materia, hæc anima, vel actu cum alio vnum ens per ſe, vnam ve ſubſtantiam cõſtituit: (quod propter partes integrantes additum eſt vt poſtea) vnde omnes partes modi ve, aut affectiones rem aliquam intra proprium genus complentes, entia incompleta dicuntur, cum ergò gradus generici et ſpecifici per modum ſuperioris totiusque potentialis conſiderati, contineant in confuſo quid quid diſtinctè ſuum inidui duum continet, genera & ſpecies indiuidui ſimpliciter completi, abſolutè et ſimpliciter completa erunt, vt pote quæ omne cõplementum intra proprium genus requiſitum continent. genera verò et ſpecies rei incompletæ incompleta ſunt abſolutè vt materia, forma, et manus in communi.

Probatur autem concluſio, Sic explicata, Linea recta Prædicamentalis cõficitur, ex prædicatorum eſſentialium per ſe & directè ordinatione à ſupremo genere vſque ad indiuidua, ſed in tali ordinatione ſolum ponuntur entia completa, non vero incõpleta: ergò et in recta linea. maior ex diffinitione Prædicamenti perſpicua eſt. minor probatnr, illa per ſe et directè talem ſubordinationem ingrediuntur, de quibus genus Prædicamenti ſupremum directè & eſſentialiter prædicatur, ſed illud ſolum prædicatur de rebus completis talis generis, non vero de entibus incompletis, vt in progreſſu cuius cumque *Prædicamenti* videri poterit, genus enim *Prædicamẽti* ſubſtantiæ non prædicatur per ſe et directe de partibus illius, modis aut affectionibus, (talia enim incompleta dicuntur in quouis genere,) quia ſola entia completa dicuntur ſimpliciter entia aut ſubſtantiæ, entia autem incompleta non tam entia ſunt aut ſubſtantiæ quàm ſubſtantiarum aut partes, aut differentiæ, talesquè dicuntur per ordinem & attributionem ad completam ſubſtantiam à qua dependent, & in hoc ſen-

A ſu negauit Ariſtoteles, partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantias, completas nimirum, de differentijs in c. de ſubſtantia, vbi eas à ſubſtãtijs diſtinguit, et de materia et forma. 2. de anima c. 1. tex. 2. & 7. metaphyſicæ. c. 3. tex 8. & de partibus integrantibus. 1. phyſic. c. 2. tex. 22. & 7. metaphyſic. c. 16. tex. 56. ait actu eſſe vnum ens, vnamque ſubſtantiã poteſtate vero plura totalia. *Corollariũ*

Ex quo deducitur primò. partes Phyſicas vt materiam & formam quæ ſolum in ſubſtantia materiali reperiuntur à recta linea prædicamẽtali excludi, ſic noſter Doctor q. 15. prædicament. quod idem dicendum eſt de partibus integrantibus, quia genus ſupremum vt probatum eſt, quid completum eſt, rationem que prædicatorum completorum importat, dicit ergo vt ſic entitatem dicentem omnis partis negationem et formalitatis in ſe incompletæ, dicẽ B tis dependentiam à toto, ratio enim completa independentiam à toto dicit, adeo vt talis concipi ac ſignificari debeat, vt cõpleta cenſeatur, partes ergò iſtæ ſub ſupremo genere non continẽtur directè. Quod verum eſſe arbitramur non ſolum de partibus ætereogeneis, quæ ad huc ſeparatæ incompletam rationẽ dicunt, ſicut et ipſum cadauer, cum forma corporeitatis qua informantur incompleta ſit, dicens ordinem ad totum, ſed etiam de homo geneis, quæ vt actu integrant totum, et vnam entitatẽ per ſe conſtituunt, rationem partium actu à toto dependentium habent, atque adeo eſſe incompletum, vnde pars aquæ cum addito aqua dicitur. Cum autem in potentia tota ſint, quatenus poſſunt à toto ſeparata conſiſtere, ideo poſſunt in recta linea collocari, quod, facta ſeparatione eueniet, per quam deſinunt eſſe actu partes, manẽt C què indiuidua diſtincta, et entis completi modum habent: in quo à parte phyſica, vel etereo genea integrali, pars homo genea diſtinguitur. quod licet ex ea ſeparata fieri poſsit vnum per ſe, non tamen intrinſecè ad hoc ordinatur. primum non tollit quim aliquid ſit actu totũ, bene tamen ſecundũ. *II. Coroll.*

Deducitur Secundò, genera & ſpecies directè et per ſe in prædicamentis collocari, quia concipiuntur per modum rei integræ et totalis, et totius ſuperioris totum quod eſt in ſuis inferioribus confuſè importantis (vt ſupra lib. 1. d. 2. Art. 3. q 4. docuimus vniuerſale ſua inferiora continere) atquè adeo includẽtis totum id quod requiſitum eſt ad complementum in proprio

prio genere, vnde genera & ſpecies ſi præciſè ſumantur per modum partium, vt nominibus abſtractis ſignificantur in completa ſunt, vt animalitas & humanitas, & à recta linea prædicamentali remouentur vt Q. ſequenti.

III. Corollariū Deducitur tertiò differentias eſſe à recta linea reijciendas, cum de illis genera ſuprema non prædicentur directè & eſſentialiter, cum extra rationem formalem illarum ſint, vt ſupra oſtenſum eſt, quòd ſi genus de differentia in concreto eſſentialiter prædicatur, hoc tantum eſt ratione ſubſtracti, quod veluti connotat, non verò formaliter ratione ſcilicet ſignificati formalis. Vnde ratione huius ſemper eſt, & concipitur, & ſignificatur vt pars.

II. Concl. Secunda concluſio, ens ſimpliciter infinitum qualis eſt Deus. O. M. non clauditur in prædicamentis directè aut reductiue, ſic noſter Doctor in 1. d. 8. q. 2. & cum eo Omnes Theologi, (nominalibus exploſis,) quæ vt probetur

Prænoſcere oportet, triplex eſſe infinitum, vnum ſimpliciter, omnem perfectionem poſibilem formaliter vel eminenter continens, atque adeo illimitatam habens eſſentiam, quo pacto ſolus Deus eſt infinitus, omnes namque res creatæ eſſentiam habent certis finibus concluſam, vnde ſimpliciter ſunt finitæ, Alterum eſt infinitum in aliquo genere, illud ſcilicet quod ſecundum ſuam eſſentiam eſt illimitatum, et licet formaliter ac præciſe non habeat omnem perfectionem poſibilem, ſecundum tamen aliquam rationem, & genus, infinitā habet perfectionem eſſentialem, et identicè eſt ſimpliciter infinitum, quo pacto sūt infinita Attributa diuina: vt ſapientia diuina licet formaliter non ſit iuſtitia, intra latitudinem tamen Sapientiæ infinitam habet perfectionem, et identicè eſt ipſe Deus, Alterum tandem eſt infinitum ſecundū quid, quod ſcilicet finitam ſimpliciter habet eſſentiam, ſecundum tamen aliquod Accidens illimitationem habet, vt ſi daretur linea infinitam habens extenſionem, & albedo infinitè intenſa.

Probatur. Concluſio. Probat concluſionem noſter Doctor dupliciter. Primò ex ratione infinitatis, quia cum illa non ſtat compoſitio ex genere & Differentia, vt ſupra in c. de Differentia, ſed ſi directè Deus poneretur in Prædicamēto tali compoſitione ſordeſceret. quod nec auſpicandū eſt. minor probatur, quod enim ſub aliquo genere directè ponitur in Prædicamento, præter illud habet aliud ex A vi cuius illud ad proprium eſſe determinatur, alioquim genus ſine eſſe ſuperaddito daretur in rebus, & illud ſanè differentia eſt. Secundò ex ratione neceſſe eſſe. ſi neceſſe eſſe habet genus, vel ergo illud genus eſt ex ſe neceſſe eſſe vel non, Si primum, ergo includit differentiā quia ſine illa non eſt in vltimo actu, id autem quod neceſſe eſt eſſe, ex ſe eſt in vltimo actu, atque adeo genus non eſt genus, cum hoc non includat differentias per quas diuiditur, Si Secundū ergò id quod neceſſe eſt eſſe, conſtituitur ex eo quod non eſt neceſſe eſſe.

Ad notat autem diſerte noſter Doctor ibidem. §. *teneo opinionem meam*, non quam cumque conuenientiam & diſtinctionem ſufficiens fundamentum eſſe ad gradum genericum & differentialem, quia natura generica neceſſario finitatem includit B vnde non poteſt intelligi indifferens ad finitatem & infinitatem, eo quòd de ratione generis ſit eſſe naturam determinabilē in perfectam & potentialem, quæ perfectione addita per differentias vincitur à ſuis ſpeciebus, conceptus ergo indifferens ad aliqua, ad quæ non poteſt eſſe conceptus generis indifferens, nequit eſſe conceptus generis, at quidquid dicitur communiter de Deo & creaturis indifferens eſt ad finitum & infinitum, loquendo de perfectionibus abſolutis, vel ſaltim ad finitum & non finitum loquendo etiam de relationibus, relatio enim diuina nec eſt finita nec infinita. Differentia autem gradus quidam eſt finitus & limitatus, genus trahens ad quendam eſſendi modum particularem, diſtinctum ab alio, qui ab alia differentia communicatur, quia ergò ad genus & differentiā requiritur conuenientia po C tentialis & finita, & diſtinctio finita et limita ideo in deo non reperiuntur. Vnde id ipſum dicendum eſt de diuinis Attributis non conſtitui in prædicamentis.

Tertia concluſio, infinita ſecundum quid per ſe ponuntur in Prædicamentis, probatur quia talia infinita eſſentiam habent finitam & limitatam ſimpliciter, quod ſic Subtiliter probat Scotus inibi §. *alij probant*, numquam ad ſummum in inferiori, ſequitur ſummum in ſuperiori, niſi illud inferius ſit nobiliſsimum contentum ſub illo ſuperiori, ſicut non ſequitur, perfectiſſimus Aſinus, ergo perfectiſsimum animal ſequitur tamen gratia materiæ, eſt perfectiſsimus homo, ergò perfectiſsimum animal, *III. Concl.*

mal, ſequitur tamen gratia materiæ, eſt perfectiſsimus homo, ergò perfectiſsimū animal, quia homo omnia animalia perfectione antecellit, ſic vtique nō ſequitur ſummum et perfectiſsimum in ratione entis ex aliquo perfectiſsimo ſub ente contento, niſi id ſit ſub ente perfectiſsimum. Quātitas autem nec aliquod aliud genus non eſt ſimpliciter perfectiſsimum ſub ente, cū quodlibet ſit in eſſentia limitatum, imo nihil poteſt eſſe tale ſimpliciter nempe perfectiſsimum in eſſentia, niſi quod eſt perfectio ſimpliciter, quod ex ſe infinitum poteſt eſſe, & ideo non ſequitur perfectiſsima quantitas, ergò perfectiſsimum ens, nec ex infinito in quantitate, ſequitur ens ſimpliciter infinitum in eſſentia, ſed tantum ſecundum quid, & limitatum ens ſimpliciter.

Tunc Sic probatur concluſio, talis infinitio nō aufert potentialitatem ad rationem generis requiſitam, ſed tātum ponit infinitatem ſecundum quid alicuius imperfectæ entitatis, in qua benè poteſt eſſe compoſitio in quouis gradu ponatur, cum eiuſdem rationis ſit in ſua eſſentia cum alia finita eiuſdem generis, vt linea infinita cum finita, vtraque enim eſt Longitudo ſine latitudine. Tandem quòd finitum & infinitum ſunt paſsiones quantitatis. Adde etiam quòd id quod extra rei eſſentiam eſt, eam non variat: ergo infinitio quæ eſt extra rei eſſentiam eam à propria limitatione non extrahit, nec rationem illius prædicamentalem variat. Sed talis eſt infinitio hæc ſecundum quid, cum à maiori vel minori extenſione ſumatur.

IIII. Con. Quarta concluſio. Indiuidua per ſe et directè ponuntur in Prædicamentis non vt prædicata, ſed vt vaſes et fundamenta, prima que ſubiecta et ſubſtentacula cæterorum, probatur, quià de illis genus generaliſsimum directè & eſſentialiter prædicatur, Sunt que entia ſimpliciter completa, vniuerſa prædicata in tota recta linea collocata eſſentialiter includentia, ex quorum completa ratione; tota completa ratio prædicamentalis deſumitur.

V. Concl. Quinta concluſia, ea quæ per ſe & directè nō sūt in Prædicamētis, ponūtur reductiuè & ad latera eorum quæ per ſe ponūtur, vel vt partes, quia vbi totum eſt, debent etiam eſſe illius partes, ex quibus totum conſtituitur, vel vt modi aut affectiones rem in proprio genere complentes, vnde exiſtentia, ſubſiſtentia in hærentia, differētiæ indiuiduales, non conſtituunt propriū prædicamentum, cum modi ſint incompleti, ſed reducuntur ad ea quorum ſunt, quia prædicamenta ſunt impermixta à ſummo genere vſquè ad indiuidua, teſte Ariſtotele. 1. poſte. c. 11. tex. 31. ergo prædicti modi complent indiuiduum in proprio genere, atque adeo ad idem ſpectant reductiuè. vel vt viæ ad ea quæ per ſe in prædicamentis collocantur, vt motus. Entia per accidens ad Entia per ſe ex quibus conſtant. Entia rationis ad entia realia in quibus fundantur. Entia incōpleta ad completa. Complexa ad incomplexa, Negationes & priuationes ad ea quæ negātur Commētitia ad ea ex quibus conſtare finguntur. Omnia autem ſiue quæ per ſe ſiue quæ reductiue in prædicamentis collocantur, ad Deum vt ad rerū omnium Principium & finem reuocantur, tam longe enim abeſt vt ipſe ad Prædicamentum reducatur, cum hoc imperfectionem & incompletionem præ ſeferat.

VI. Conc. Sexta concluſio. Genera non ſubalternatim poſita quæ vel ſub vno tertio vel vnū ſub altero continentur, cum omnibus ſuis ſpeciebus ac Differētijs ad diuerſa ſpectant prædicamenta, quæ verò ſub alterna ſunt duobus his modis in eodem Prædicamento ſedem habent. Prima pars patet quia genera prædicta eorum que ſpecies non poſſunt eſſentialiter ordinari, cum vnum de alio eſſentialiter nequeat enunciari. Secunda pars eadem ratione conuincitur, talia enim genera ordinantur eſſentialiter vt conſtat.

Ex quo deducitur: Prædicamenta inter ſe in per mixta eſſe à ſummo genere vſque ad indiuidua. In eodem verò Prædicamēmento plures dantur lineæ inter ſe permixtæ, plerumque enim (iuxta ſuperius præfinitum) genera quæ ponuntur ſub diuerſis lineis eaſdem habent differentias diuiſiuas, & vnam, eandem què ſpeciem, quod intellige de generibus particularibus ſub vniuerſalioribus contentis, per differentias non ex directo oppoſitas conſtitutis.

QVÆSTIO III. NVM RES In concreto an in Abſtracto ſeriem Prædicamentalem conſtituant.

CONTROVERSIA Hæc non leuis eſt propter varios circa hanc rem opinantes, qui omnes in quatuor opiniones diſtrahuntur.

Prima

I. Opinio. Prima eſt eorum qui non ſolum ſubſtantiarum concreta ſed etiam abſtracta, qualia ſunt (exempli gratia) animalitas humanitas &c. in recta linea prædicamentali conſtituunt, quam ſic firmare nituntur.

I. Argum. Primò, genus ſupremum ſubſtantiæ de generibus et ſpeciebus ſubſtantiæ abſtracte ſumptis enunciatur, ſicut enim hæc eſt vera homo eſt ſubſtantia, ita et hæc humanitas eſt ſubſtantia, conficiunt ergò lineã rectam Prædicamenti.

II. Argu. Secundò. *Prædicata* ſubſtantiæ in abſtracto, habent interſe ſe rationem ſuperioris et inferioris, generis & ſpeciei, quippe cum abſtracta de abſtractis verè & propriè ſecundum communem Thomiſtarum opinionem prædicentur, conſtituunt ergò lineam rectam prædicamẽtalem, cum Prædicamentum ſit, prædicatorum eſſentialium ſecundum rationem generis & ſpeciei coordinatio.

Solutio. Cõmunis. Nec quid quam vim in fringit. Argumenti, ea ſolutio quæ cõmuniter ſolet circumferri. ideo abſtracta ſubſtantialia à prædicamento ſecludi, quia in completa ſunt, cum partium rationem importent, abſtrahunt enim à ſubſtantiæ complemento.

Impugnat. Hoc imquam nihil præſtat, quia talia prædicata in abſtracto, completam habẽt rationem eſſentiæ ſubſtantiæ, quod ſufficit ad completam rationem prædicamentalem, hoc vel ex eo maximò patere poteſt, quod prædicamentum eſt prædicatorum eſſentialium duntaxat ordinatio, qua ratione ens vt exiſtentiam dicit à prædicamento reijci & ſolum vt eſſentiam præ ſe fert ad Prædicamenta ſpectare perſcripſimus, quia & ſi exiſtentia ſubſtantiam compleat intra proprium genus, non tamen eſt prædicatum eſſentiale Vel ex eo poterit conuinci, quod prædicata accidentalia abſque inhærentia nominibus abſtractis ſignificata, completam ſortiuntur rationẽ prædicamentalem, ergo & abſtracta ſubſtantialia, cum multo perfectior & completior ſit natura ſubſtantialis ſine ſubſiſtentia, quàm natura Accidẽtis ſine in hærẽtia, nec minus in hærentia ſit de complemento Accidentis intra proprium genus, quam ſubſiſtentia de complemento ſubſtantiæ, cum vtraque rationem vltimi termini intrinſecè terminantis & complentis in proprio genere habeat.

II. Opinio Albertus. Nimphus. Secunda opinio, Sola concreta non tantum in prædicamento ſubſtantiæ ſed etiã in Accidentibus conſtituit per ſe & directè, abſtracta verò reductiuè, & quidem de prædicatis ſubſtantialibus, poſtea id nos probabimus, iuxta receptam iam in ſchola ſententiam, de prædicatis vero accidentalibus ſic probatur. *Toletus. Murcia.*

I. Argum Primò, eo pacto Accidentia in Prædicamentis ſunt collocanda, quo magis eorum natura explanari poſsit, ſed exactius explicatur in concreto quàm in abſtracto, cum enim proprium ſit Accidentis adiacere ſubiecto, hoc in concreto ſignificatur, per abſtractum autem ſignificatur per modum per ſe ſtantis, quod non Accidentis ſed ſubſtantiæ proprium eſt, adque adeo per modum alienæ naturæ: ſunt ergo in cõcreto & non in abſtracto in prædicamentis collocanda.

Cõfirmat. Confirmatur, commodius ſubſtantia eo nomine explicatur, quo propriùs illius modus ſignificatur, quàm quo ſecundum modum Accidentis, vnde ideo differentię à Prædicamento ſubſtantiæ remouentur, quia non ſignificantur proprio modo ſubſtantiæ, ſubſiſtentis nimirum, ſed alieno, modo ſcilicet formæ accidentariæ quaſi alteri adiacentis. Ergo idem decernendum eſt de Accidentibus ſecundum proprium ipſorum modum.

II. Argu. Secundo. Concreta ſubſtantiæ ſunt quæ per ſe ponuntur in prædicamento, ergo & concreta accidentium, cum Abſtracta tam ſubſtantiæ quam Accidentis in completa ſint, quia ex propria natura partes ſunt ad totius compoſitionẽ ordinatæ, ſicut enim animalitas aut humanitas ſuapte natura ad totum ſubſtantiale componendum ordinantur, ſic albedo eſt forma ad componendum totum accidentale nempe album, natura ſua ordinata.

III. Arg. Tertiò. eo etiam modo in prædicamentis Accidentia conſtitui debent, quo eorũ diſtinctio & conſtitutio in noteſcit, ſed hoc tantum fit in concreto, cum prædicamenta Accidentium pœnes diuerſos prædicandi modos de ſubſtantia conſtituantur, et diſtinguantur, de illa autem ſolum modo in concreto, non verò in abracto prædicantur, in concreto ergo lineam prædicamentalem conficiunt.

Murcia. Quod adeo verum eſſe nonnulli ſibi perſuadent, vt id etiam de concretis non ſolũ vt compoſitum ex natura accidentali & in hærentia ſignificant, cenſeant eſſe intelligendum, ſed etiam prout ipſum ſubiectum vt alteram partem compoſiti directè ſignificant (quod vt proculdubio verum ſupponunt)

ponunt) quia ad huc vt ſic (dicunt) ſunt vnum per ſe, quamuis enim ex rebus diuerſorum prædicamentorum nequeat fieri vnum per ſe ſubſtantiale, poteſt tamen vnum per ſe accidentale. nec inconuenit ſubſtantiam ſub diuerſa ratione ad diuerſa ſpectare Prædicamenta.

III. Opini. Tertia Opinio oppoſitum omnino ſtatuit, Accidentia ſolum in abſtracto collocans in prædicamentis, in concreto verò reductiuè, cui plerique dialecticorum aſtipulantur, referuntur que pro ea Doctores vtriuſq; ſcholæ āte ſignani. Angelicus Doctor opus 42. c. 19. de ente & eſſentia c. 7. ad finem. & Subtilis Doctor q. 15. vniuerſal in reſponſione ad 2. vbi loquens de concretis ſic, *ſed ſimpliciter loquendo non ſunt in genere niſi per reductionem, quia non ſunt in aliquo Prædicamento niſi quia coordinatio concretorum reducitur ad coordinationem abſtractorum.* & q. 11. prædicam. in Reſpons. ad 3. ſic. *Ad aliud de concretis quòd eſſentia ſignificata per album eſt in genere qualitatis, ſed illa ſub hoc modo intelligendi vel ſignificandi non eſt per ſe qualitas, vel in genere qualitatis ſed per reductionem* eamq; videtur expreſsiſſe Ariſtot. qui. 3. topic. c. 1. iuſtitiam (ait) per ſe eſſe in genere non vero iuſtum, & 7. metaph. c. 6. tex. 21. album & muſicum vocat entia per accidens quia duo ſignificant. Rationibus autem ſic ſuadetur.

I. Argum. Primò. quia Abſtracta Accidentium eſſentialem eorum prædicationem exactius exprimunt, clarius etenim apparet, hanc eſſe eſſentialem enuntiationem, albedo eſt color, quàm hanc album eſt coloratum, cum hæc prædicationem denominatiuam ſonet, iſtius inſtar, corpus eſt album, in prædicamentis autem, his nominibus vtēdum eſt, quibus eſſentialis eorum prædicatio clarius deprehenditur. Cum Prædicamentum ſit ordo prædicatorum eſſentialium.

II. Argũ. Secundò concretum accidentale ex vi ſuæ ſignificationis tam formalis quam materialis, aut ſaltim ex vi modi ſignificandi importat aliquid extraneum alterius prædicamenti nempe ſubiectum, ex quo & Accidenti effici nequit vna quædam ſpecies & vna natura, illa enim non erit ſubſtantia pura cum intrinſece includat Accidens, nec purum accidens quia etiam includit ſubſtantiam: erit ergo ſubſtantia & accidens, atq; adeo ſub duplici genere erit, duplicique differentia, tametſi autem ex potentia quauis & actu vnum fiat, quod tantum intendit Ariſtot. 2. de anima tex. 2 in exemplo adducto de ligno ex quo fit vna ſtatua, non tamen vnum per ſe niſi ex potentia & actu eiusdem generis & per ſe ordinatis, potentia autem ſubſtantiæ cum completa ſit in ſuo genere ad Accidens accidentalis eſt, ſicut & ipſe actus eſt accidentalis, reſpicit ergò illum non per ſe ſed per accidens, ſicut & ipſum accidens non per ſe ſed per accidens de ſubiecto enũciatur, ordinaturque ſubiectum ad alicuius conſtitutionem extra proprium genus, nequit ergo ex ſubiecto & accidenti vnum per ſe fieri.

III. Argum. Tertio diuerſus prædicandi modus vt à radice ſumitur in Accidentibus, ex diuerſo modo eſſendi & in hærendi ſubiecto. ea ergò duntaxat in Prædicamentis accidentium collocanda ſunt, quæ ſubſtantiæ inſint, veluti ſubiecto, atqui ſola accidentia abſtracta ſunt in ſubiecto in hæſiue, concreta verò vt album, ſolum ratione formalis ſignificati, nam ſecundum materiale dicuntur eſſe in ſubiecto non per modum in hærentiæ, ſed identitatis: igitur accidentium Prædicamenta ex abſtractis accidentibus coaleſcunt.

IIII. Opin Caietani. Maſij. Sanchez. aprobat. Quarta tandem opinio ſub diſtinctione procedit licet non eadem. quidam enim prædicamenta diſtinguunt aut vt ad metaphyſicum ſpectant, aut vt ad logicum, conſtituuntque concreta, in prædicamentis metaphyſice ſumptis, excludunt autem ea à logicis prædicamentis. Rubio. Alij autem, concreta ipſa diſtinguunt, vel vt ſignificant cōpoſitum ex natura accidentali & ſubiecto vel ex natura accidentali & vltimo termino in hærentiæ, primo modo ſumpta vt entia per accidens remouent à prædicamētis, ſecundo modo vt pote entia per ſe in eis per ſe conſtituunt.

I. Notabi. Sed vt quid nobis tenendum ſit cum noſtro Doctore decernatur, in memoriam reuocare apprimè oportebit quæ ſupra lib. 1. d. 2. Ar. 5. q. 2. & 3. de abſtractione vltimata ſeu Metaphyſica, & de non vltimata ſeu Phyſica ad monuimus. cum quo etiam obſeruandum, abſtracta & concreta Accidentium, vel poſſe ſic comparari, Abſtracta inter ſe, et concreta inter ſe, vel abſtracta cum concretis aut è contra.

I. Conclu. Prima concluſio in Prædicamento ſubſtantiæ ſolum ponũtur concreta, abſtracta vero vt humanitas animalitas &c. Reductiuè, prima pars res eſt explorata apud omnes, cum completa ſint, habeant què propri-

propriam generis & ſpeciei rationem.

Secunda pars in noſtra ſententia luce meridiana clarior eſt; cum in abſtractis ſubſtantialibus ratio generis & ſpeciei nequeat reperiri, abſtrahũt enim ab eis, ſunt què duntaxat eorum principia.

II. Concl. Secunda concluſio. Abſtracta accidentium non vltimata abſtractione per ſe ponuntur in prædicamentis, vltimatè verò abſtracta ſolum per reductioné, ſic noſter Doctor locis citandis. Prima pars probatur, quia in illis reperiuntur genera & ſpecies, & ex modo ſignificandi ſignificant naturas completas, tametſi enim naturam ſignificent accidentalem in hærentia exutam, illam tamen per modum ſubſtantiæ à materia ſeparatæ quaſi per ſe ſtantis important, ratio autem fundamẽtalis noſtri Doctoris eſt, quod per hanc abſtractionem licet abſtrahant à ſubiecto, non tamẽ ab omni concernentia, concernunt enim inferiora, atque adeo reſpectu illorum manent cõcreta, atque completa, ſicut homo reſpectu inferiorum. Ex quo ſecunda pars manet probata, quia vt ſic abſtrahunt ab omni concernentia, tam à ſubiecto quam ab indiuiduis, atque adeo de eis nequeunt prædicari.

III. Concl. Tertia concluſio. Concreta Accidentiũ per ſe rectam lineam prædicamentalem conſtituunt. Sic noſter Doctor. q. 15. vniuerſalium, vbi probat concretum diffiniri poſſe, quia eſt ens per ſe, & poſtea ſubdit, *tamen concreta inter ſe ſunt in genere per ſe quia inter ſe habent ſe, ſicut ſuperius & inferius, quod ſufficit ad hoc vt diffiniantur*, & q. 8. Prædicam. vt vidimus, probat concretũ accidentis non ſignificare ſubiectũ, ſed tantum connotare extrinſecè, ac proinde in re ſignificata non differre ab abſtractis. & q. 10. ait. *Ideo poteſt dici, quod relatiua ſunt per ſe in genere relationis, ſicut concreta aliorum in alijs generibus*, et Q. 11. in reſpons. ad Argum. Sic ait, *concedo quale eſſe generaliſſimum, propter probationes illas.*

Probatur concluſio. Res ponuntur in prædicamentis quatenus nominibus ſignificantur, ſed nomina concreta accidentium ſignificant ens per ſe, cum ſolum ſignificent naturam Accidentis cum in hærentia, quæ vt vltimus terminus illius conſtituit vnum per ſe in proprio genere, ſubiectum vero non ſignificant, ſed tantum innuunt, & in illis vt ſic datur prædicatio eſſentialis, atq; ratio generis et ſpeciei, ergo vt ſic ponuntur in prædicamentis, licet ipſa res concreta & compoſita, ex Accidenti & ſubiecto, vt ens per accidens à prædicamentis excludatur, imo potius de illa vt ſic nõ diſputamus quidquid dicat Sãchez.

IIII. Conc. Quarta concluſio. Licet Accidentia ſiue in abſtracto ſiue in concreto promiſcuè poſsint in prædicamentis collocari, quia idem ſignificant, vnde Ariſt. promiſcue aliquando in abſtracto & aliquando in concreto illa diffinit, & de illis loquitur, cõcreta tamen Accidentium non ponuntur ſub abſtractis, nec econtra, vnde ſi generaliſsima in abſtracto ſumantur, vt quãtitas; qualitas, relatio &c. Omnia alia prædicata inferiora debent poni in abſtracto & tunc cõcreta erunt per reductionem ad illa, ſic ergo debent diſponi vt abſtracta ſub abſtractis & concreta ſub concretis. Hoc eſt quod intendit noſter Doct. locis citatis. q. n. illa 15. vniuerſalium *ſic vel aliter, quòd generaliſsima Accidentiũ ſunt abſtracta & in illis per ſe nõ ſunt niſi abſtracta. i. quæ recipiunt per ſe prædicationem ipſorum, tamen concreta interſe ſunt in genere per ſe, quia inter ſe habent ſicut ſuperius & inferius*, & q. 11. Prædicam. in reſpons. ad 3. ſic. *Ad aliud de concretis dico, quòd eſſentia ſignificata per album eſt in genere Qualitas, ſed illa ſub hoc modo intelligendi vel ſignificandi nõ eſt per ſe Qualitas, vel in genere qualitatis, ſed per reductionem, quia ſcilicet eſt idem eſſentialiter albedini quæ eſt per ſe in illo genere, eſt autem in aliquo generaliſsimo per ſe, ſcilicet in quali ſed non in alio, quale enim à qualitate tantum differt in modo ſignificãdi.* Ex quibus dictis; ratio poteſt ſic formari, Abſtracta & concreta nequeunt interſe ordinari ſecundum rationem ſubijcibilis & prædicabilis, cum abſtracta de concretis vel vice verſa prædicari nequeant. Nequeunt ergo concreta ſub abſtractis in Prædicamentis collocari.

Obiectio. Obijciat quis, Quale. v. g. eſt generaliſsimum, & Qualitas eſt generaliſsimũ, & hæc non ſunt idem generaliſsimum, cum vnũ non prædicetur de alio, nec vnum de ſpeciebus alterius, igitur aliud & aliud generaliſsimum cum diuerſis ſpeciebus, idem enim & diuerſum ex Ariſto. 10. metaphy. contex. 12. includunt contradictionem.

Reſpons. Sed occurratur cum Doctore, eſſe idem generaliſsimum, quod enim vnum de alio & de ſpeciebus illius enunciari non poſsit, non prouenit ex eo quod res diuerſas diuerſorum generũ important, ſed ex diuerſo modo ſignificandi, propter quẽ bene poteſt aliquid eſſe alteri idẽ, & non prædicari

de illo, hæc ergo diuerſitas licèt vnius de altero prædicationem prohibeat, non tamen generum diſtinctionem importat.

Vltima Concluſio.

Vltima concluſio, Simpliciter tamen & abſolute loquendo Accidentium genera & ſpecies, perfectius in abſtracto quam in concreto lineam rectam prædicamentalé conſtituũt, hoc etiam intendit noſter Doctor locis citatis. Probatur, quia Prædicamenta à ſupremo genere vſque ad indiuidua ſunt inpermixta, & pura ab omni extraneo alterius Prædicaméti, ſed hanc impermixtioné perfectius important Accidétium abſtracta quàm cõcreta atque adeo purioré prædicationé eſſentialé, cum hæc licet ſubiecta non ſignificent per ſe, illa tamen aliquomodo importát cõnotando & inſinuando, vnde aliquo modo prædicationé denominatiuã ſonare vidétur, perfectius igitur abſtracta quàm cõcreta Prædicamenta cõficiũt, vnde in hoc ſenſu ſimpliciter loquendo ait Doct. *cõcreta accidentium non ſunt in genere niſi per reductionem*.

Reliquum, eſt vt Argumenta oppoſita, quatenus noſtra aſſerta euertere conantur, ſuo ordine diluamus.

Ad argu. I. Opinio.

Ad Argumenta Primæ opinio.

Ad. I. Ad Primũ. neganda eſt minor, ſubſtãtia enim quæ eſt genus generaliſsimum quo pacto in vi concreti ſumitur, non prædicatur de abſtractis ſubſtantiarum, ſed ea ſubſtantia quæ in tota ſua latitudine completam & incompletam comprehendit.

Ad. II. Ad Secundum, negandum eſt antecedens, & ad replicam ſimiliter. Abſtracta enim ſubſtantialia licet partes ſint eſſentiales metaphyſicæ, ex vi tamen vltimæ abſtractionis qua præciſè vt partes ſignificantur, prædicatorum eſſentialium condicionem nequeunt habere, ſicut nec rationem ſuperioris et inferioris prædicabilis & ſubijcibilis, quod non euenit in Accidentibus non vltimo abſtractis. Sola ergò vltima abſtractio eſt, quæ ſiue in ſubſtantijs ſiue in accidentibus vt pote quæ ab omni concernentia præcindit, ordinem prædicamentalem tollit, abſtractio verò non vltima minime.

Deductio

Ex quo fit, euenire poſſe, rem aliquam in ſe aliam in perfectione ſuperare, modũ tamen quo ſignificatur ex propio genere imperfectiorem eſſe, ſic natura ſubſtantialis ſine ſubſiſtentia naturam accidentalem ſine herentia, perfectione longè excellit, modus tamen ſignificandi vltimæ abſtractionis quo ſignificatur, minus perfectus eſt quàm abſtractionis non vltimæ, ille etenim A præciſe patré per modum partis dicit hic verò naturam accidentalem licèt á ſubiecto abſtractam, modum tamen totius habentem reſpectu inferiorum.

Ad Argu II. Opinio.

Ad Aargumenta Secundæ opinio.

I Argum. Ad primum, minor eſt diſtinguenda, concreta perfectius ſignificant naturam accidentium, quantum ad modum exiſtendi concedo, quantum ad modum prædicádi eſſentialem nego, licet enim eſſentialem dicant prædicationem ordinabilem in recta linea, non tamen ita purè perfectam.

Ad confir. Ad confirma. Diſtinguatur antecedens, quo propriùs ſignificatur modus exiſtédi nego, modus eſſentialis prædicationis cõcedo, hic autem in ſubſtantijs, nominibus duntaxat concretis ſignificatur, in Accidentibus verò, tam concretis quàm abſtractis nominibus, tametſi modo perfec- B tiori abſtractis quàm concretis.

Ad. II. Argumen Ad. Secundum. Conceſſo antecedenti, conſequens eſt negandum, ex ſæpedictis, Accidens enim à ſubiecto abſtractum, & in ſe conſideratum licèt aliquid ſubſtãtiæ ſit abeaq; dependeat, nõ tamẽ vt cõplemẽtũ illius in proprio genere, ſeu vt pars, ſed tantum vt forma quædam accidentaria ornatum ac pulchritudinem ſubiecto in ſuo eſſe ſubſtantiali iam conſtituo impendens, atque adeo natura accidentis non ordinatur proprie vt pars ad cõſtituendum vnũ ens per ſe intra proprium genus, ſed vt natura et forma extranea, ex qua & ſubiecto, non reſultat vna natura, ſed concretũ accidẽtale, & ens per accidẽs, vt pote naturas diuerſorũ prædicamẽtorũ in voluens.

Ad. III. Argumẽ. Ad tertium negabis minorem, tametſi enim accidentium prædicamenta pœnes C varios ac diuerſos ſubſtantiam afficiendi modos, ſecernantur, vt animaduerſum eſt, non tamen in prædicamentis collocantur, prout de prima ſubſtantia prædicantur. cum hæc prædicatio denominatiua ſit, ſed quatenus eſſentialem dicunt prædicationem de ſuis inferioribus.

Ad. Argum. Tertiæ opinionis, quod tantum probãt vltimam cõcluſionem, ſi verò aliquid amplius intẽdunt, hac ſola animaduerſione refelli poſſunt, quod nomen cõcretũ ex propriæ ſignificationis vi modiq; ſignificandi non importat ens compoſitum ex accidenti & ſubiecto, ſed ex natura accidentali & propria in hærentia, quod vnũ quid piam perſe eſt, vnde modũ eſſendi & in hærendi ſubiecto perfecte important

concreta

eoncreta·Ariſtot.autem ſenſus germanus eſt quem tradit noſter Doct.In illo topi.ꝙ excludit iuſtum à genere virtutis ſubquo ponitur iuſtitia,iure quidem,cum illud nō ſit virtus ſed hæc,non tamen excludit à genere prædicabili & prædicamentali.In illo 7.metaphy.quod ibi vocat dicta per accidēs, quæ in ſe diuerſas aggregāt naturas vt homo albus, homo muſicus, in quibus in principio capitis exemplificat,ideo omnia poſterius dicta ſunt intelligēda eodem pacto.vnde muſicū ſupponit pro homine muſico,cū muſicū ſolitarie ſumptū, nō habeat duplex ſignificatum. ac proinde ſubiectū & accidēs vt vnū per accidens conſtituūt nequeunt eodē nomine concreto ſignificari, ſed duobus nominibus,ſic homo albus homo muſicus.videatur Doct.q.15.vniuerſa.in reſpō.ad.2.& q.8.prædicam.in reſpō. ad vltimum.

DISTINCTIO III. DE ordinatione Primi prædicamenti Subſtantiæ.

B PRÆDICAMENTVM Subſtātiæ merito inter cætera primatum tenet, quippe cum aliorum ſit fundamentum fulcrum ac ſubſtentaculum,& illis prius Phyloſopho teſte, 7. metaph.c.4.tā natura vt cauſa illorū,quàm tēpore licet nō omnibꝰ illis ſaltim quæ ſubſtantiæ iam productæ adueniūt,ex aliqua ſuperueniēte mutatione,Diffinitione & cognitione cū Accidentia per ſubiectū ꝙ,ſubſtātia eſt, diffiniātur abeoq; pendeat diſtincta illorū cognitio, licet de cognitione cōfuſa aliud ſit,de hac enim eſt intelligēdus Phyloſophus cum.1. de anima.ad ſubſtātiæ cognitionē non mediocriter accidentia cōferre perſcibit.De ſubſtātia ergo hæc docet Ariſt.c.5 prædi.

LITERA ARISTOTELIS.C.V.

I. Conclu. Prima conc. *Duplex eſt ſubſtantia vna Prima & alia ſecunda, Prima eſt quæ nec eſt in ſubiecto nec dicitur de ſubiecto, vt quidam homo. Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera & ſpecies, quæ dicuntur de primis, & ſub eis prima continentur, vt homo animal.*

II. Concl. Secunda concluſio. *In hoc ſecundæ ſubſtantiæ ab accidentibus differunt, quòd illæ prædicantur de primis nomine & ratione,*(hoc eſt eſſentialiter),*accidentia verò non ſed tantū nomine*(hoc eſt accidentaliter.

III. Concl. Tertia cōc. *Reliqua omnia preter primas ſubſtātias aut ſunt in eis in haſue ſcilicet vt accidētia,vel prædicātur de primis vnde deſ-* A *tructis impoſsibile eſt aliquid alicrū remanere.*

Quarta conc. *Inter ſecundas ſubſtātias, ſpecies eſt magis ſubſtātia,quia præter primas magis ſubſtant,inter ſpecies autē vna non eſt magis ſubſtātia quā alia,ſicut nec inter primas.* IIII. Con.

Quinta C. *Sex ſunt proprietates ſubſtātiæ. 1. quæ omnibus ſubſtantijs eſt cōmunis, quòd non eſt in ſubiecto. 2. quòd omnis ſubſtantia ſecunda prædicatur de primis 3. quòd prima ſubſtātia ſignificat hoc aliquid, ſecunda verò quale quid. 4. quòd ſubſtantiæ nihil eſt contrariū. 5. ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus. 6. quòd ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum.* V. Concl.

LITERA DOCTORIS.

B QVATVOR excitat noſter Doctor Quæſtiones litterales, circa ea quæ Ariſtotelis docet in hoc capite.

Q. P. V. aliquis homo ſit prima ſubſtātia Q.12.D.

Ariſtot. dum de primis ſubſtantijs diſſerit,hunc terminum aliquis homo in exēplum adducit, ideo quærit Doctor in hac quæſtione,num verum ſit hoc.

I.C. *Aliquis homo ſignificat primā ſubſtantiā determinatā indeterminatè,& ſic exēplificauit Ariſt.de prima ſubſtantia hac vel illa.* I. Conclu.

II. C. *Aliter etiam poteſt dici quod aliquis homo licet ſupponat pro prima ſubſtātia, quādo eſt ſubiectum in propoſitione particulari, non tamen illā ſignificat, nec determinatam, nec indeterminatè,cum prædicetur de omni homine, erit ergo ens per accidens compoſitum ex re primæ intentionis & ſecundæ.* II. Concl.

Tertia conc. *Diuiſio ſubſtantiæ in primā* III. Concl. C *& ſecundam non eſt diuiſio generaliſsimi in ſpecies ſed ſubiecti in Accidentia.*

Licet Doctor concluſionem ſecundam aſſerat videri conuenientiorem, prima tamen verior eſt in cōmuni illius doctrina, vt iterum exprimit. q. Sequenti. videnda ſunt quæ diximus de indiuiduo vaguo lib. 1.D. 4. Art 2.Q 4.

Q.13.D. QVÆSTIO.II. De bonitate iſtius cōſequētiæ,animal prædicatur de homine & de aliquo homine,color eſt in corpore.

Ariſtoteles vt oſtenderet,omnia aut dici de primis, vt prædicata ſubſtātialia, aut eſſe in eis vt accidentia, prædictas conſequentias adducit, quarum veritatem exquirit Doctor.

I. Conclu. Prima concluſio. *Prima conſequentia exacta eſt ſumendo prædicari vt hic ſumitur ſcilicet ſuperioris de inferiori, in genere, fundatur enim in illa regula, quando alterũ de altero prædicatur &c. quæ æquiualet illi, quod eſt prius poſteriori*

II. Concl. Secunda conc. *Exacta etiã eſt ſecunda conſequẽtia in omnibus accidẽtibus realibus per locum à minori quia illa prius inſunt primis ſubſtãtijs quàm ſecũdis, licet è cõuerſo contingat de proprio fundatur autem in illa regula, nihil ineſt alicui ſupponenti diſiunctiuè pro multis, niſi alicui illorum indeterminatè ſumpto inſit.*

III. Concl. Tertia conc. *Vtraq; cõſequẽtia tenet tãtũ modo cum cõmune ſupponit perſonaliter, non tamen vt ſimplici ſuppoſitione ſupponit.*

IIII. Con. Quarta conclu. *Cum Ariſtot. ait corruptis primis ſubſtantijs impoſsibile eſſe aliquid aliorũ remanere intelligendus eſt quoad illud eſſe quod in primis habent, eſſe ſcilicet reale exiſtentiæ, poſſunt tamen remanere quoad aliud eſſe, vt quiditatiuum vel intelligibiliter.*

Quæ. 14. QVÆSTIO. III. an Differentia de genere ſubſtantiæ ſit ſubſtantia.

Cum adduxiſſet Phyloſophus, cõmunem illam ſubſtantiæ proprietatẽ nõ eſſe in ſubiecto, profert in exemplũ differentiam. Quærit Doct. quo pacto ſubſtantia ſit.

I. Conclu. Prima concluſio. *Differentia de genere ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, patet quia differentia eſt pars diffinitionis ſpeciei, igitur indicat aliquid eſſentiæ eius, nihil autem ad eſſentiam ſubſtantiæ pertinet, niſi ſubſtantia ſit.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Differentia eſt ſubſtãtia ſi ſumatur ſubſtãtia in ſua latitudine, non tamen ſi ſumatur præſſe pro ſubſtãtia quæ prædicamentum conſtituit, hæc patet quia ſolum genera ſpecies & indiuidua completa prædicamentum ſubſtantiæ conſtituunt.*

III. Concluſio Tertia concluſio. *Cõtrarietas ſumpta pro diſtãtia priuatiua, inter priuatiue ſcilicet oppoſita, in ſubſtantia reperitur, ſumpta autem pro formarum diſtantia mutuo circa idem ſe expellentium vi. 8. phyſic. non datur.*

IIII. Con. Quarta conc. *Sicut forma dicitur æquiuocè de ſubſtantiali quæ tribuit eſſe ſimpliciter, & accidẽtali quæ tribuit eſſe ſecundum quid, vt actus de actu primo & ſecundo & qualitas de qualitate eſſentiali & accidẽtali, vnde differẽtia æquiuoce dicitur qualitas nimirũ eſſẽtialis*

Qu. 15. QVÆSTIO IIII. V. partes ſubſtãtiæ ſint ſubſtantiæ.

Partes ſubſtantiæ ſubſtantias eſſe ſtatuit Ariſtot licet enim in toto ſint ſed non vt in ſubiecto, quærit Doctor. quo pacto etiam ſubſtantiæ ſint, an prædicamentales.

A Prima con. *Si ſubſtantia in tota ſua latitudine accipiatur, ſic partes ſubſtantiæ ſiue phyſicæ vt materia & forma, ſiue integrales vt pes, manus, &c. ſunt ſubſtantiæ, patet ex Ariſtot. qui reputat in conueniens dicere eas nõ eſſe ſubſtantias, & 2. de anima. contex 2. diuidit ſubſtãtiã in formam materiã & cõpoſitũ, quodlibet igitur iſtorum ſubſtantia eſt, quia diuiſũ prædicatur de membris diuidentibus.* I. Conclu.

Secunda conc. *Non ſunt ſubſtãtiæ, ſi ſubſtantia ſumatur pro completa ponibili in recta linea, patet quia generaliſsimum ſubſtantiæ non prædicatur de eis per ſe, cum rationem cõpletam importet, non ergo ſunt directè in genere ſubſtantiæ ſed per reductionem.* II. Concl.

Tertia concluſio. *Licet ſubſtantia non ſuſcipiat magis & minus, maximè ſi ſumatur ſecundum gradum eſſentiæ, quo ad actum tamen ſubſtandi, vna magis ſubſtat quàm alia & magis ſubſtantia dicitur quam alia, ſed multa eſt circa hanc proprietatem* B *difficultas, quæ Phyloſopho relinquatur.* III. Concl.

Quarta concluſio. *Proprietas illa ſubſtantiæ quòd eſt ſuſceptiua contrariorũ vna & eadem numero manens ſecundũ ſui mutationẽ, eſt propria ſubſtantiæ & conuertitur cum ea, quia nulla ſubſtãtia ex ratione ſubſtãtiæ prohibetur ſuſcipere cõtraria, licet aliqua ex ſua propria forma determinetur ad vnum contrarium. Intelligendum etiam eſt ſubſtantiam ſuſcipere contraria non ſibi ſed inter ſe.* IIII. Con

QVÆSTIO I. QVO pacto ſubſtantia conſtituat hoc Prædicamentum.

OPERE pretium erit, omnes præmittere ſubſtãtiæ acceptiones, vt in qua ſumi debeat quæ lineam conficit prædicamentalem valeat dignoſci.

C Primo, ergo ſumitur ſubſtãtia pro cuiuſque rei eſſentia, ſiue accidens ſit ſiue ſubſtãtia, qua ratione communiter dici conſueuit, hoc eſt de ſubſtantia rei & in hoc ſenſu Ariſtot c. 1. ante prædicament. eandem eſſe ſubſtantiæ rationem in vniuocis, in æquiuocis vero diuerſam affirmat.

Secundo, Sumitur pro re quæ ab Accidẽti diſtinguitur, & licet ſubſtantia in hac acceptione, à quadam ſua proprietate ſiue ſubſtãdi ſiue ſubſiſtendi de ſumpta ſit, non tamen hoc tantũ ſignificat, ſed ipſam naturam eſſentiamq; ſubſtantiæ, cum Deus perfectiſsima ſubſtãtia ſit, nullis tamẽ accidẽtibus ſubſtat, aliud enim eſt à quo nomẽ imponitur, aliud verò ad quod ſignificandum

impo-

imponitur, vt nomen hoc lapis licet á lædendo pedem deſumptum ſit, non tamen hoc, ſed ipſam naturam lapidis ſignificat. Subſtãtia autem in hac latitudine ſic ſolet deſcribi, eſt ens per ſe exiſtens, nõ quidem quòd de ratione ſubſtantiæ ſit actualiter per ſe exiſtere, cum exiſtentia creatæ rei eſſẽtiã nõ ingrediatur, ſed ſic intelligitur, quòd ſubſtantia eſt talis naturæ, cui debetur eſſe per ſe, eſſe ſcilicet in depẽdenter à ſubiecto in hæſionis, ſicut eſſentia accidentis talis eſt, cui debetur exiſtere in alio vt in ſubiecto, hoc enim frequenter obuenire ſolet, vt res ignoratas per exploratas proprietates aperiamus.

Ad illud quidem poſitiuum per ſe quo ſubſtantia conſtituitur, ſequitur negatio eſſendi in alio vt in ſubiecto, ſeu negatio dependentiæ tam actualis quàm aptitudinalis ab alio vt à ſubiecto, per quam negationem, rationem ſubſtãtiæ in præſenti explicat Ariſtot. commune eſſe omni ſubſtantiæ affirmans non eſſe in ſubiecto, Accidenti verò eſſe in ſubiecto. quod etiam frequens eſt, vt res abditæ & occultæ per negationes ſoleant manifeſtari. Cum ergo ex Ariſt. 4. phyſi. c. 3. eſſe in alio multipliciter contingat, vel vt pars in toto, ſiue actuali quo pacto omnis pars vel phyſica vel metaphyſica vel integralis eſt in toto quod cõponit, ſiue potentiali, vt inferius dicitur eſſe in ſuo ſuperiori, ſpecies in genere, & indiuiduum in ſpecie. vel vt in fine vt auarus eſt in diuitijs, aut vt in mouente & efficiente, vt ſubditi in regis aut Prælati poteſtate eſſe dicũtur vel vt in loco, ſic ſcholaſtici ſunt in gymnaſio, vel vt in vaſe. vt vinum eſt in dolio. vel vt in tempore, vt Noe fuit in tempore diluuij, vel tãdem vt in ſubiecto cui in hæret & a quo ſuſtẽtatur, ſic Accidens eſt in ſubiecto, negationem ergò iſtius modi eſſendi in alio vt ſcilicet in ſubiecto importat ſubſtantia in tota ſua latitudine, quæ completas et incompletas ſubſtantias ſub ſe comprehendit, completa eſt quæ totalis & integra eſt. in completa vera cui aliquid deeſt de complemento ſubſtantiali, aut alteram componit & complet in eodem genere ſubſtantiæ, ſiue illa pars ſimplex ſit vt differentia, ſiue phyſicè compoſita vt pars integralis, ſiue phyſicè ſimplex, metaphyſicè verò compoſita vt anima rationalis.

Tertio ſumitur ſubſtantia preſsius pro ſola ſubſtãtia completa, quæ nimirum omne complementum in ratione ſubſtantiæ

A neceſſarium ac ſibi debitum obtinet, ſiue id habeat per compoſitionẽ phyſicam aut metaphyſicam, ſiue per ſimpliciſsimam entitatem omni procul compoſitione reiecta, & huic debetur per ſe exiſtere aut ſubſiſtere, ſicq; diuiditur in infinitam quæ eſſe habet per eſſentiam, hoc eſt ab alio non receptũ, ſed ex propria eſſentia habitũ, atq; adeo vt prædicatum eſſentiale: & finitam, quæ eſſe habet per participationem, ſcilicet vt non habitũ ex vi eſſentiæ ſed à Deo receptum, atque adeo non vt prædicatum eſſentiale. Subſtantia igitur in hac acceptione, non ſolum negationem in hærendi ſubiecto importat, ſed etiam eſſendi in alio vt pars in toto, ac proinde negationẽ ſubſtantiæ incompletæ. cum autem ſubſtantia vt ſic per finitam & infinitam diuidatur, neutra eſt determinatè, ſed ad vtrãque indifferens.

B Quarto tandem ſtrictiſsimè ſumitur, pro ſubſtãtia completa finita per ſe ſubſiſtenti, omnes ſubſtantias finitas completas tã corporeas quàm in corporeas, corruptibiles & in corruptibiles complectẽs, cum iſtæ omnes in prædicta ratione ſubſtantiæ completæ ſcilicet et finitæ vniuocè conueniant, quia omnes æqualiter participant eſſe ſubſtantias completas & finitas, per ſe ſubſiſtentes, fitque ſubinde ſubſtantiam vt ſic nec corpoream eſſe nec in corpoream, materialem aut immaterialẽ, corruptibilem aut in corruptibilem cum ab omnibus his abſtrahat, ſed per accidens competunt illi, prout adiuncta eſt his differentijs in ſuis inferioribus, nec ſubſtãtia in ea præciſa ratione includit ſimplicem eſſe aut compoſitam, licet in re vt eſt realiter idem cum compoſitis ſit compoſita, & ſimplex vt idẽ re cum ſimplicibus, vnde ſubſtantia quæ genus ſummum eſt, licet à tota C entitate compoſita deſumatur, ſed non ab ea ſumitur vt eſt compoſita, ſed quatenus eſt vna quædã entitas & natura per ſe exiſtens, & ſic Petrus prius natura aut ſaltim ratione ſubſtantiæ rationem habet quàm ſubſtantiæ corporeæ ex materia ſcilicet & forma compoſitæ, non tamen ſubſtantia vt ſic in differens eſt ad finitatem & in finitatem, cum determinatè finita ſit. Quibus præiactis.

Prima conclu. Subſtantia in prima ſecunda & tertia vſurpatione, non conſtituit hoc prædicamẽtũ, cõcluſio hæc omnib9 in propatulo eſt. prima pars, ſic quia aceptio ea latiſsima eſt omnibus prædicamẽtis cõ- I. Conclu.

 munis

munis,Porrò prædicamenta,modos eſſendi important determinatos,primò(vt aiunt) diuerſos, totam entis latitudinem diuidentes. Secunda pars etiam liquet,quia ſubſtantia vt ſic genus eſſe nequit,cum partes in completas & differentias includat, quod naturæ generis aduerſatur. Tertia ex doctrina noſtri Doctoris ſuperius allata conuincitur apertè, quod cõceptus ad finitatem & infinitatem in differens genus eſſe nequit, cum finitas& potentialitas de ratione ſint generis,ſubſtantia autẽ in tertia acceptione nec finita eſt nec infinita.

II. Conci. Secunda concluſio.Subſtantia in quarta acceptione genus eſt generaliſsimum iſtius Prædicamenti,eſtque gradus quidã realis eſſentiæ finitæ & completæ ab alio nempe independentis,ſic omnes communiter. probatur autem,quia ſubſtantia in prædicta conſideratione omnia continet ad rationem generis requiſita,quæ prima ſui diuiſione per corpoream et in corporeã vt per primas differentias diuiditur,hæc ſubſtantiam ſpiritualem ſeu ſpiritum conſtituit, illa vero ſubſtantiam corpoream ſeu corpus.Spiritus in primam,Secundam, & tertiam Hyerarchiam diuiditur *Prima* Hyerarchia in Seraphim Cherubim & Thronos.Secũda in Dominationes, virtutes & poteſtates.Tertia in Principatus Archangelos et Angelos.Corpus quod alterũ erat diuiſionis membrũ diuiditur per animatũ & in animatum, illud cõſtituit viuens,hoc non viuens.Viuens in animal & *Plã*ctam, per ſenſibile & in ſenſibile,Animal per rationale & irationale ,rationale conſtituit hominem, irationale brutum.Et hoc per greſsibile volatile & aquatile,& eorum quodlibet vſque ad athomas ſpecies. Planctа in Arborem, Fruticem, Herbam & radicem & qualibet vſque ad athomas ſpecies. Nõ viuens in ſimplex & mixtũ.ſimplex in corruptibile ſub quo ſunt orbes omnes cœleſtes,& corruptibile quod quatuor elementa comprehendit.Mixtum in inperfectum & perfectum,in perfectum vt. Nix glacies,nubes,ventus,fulgur,iris.perfectum in lapidem,Medium,& Metallum, lapis vt ſilex;Smaragdus &c.Medium vt gumi,Sulphur &c.Metallum vt Aurum,Argentum, æs &c.& ſic tota iſtius prædicamenti ſubſtantiæ ſeries conficitur.

Corollariũ Deducenda autem ſunt nonnulla ex prędictis. Primum eſt Angelos corporaque in corruptibilia in hoc prædicamento ſedem habere,cum ſubſtantiæ ſint finitæ perfectionis, nec ſolum veris accidentibus affici poſſunt, vt aliquibus qualitatibus ac relationibus,verum & contrarijs ſubiacere,quippe cum in Angelis contrarij affectus amoris & odij reperiantur.in orbibus cœleſtibus cõtrarios aſtrorum ſitus, vt ſolis in oriente & occidẽte conſpicimus. cum autem Ariſto.Angelos ſimplices appellat phyſice loquitur,cum phyſica cõpoſitione formæ ac materiæ careant,ſunt autem cõpoſiti metaphyſicè,ex genere ac differentia,quod ſi 10.metaphy.tex.26.corruptibile & in corruptibile genere ait differre,de genere infimo aut ſubalterno loquitur,nõ de ſupremo.aut de genere phyſico vt explicat Tataretus,ſed de hoc alibi.videatur etiã quæ ſupradiximus de equiuocis.q.4. 1 autem de cœlo c.3. cum ab orbibus cœleſtibus remouet cõtraria, loquitur de cõtrarijs ſtrictè, quæ nimirum ad corruptionem diſponunt.

II.Corolla Secundum eſt prædictũ gradũ ſubſtãtiæ talem eſſe, vt ei connaturales ſint duo modi ſubſtãtiales,quibus totaliter extra cauſas cõſtituitur,exiſtentia ſcilicet & ſubſiſtẽtia tali quidem ordine vt prius conueniat exiſtentia,deinde ſubſiſtẽtia ,ex vi quippe exiſtẽtiæ precisè ponitur extra cauſas, ex vi vero ſubſiſtentiæ ponitur omnino in ſe & per ſe independenter ab omni alio,atq; adeo per hãc vltimò completur,& in eſſe primæ ſubãſtiæ,aut ſuppoſiti,aut perſonæ cõſtituitur. ideoq; ſuppoſitalitas aut perſonalitas appellatur, vltimus ve naturæ terminus. qui duo modi cũ non ſint prædicata eſſẽtialia ſubſtãtiæ nõ ingrediuntur lineã rectã. ponuntur tamẽ reductiue vt cõplemẽtũ illius,ſubſtãtiã autẽ in ſe & per ſe ſubſiſtẽtẽ per modũ proprietatis comitatur,accidẽtibꝰ ſubſtare,ſeu ſubiacere,illa ſuſtentando

QVÆSTIO II. QVID Sit. Prima et ſecunda ſubſtantia.

PRIMAM ſubſtãtiam ſic diffinit Ariſtoteles *ſubſtantia quæ propriè & principaliter, & maxime dicitur*, quæ verba ad maiorem ipſius diffiniti expreſsionem ponuntur,non vero vt verba diffinitionis,vt minus conſideratè nonnulli voluerunt,*eſt quæ nec eſt in ſubiecto nec dicitur de ſubiecto,* Secundam verò ſubſtantiam ſic *ſunt genera & ſpecies in quibus in ſunt primæ.*

Poſſet tamẽ quis prædictas diffinitiones ſic oppugnare Primò quòd teſte Ariſtotele.7.metaphyſicæ.indiuiduum in particulari

tele. 7. metaphyſicæ. indiuiduum in particulari qualis eſt prima ſubſtantia diffiniri nequit. et ſi detur diffiniri poſſe, non tamen per terminos negatiuos, quibus potius quid non ſit res quàm quid ſit exponitur.

II. Argu. Secundò eſſe genus vel ſpeciem cõmune eſt omnibus prædicamentis, æquali enim ratione generis ac ſpeciei intentiones eis conueniunt, prædictæ ergò intentiones non ſunt ſufficientes ad explanandam propriã ſecundæ ſubſtantiæ rationẽ.

Cõfirmat. Confirmatur. Secundæ ſubſtantiæ ſic diffiniri debent, quo pacto in prædicamentis collocantur, collocantur autem ſecundũ naturam realem in communi conceptam, & non ratione ſecundæ intẽtionis, niſi velis lineam prædicamentalem ex ſecundis intentionibus conficere, Secundum ergo eſſe reale debuerunt diffiniri & non per intentiones generis & ſpeciei.

III. Arg. Tertiò, quod prædicta diffinitio cenſenda eſt inſufficiens quæ non conſtat genere & differẽtia. eſſe enim genus & ſpeciem non eſt de eſſentia ſecundæ ſubſtantiæ. quia non vtraque ſimul, cum duæ relationes ſpecie diſtinctæ vnam ſpeciem neque ant conſtituere, nec quælibet ſeorſũ quæ-vt ſic non adæquat ſecũdam ſubſtantiam.

I. Notabil Vt tamen rem hanc aperiamus, obſeruare primò oportet Primam ſubſtantiam bifariam ſumi poſſe, aut prime intentionaliter, ſeu materialiter & pro ſubſtracto vel ſecunde intencionaliter. Primo quidẽ modo eſt indiuiduũ ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtẽs incommunicabileter, vnde in ea vt ſic (ſicut ſupra de indiuiduo diximus) vel poteſt attendi illud poſitiuum quo vltimo cõſtituitur in eſſe per ſe omnino ſubſiſtentis et omnino in communicabilis, et in dependentis, & illud eſt modus particularis ſubſiſtendi vel negatio quæ ad talem modum poſitiuum conſequitur, in illo autem poſitiuo primæ ſubſtãtiæ vniuoce nequeunt cõuenire, vt docet Doct. in 1. d. 28 q. 1. quia prædicti modi ſunt omnino in cõmunicabiles ac primò diuerſi, ergo ab eis vt ſic nihil cõmune vniuocũ abſtrahi poteſt, ſicut nec ab ſpeciebꝰ quatenus ſuis diſtinguũtur differentijs, niſi vellis res in quãtum diuerſas conuenire, vel ſe totis differre, & ſe totis conuenire, aut concedendus erit proceſſus in infinitum. in negatione autem in communicabilitatis & in dependentiæ conueniunt omnes primæ ſubſtantiæ, his enim (vt ſupra de indiuiduo animaduerſum eſt ex noſtro Doctore) quæ diuerſa ſunt ſecundum rationes poſitiuas, poteſt eſſe communis negatio eiusdem rationis, vt non homo æquè vniuocè conuenit homini et lapidi. Si vero ſecundo modo conſideretur nimirum ſecunde intentionaliter, ſic de materiali et ſubſtracto ipſa indiuidua ſubſtantiæ inportat, pro formali verò ſecundam intentionem primi ſubſtentantis qua ad omnia prædicata ſiue ſubſtantialia ſiue accidentalia refertur, quia enim intellectus conſiderat Paulum. v. g. vt ſubſiſtentem per ſe & vt ſubiectum omnibus ſubſtans ratione ſui, tribuit ei ſecundam intentionem primi ſubſtantis aut ſubiecti.

II. Notab. Obſeruandum eſt ſecundo, ſub eadem duplici conſideratione perpendi poſſe ſecundam ſubſtantiam, vel prime intentionaliter, & ſic eſt aliquid reale in recta linea prædicamentali cõſtitutum, ipſæ nimirum naturæ ſeu prædicata realia per differentias ſpecificas aut indiuiduales contrahibilia. Vel ſecunde intentionaliter, & ſic dicit ſecũdam intentionem qua refertur adea quibus ſubſtat ſecundò, & à qua ſecundum ſubiectum denominatur, ſubſtentans omnia prædicata accidentalia, ex eo quod prima ſubſtantia ſuſtentat, intellectus ergò conſiderans hominem v. g. vt ratione primæ ſubſtantiæ ſubſtantem, hanc illi confert intentionem ſecundi ſubſtantis.

III. Nota Obſeruandum eſt tertiò, quod ſicut intentio prime ſubſtantiæ eſt eſſẽtialiter diſtincta ab intẽtione ſingularis, hæc enim eſt habitudo ad vniuerſale, eſtque communis omnibus indiuiduis prædicamentorum accidentium, intentio autem primæ ſubſtantiæ in ordine ad ea quæ ſubſtentat vt quod, et vt primum ſubiectum, eſt que peculiaris huic prædicamento, ſic licet intentio ſecundæ ſubſtantiæ annexa ſit cum ſecunda intentione vniuerſalis, vt generis aut ſpeciei, tam quam cum reqniſita conditione vt ſecunda ſubſtantia ſit, quia ſecunda ſubſtantia in vniuerſali dicitur ſubſtare accidentibus: ergo debet eſſe vniuerſale genus aut ſpecies, eſſentialiter tamen diſtinguuntur, quia intentio generis aut ſpeciei eſt in ordine ad inferiora, atque adeo adea quæ rationem materiæ habent reſpectu illius, prædicabile enim rationem formæ habet reſpectu ſubiecti de quo prædicatur (vt ſuperius animaduertimus) Secũda

verò ſubſtantia non eſt reſpectus ad inferiora, ſed ad ea quibus ſubſtat, atque adeo ad ea quæ formæ rationem habent reſpectu illius, cum ab eis afficiatur ſecūda ſubſtantia, tum quòd intentio generis & ſpeciei omnibus prædicamentis eſt communis, intẽtio vero ſecundæ ſubſtantia huic Prædicamento peculiaris.

I. Conclu. Prima concluſio. Prima & ſecunda ſubſtantia vtroque modo conſideratur & diffinitur à logico tam primè ſcilicet quàm ſecundè intẽtionaliter, & diuiſiones ab Ariſtotele traditæ eo etiam modo intellegi poſſunt. quia vt ſupra ad monuimus, logicus ipſas etiam res cōſiderat, ac diffinit, vt ſic melius explicare poſsit intẽtiones, quæ in rebus fundantur, lineæ que prædicamẽtalis coordinationem, variarumque prædicationum modos ex actius tradere poſsit Vnde prima ſubſtantia primè intentionaliter ſumpta prout hic diffinitur, pro formali negationem diuiſionis ſiuè in cōmunicabilitatem importat pro materiali verò id quod actu primo ſubſiſtit, & vt ſic eſt quid commune vniuocum ad omnes primas ſubſtantias, hoc autem probatur ex ipſa diffinitioneque per negationem eſſendi in alio vt in ſubiecto, & prædicationis de ſubiecto inferiori datur, in qua omnes primæ ſubſtantiæ vniuocè conueniunt, verum eſt dici poſſe, quòd licet primæ ſubſtantiæ in illo poſitiuo vnde prædicta negatio promanat non conſentiant vniuocè, habent tamen proporcionis vnitamen (quam ſupra dixit Doctor conſiſtere in ſimiliter ſe habere) ſicut et ipſi modi in communnicabiliter ſubſiſtendi, quæ proporcio in eo ſita eſt in præſenti, vt ſicut Paulus per ſuam ſubſiſtentiam in communicabiliter ſubſiſtit ita Petrus per ſuam.

Per illam ergo negationem explicatur ratio primi ſubiecti realis ſua propria reali ſubſiſtentia (qua eſt omnino à c primo in ſe & per ſe independenter ab omni alio,) omnia alia ſuſtentantis, quia explicata facilè mens noſtra ad ſecundæ intentionis cognitionem erigitur, cum relatio per ſuum fundamentum commodè explicetur, per eandem ergo negationem ratio etiam primi ſubiecti rationis intelligitur. Diffinitio ſecundè intentionaliter intellecta in actu ſignato & vt quo conuenit intentioni ſecundæ, in actu vero exercito indiuiduis ſubſtantiæ pro ſubſtracto importatis, in quibus exercetur quod in diffinitione ſignatur, Sic autem optime poteſt dici res

A quidem in actu exercito ſecundum eſſe reale poni in prædicamentis pro ſubſtracto, diffiniri tamen ſecunde intentionaliter in actu ſignato, quod idem ipſi dicunt de prima ſubſtantia reali in communi ab ipſis conſiderata, particularium comparatione.

Secunda concluſio. Diffinitio ſecundæ ſubſtantiæ non eſt eſſentialis, ſed tantum deſcriptiua. Probatur quia datur per genera & ſpecies quæ non ſunt de eſſentia ſecundæ ſubſtantiæ vt ſic, vt dictum eſt, licet cum ea habeant connexionem vt quid requiſitum vt ſecunda ſubſtantia ſit formaliter, vnde per hanc deſcriptionem tantum denotatur, quibus conpetat hæc intentio ſecundæ ſubſtantiæ, generibus nempe & ſpeciebus, quòd ſi ſecundæ ſubſtantiæ primè intentionaliter ſumantur, verba illa (genera et ſpecies) non ſunt formaliter B pro ipſis intentionibus, ſed fundamentaliter accipien da, pro ipſis naturis ſecundario ſubſiſtentibus, & virtute primarum ſubſtentantibus. II. Conci

Tertia concluſio Prima & ſecunda ſubſtantia relatiuè ſumpta in quantum prima & ſecunda relationem habent inter ſe ordinis primi & ſecūdi, non quidem realem ſed rationis Sic noſter Doctor q. 13. prædicam. Soarez in ſua metaphyſic. diſput. 33. ſecti. 2. nu. 16. prima pars probatur quia primum vt primum non eſt niſi reſpectu ſecundi nec ſecundum aliquid dicitur niſi per ordinem ad primum, ergo prima ſubſtantia vt prima & ſecunda vt ſecūda mutuam habent inter ſe ordinis relationem. Secunda pars conſtat, quia relatio realis requirit extrema realia realiter ſtrictè diſtincta quo pacto non diſtinguuntur prima & ſecūda ſubſtãtia, diſtinctio enim C formalis quæ inter rationem ſuperiorem & inferiorem datur, non eſt ſufficiens ad relationem realem inducendam, eſt ergo relatio rationis. III. Concl. Scotus. Soarez.

Aduerte tamen (Primum) poſſe dupliciter ſumi, vel poſitiuè per ordinem ad ſecundum ſic ſubſtantia prima dicitur per relationem rationis ad ſecundam, vel negatiue per negationem prioris, quia nimirum non eſt aliud prius, ſic realiter dicitur prima ſubſtantia, cum in re nulla ſit illa prior in ſubſiſtendo, in quo ſenſu diximus primam ſubſtantiam importare negationem realem prioris ſcilicet, in qua omnes primæ ſubſtantiæ vniuocè conueniūt, quæ negatio ex proprio modo poſitiuo ſubſiſ-

ſubſiſtentiæ procedit. Secunda autem ſubſtantia ſolùm habet rationem ſecundæ relatiuè ad primam cum nihil per ſolam negationem poſsit ſecundum appellari.

Deducitur autem ex dictis omnes iſtas ſubſtantias ſupponere ſimpliciter cum inferri nequeat Petrus eſt homo, & homo eſt ſecunda ſubſtantia, ergo Petrus eſt ſecunda ſubſtantia, nec Petrus eſt prima ſubſtantia ergo homo eſt prima ſubſtantia. Item haſce enunciationes ſecũda ſubſtantia eſt vniuerſalis, eſt genus, aut ſpecies, prima ſubſtantia eſt ſingularis eſſe veras non quidem in ſenſu formali, cum neutrum ſit de ratione formali alterus, ſed ratione ſubiecti cui in ſunt & concernunt, ſicut dicimus album eſt dulce, de quo ſupra lib. 1. d. 2. Art. 5. q. 1.

Ad Argu. *Ad I. argmeunt.* Argumenta in contrarium obiecta facilem ex dictis ſolutionem habent. Primum ex prima concluſione licet enim prima ſubſtantia in particulari nequeat diffinitione genere & differentia conſtante diffiniri, poteſt tamen in communi. Diffinitur autem per negationem, quia per illam explicatur negatio quæ ad poſitiuum quo prima ſubſtantia conſtituitur, conſequitur, & conſequenter ipſum poſitiuum.

Ad. II. Argumẽ. Secundum per concluſionem ſecundã. quod ſi obijeceris ſubſtare relatum ad ſecundas intentiones, accidentibus etiam commune eſt, cum pleraque ſint accidẽtia quæ alijs accidentibus ſubſtent. Occurrẽdum eſt ſubſtare vt quòd accidentibus peculiare eſſe huic prædicamento, vt magis ex dicendis patebit.

Ad confirmat. Ad confirma. per primam concluſionẽ.

Ad. III. Argum. Tertium per ſecundam concluſionem ſoluitur.

QVÆSTIO. III. CVR *prima ſubſtantia ſit magis ſubſtantia quam ſecunda & ſpecies quam genus.*

VIDETVR porrò potius ſecundas ſubſtantias primas eſſe appellandas, cum primæ ſint & ordine naturæ quia ab illis ab primas nulla eſt mutua inferendi ratio, ſeu vt communis vox fert, non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, & ordine perfectionis, cum indiuidua ſuam habeant perfectionem ab ſpecie, hæc què ſit primo intenta à natura non illa, & in ordine ſubſtandi, tum quia eſſentia quæ ſubſiſtentia præſtantior eſt primo & per ſe ſecũdis competit ſubſtantijs, vt pote ex prædi- A catis eſſentialibus conſtitutis, cum ex participatione ſpeciei indiuidua multiplicentur, illi conuenit primò diffinitio, his ſecũdario, tum quia accidentibus perfectioribus qualia ſunt ſpecifica primò ſubſtant ſubſtantiæ vniuerſales, & illarum ratione indiuiduæ ſubſtantiæ, vnde ſicut ideo homo eſt albus quia Petrus eſt albus, ita ideo Petrus eſt riſibilis quia homo eſt riſibilis, Secundæ ergò primæ dicendæ ſunt, ac primæ ſecundæ.

I. Notabi. Congruit tamen ad ueritatem hanc elucidãdam animaduertere, ex illis duabus condicionibus ſubſtantiæ ſubſiſtendi nempe ac ſuſtandi, ſubſtentandi ve accidentia, primam omni ſubſtãtiæ completæ cõmunem eſſe tam finitæ quàm infinitæ, ſatisque eſſe ad rationem ſubſtantiæ, cum Deus vti dictum eſt, ſit propriè ſubſtan- B tia. poſterior in rebus creatis ſubſiſtentiã conſequitur, et vtraque immediatè conuenit primæ ſubſtantiæ, ratione autem huius ac mediatè ſecundis ſubſtantijs, quod ſic oſtenditur de ſubſiſtentia, illi primò & immediatè competit ſubſiſtere, cui primo & immediatè exiſtere, cum ſubſitentia ſit modus quidam peculiaris exiſtendi, at qui exiſtendi actus primò et immediatè conuenit primæ ſubſtantiæ cum exiſtere ſingularium ſit vt contra Platonem demonſtrat Ariſtot. Vnde naturæ communes non niſi in ſingularibus exiſtunt, nequeunt ergo immediatè ſubſiſtentia terminari, cum ex vi propriæ formalitatis à ſingularitate præcindant, niſi prius ea intelligantur affectæ ac diſpoſitæ. de actu vero ſubſtandi accidentibus ſic, quòd ſubſtare extraneis accidentibus præſupponit rem C in proprio eſſe cõpletã, & aliud ſubſtentare præſupponit rem in ſe & per ſe exiſtentem. In ſuper quòd actualis accidentium in hærentia cum ſingularis ſit, poſtulat ſubiectum ſingulare, prius ergò & immediatè primam ſubſtãtiam reſpicit vt primum ſubiectum, Secundã vero ratione primæ.

II. Notab. Obſerua Præterea ſubiectum eſſe duplex, in hæſionis vnum, quod ſubiectum in quo ſolet appellari, quo pacto ſubſtantiæ accidentium ſunt ſubiecta, aliud prædicationis, quod ſubiectũ de quo dicitur, de quo nimirum aliud eſſentialiter prædicatur, ſic indiuidua inquouis genere ſubiecta dicuntur prædicatorum eſſentialiũ, quod differte docuit Ariſtoteles, aliud eſſe in ſubiecto, aliud dici de ſubiecto, affirmans

mans. Accidentia ergo communia, vtrumque ſubiectum habent, inhæſionis, cum accidentia ſint, prædicationis, cum inferiora habeant, de quibus eſſentialiter prædicantur, vnde de eis Ariſtot. quòd ſunt in ſubiectis & dicuntur de ſubiectis. Accidentia ſingularia ſubiectum habent inhæſionis vt pote accidentia, hæc enim albedo eſt in *Petro*, non tamen prædicationis quia cum ſingularia ſint, non habent ſe inferiora, de quibus eſſentialiter prædicentur, de eis aſſerit. Ariſto. eſſe in ſubiecto, ſed non dici de ſubiecto. Subſtantiæ vniuerſales, ſubiectum habent prædicationis, prædicantur enim eſſentialiter de primis, inhæſionis autem non habent, cum ſubſtantia ſint, de quibus ait Ariſtot. quòd non ſunt in ſubiectis, dicuntur autem de ſubiectis. Primæ tandem ſubſtantiæ. neutrum ſubiectum habent, non inhæſionis cum ſubſtantiæ ſint, non prædicationis quia ſunt indiuiduæ ac ſingularis, de eiſque Ariſto. affirmat nec eſſe in ſubiectis, nec dici de ſubiectis. duplicem ergo negationem eſſendi in alio primæ ſubſtantiæ important, ſecundæ verò vnam, cum enim eſſe per ſe idem ſit ac non eſſe in alio, ſeu non depẽdere in ſuo eſſe ab alio, bifariam hoc intelligi poteſt, aut non eſſe in alio vt in ſubiecto in quo, quòd cuique ſubſtãtiæ tam primæ quàm ſecundæ commune eſt, aut non eſſe in alio vt in ſubiecto prædicationis quod primæ ſubſtantiæ peculiare eſt.

III. *Nota.* Obſerua tandem, multipliciter dici ab Ariſtotele varijs in locis magis ſubſtantiã. primo modo magis ſubſtantiam appellat magis nobis notam licèt alias imperfectiorem, ſic. 2. de anima c. 1. corpora eſſe magis ſubſtantias quam ſpiritus appellat, ſecundò ſubſtantiam perfectiorem ſic. 10. metaph. c. 1. Tertio ſubſtãtiam abſtractiorem in quo ſenſu. 8. metaphyſi. tex. 20. genus vocat magis ſubſtantiam quàm ſpeciem. Quartò ſubſtantiam quæ magis ſubſtat & hoc dupliciter vel extenſiuè, quia ſcilicet pluribus ſubſtat, aut prædicatis eſſentialibus. aut accidentibus. vel intenſiuè quod nimirum ſubſtat propria virtute, ex ſe et independenter ab alio, vel quod propius accedit, ad id quod propria virtute ſuſtẽtat, cum in vno quoq; genere id quod proximius accedit ad id quod in eo eſt maximè tale, magis tale ſit, prior quidem cõſideratio extẽſiua eſt extrinſeca, & accidẽtalis, quæ in præſenti non attenditur, ſecũda vero eſt propria de qua præſens controuerſia procedit:

I. *Conclu.* Prima concluſio. eſſe Primam vel ſecundam ſubſtantiam ſumitur pœnes ordinem principalitatis in ſubſiſtendo & ſubſtãdo, vel propria virtute, aut ratione alterius. ideo ergò prima dicitur quia ſubſiſtit & ſubſtentat propria virtute, ſubſtantiæ autem vniuerſales ideo ſecundæ, quia virtute primę atque adeo minus principaliter.

II. *Concl.* Secunda concluſio, Prima ſubſtantia eſt maxime & præcipue ſubſtãtia & proinde magis ſubſtantia quàm ſecunda, ſic cũ Ariſtotele in vniuerſum omnes illius interpretes, & probatur, quia ſola prima eſt quæ nullo modo per aliud exiſtit, nec per ſubiectũ inhæſionis nec per aliud in quo ſit vt pars in toto, nec per ſubiectum prædicationis: ſecundæ vero ſubſtantiæ ſubſiſtunt & ſubſtãt per ſubiectum prædicationis, Licèt non per ſubiectum inhæſionis. Prima ergò ſubſtantia eſt magis ſubſtantia quia omnibus modis per ſe exiſtit, atque adeo nullo indigit adminiculo ad accidentia ſuſtentanda. quam ob rem ſubſtantiæ nomen per anthonomaſiam ei tribuitur, ſuppoſitum què aut hypoſtaſis à græcis nuncupatur, ſecunda vero ſubſtantia minus, quia non omnibus modis per ſe exiſtit, in quo ſenſu Ariſtot. 7 metaphy. c. 3. tex. 44. negat ſubſtantiarum genera ac ſpecies ſubſtantias eſſe, quæ cum niſi in primis exiſtere non valeant, ita & illis indigent vt ſubſtent accidentibus.

III. Concluſio. Tertia concluſio. Inter ſecundas ſubſtãtias magis ſubſtantiæ ſunt ſpecies quàm genera. Probatur, quia ſpecies athomæ magis per ſe ſunt quàm genera, cum à paucioribus ſubiectis & inferioribus in ſuo eſſe dependeat, genus vero à pluribus. Adde præterea quòd ad actum ſubſiſtendi primæ ſubſtantæ proximius ſpecies quàm genera apropimquant, cum ſola egeant ſingularitate, genera verò ad ſingularia nequeunt deſcendere, quim prius ſpecies pertranſeant, illę ergo magis ſubſtantiæ ſunt quàm hæc, vt pote quæ ad maximè & præcipuè ſubſtantiam magis accedũnt.

Obiectio. Quòd ſi obijeceris ideo prima ſubſtantia dicta eſt, quia ad actum ſubſiſtẽdi proximius accedit, ſed ſpecies ad illum proximius accedunt quàm genera, illæ ergo ſecundæ, iſta autem tertiæ ſubſtantiæ dicendæ erunt.

Reſpons. Reſpondendum eſt, rationem primæ ac ſecundæ ſubſtantiæ à ſubſiſtendo & ſubſtãdo ratione ſui vel ratione primæ cuius

propria

propria & immediata eſt ſubſiſtentia, deſumptam eſſe. quia ergò omnes ſubſtantiæ vniverſales hoc commune habent quod ratione primæ ſubſtent & ſubſiſtant non ſunt in ſecundas & tertias diuidẽdæ.

Ex quibus deducitur inter ſpecies athomas vnam non magis ſubſtantiam eſſe quàm aliam, cum omnes æqualiter ſint proximæ primis ſubſtantijs, nec inter primas vna erit magis ſubſtantia quàm alia, cum neutra ratione alterius ſed propria virtute ſubſiſtat, & ſubſtentet. & vniuerſè affirmandum eſt, non ex maiori perfectione in ſuo eſſe eſſentiali quo pacto ſpecies Angelicæ perfectiores ſunt quàm humana, nec à magis ſubſtando extenſiuè ſed inteſiuè colligendam eſſe magis ſubſtantiam in præſenti.

IIII. *Con* Quarta concluſio, comparatio hæc etiã fieri poteſt in primis ac ſecundis ſubſtantijs logicè ac ſecundè intentionaliter ſumptis, quo pacto etiam prima ſubſtantia eſt magis ſubſtantia quam ſecunda, cum illa rationem primi ſubſtantis importet, hæc vero ſecundum ſubſtans denominet, ſicque comparatio in intentione ſecũda ſubſtantis vt ſic.

Vltima. Concluſio. Scotus. Qu. XIII. Prædica. Vltima concluſio. Ariſtolicum illud Theorema, non exiſtentibus primis impoſsibile eſt aliquid aliorum eſſe, poteſt aut logicè intelligi de ipſis intentionibus ſic, ſecunda ſubſtantia dicitur relatiuè ad primam: igitur ſi prima non eſt, ſecũda nõ eſt, cum relatiua & ſimul natura ſint, ac talis condicionis quòd poſita ſe ponunt & perempta ſe perimunt Item accidens (loquendo etiam de intẽtionibus) relatiuè dicitur ad ſubiectum, & intẽtio ſubiecti quæ relatio eſt ſubiecti ad accidens, aut in prima ſubſtantia fundatur, & ſic deſtructa prima non erit ſubiectum accidentis, ſi non eſt ſubiectum, nec accidẽs, per eandem regulam relatiuorum. aut fundatur in ſecunda ſubſtantia, tunc deſtructa prima ſubſtãtia ſecunda non eſt per locum à relatiuis, & ſi ſecũda non eſt, nec ſubiectum talis accidens, ac conſequenter nec accidens per eundem locum ſic Doctor.

Si autem intelligatur primè intentionaliter de ipſis nempe quæ ſub ſunt intentionibus, ſic eſt verum quoad exiſtentiam in rebus, realemque entitatem quam extra cauſas habent in primis ſubſtantijs quia ſecunda ſubſtãtia nõ habet aliud eſſe quàm quod in prima ſubſtãtia. ſimiliter eſſe accidẽtis eſt à ſubiecto, ſi à prima ſubſtãtia, illa non exiſtente accidens non eſt, ſi à ſecũda hæc non eſt ſi prima non ſit igitur ſi prima ſubſtantia non eſt nulla ſubſtantia erit, nec vllum accidens, ſecundum ordinem naturalem aliter enim fieri poſſet per potentiam diuinam, permanerent autem prædicata eſſentialia quoad eſſe obiectiuum in intellectu, ac ſecundum conexionem eſſentialem & intellectualem illorum, quæ nullum tempus determinat.

Ad Argumentum in principio conſtitum, vniuerſale dici prius, quia communius & potentialius, vel ſecundum exiſtentiam obiectiuam in intellectu, de qua priori tate modo non loquimur, ſed de priori vel ordine naturæ in exiſtendo & ſubſiſtendo in rerum natura, vel ſecundum ordinem nobilitatis vt explicatum eſt. Ad illud de perfectionis ordine, quidam dicunt quoad eſſentiam ſecundas primis eſſe perfectiores, idque rationibus adductis oſtendi manifeſtè. *Placet* tamen nobis cum alijs dicere, quòd ſi ſubſtãtiæ vniuerſales cum indiuiduis formaliter ſumptis quoad indiuiduationes ſcilicet, modoſque ſubſiſtendi particulares cõferantur, eas quidem his eſſe præſtãtiores, ſi vero cum eiſdẽ quoad totum quod in ſe actu habent, indiuiduum ſpeciem ſub qua collocatur ſuperare, cum totam illius perfectionem contineat, & aliquid aliud propriã nempe perfectionẽ indiuidualem ſuperaddat, & licet partem perfectionis potiorem captet ab ſpecie, ab illa tamen vt à parte accipit, vt homo ab anima ſuam accipit perfectionem vt à parte, ideo ab illa nõ ſuperatur, natura autem non intendit ſpeciem quia ſit indiuiduo perfectior, ſed quia in ea fundatur vnius ad aliud ſimilitudo, quam maximè agentia omnia naturalia reſpiciunt, cum vnum quodque agens intendat in quantũ poteſt, ſimile ſibi in natura producere, quòd ſi ſpecies homo .v. g. pluribus ſubſtet quam Petrus, extenſiuè ſed non intenſiuè intelligendum eſt. *Ad Argu*

Et licet verum ſit (ad aliud de proprijs paſsionibus,) quoad connexionem neceſſariam rationemq; adæquatam inter eſſentiam & proprietatem, per ſe primo ſpeciei paſsionem conuenire, quoad exiſtentiam tamẽ primæ ac indiuiduæ ſubſtãtiæ conuenit per ſe primo.

QÆSTIO. IIII. QVOD ſit diuiſum in diuiſione ſubſtantiæ in Primam & Secundam.

MIRVM eſt quantum diſcrepent Doctores in controuerſia hac & ſequenti præfinienda. vt facilius iudicari poſſe videatur, quid non ſit, quã quid ſit ſuſtinendum.

I. Opinio. Prima opinio, nullum diuiſum admittit his innixa fundamentis.

I. Argum Primum eſt. diuiſum nequit eſſe ens rationis cum diuiſio hæc realis ſit eorum nẽpe quæ in prædicamentis collocantur, nec reale, quia non incompletum, alioquim omne poſitum in prædicamento in cõpletũ eſſet, et pars. Nec ſubſtantia cõpleta cũ hæc vt vniuerſalis aut ſingularis, Secũda vel prima ſubſtantia alteri mẽbo repugnaret & cum altero coincideret, quæ cũ diuiſi ratione cohærere non poſſunt. Nec ſubſtãtia abſtrahens à completa & in completa, cum hæc generis rationem ſortiri nequeat quia non eſt extra rationem differentiarum ſed eas tranſcendit.

II. Argu. Secundum. Superius et inferius in nullo conceptu conueniunt ab illis præciſo & diſtincto, quia proceſſus in infinitum vitari non poſſet, cum de inferiori & illo cõceptu diſtincto iddem quærendum eſſet, in quo conueniunt? ſolum ergo in conceptu eiusdem ſuperioris, quod manifeſta ratio conuincit, quia in conceptu rei inferioris duo ſunt & ipſe conceptus ſuperioris, & propria differentia inferioris, cum ergo in hac non conueniãt, in ſolo conceptu ſuperioris conueniunt, vt homo & Petrus in conceptu hominis. hæc autem non tam conuenientia dicenda eſt quàm identitas, cum conceptus ille ſit idem numero, prima ergo et ſecunda ſubſtantia ſolum conueniunt in ipſo communi ſubſtantiæ conceptu, qui alterum membrum diſtinctionis eſt, atque adeo nullum erit diuiſum à membris diuidentibus condiſtinctum.

III. Arg. Tertium diuiſum non eſt ſubſtantia ſecundum ſuam quiditatem & eſſentiam, quia ſubſiſtere & ſubſtare per ſe primò & immediatè, vel mediate & ratione alterius quæ ſunt iſtius diuiſionis membra, non ſunt modi ad eſſentiam & quiditatem ſubſtantiæ pertinentes: non ergo diuidunt & contrahunt quiditatem ſubſtantiæ. Tum etiam quia ſubſtantia ſic acepta non poteſt eſſe niſi ea quæ eſt genus generaliſsimum iſtius prædicamenti, cum ſit ſubſtantia completa, finita, gradum ſubſtantiæ eſſentialem omnibus quæ in hac recta ſerie collocantur, importans, & extra illorũ differentias, Tum quia gradus ſubſtãtiæ quo ad eſſentiã idem numero eſt in prima ac ſecunda, ergo talis gradus et conceptus eſt idem numero ac generis generaliſsimi.

Adde etiam quod comparatio facta inter primas & ſecundas ſubſtantias nequit fieri in eſſentia ſubſtantiæ, quia hæc non magis primæ quam ſecundæ conuenit ſed æqualiter vtriſque, atqui comparatio illa in diuiſo fit ab Ariſtotele.

IIII. Argum. Quartum. nec diuiſum eſt ſubſtãtia prout dicitur à ſubſiſtendo & ſubſtando quia ſubſtantia vt ſic non pertinet directe ſed reductiue ad hoc prædicamentum, cum tamen diuiſio hæc fuerit facta ab Ariſto. ad oſtendenda ea quæ directè in hoc prædicamento collocantur. Item non poteſt dari ratio communis ſubſtantis aut ſubſiſtentis primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, cum non dentur in re duo modi ſubſtandi poſitiui diſtincti, à quibus prædicta ratio abſtrahi poſsit, ſed vnicus tantum, ens per ſe completum determinans.

Cõfirmat. Confirmatur, illa ratio ſubſiſtentis, & ſubſtantis in communi abſtracta à primò et ſecundo ſubſiſtẽte & ſubſtante, eſt ſubſtans in vniuerſali: ergo ſecundum ſubſtans id enim eſt de ratione iſtius: ergo ſecunda ſubſtantia, atque adeo membrum diuidẽs erit diuiſum. Inſuper Omnis modus ſubiectum exigit cuius ſit, ſed nullum ſubiectum & materiale dari poteſt nec in recta linea nec extra cui modus ille in communi conueniat, quia quidquid eſt in recta linea, eſt ſubſtractum primi aut ſecũdi ſubſtantis, particularis aut vniuerſalis, primæ aut ſecundæ ſubſtantiæ. nec ab his poterit abſtrahi quæ ſunt in recta linea, abſtraheretur enim à genere generaliſsimo, dareturque ſubſtantia completa finita illo ſuperior.

V. Argu Quintum. ſubſtantia quæ diuiſum eſt in hac diuiſione aut eſt ſupra genus generaliſſimum aut ipſum genus aut ſub illo. ſi primum, ergo eſt duplex genus generaliſsimum, ſi ſecundum & tertium: ergo eſt alterum membrum diuiſionis. Quod ſi dixeris, eſſe quidem ſupra genus, generis tamẽ rationem non induere, cum id quod ſupra genus ſupremũ eſt, in recta linea nequeat collocari: hoc autẽ ſic impugnatur, quòd id circo quod eſt ſupra genus non ponitur

in recta

in recta linea, quia commune eſt ad completum & incompletum, tranſcenditque differentias, ſed ſubſtantia quæ diuiſum eſt in hac diuiſione completa eſt finita & vniuoca, atque adeo extra differentias, quod autem de vno immediate dicatur de alijs verò mediatè hoc commune eſt cuicumq; generi, animal enim de homine immediate de Petro verò mediatè dicitur: ex quo etiam ruit diſtinctio illa quæ communiter ad hiberi ſolet, diuiſum hoc eſſe ponibile in recta linea in actu ſignato, non in actu exercito, ſeu vt in idem redit vt quo non vt quod. quia vt oſtenſum eſt, cõdiciones vt res aliqua actu ponatur in prædicamento huic diuiſo conueniunt, cur nõ actu erit conſtituendum?

II. *Opinio.* Qui autem diuiſum in hac diuiſione admittunt, non conueniunt in eo aſsignãdo,
Soarez. quidam enim dicunt ſubſtantiam eſſe ſub
Murcia. ratione ſubſtãdi aut ſubſiſtendi, in id quod B
Rubio. primo & immediatè ſubſiſtit & ſubſtat, vt prima ſubſtantia, & in id quod mediatè & virtute alterius, prædicatis enim eſſentialiter in recta linea ſubordinatis poteſt dari aliquid commune per modum prædicati denominatiui, licet non prædicati eſſentialis. licet autem ſubſtantia ſecundum ſuam eſſentiam prædicamẽtum conſtituat, quia tamen ea nos latet per prædictum actũ explicuit Ariſtoteles vt nobis notiorem, & ſecundum illum diuiſit ac diffiniuit.

III. *Opini* Alij dicunt eſſe ſubſtantiam ſecundè intentionaliter ſumptam, ſubſtantiam nempe vt ponibilem in Prædicamento, ita vt ponibilitas ſit ens rationis cum fiat per intellectum, ſeu ſecunda intentio abſtracta à prima & ſecunda ſubſtantia, in quantum rationem habent ſubiecti & prædicati, ſeu ſubijcibilis & prædicabilis, ſeu ſingularis et vniuerſalis quam ob rem ſenſus diuiſionis erit, ponibile in Prædicamento vt ponibile, aliud eſt ſubiectum primum, aliud vniuerſale prædicatum.

Notabile Nete, prætereat diuiſum in hac diuiſione vel poſſe ſumi primè intentionaliter, vel ſecundè intentionaliter.

I. *Conclu.* Prima concluſio, in hac diuiſione datur diuiſum aliquod quod non ſolum nomen eſt, vt in æquiuocis contingit, ſed etiam cõceptus obiectiuus nomine ſignificatus, mẽbris diuidẽtibus aliquo modo communis, hanc probatiores Omnes Ariſtotelis interpretes tuentur. Sic que oſtenditur, quia prima & ſecunda ſubſtantia non ſolum in ſubſtantiæ nomine ſed etiam in re ſignificata conueniunt; cum vtraque ſit ſubſtantia A completa finita.

Secunda concluſio, diuiſum in hac diuiſione eſt ſubſtantia finita & completa, non quidem quatenus eſt ſubſtatu & condicione generis generaliſsimi aut ſecundæ ſubſtantiæ, ſic enim affirmari nõ poſſet de alio membro diuidenti, prima nempe ſubſtantia, cum falſum prorſus ſit primam ſubſtãtiam eſſe ſecundam, genus ve ſupremum, ſed ſecundum ſuam eſſentiam concepta, cum enim modi primæ & ſecundæ ſubſtantiæ conſtitutiui non ſint naturæ ſubſtantiæ completæ & finitæ eſſentiales ſed accidant ei, vt modi quibus afficitur, & determinatur, ſine illis concipi poterit exacte. & licet ſubſtantia vt ſic idem explicite importet, quod materiale generaliſsimi ſeu ſubſtantia quæ genus generaliſsimum denominatur, naturam nempe et eſſentiam ſubſ- II. *Conclu* *Scotus.* *Queſt. 2.*

B tantiæ, ſub modo tamen diuerſo conceptam, vt optime ad notat Soarez, vt enim in hac diuiſione diuiſum eſt præciſe concipitur cum ſua vnitate formali ſubſtantiæ, ſecundum quam in differens eſt ad modos primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, ſingularitatis & vniuerſalitatis, vt vero genus eſt generaliſsimum licet ab ſtatu & modo ſingularitatis præcindat, dicit tamen vnitatem vniuerſalem, ratione cuius nequit vt ſic ſingularis intelligi, hoc etiam exemplo poterit illuſtrari, in diuiſione qua homo in album et nigrum diuiditur. licet homo vt diuiſum idem importet quòd albũ pro ſubſtracto ſeu materiale albi, ſed non eodem modo, vt diuiſum enim hominem dicit in differentem vt afficiatur albedine aut nigredine, vt vero eſt materiale albi dicit hominem albedine affectum.

C Tertia concluſio, Licet diuiſum poſsit intelligi (vt pleriſque placet recentiorum) ſubſtantia vt eſt ſub actu ſubſiſtendi aut ſubſtandi, non quidem vt communis communitate rationis & abſtractionis à pluribus realiter diſtinctis, ſed communitate rei ex participatione eiusdẽ numero proprietatis aut mòdi ſubſiſtendi & ſubſtandi diuerſi mode participati, à ſingulari ſubſtantia per ſe primò, conſequenter vero & ſecundo à naturis communibus, commodius tamen iuxta primum ſenſum accipitur, ab Ariſtotele quidem intentum, quo ſubſtantia eo pacto accipitur quo in hoc prædicamento collocatur. III. *Concl.*

IIII. *Conc* Quarta concluſio, Si diuiſum ſecundè intentionaliter ſumatur, eſt ſecunda intentio

tio abſtracta ab ea qua prima denominatur, & ab ea qua ſecunda, probatur, quia relatio primi ſubſtantis & relatio ſecundi ſubſtantis conueniunt in ratione ſubſtandi vt ſic, eſt ergo ab eis abſtrahibilis ratio hæc cōmunis quæ diuiſi rationem habeat reſpectu illarum, cum diuiſum id poſsit eſſe in quo plura conueniunt.

Ad Argu. Argumenta in principio obiecta facilè ex dictis refelli poſſunt & ex hisq uæ controuerſia ſequenti.

Ad I. argmeunt. Ad primum dicendum, diuiſum aut primè intentionaliter aut ſecundè capi poſſe iuxta ſenſum in concluſionibus præfixum.

Ad II. Argumẽ. Ad Secundum, Primam & ſecundam ſubſtantiam non conuenire in ſubſtantia eſſentialiter ſumpta vt in ratione communi ab eis præciſa & abſtracta, vt bene probat argumentum, ſed vt in ſubiecto quod pro ſubſtracto & de materiali important, vt homo albus & homo niger conueniunt in eſſe hominis.

Ad III. Ad. Tertium, conceſſo antecedenti, conſequutio eſt neganda, quia diuiſio hæc nō eſt generis in ſpecies per differentias eſſẽtiales vt controuerſia ſequẽti, tametſi autem diuiſum non aliā eſſentiam importet ab ea quam materiale generis generaliſsimi, alium tamen dicit modum concipiēdi, nec enim neceſſariò intelligendum eſt, cō parationem illam qua affirmat Phyloſophus primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam fieri in diuiſo, ſed præmiſſa explicatione primæ ac ſecundæ ſubſtantiæ per nullum habere ſubiectū vt in primis ſubſtantijs, aut habere ſubiectū prædicationis vt in ſecundis. infert primas quantum ad hoc eſſe magis ſubſtantias quam ſecundas vt explicatum eſt.

Ad. IIII Argum. Ad. Quartum, iuxta tertiam concluſionem, tunc autem dici poteſt ſubſtantiam ſub hac proprietate fuiſſe à *Phyloſopho* diffinitam ac diuiſam, non quia vt ſic ponatur in prædicamento ſed vt per eam tam quam magis notiorem eſſentia ſubſtantiæ nobis occulta clarius innoteſceret.

V. Argu. Ad quintum, diuiſum (vt dictum eſt) eſſe ſubſtantiam pro ſubſtracto à genere ſupremo importatam, diuerſo tamen modo conceptam, vt de ſe indifferentem ad modos primæ & ſecundæ ſubſtantiæ.

Obycit. I. Quod ſi obijeceris diuiſum in qua uis diuiſione vniuerſalius debet eſſe, latiusque patere quolibet membro diuidenti, ſed genere ſupremo quod in ſubſtātijs ſecundis numeratur, nihil vniuerſalius latiusque patens ex hiberi poteſt, igitur nec natura ali A qua prædictis membris communis.

Reſpons. Occurrendum eſt cum diſtinctione minoris, genere ſupremo in ratione generis ac ſecundæ ſubſtantiæ conſiderato nihil poteſt dari communius nego, ſumpto præciſè pro natura ſubſtantiæ vt de ſe indifferenti ad modos primæ & ſecundæ ſubſtantiæ concedo, & hoc pacto eſt diuiſum ſed non primo modo.

Obycit. 2. Vrgebis in ſuper. ſubſtantia vt ſic eſt cō munis primæ ac ſecūdæ ſubſtantiæ, ac pro inde ipſo generi ſupremo, eſt ergo vt ſic ſubſtantia communis & vniuerſalis, ſubſtantia autem vniuerſalis eſt ſecunda ſubſtantia. Reſpondendum eſt diſtinguendo antecedens, eſt communis per modum generis ſuperioris ad primam & ſecundam ſubſtantiam nego, per modum ſubiecti in differentis vt per dictos modos determi- B netur concedo, quod eodem exemplo ſuperiori declaratur, in diuiſione qua homo in hominem album & hominem nigrum diuiditur, homo ſecundum ſe ſumptus & in differens vt albedine aut nigredine afficiatur, quo pacto prædictæ diuiſionis eſt diuiſum, latius patet ſe ipſo vt homo albus eſt vel niger, ſic ergo natura ſubſtantiæ quæ diuiſum eſt in hac diuiſione, latius patet ſe ipſa, vt eſt ſub modo ſecundæ ſubſtantiæ aut primæ.

QVÆSTIO. V. QVALIS *ſit diuiſio hæc num realis vel rationis, vniuoca an Analoga.*

CONTROVERSIA etiam hæc varijs opinandi modis referta eſt.

I. Opinio. Primus eſt eorum qui nullum diuiſum C in hac diuiſione admittunt, affirmans, hāc non eſſe diuiſionem, ſed enumerationem quandam eorum quæ in hoc prædicamento collocantur, vt ſi duo homines ſedeant in eadem trabi cōnumerantur hoc pacto, hic eſt primus & ille ſecundus, ita ſubſtantiæ quæ in recta linea ſedem habent alia eſt prima & alia ſecunda. Fundamentum eſt quod nec vllum eſt diuiſum, & vnum membrum de altero prædicatur, atque ad eo nullam habent oppoſitionem, quæ cū propria diuiſione nequeunt ſtare.

Qui ſubſtantiam diuiſum eſſe aſtruunt, vt formaliter actum dicit ſubſiſtendi aut ſubſtandi, diuiſi etiam ſunt.

II. Opinio. Plerique enim eam eſſe analogam his argumentis ſibi perſuadent.

Primum

Primum eſt, quod actus ſubſiſtendi aut ſubſtandi primo & per ſe & ſimpliciter ſingulari ſubſtantiæ conuenit, cum non per participationem ab alio, quia ab ea procedit, eſt que eius vltimus terminus, ſecũdæ vero ſubſtantiæ, ſecundum quid, cum depẽdentia participatione & ordine ad primã, ſine qua intelligi nequit, illiusque interuẽtu, quatenus nimirum ab illa abſtracta in illa ſubſiſtit Hæc porro analogiam conſtituunt.

II. Argũ. Secundum. Vniuocationẽ deſtruit. Quæ vniuoca cenſentur, vnitatem debent habere formalem, ſed eam habere nequeunt prima & ſecunda ſubſtantia, cum vnitas formalis per rationem in re ſupponat realem conuenientiã & ſimilitudinem in qua fundatur inter extrema realia realiter diſtincta; cum ergo prima & ſecunda ſubſtãtia in re non diſtinguantur, nec in ratione ſubſtantiæ eſſentialiter conceptæ, nec in ratione ſubſiſtendi aut ſubſtandi, cum eadem numero ſubſiſtentia & eadem numero virtus ſeu ſubſtandi capacitas ſit vtriusque: non ergo poſſunt realiter conuenire. Vnde id circo diuiſio Dei in primam, ſecũdam & tertiam perſonam non eſt vniuoci in vniuocata, quia eandem numero naturam communicant, in qua non dicuntur cõuenire ſed eſſe prorſus idem.

III. Opin. Alij autem non infimæ notæ vniuocam eſſe ſtatuunt. quorum fundamenta non minus vrgent.

I. Argum Primum eſt, quod prædictum diuiſum eſt vniuocum membrorũ diuidentium cõparatione, erit ergo diuiſio vniuoca: ãtecedens probatur, quia ſubſiſtens aut ſubſtãs vt ſic abſolute & ſimpliciter tam de prima quam de ſecunda dicitur, præſcinditque à differentijs illarum, cum ſubſtantiam completam importet, ordo autem prioris et poſterioris non tollit vniuocationem ſimpliciter, cum ordo naturæ non inuehat analogiam, alioquin enim eſſe eſſentiæ & eſſe paſsionum quæ primis ſubſtantijs conueniunt per ſecundas, et eſſe exiſtẽtiæ per primas ſecundis, eſſent analoga, quod nemo dixerit. eo maxime quod iſte ordo inter primam & ſecundam ſubſtantiam non realis ſed rationis tantum eſt.

II. Argu. Secundum, hoc quod eſt accidentibus completè ſubſtare, oritur ex completa ratione ſubſtantiæ, ſed hæc primæ & ſecũdæ ſubſtantiæ conuenit vniuoce, ideo enim natura communis ſubſtantia dicitur, non per habitudinem ad primam ſed quia in ſe eſt per ſe, ſeu nõ eſt in ſubiecto: ergo & ſubſtare. A Conſequentia ſic oſtenditur, quando aliqua eſſentia aliquibus competit vniuocè paſsio ex tali eſſentia propagata vniuocè competit eiſdem, cum illius conuenientia neceſſariò ex iſtius conuenientia vt ex cauſa neceſſaria & adæquata ſequatur, & idem in quantum idem ſemper ſit natum facere idem. Confirmatur, tunc paſsio conuenit aliquibus vniuocè, quando illis conuenit independenter adinuicem, ſed cum eſſentia conuenit aliquibus vniuocè atque adeo independenter adinuicem, & paſsio eodem modo conuenit ſublata omni dependentia, ergo vniuocè, alias enim eſſentia realis ſine ſua paſsione dari poſſet, aut eſſentia ex vi ſuæ formalitatis in ſuam propriam paſsionem non influeret efficaciter & adæquatè.

C. 2. part. I. Opinio. Circa alteram controuerſiæ partem B non eſt vnanimis Doctorum conſenſus, quidam aiũt realem eſſe, diuiſi nempe realis in membra realia vt membra ſunt iſtius diuiſionis. Fundamentum eſt, quòd eo modo ſunt membra diuiſionis quo diffiniuntur & in prædicamentis collocantur, ſed realiter diffiniuntur ſub proprio modo reali poſitiuo primæ ac ſecundæ ſubſtãtiæ, collocanturque in prædicamentis ſecundum naturas reales formaliter, & non ratione ſecundæ intentionis, niſi vellis ſecundas intẽtiones formaliter in linea prædicamentali conſtituere: Sunt ergo membra formaliter realia, atque adeo diuiſio hæc vſquequaque realis erit. Quod non parum roboris habet ſuppoſita diſtinctione formali in re, naturæ communis à ſingulari, quæ ſufficiens eſt ad cauſalitatem formalem inducendam primæ ſubſtantiæ ad C ſecundam, ſi enim natura humana vt formaliter diſtincta à Petro ſicut ex ſe nõ eſt ſingularis, ita nec ſubſiſtens aut ſubſtãs, ſed prout eſt in illo, hæc cauſalis formaliter vera erit, quia Petrus ſubſiſtit, natura humana ſubſiſtit, & accidentia ſuſtentat.

II. Opinio Dixerunt alij diuiſionem hanc rationis eſſe, Fundamentum illorum non leue eſt. quia membra iſtius diuiſionis formaliter vt illius membra ſunt, habent eſſe per rationem, diuiſio ergo rationis erit, ac intentionalis: antecedẽs probatur, quia prima & ſecunda ſubſtantia ſunt membra iſtius diuiſsionis, quatenus oppoſitionem & diſtinctionem habent inter ſe, ſed hanc habent per rationem, quia in re nullam habent diſtinctionem Tum quod diffinitio primæ ſubſ-

ſubſtantiæ eſt diſtincta actu à diffinitione ſecundæ; terminatur ergò ad explicandã primam ſubſtantiam (& idem de diffinitione ſecundæ) vt habentem eſſe diſtinctum in ratione diffiniti, à ſecunda, ita vt diſtinctio non ſe habeat ſolum vt condicio, ſed quid rationem diffiniti formalẽ ingrediẽs, cum omnis diffinitio explicet illud eſſe quod formaliter ſe tenet ex parte diffiniti, non enim explicat condicionem ſed illam ſupponit, alias condicio eſſet iam diffinitum, igitur diffinitio diſtincta ab alia ad oſtendendum aliquod eſſe diſtinctum quod ſe teneat formaliter ex parte diffiniti terminabitur. Hoc autem eſſe diſtinctum in prima ſubſtãtia eſt aliquid rationis. Ad de etiam quod prima & ſecunda ſubſtantia vt prima & ſecunda quo pacto ſunt membra iſtius diuiſionis ordinem important rationis. *Præterea* quod de ratione primæ ſubſtantiæ eſt primo & immediatè ſubſtare, de ratione ſecundæ mediate & ſecundò ratione primæ, ſed in re non datur primò vel ſecundò, mediatè vel immediatè, propria virtute vel virtute alterius ſubſtare, & ſicut in re non ſunt duo Petrus & homo ſed tãtum vnum ens per ſe, ita eſt vnus modus ſubſiſtendi.

III. Opini. Tandem, qui diuiſum ens rationis conſtituunt, non eodem modo procedunt, quidam dicũt eſſe ſubſtãtiã vt ponibilẽ in prædicamento, ita vt ponibilitas ſit ens rationis, cum fiat per intellectum, vnde ſenſus diuiſionis eſt, ponibile in prædicamento aliud prima aliud ſecunda ſubſtãtia. Alij eſſe intentionem abſtractam à primo ſubiecto & vniuerſali prædicato, ſeu à ſubijcibili & prædicabili.

I. Conclu. Prima concluſio. Si diuiſum ſumatur vt in ſecunda concluſione controuerſiæ præcedentis iuxta Phyloſophi mentem explicatum eſt, diuiſio hæc eſt ſubiecti in accidẽtia, ſicque abſolute loquendum eſt ſic noſter Doctor. q. 12. prædicam. Tataretus. c. de ſubſtantia. dub. 1. *tertio ſciendum*. probatur, quia diuiſio rei in ſuos modos eſt ſubiecti in accidentia ſed talis eſt præſens, cum idem omnino ens per ſe completum ſit quod in re primò ſubſiſtit, & in cõmuni ſecundò ſubſiſtit, qui modi accidũt ei, cum extra illius eſſentiam ſint, vt conſtat. *Scotus. Tararet.*

Obiectio. Si obijcias, etiam ſi ſubſtantiæ vt ſic prædicti modi accidant, non tamen membris diuidẽtibus primæ ſcilicet & ſecundæ ſubſtãtiæ, eis enim ſũt eſſentiales, hæc ergo diuiſio non eſt ſubiecti in accidentia, ſed ſuperioris in inferiora, alias enim quæuis diuiſio generis in ſpecies eſſet ſubiecti in accidẽtia, cum differentiæ ac ſpecies accidant naturæ genericæ.

A

Reſpon. Reſpondendum, quòd ad primas & ſecundas ſubſtantias nequit eſſe natura ſubſtantiæ, communis per modum ſuperioris ab ipſis abſtracti, quia ipſa natura ſubſtantiæ in ipſis ſecundis ſubſtantijs numeratur, à qua talis conceptus nequit abſtrahi, tantum ſe habet vt ſubiectum talium modorum comparatione, atque adeo ſubiecti in accidentia erit diuiſio, cum autem res diuiditur per modos diuerſos, non opus eſt vt modi diuiſum participent, ſed ſateſt, vt illud afficiant, & pro ſubſtracto ac materiali includant.

I. Corollo. Ex præfinitis deducitur primò, diuerſũ eſſe diuiſum à membris diuidentibus, illud quidem eſt cõmune & vniuerſale vt prædicabile quintum, ſicut enim diuiditur per accidens, ita & prædicatur vt ſubiectum de accidentibus, non ſecus ac homo de albo & nigro, ſecunda vero ſubſtantia alio modo eſt vniuerſalis, vt genus ſcilicet aut ſpecies.

B

II. Coroll. Deducitur ſecundo, quòd cum profertur, diuiſionem hanc eſſe in diuerſos modos, non ſic eſſe intelligendum, quod ſit in diuerſas ſubſiſtentias aut diuerſas virtutes ſubſtandi, cum eadem prorſus ſubſiſtentia realis, virtuſq; ſubſtandi ſit vtriuſque, primæ ſcilicet ac ſecundæ ſubſtantiæ, ſed in diuerſos modos participandi eandem ſubſiſtentiam & ſuſtentationem, in particulari & in vniuerſali. & ideo ſecundas ſubſtantias ait Phyloſophus genera eſſe ac ſpecies. Vnde cum prædicta membra diuidentia aliquid rationis importẽt, intentiones ſcilicet ſuperius explicatas, diuiſio hæc etiam eſt ſubiecti in accidentia rationis.

C

II. Concl. Secunda concluſio, ſi diuiſio ſecũdo modo intelligatur non eſt analoga nec propriè vniuoca, habet tamen ſimilitudinem cum ea, prima pars probatur, Analogia aut perfecta vniuocatio membra realiter diſtincta requirunt cum ſimilitudine & cõuenientia inter illa & quòd diuiſum ſit in mẽbris diuidentibus multiplicatum, ſed membra diuidentia ſunt eadẽ numero quæ non conueniũt in diuiſo, ſed potius in illo ſunt re idem. Secunda probatur, quia hoc quòd eſt ſubſtare per modum communis concipitur, mediate vero vel immediate differentiarum inſtar, ſaltim ergo impropriè

priè & ſecundũ quid vniuoca poteſt dici.

III.Conc. Tertia concluſio. Si diuiſum & membra diuidentia ſecunde intentionaliter ſumã-tur diuiſio eſt vniuoca, ſic Doctiſsimus Tataretus, & probatur, quia ab ea intentione quæ naturã ſingularem denominat primum ſubſtãs, & ab ea quæ naturam cõmunem ſecũdum ſubſtans, poteſt abſtrahi ratio cõmunis ſubſtantis vt ſic, & vt optime ad notat noſter Doct. q. 15. Vniuerſa, non eadem vnitas requiritur in intentione quę in re, cum vnitas in re tãtum ſit occaſio vnitatis in intencione, atque adeo vnitas procionis in re (quæ minima eſt omnium) inter res diuerſorum generum, ſufficit vt ab ea intellectus ad vniuocam intentionem huic & illi tribuendam moueatur.

Argumẽta aliarũ opinionum nihil nobis officiũt ꝙ ſi aliquid inferre cõtendunt nobis aduerſum ex, dictis manet ſolutum.

QVÆSTIO. VI. SINT NE Proprietates ſubſtantiæ a Phyloſopho cõuenienter numeratæ.

I. Conclu. PRIMA concluſio. Subſtantiæ prima proprietas eſt, ñ eſſe in ſubiecto in hæſiuè, de qua ſatis dictum eſt, hanc cõuenire ſubſtãtiæ, quia omni ſoli & ſemper, quæ negatio ſumitur propoſitiuo à quo procedit cũ enim ex formali ratione cuiuſque formæ ꝓfluat neceſſario alterius formæ eſſẽtialiter & oppoſitè: diſtinctæ negatio, & modus eſſendi per ſe omni ſubſtãtiæ cõueniens, modusq; in alio exiſtendi inhærenter, quem habent omnia accidentia, eſſentialiter ſint inter ſe & quaſi oppoſitè diſtinti, ex formali vnius ratione ſequitur neceſſario negatio alterius, vt ex modo eſſendi per ſe ſubſtantiæ prædicta negatio eſſendi in ſubiecto in hæſionis procedit.

II Conclu. Secunda concluſio, ſecunda proprietas ſubſtantiæ eſt prædicari vniuocè de primis, (hoc eſt eſſentialiter) quæ proprietas rationis eſt, conueniens ſecundis ſubſtantijs non quarto ſed ſecundo modo, cum etiam differentijs conueniat.

III, Concl Tertia concluſio, quæ tertiam ſubſtantiæ proprietatem comprehendit, ſubſtantiæ cõuenientem quatenus per terminos ſignificatur. Quòd licet omnis ſubſtantia tam prima quam ſecunda videatur ſigniſicare hoc aliquid, ideſt per ſe ſubſiſtens, quia ſignificat per modum concreti, vt animal, homo, atque adeo ſubſiſtentiam concernentis, ſed quia ſubſtantia ſingularis

A eſt, quæ vt diximus ita eſt per ſe vt ſit primum ſubiectum atque adeo, nullum ſubiectum in hæſionis aut prædicationis habens, ideo Prima ſubſtantia illam ſignificans, abſolutè dicitur ſignificare hoc aliquid. Naturæ vero ſubſtantiales communes quia vt a ſingularibus abſtractæ ſubiectum habent per quod ſubſiſtũt, in quo accidenti (cui proprium eſt habere ſubiectum) aſsimilari videtur, ideo ſecundæ ſubſtantiæ quibus ſignificantur, quale dicuntur ſignificare. At quia ſubiectum illud non eſt in hæſionis ſed tantum prædicationis, ideo non abſolute quale, ſed qualequid ſignificant. Hæc autem ſignificatio non ſufficit ad prædicationem in qualequid, vnde ex illa duntaxat, hæc non eſt inferẽda, ſed præterea requiritur ſignificatio in qualequid quæ ſupra priorem ſuperaddit ſignificare naturam cõmunem per modũ actus determinãtis genus, & ſpeciem conſ-

B tituentis, quam ſignificationem quia habẽt differentiæ prædicantur in qualequid, genera vero & ſpecies quia eam nõ habent, cum non ſic ſignificent eſſentiã (vt in prædicabili) ſed potius per modũ ſubſiſtentis ſubiecti præſuppoſitio quod á diferentia cõtrahitur, ideo non in qualequid ſed abſolute in quid prædicantur.

Quarta concluſio, ſubſtantiæ quarta proprietas eſt nullum habere contrariũ quod non fuſſe de quauis contrarietate incompoſsbilitatis, repugnantiæ ve cuiuſpiam aut priuatiuæ oppoſsitionis intelligẽdum eſt, nulla etenim res eſt quæ hanc ſubterfugiat, ſed de ea quam ſtrictam appellant Phyloſophi, quæ nimirum datur inter duas formas ſub eodem genere maximè diſtantes, mutuo ſe ſe ab eodem ſubiecto expellẽtes qualis eſt cõtrarietaſ quæ inter albe- IIII. Con.

C dinem & nigredinem, calorem & frigiditatem intercedit, hæc ergo in ſubſtantia non reperitur cum non ſit in ſubiecto. Dicuntur autem elementa contrariari, non ſuæ ſubſtantiæ ratione, ſed qualitatum ſuarum. Proprietas hæc ñ eſt quarto modo reſpectu ſubſtãtiæ, cum alijs etiã cõueniat, vt quantitati relationi, quia prefata contrarietas in prædicamento qualitatis duntaxat comperitur, nec in omnibus qualitatibus, ſed in aliquibus.

V. Conclu. Quinta concluſio. Proprietas ſubſtantiæ quinta eſt non, ſuſcipere magis, & minus, hoc autem non conſiſtit in eo quod eſt vnam ſubſtantiã eſſe magis aut minus ſubſtãtiam alterius cõparatione in ſubſiſ-

Q tendo

tendo aut ſubſtando, ſeu vnam ſubſtãtiam altera eſſe perfectiorem imperfectiorẽ ve quo ad perfectionem eſſẽtialem, quo pacto Angelus hominem antecellit; aut indiuiduale & integralem, quo pacto vnũ materiale indiuiduũ maiorem extenſiuã perfectionem plures ve ſubſtantiæ partes nutritionis ope acquirit, ſed in eo quod ñ ſit intenſionis & remiſsionis capax, hæc enim ſola eſt quæ ſuſcipere magis & minus proprijſsime importat, quod nihil aliud eſt, quam quòd vna numero forma plures aut pauciores intenſionis gradus in eadem prorſus partè ſubiecti acquirat, quibus magis aut minus perficiatur, vnde id ſolũ in Qualitatibus gradualem habentibus latitudinem reperitur, vt idem numero calor in eadem parte exiſtens, modo remiſſior eſt, modo intenſior, quod non habet ſubſtantia, ſed hæc difuſius in preſenti nequeunt, exponi, eſſet etenim ex profeſſo Phyloſophos aut metaphyſicos agere.

VI. Conc. Sexta concluſio. Eſt etiam ſubſtantiæ proprietas quòd in eodem ſubſtantiali ſtatu perſeuerans, ſit contrariorum ſuſceptiua, nimirum vt quod & propria virtute quod additũ eſt propter quantitatem, quæ ſubiectum accidentium eſt minus principale, & vt quo, quo ſcilicet mediante accidẽtia in ſubiecto recipiuntur in quo ſenſu Phyloſophus ait, hanc eſſe maximæ ſubſtãtiæ id eſt primæ proprietatem, ſecundæ enim ſubſtantiæ contraria non recipiunt niſi prout in prima ſunt, quia Petrus eſt qui albedinem aut nigridinem recipit.

DISTINCTIO IIII. De Secunda ordinatione Quantitatis.

INTER Accidentium Prædicamenta quantitas ſubſtantiæ valde affinis eſt, eique ſimilior, tum quia inter accidentia corporalia quæ nobis notiora ſunt, noſtriſque ſenſibus viciniora, prius natura materiali ſubſtantiæ ad hæret, tum etiã quod aliorum accidentium ſubſtantiæ inſtar eſt ſubſtentaculum. Ob id ſatis conſentaneè poſt ſubſtantiæ prædicametum primus ei aliorum accidentium comparatione locus deſignatur, de eaque diſſerit Phyloſophus. c. 6. cuius doctrina his aſſertionibus dilucidatur.

LITERA ARISTOTELIS.

A

I, Conclu. PRIMA Concluſio. *Quantum aliud cõtinuum, aliud diſcretũ, illud eſt cuius partes copulantur termino cõmuni, cuiuſ quinq; ſunt ſpecies, linea, ſuperficies, corpus, locus, & tempus. Hoc vero cuius partes ñ copulantur termino communi, vt numerus & oratio.*

II. Conclu. Secunda Conc. *Quantum aliud eſt cuius partes habent poſitionem in continuo, vt quantum permanens continuum, nimirum linea ſuperficies, corpus, & locus* Talem nempe diſpoſitionem in toto & inter ipſas partes, vt vna ſit extra aliam, ſitque deſignabilis vna pars anterior, alia poſterior, vna dextra alia ſiniſtra. *Aliud vero cuius partes non habent dictam diſpoſitionem, vt numerus qui cum quantitas diſcreta ſit, predictam poſitionem non habet, ſed tãtum ordinem prioris & poſterioris, & tempus cuius partes quia ſunt* B *in continuo fluxu tali poſitione carent, & oratio propter vtramque cauſam.*

III. Conc. Tertia Conc. *Quantum vnũ per ſe cuiusmodi eſt ipſa quãtitas, aliud per accidẽs quod ratione quantitatis ſolum quantum dicitur.*

IIII. Con Quarta concluſio. *Tres proprietates quantitas ſortitur, prima eſt non habere contrariũ. Secunda quod non ſuſcipit magis & minus. Tertia quod eſt fundamentum æqualitatis, quod eſt maxime proprium Quantitatis.*

LITERA DOCTORIS.

NOVEM inſtituit Quæſtiones circa hoc caput ſubtilis Doctor a. Queſt. 16. vſque ad 24.

QÆSTIO Prima an quantitas ſit C genus.

I. Conclu. Prima concluſio. *Quantitas eſt genus generaliſſimum, probatur prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid & non habet genus ſuperueniens*

Secunda cõcluſio. *Hoc eſt peculiare iſtius prædicamenti quod genus in concreto prædicatur de ſua ſpecie in abſtracto, dicimus enim linea eſt quanta, quia quantitas non ſolum tribuit ſuum effectum formalem alijs, nec ſolum eſt principium menſuræ aut diuiſionis alijs, ſed etiam ſibi, ideo ſe denominat et ſuas ſpecies.* In reſp ad 1. Argumentum. II. Conclu

III. Conc. Tertia concluſio. *Quantitas continua licet ordine naturæ ſeu in eſſendo ſit prior diſcreta, non tamen in participando rationem*

generis

generis, ſeu ſuſcipiendo quantitatis prædicationem, quia neutri ſpeciei ineſt diuiſibilitas per alteram, vnde quantitas in communi genus eſt vniuocum ad vtramque, imo in omni genere poteſt aliqua ſpecies eſſe prior alia in eſſendo, illas interſe comparando, ſed nulla eſt alia prior in participando rationem generis.

In reſp. ad ſecundum Argumenttum.

Q.17.D. QVÆSTIO II. Vtrum Quantitas ſit genus vnum.

I. Conclu. Prima concluſio Afirmatiua. *quia ſecundum vnam rationem dicitur de omnibus ſuis ſpeciebus.*

II. Conclu. Secunda concluſio. *Illa vna ratio formalis quantitatis in qua illius eſſentia conſiſtit. à quibuſdã dicitur eſſe mẽſuram, quia per eã ratio ſufficientia & diuerſitas ſpecierũ Quantitatis ſumitur, ſed probabilius eſt, eam non eſſe, cum ratio menſuræ ab vnitate deriuetur quæ principium eſt numeri ad diſcretam, vt dicitur 10. metaphy c. 2.*

III. Conc. Tertia concluſio. *Aliter etiam dicitur diuiſibilitatem eſſe rationem quantitatis, quia per eam diffinitur. 5. metaphy. & in hoc prædica. tã cõtinua quàm diſcreta per partes diffiniuntur copulatas vel non copulatas, & per eam in 5. metaphy. contex. 18. ſpecies quantitatis ſumuntur.*

IIII. Con. Quarta concluſio. *Numerus licet materialiter & in ratione continui ſit diuiſus, formaliter tamen in ratione numeri eſt indiuiſus,*

Q.18.D. QVÆSTIO III. an oratio ſit Quantitas.

Concluſio. Conclu. affirmatiua. *Propter autoritatem Ariſtot. quia ſyllaba menſuratur brebis & lõga, iſtius igitur eſt alia menſura per ſe, & hæc eſt oratio quæ ſit cum voce prolata.*

Q.19.D. QVÆSTIO IIII. an oratio ſit Quantitas diſcreta.

I. Conclu. Prima conc. Affirmatiua, *quia partes eius ad nullum communem terminum copulãtur, quia qualibet ſyllaba eſt ab alia diuiſa.*

II. Concl. Secunda conc. *Oratio eſſentialiter differt à numero & á quauis ſpecie quantitatis, non tantum differẽtia materiali, ſed etiam formali & ſpecifica, illa tamẽ nõ eſt nota, imo vix alicuius ſpeciei athoma eſt nobis nota differentia*

Q.20.D. QVÆSTIO. V. An Ariſto. ſufficienter numerauerit ſpecies Quantitatis.

Concluſio. Concluſio. *cum Ariſtoteles fuerit ſecundum antiquorum opinionem loquutus, non ſufficienter numerauit ſpecies quantitatis, cum locus non ſit ſpecies diſtincta quantitatis.*

Q.21.D. QVÆSTIO. VI. An locus ſit Quantitas.

Conclu. Prima concluſio. *Locus non eſt ſpecies diſtincta quantitatis, probatur, quia ſi materialiter ſumatur eſt idem quòd ſuperficies, eſt enim vltima ſuperficies corporis continentis. ſi vero formaliter non eſt ſpecies quantitatis, vt ſic enim non dicit rationem quantitatis,*

A

Secunda concluſio. *Non loquitur hic Ariſtoteles locum ſpeciem quantitatis conſtituens ſecundum propriam opinionem, ſed ſecũdum antiquorum, locum eſſe ſpacium æquale locato conſtituentium.* II. Concl.

Ita enim frequenter quando loquitur de aliquo, vbi non eſt proprius locus determinandi veritatem, de illo vtitur communi ſententia aliorum, vſque alibi, vbi locus eſt de illo veritatem determinare, dummodo reſpoſit dari ſecundum ſententias aliorum, ſicut & ſecundum veritatem propriam, ita eſt pæne de omnibus exemplis in logica. Notabile.

QVÆSTIO VII. An locus ſit Quantitas continua. Q.22.D.

B

Prima concl. *Locus non eſt neceſſariò continuus, ſed nihil refert ad illius vnitatẽ ſuperficies eſſe cõtiguas ſi idem locatur à diuerſis corporibus contiguis, vel ſuperficiem vnius continuam, quando locatũ locatur in vno locãte.* I. Conclu.

Secunda concluſio. *Tempus eſt quantum per ſe, vt per ſe diſtinguitur contra per accidens, non tamen vt diſtinguitur contra per aliud, ſeu tempus eſt quantum per aliud non formaliter ſed effectiuè, hoc eſt ꝙ nihil eſt aliud per quod recipiat prædicationem quantitatis ſed prædicatur per ſe de eo primo modo, effectiue autẽ ſuam eſſentiam habet, & ſuam quãtitatẽ quæ eſt ſua eſſentia ab alio ſcilicet motu* II. Conclu

QVÆSTIO VIII. an partes corporis & loci copulentur ad eũdem terminum. Q.23.D.

Cõcluſio negatiua *& patet quia locus diuiſus eſt à locato, locus enim eſt vnde & ad quẽ locatũ mouetur, & nõ mouetur cũ locato.*

C

QVAESTIO. IX. An quantitati ſit aliquid contrarium. Q.24.D.

Prima concluſio. *Si ſumatur contrarietas proprie pro diſtãtia maxima formarum quæ natæ ſunt fieri & mutuo ſe expellere circa idem ſuſceptiuum, hoc modo negatur à quantitate, ſi vero ſumatur tranſumptiue & large quæ extenditur ad oppoſitionem priuatiuum, & ad oppoſitionem in omni genere, cum omnis diuiſio generis ſit per differentias oppoſitas, datur in Quantitate.* I. Conclu.

Secunda concluſio. *Quantitas non ſuſcipit magis & minus, aliud enim eſt ſuſcipere maius & minus, & aliud magis & minus, primum dicitur ſecundum quantitatem, ſecundum vero dicit intẽſionem & remiſſionem quæ non reperitur in Quantitate.* II Conclu.

QVÆSTIO I. DETVR-ne Quantitas realiter diſtincta à re Quanta peculiariter hoc prædicamentum conſtituens.

NE illotis vt aiunt manibus rē hanc aggrediamur, Quantitatis acceptiones in medium producamus. Dupliciter ergo accipitur Quātitas vt probè adnotat noſter Doct. in 1.d.19.q.vnica. & d.31 q vni.& inquotlib. q.6. Primò metaphoricè pro quauis perfectionis latitudine quā D.Aug.6.de Trinitate c.7.quātitatē ſeu magnitudinē perfectionis vocat & hæc cōuenit omni enti cuiuſq; generis, & magnū & paruū trāſlatitiè ſumpta trāſcēdētia ſunt reſpectu omnis entis, nulla etenim res eſt quæ non habeat perfectionis latitudinem, ſecundum quam vna excedit aliam & ab alia exceditur, quo pacto latitudinē intenſionis quantitatem intenſionis, & latitudinem durationis etiam indiuiſibilis, æui nimirum Angelorū, quantitatem durationis, & in potentijs latitudinem efficacitatis & perfectionis in agendo quantitatem virtutis appellamus. imo non ſolum in omni genere ſed extra omne genus in Deo ſcilicet Optimo ac Maximo tranſlatitia hæc quantitas reperitur. Secundo ſumitur preſsius ac proprie pro quantitate mollis, quæ accidens quoddam eſt in ſola re materiali repertū, quo redditur proprie quanta ſecundum mollem & corpulētiam, de hac ergo modo perquirimus, quo pacto diſtinguatur à re quanta, nimirum à ſubſtantia, Qualitate ac alijs accidentibus, quæ quanta dicuntur.

Opinio Nominali

Extat in hac re Nominalium ſententia ab omnibus tam relata quā exploſa, aſtruens, Quantitatē non eſſe peculiare aliquod accidens, realiter diuerſum à rebus materialibus ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidētia, ſed cum qualibet identificari ſuam quantitatem, ſeu quamlibet ipſarum rerum eſſe ſuam Quantitatem, quatenus partium habet diſtinctionem, ac proinde tot eſſe in re quauis Phyſica Quantitates, quot ſunt entia realiter diſtincta.

Argumenta pro hac ſentētia exinfra dicendis conſtabunt. Sed opinio hæc iam eſt antiquata, reuera abſcopo veritatis quā recedāt iſti ſequēti cōcluſione manifeſtatur.

Concluſio

Concluſio ſit communi Grauiſsimorum Phyloſophorum Theologorumq; conſenſu recepta, Quantitatem non ſolum formaliter ex natura rei, ſed realiter quoque à ſubſtantia qualitate, alijsque accidentibus A quæ ab illa quanta dicuntur accidentarie, diſtingui. Docet eam noſter Doct. in 2.d. 2.q.9. & 5. metaphyſica q.9.

Prima pars ſic oſtenditur. Subſtantia & quantitas (et idem de qualitate & alijs) ad diuerſa ſpectant Prædicamenta, atqui Prędicamenta inter ſe diſtinctione formali ſe cernuntur, nimirum ſecundum formalitates ſeu diffinitiones eſſentiales, rationes ve obiectiuas, ſecluſa mentis fūctione diſtinctas, aliàs enim ſecundum eandem formalitatem ad idem prædicamentum ſpecerent. Hac ratione probant multi Thomiſtę vt Sanchez q 30. predic. & alij han concluſionem, vbi manifeſte duo admittunt, & diſtinctionē formalē in re ſecluſo mētis opere, quam tamen alias execrantur, nos eam diſtinctionē formalem ex natura rei nūcupamus. et eam dari inter predicamenta ad ſe inuicem cōparata: eādem enim vim ha B bet ratio præfata in omnibus prædicamentis, atque adeo in eis non ſufficiet diſtinctio mentis opere laborata.

Inſuper probatur illa pars concluſionis, modus eſſendi perſe & modus in hærēdi, ex natura rei diſtinguuntur, vnus enim ex proprijs rei viſceribus negationem alterius importat & alterū excludit, vti ſuperius animaduerſum eſt, atqui ſubſtantia ex propria natura ſua modū eſſendi per ſe dicit, quantitas vero cum accidens reale ſit modum alteri in hærendi: nequeunt ergo eſſe eadē entitas formalis. Quid enim fieri poteſt, vt quantitas in re vnum eſſendi modū obtineat omnino diuerſum ab eo quē ſubſtantia habet, ſi nullam diſtinctionem haberēt? Itidē quod ſubſtantia qualitas & quātitas, diuerſas ſubſe habent ſpecies, effectus formales plane diuerſos, proprietates C item diuerſas. ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis ſed per accidens, quantitas vero per ſe ſenſibilis eſt, idq; multis ſenſibus, obidq; ſenſibile commune nuncupatur, ſub qualitate verò omnia ſenſibilia propria, quæ nimirum vno duntaxat ſenſu percipiuntur compertum eſt comprehendi.

Secundæ partis probatio ex miſterijs fidei procedit ſic, optimum realis diſtinctionis indicium eſt, ſeparatio duorum adinuicem, quòd vnum alio pereūte perſeueret, non ſolum ratione alicuius cōnotati in ordine ad quod eſt conceptibile, ſed ſecundū ſuam intrinſecam entitatem, idem enim à ſe ipſo realiter eſt inſeparabile, ſed in ſacro Euchariſtiæ miſterio, tota ſubſtantia

panis

panis deſtruitur vt in conſilio Trident. expreſſe ſecundum fidem decretum eſt, ſecti. 13. cano. 3. & alibi ſæpe, quantitas vero panis perſeuerat ſecundum totã ſuam intrinſecam entitatem: diſtinguuntur ergo realiter, hæc pars minoris probanda eſt tum ex cõmuni omnium Thologorum intelligentia à quibus diſſẽtire, eſſet incurrere temeritatis crimen, omnia accidentia panis pereunte ſubſtantia in Euchariſtia permanere. vnum autem ex his quãtitas eſt, imo vt ſubiectum reliquorum accidentium, alioquim enim eſſet diſſoluta & non colligata in aliquo ſubiecto, atq; adeo quodlibet naturaliter poſſet à loco alterius dimoueri, ſicut & aliæ res cõtinguæ, ſubiectum autem reale, & phyſicum in hæſionis realiter ab eis quæ ipſi adhærent, ſeparatur, nihil enim phyſicè & realiter ei entitati dicitur inhærere cum qua identificatur.

Sicque præcluditur effugium illud, idéo dici quantitatem panis manere, quia manent accidẽtia, quorum quodlibet ſuam habet propriam quantitatem ſecum identificatam, & à ſubſtantia panis realiter diſtinctã illud enim fundamentum nõ ſolum conuincit realem diſtinctionẽ quantitatis à ſubſtantia ſed & ab alijs accidentibus, vt commune illorum ſubiectum in quo vniuntur & ſuſtentantur, alioquim, contraria ſumme intenſa naturaliter dari in Euchariſtia, ibique non ſe inuicem expellere, nihil prohiberet, quod experimento repugnat, ſequella patet, eatenus enim cõtraria ſe expellunt, quatenus repugnantiam habent vt ſint in eodem ſubiecto, at in Euchariſtia nullum eſt cõmune omniũ ſubiectũ per vos. Item etiam, calefieri videmus frigefierique hoſtiam conſecratam, aliaque accidentia ab agentibus ſuſcipere naturalibus, ſi nihil ibi remanſiſſet quod ſubiecti vicem ſubiret, neceſſario fatendum eſſet ea accidentia creari virtute cauſæ creatæ quod quam abſurdum ſit cõcedere ſuo loco demonſtrabitur.

Obiter tamen aduertas, notanter in cõcluſione aſſertũ eſſe quantitatem reali diſtinctione à rebus quæ accidentarie ab illa quantæ redduntur, vt ſubſtãtia qualitate &. ſeparari, hoc inquam propter quantitatem dictum eſt, quæ quãta etiã dicitur ſed per ſe & eſſentialiter, quia vt dicemus non ſolum ſubſtantiam, ſed et ſe ipſam quantam reddit, illam accidentarie, ſe vero primò & per ſe, & in hoc ſenſu quantum & quantitas idem prorſus ſunt.

A

QVÆSTIO. II. HABEATne ſubſtantia materialis partes integrãtes præciſa quantitate.

TAMETSI controuerſia hæc Phyloſophyca ſit, & in phyloſophia ex profeſſo diſcuti ſoleat, quia tamen ex ea rationis formalis quantitatis cognitio quã modo exquirimus magna ex parte dependet, ideo à nobis expendẽda erit. Nulla etenim planior via cogitari poteſt ad inueſtigandum num ſubiectum quodpiam, aliquam a ſe proprietatẽ habeat effectum ve aut rationẽ formalem, an ab extranea forma ſibi adhærente emendicatam, quam ſi prædictã formã ab eo ſubiecto ſiue re ſiue cogitatione diuellas, quod ſi ſublata forma, proprietas de qua ambigitur effectus ve perit, apertũ ſignum eſt, non à propria ſubiecti ratione ſed à forinſeca forma ei prouenire. Ceterum ſi forma præciſa

B adhuc perſiſtit prædicta proprietas aut effectus, luce clarius meridiana conſtabit eũ a ſe ſubiectum habere, non verò ab aliena forma. vt ergo videamus num ratio formalis Quantitatis ſit ratio partium ſubſtãtiæ, oportune inquiritur, habeat ne ſubſtãtia ex ſe partes, an vero non, ad cuius cognitionẽ hoc ſuppoſitum ſtatuitur, num ſi Quãtitas à ſubſtantia ſepararetur, ſine ea quæ adeo conſeruaretur, ſicut Quantitas à ſubſtantia ſeparata in Euchariſtia conſeruatur (id enim fieri poſſe ab omnibus fere admittitur, & egregie oſtendit noſter Doct. in 2. d 12. q. 2. § reſponſio. cum multo magis quantitas à ſubſtantia quam vice verſa dependeat.) aliquas haberet partes.

Titulus autem, Quæſtionis aduertenter de ſolis partibus integrantibus ſiſcitatur, quia omnibus eſt in confeſſo, ſubſtantiam ex ſe partes habere eſſentiales, vt materiã

C & formam, genus & differentiam, & nullo modo à quãtitate, quia non in genere cauſæ efficientis, cum Quantitas nullius actiuitatis ſit, nec in genere cauſæ formalis, id enim quod ſubſtantiæ eſt eſſentiale ab accidenti cuius modi eſt quantitas prouenire nequit.

In illo ergo ſenſu controuerſia præſens non modicam ingerit difficultatem, vt in illa præfinienda diuiſi ſint Doctores. in ſatis pugnantes opiniones.

Prima opinio quæ celebris eſt inter Thomiſtas aſſeueranter affirmat ſubſtantiam ex ſe (& idem de alijs accidentibus materialibus) nullas habere partes integrales, *I. Opinio.*

 ſed

ſed omnen totalitatem & partialitatem ſortiri à quantitate, qua ſublata, indiuiſibilem ex ſe manere, nō quidē poſitiuè ita vt ex ſe nullas exigat partes ex propria natura vt diuiſibilis ſit, ſed potius indiuiſibilitatem, ſicut punctum indiuiſibile dicitur. ſed negatiuè, ideſt quod licet actu ex ſe nō habeat partes, eſt tamen apta vt eas habeat quantitatis acceſſu, quòd ſi ab eis inquiras, in quo cōſiſtit hæc ratio partium. Reſpondēt in hoc ꝙ ſint actu diſtinctæ & vnitæ cum ordine & poſitione in toto, ratione cuius vna eſt extra aliā & habent extenſionē. ſicut ergò in ſigillo aureo duo ſunt, & entitas materialis illius quæ eſt ētitas ſubſtantiæ auri, & forma & figura ipſius quæ modus quidā accidentalis eſt, ex natur rei diſtinctus, ſic in partibus ſubſtantiæ vel poteſt cōſiderari ipſa entitas materialis partium ſubſtantialiū, & hæc non cauſatur à quantitate, cum enim quantitas accidens quoddam ſit inintelligibile eſt, aliquid ſubſtantiale exhibere poſſe ſubſtātiæ, vel ipſa totalitas & partialitas ſeu eſſe formale totius & partiū, quod eſt modus quidam accidentalis à quantitate proueniens. Cum ergo dicitur quantitatē ſubſtātiæ partem tribuere, non eſt ſenſus quantitatem cauſare partialem aliquā ſubſtātiam quæ antea nō erat, abſit, prorſus enim falſus eſt talis ſēſus & ab omni metaphy. ab horrens, ſed quod tribuit eſſe formale partium. eædem ergo ſunt ſubſtantiæ & quantitatis partes, illius pro materiali iſtius pro formali. opinio ſic explicata his innitur fundamentis.

I. Argum. Primum eſt, quod iam in ſubſtantia darētur linea, ſuperficies, profunditas vt illius ſpecies, ſic quę duo hæc prædicamenta confunderentur. haberet quoque figuram ratione cuius obiectum eſſet matematicæ, & magnitudinem per quā eſſet augmentationis terminus, eſſet itidem ex ſe mēſurabilis, æqualis vel inæqualis, finita vel infinita, in ſuper & inpenetrabilis, quod vt doctrinæ Ariſtotelicæ abſonū, iſta omnia Quātitati adſcribenti vt illius proprietates, eſt procul ab Scholis relegādum. aſſerit enim 3. *phyſica. tex 35. ſi ſola ſubſtantia & non accidens ſit, diuidi non poterit, nam quod diuiſibile eſt, aut magnitudo eſt aut multitudo* & 1. phyſi c. 2. tex. 15. *ſi ſola ſubſtantia ſit, infinitum non erit, nec vllā habebit magnitudinē* & in c. de quantitate per eſſe menſurabile probat orationē eſſe ſpeciem Quantitatis.

II. Argū. Secūdum, ratio partium vnionem dicit & partium diſtinctionem, ſed totum hoc quid accidentale eſt in partibus integrātibus ſubſtantiæ. vnio quidem cum non ſit

A actus & potētiæ. & per cōſequens diſtinctio, quæ in materia prima apertior eſt, quia eſt pura potentia, vnde ab ea extenſio & diſtinctio nequit prouenire, ſed à forma accidentali quæ quantitas eſt.

II. Opinio. Fonseca. Conimbris Rubio. Secunda ſententia aſſerit ſubſtantiam ex ſe preciſa quātitate habere quidem partes ſubſtantiales ex quibus intrinſecè coaleſcit, non tamen earum extenſionem, ſeu habere partem & partem, non tamen partem extra partem, ſeu partes extenſas & ordinatim diſpoſitas, hoc enim eſt vnam eſſe extra aliam, ſed implicitas & cōfuſas inter ſe, ita vt nullo ſeruato ordine omnes ſint interſe immediatè copulatæ, idq; non ſolum penes ordinem partium ad locum, ſed et ſecūdum ordinē partium ad totum. quod intenſionis exemplo manifeſtant, ſecundum quam gradus qualitatis nullum

B ſeruant ordinem in ſubiecto in quo ſunt; non extenſionis, cum omnes ſimul ſint in eadem parte, nec perfectionis cū omnes ſint æquè perfecti, & immediatè quālibet partem ſubiecti informent. Iſtius ſententiæ fundamenta ſunt.

I. Argum Primum quòd prædicta extenſione admiſſa, alia quantitas procul dubio ſuperuacanea foret, cū citra exigentiā neceſſariā non ſint res multiplicādæ, illa etenim vera eſſet quantitas, quia ei omnes quantitatis proprietas cōuenirēt, vt pote quæ omnes ex partiū extēſione proficiſcūtur & ex vi illius capax eſſet immediatè localis extenſionis & impenetrabilitatis, cæteraq; accidētia recipiendi. Vd ne in Nominaliū opinem incogitanter pro laberemur.

II. Argu. Secundum. exinde ſequeretur abſurdū illud contra nominales illatum, quod cum

C in eadem re ſint plures extenſiones nempe materiæ primæ, formæ materialis, Qualitatis &c Omneſque adæquatè in eodem exiſtant loco ac ſpacio, plures darentur in eodem loco trinæ dimenſiones penetratæ, quod naturaliter fieri nequit.

III. Opini Soarez. Tertia Sententia multo quam præcedētes progreſſa eſt. aſtruit enim ſubſtantiam ſine quātitate eum eadem magnitudine ac locali extenſione quàm antea permanſuram, totā nempe in toto & partem in parte loci, imo vt ſubſtantia non maneret extenſa in ordine ad locū præter quantitatis ablationis miraculū, aliud eſſet neceſſariū vt localiter perſiſteret inextenſa, quæ his potiſsimum argumentis corroboratur.

Primum

I. Argum. Primum eſt, quod alias ſubſtantia manēret indiuiſibilis & in loco indiuiſibili, ac proinde in vnico indiuiſibili inſtanti ſubſtantia illa ad punctum confluxiſſet, & in vnico inſtanti per ſpacium diuiſibile fuiſſet mota, vt ad punctum perueniret. Reſpondeas ſi placet, ad quem ad medium ne an ad aliquem ex extremis? cũ non ſit maior ratio excogitabilis de vno quàm de alio.

Confirmat. Confirmatur, quia avt mutatio illa ſiue motus quo ad punctum flueret, fieret in inſtanti & hoc non, quia ſubſtantia corporea vim non habet naturalem ex ſpacio diuiſibili in inſtanti ad indiuiſibile tranſeundi, & Ariſt. teſtante. 3. phyſi. motus localis nequit fieri & in inſtanti aut fieri in tēpore, & ſic ante illius motus finem quo ad pũctum ſubſtãtia perueniret, eſſet in loco diuiſibili, ac proinde extēſa eſſet ſine quãtitate.

II Argu. Secundum, ſi ſubſtantia in tres partes diſtincta à parte media auferret Deus quãtitatem, illa non maneret ab extremis diuiſa ac ſeparata, quia ab eadem forma informaretur cum eis ergo copulata maneret, non cum ſolo vno extremo, cur quæſo potius cũ hocquàm cũ illo? ergo cũ vtroq;, replet ergo locum ac ſpacium diuiſibile ſicut antea, habetque extenſionem localē, cui ſua pars loci diſtincta correſpondet, alioquim cum coniuncta ſit cum hoc & illo extremo erit in duobus locis.

IIII. Opi. Quarta tandem ſententia & partes admittit in ſubſtantia abſque quantitate earumq; extenſionem non localem nec quãtitatiuam, ſed entitatiuam ac tranſcendētalem, quæ in Schola noſtri Doctoris ſatis probata eſt.

I. Notabi. Verum tamē vt veritatem iuxta noſtri Doctoris mentem proferamus, obſeruare oportet primò. omnes ſibi per ſuaſum habere ſubſtantiam quantitate affectam partes habere ſubſtantiales, atq; adeo ipſius ſubſtantiæ diuiſibilitatem, cum enim lignũ diuiditur, non ſolum pars quantitatis diuitur, ſed etiam pars ſubſtantię materiæ nempe & formæ ligni, alias enim in extēſa maneret & indiuiſibilis, ſicut anima rationalis, quæ licet pes aut manus hominis abſcintur, ipſa non abſcinditur. Item ſi ligno diuiſo non diuiditur ipſa ſubſtantia, vel ergo tota ſubſtantia manet in vtraque parte & ſic idem corpus erit in pluribus locis diſtantibus, quod vi naturæ fieri nequit, vel denouo producitur ſubſtantia in alia parte, ꝙ non minus repugnat, diuiſio enim non generat denouo ſubſtantiam, ſed vnam ab alia ſeparat. Adde etiam quod quãdo duæ A guttæ aquæ vniuntur, manēt illæ duæ ſubſtantiæ vnitæ, & tota illa ſubſtantia in illas poteſt diuidi, & qui ex flumine aquam bibit, non bibit totam fluminis ſubſtantiam ſed partem, & pars ſubſtantiæ deperditur vi caloris naturalis, & pars per nutritionem acquiritur.

II. Notab. Secundo eſt obſeruãdum, quòd quæuis res (vt egregie docet Doctor in 1.d.11.q.2 & in 2.d.3.q.4 & 6. & optime ad notat Suarez in ſua metaphyſi. diſp. 40. ſecti. 4. n. 8) veram ac propriam realitatem habens, ab alia ſimili diſtinguitur, nõ quidem per alienam ſed per propriam entitatem, idq; ex eo maxime patet, quòd ſicut vna quæque res entis rationem habet, ita & vnius ac in ſe indiuiſi & à quauis re alia diſtincti: quæ ergo ſe ipſa ens eſt, pari modo vna erit ac diſtincta per ſe ipſam. Itē ꝙ diſtinctio in ne B gatione vnius rei ab alia cõſiſtit, qua nēpe dicimus hãc rem non eſſe illã, hæc quippe negatio omnibus extrinſecis præciſis ex proprijs rerum quæ diſtinguũtur poſitiuis originem trahit, quibus nimirum hac res eſt hæc, & illa eſt illa. Inſuper quod ſi vna res per alienam entitatem diſtinguitur ab alia, vel ab illa aliena per ſe ipſam diſtinguitur: ergo & à quauis alia, qui enim fieri poteſt vt propria entitas principium ſit diſtinctionis ab vna re & non ab alijs, ſi per aliam, tunc de illa vlterius, idem eſt inquirendum & ſic in infinitum.

III. Nota. Tertio tãdem vt certum omnes admittunt, partes ſubſtantiales ipſius ſubſtantiæ ſe ipſis à parte rei eſſe diſtinctas à quantitate & à partibus ipſius: ſubſtantia enim à quantitate realiter diſtinguitur, atqui partes ſubſtantiales ſubſtantiæ, ſunt ſubſtantiæ, vt diſt. præcedinti viſſum eſt, vt po C te quæ ſubſtantiam componunt, quia ſubſtãtiam compoſitam, nihil aliud eſſe quàm ſuas partes componentes ſimul ſumptas & vnitas ipſi contrarij fatentur, partes vero ſubſtantiales integraliter ſubſtantiã componunt, diſtinguuntur ergo à partibus quantitatis realiter. Item quod partes ſubſtantiales corporis Chriſti ex vi cõſecrationis ſunt in Eucharictia, partes vero quantitatis per concomitantiam re ergo ſecernuntur. Quod vero ſeipſis ſeu per ſuas proprias entitates diſtinguantur, liquet, alias in infinitum eſſet procedendum, ſi enim vna pars ſubſtantiæ á parte quantitatis ſibi correſpondente

re diſtinguitur per aliud per aliam ve quãtitatem, ab illo alio per aliud diſtinguenda erit & ſic in infinitum, quod ſi per ſe ipſam, ergo eadem ratione ab illa parte quãtitatis his præiactis fundamentis.

I. Conclu. Prima concluſio ſtatuitur, ſubſtantia corporea & materialis ex ſe ipſa preciſa quantitate partes habet ſubſtantiales ex quibus integratur & componitur atque adeo multitudinem & partium diſtinctionem Sic noſter Doctor in. 2.d.12.q 2. §. reſponſio vbi poſtquam probauit poſſe materiam a Deo cõſeruari ſine quacumq; forma ſubſtantiali & accidentali, de illa vt ſic inquirit an habeat partes Reſpondet, *dies quod partes ſubſtãtiales habet illas enim non habet per quantitatem*, & d. 3.q. 4. §. ad primam rationem ait, *prior eſt diſtinctio partium materiæ quàm quantitatis*, tenẽt que omnes eius diſdipuli Lichetus ibi q 3. Vaſolis in 4. d. 12 q. 1. ar. 1. & ex doctiſſima Societatis Iheſu familia Magiſtri probatiores. Soares loco citato, Fonſeca. 5 metaph. c. 13. q. 1. Sec. 2. & 3. q. 2. Secti. 3 Molina. 1. p. q. 52. diſputa vnica memb. 5. Copulata cõinbrilenſis. 1. phyſic. q. 2. ar. 3. & alij quam plurimi, eſtque communis inter complutenſes videantur. Murtia Oña & alij quos longum eſſet recenſere Validiſsimis quidem argumentis roboratur.

Scotus. Lichetus. Vaſſolis. Soarez. Fonſeca. Molina. Conimbris Oña Murtia.

I. Probat. Primum eſt. Separata quantitate à ſubſtantia, aut talis ſubſtantia eaſdem haberet partes quàm antea, & hoc eſt quod intendimus, vel tota ſubſtantia incipit eſſe iddem quod fuit vna quæque pars, & hoc nõ cum per ſeparationé nulla fuerit facta in ipſa ſubſtantia mutatio ſubſtantialis, vel deſinit eſſe ſubſtantia partium & remanet duntaxat ſubſtantia totius, & ſic ſubſtantia totius partium ſubſtantias non includeret, vnde ab illis vt res a re diſtingueretur.

Confirmatur. Si diuiſo ligno in tres partes, abeis Deus quãtitatem ſepararet, illas ſubſtantias conſeruando, remanerent tres ſubſtantiæ diſtinctæ, ergo et ſi fiat quãtitatis ſeparatio ante diuiſionem, ad huc illæ partium entitates manebunt interſe vnitæ, quia eadem entitas quæ poſt diuiſionem eſt totum, ante diuiſioné eſt pars.

Confirmat Præterea facta trium partium illarum diuiſione, & ſeparata quantitate, manerẽt tria tota, ſi Deus illa vniat, & vnum totum per continuationem ex illis componat (in hoc enim nulla apparet implicatio, aut cedo quæ erit ſi aquam ſine quantitate exiſtenté in tres partes Deus diuidat, & poſt A diuiſioné iterum vniat & vnam efficiat?) ſubſtantia illa maneret ex partibus compoſita. Adde etiam quòd ſeparata quantitate à ſola manu aut pede, manus vel pes pars eſſet & non totus homo, & diſtincta á quauis alia parte, aut ſi ſacerdos dimidiam hoſtiæ partem conſecraret, tũc tota quantitas maneret & non tota ſubſtantia, habet ergo ſubſtantia in ſe partes.

Secundum. in intelligibile prorſus eſt, Quantitatem ſubſtantiæ partes tribuere, quia non in genere cauſæ efficientis, cum quantitas non ſit actiua, eo ad miſſo iam quantitas partes illas ſubſtantiæ crearet, cum illas ſine aliquo ſubiecto produceret. Nec in genere cauſæ formalis, cum formalis cauſa ſolum id impendat quod in ſe actu habet, propriam nempe formalitatem & naturam, forma accidentalis qualis eſt B quantitas, quæ ſolum eſſe habet accidentale, nequit eſſe ſubſtantiale præbere, ſolum igitur eſſe accidentale, ac partes quantitatis accidentales quas in ſe habet, non vero partes ſubſtantiales ipſius ſubſtantiæ. *II. Probat*

Nec quid quam lædit Argumentum diſtinctio illa de eſſe formali aut materiali partium, quia eſſe formale partium ſubſtantialium (excepta relatione quæ ex partium vnione ac cõpoſitione reſultat) ſubſtantiæ conuenit ante quantitatis acceſſum vt pote quid ſubſtantiale, cum non ſolum ipſæ entitates partiales ſed & vnio, illarum que coniunctio qua vnum quidpiam conſtituunt, & à ſe inuicem diſtinctio ſubſtantialis ſit, in quo eſſe formale partium conſiſtit. partes enim rationem formalem partium habẽt à compoſitione & vnione ſeu coniunctione qua ad vnum quid piam cõſ C tituendum conueniunt cum diſtinctione ac pluralitate, ex eo enim præciſè omnibus alijs circumſcriptis partes ſunt quia cum diſtinctæ ac plures ſint, coeunt ad vnum totum componendum, vt patet in materia & forma quæ per proprias entitates nullo accidente ſuperaddito rationem partium habent ex eo præciſe quod vna ſimul vnita cum alia totum componit, partes ergo ſubſtantiæ per propriam entitatem rationem partis habent, & non à quantitate cum ab illa propriam entitatẽ ſubſtantialem non habeant, ſuppoſita vnione ac diſtinctione ſubſtantiali.

Quod ergo vnio ſubſtantialis ſit concluſione ſequenti. Quod vero diſtinctio illarum entitatiua ſit & ſubſtantialis ſic pro-

batur

batur quia quæuis ex ſe eſt ens ſubſtantia le ergo vna, ergo indiuiſa in ſe & diſtincta à quauis alia. Præterea ſingularitas & in diuiduatio in quauis ſubſtantia ſubſtantia lis eſt, quæuis autem ſubſtantia ex vi ſuæ indiuiduationis ab alia diſtinguitur, ſi enim prædictæ ſubſtantiæ quæ partes dicuntur, facta diuiſione ex vi ſuarum indiui duationum ſubſtantialium ſunt numero diſtinctæ, ergo & ante diuiſionem ex vi earundem ſunt diſtinctæ, cum enim ex vi diuiſionis nihil ſubſtãtiale denouo producatur, quid quid ſubſtantiale habent poſt diuiſionem, ante illam præhabebant. Adde inſuper quod vt notabili tertio animaduerſum eſt, entitas partialis ſubſtantiæ à quantitate diſtinguitur ſibi correſponden te: ergo & pari ratione per ſuum eſſe ſubſtantiale ab alia parte ſubſtantiæ poterit diſtingui, vt materia non quantitatis beneficio ſed per ſe ipſam re diſtinguitur à forma, ergo & per iddem eſſe ſubſtantiale in eſſe partis conſtituitur, quia per quod ab alio res diſtinguitur, in eſſe talis conſtituitur.

III. *Probatur.* Tertium. ſubſtantia ita ſub quantitate oblitescit, ac illi ſub eſt, vt tota ſubſtantia ſub tota ſit quantitate, & pars ſubſtantiæ ſub parte quantitatis (niſi vellis totam ſubſtã tiam eſſe ſub tota quantitate et totam ſub parte) ſupponitur ergo per inſtans naturę ſubſtantia cum ſuis partibus diſtinctis ante aduentum quantitatis, quia omne ſubiectum ſubſtantiale accidentariam formam quæ in illo ſubiectatur præcedit: igitur ſicut tota ſubſtantia ad totam quantitatem ſupponitur, ita pars ſubſtantiæ ad partem quantitatis, cum ſicut tota quanti tas in tota ſubſtantia ita & pars quantitatis in parte ſubſtantiæ vt in ſubiecto recipiatur, & illæ entitates ſubſtantiales partiales diſtinctæ vt partiũ quantitatis diſtin tarum ſint ſubiecta: vt diſtinctæ ergo & vt plures illam præcedunt, cum pluralitas ex actuali diſtinctione procedat.

I. *Solutio. Thomiſt.* Ex his facile poterunt oppugnari tres ſolutiones quæ ſolent communiter à Thomiſtis adhiberi. Prima eſt, quantitatem non præexigere in ſubſtantia totalitatem & partialitatem, cum illam formaliter cauſet, ſicut exiſtentia non præſupponit eſſe exiſtens, aut albedo eſſe album illam er go quantitas exhibet ſubſtantiæ media informatione. vnde cum ſubſtantia tota et pars dicitur cum totalitate & partialitate extenſiua quantitatis, non ſic intelligendũ

A eſt, vt ſint duæ totalitates aut partialitates diſtinctæ ſubſtantiæ & quantitatis, nec quod tota ſubſtantia ſub eſt toti quantitati, nec pars ſubſtãtiæ parti quantitatis, ſed quòd à quantitate formaliter ſortitur totalitatem & partialitatem, ex vi cuius eſt actu tota & habet partes.

Impugna. Sed ſolutio hæc vim argumenti non infringit. Si enim ſubſtantia corporea non modo indiuiſibili ſed modo diuiſibili quantitati ſub eſt, ergo tota ſubſtantia ſub tota quantitate & pars ſub parte, ſupponitur ergo cum propria totalitate ratione cuius eſt totale ſubiectum & cum propria partialitate ratione cuius eſt partiale ſubiectum partis quantitatis. Subſtantia enim naturæ ordine quantitatem præcedit præ intelligitur ergo naturæ ordine vt totam ſuam habens entitatem ante quam totam quantitatem recipiat & cum ſuis partibus

B ſubſtantialibus ante quàm partes quantitatis recipiat, ſicut enim ſe habet tota ſubſtantia ad totam quantitatem ita pars ſubſtantiæ ad partem quantitatis, cum non minus ſubiecti rationem induat. Quod ſic iterum roboratur plura accidentia numero diſtincta nequeunt eſſe immediatè ex natura rei niſi in ſubiectis realiter diſtinctis ſed medietas vnius quantitatis, accidẽs eſt realiter ab alia quantitatis medietate diſtinctum; ſunt ergo in ſubiectis partialibus eis correſpondentibus realiter diſtinctis.

Itidẽ ſi quantitas ex potentia ſubſtãtiæ educitur, eo pacto educi debet, quòd pars quantitatis ex potentia partis ſubſtantiæ educatur, & alia pars quantitatis ex alia parte ſubſtantiæ, alias enim quæuis pars

C quãtitatis à quauis parte ſubſtantiæ depẽderet, & in quauis ſubiectaretur, illa ergo pars quantitatis quæ v.g. eſt in priori parte ſubſtãtiæ ligni nõ educitur à ſubſtãtia quæ eſt in parte poſteriori cum ab illa non depẽdeat, cuius rei apertum ſignum eſt, quòd licet illa pars ſubſtantiæ ſeparetur, à parte priori ſubſtantiæ, non ob id peribit pars hæc quãtitatis quæ eſt in hac parte priori: habet ergo ſubſtantia prius natura partes quàm quantitas, quia cauſa cum omnibus ad cauſandum requiſitis prioritate naturæ ſuum effectum præcedit, ſed vnum requiſitum in ſubſtantia ad cauſandum vt ſubiectum quantitatis, eſt habere partes, vt nempe ex vna parte ſubſtantiæ vna pars quantitatis educatur & alia ex alia: vt ſic ergo præcedit.

II. Solutio

Secunda ſolutio pleriſque plauiſibilis eſt, ipſam quantitatem ſubſtantiam informando, illam reddere taliter extenſam ac partes habentem, vt poſsit ipſam quantitatem recipere, ſupponitur ergo (dicunt) ſubſtantia habens partes in genere cauſæ materialis ad quantitatem, in genere vero cauſæ formalis ſubſequitur illam, vt illius effectus: eſt ergo quantitas prior & poſterior, prior in genere cauſæ formalis, poſterior autem in genere cauſæ materialis. vnde cum dicitur ſubſtantia prius habet partes, ergo à ſe ipſa, neganda eſt conſequentia, ſed eas habet à quantitate.

Impugna

Merito tamen Solutio hæc à probatiſsimis Doctoribus vt prorſus inintellegibilis reſpuitur, effectus enim formalis & immediatus alicuius formæ cum intrinſecè & eſſentialiter ipſam formam includat vt formalem cauſam qua eſſentialiter conſtituitur, in nullo priori dari aut intelligi poteſt inquouis genere cauſæ ſine illa, implicat, enim rem ſine intrinſeco & eſſentiali conſtitutiuo percipi poſſe: ergo inquouis inſtanti & inquouis genere cauſæ eſt poſterior, vt pote intrinſecam habens dependẽtiam à forma vt à priori, quis enim audebit concedere eſſe album aut eſſe nigrum per aliquod inſtans naturæ albedinem aut nigredinem quarum ſunt effectus formales immediati præcedere, vt ſubiecta illarum receptiua, vniuersè ergo fatendum eſt, ſubiectum verè ac phyſice alicuius formæ receptiuum vt realiter diſtinctũ illam præcedere, nec in eſſe ſubiecti receptiui conſtitui per formam quam recipit, ſi ergò partes formaliter ſunt effectus formalis & immediatus quantitatis, nequeunt in ratione partium vllo modo quantitatem præcedere.

Adde etiam quòd forma ſuum effectum formalem non tribuit antequam in ſubiecto recipiatur, imo prius natura intelligitur recipi in ſubiecto, quàm ſuum effectũ formalem impertiatur, quia in tãtum illũ tribuit in quantum recipitur, vt albedo nõ exhibet eſſe albi ſubiecto, cui non inhæret & in quo recipitur, atqui in illo priori in quo intelligitur quantitatem recipi in ſubſtantia, antequam intelligatur ſuum effectum formalem exhibere, iam intelligitur ſubſtantia habens partes, vt quãtitatem poſſit ac illius effectum formalem recipere, partes nempe quãtitatis, cum in illo priori non in ſubſtantia indiuiſibili recipiantur, vt argumenta ſuperius allata conuincunt: non ergo à quantitate ſortitur partes proprias ac entitatiuas.

III. Solutio.

Tertia tandem ſolutio partes ſubſtantiæ quoad earum entitates priores eſſe quantitate affirmat, vt vero partes ſunt ſeu in ratione partium eſſe illa poſteriores, cum enim partes quantitatiuæ dicantur, à quantitate, vt à forma, denominationem partis ſibi vendicant.

Impugna.

Sed hanc ſolutionem euertunt argumẽta quæ probant non ſolum diſtinctas partium entitates ſubſtantiales, ſed & ipſarũ interſe coniunctionem qua vnum totum componunt ſubſtantialem eſſe, quantitatẽ modumq; informationis illius excludentẽ.

Demum quòd qui à materiali ſubſtantia partes proprias quibus præciſa quantitate ſubſtantialiter integratur explodunt, nullam ſane cauſam reddere poſſunt, cur potius ſubſtantia materialis quantitatis ſit recipiendæ capax, quam ſubſtantia immaterialis, ſi enim illa ex ſe re vera actu & poſitiue nullas habet partes, re vera ex ſe actu & poſitiue indiuiſibilis erit, ac proinde ex ſe partium incapax ac diuiſibilitatis. Aut ſi res immaterialis eo ipſo quod talis eſt ſine alicuius entitatis acceſſione habet quòd ſi indiuiſibilis & nullas habeat partes actu, cur & ſubſtantia materialis ſicut ex ſe habet quòd materialis ſit & corporea, eo ipſo quod talis eſt, abſque alio ſuper addito non habebit partes actu ratione quarum ſit quantitatis capax? Dicere autem quòd quia forma & materia conſtat, aut quia in potentia partes habet, quis non videat quàm inutile ſit effugium hoc? Materia enim & forma corporea, & qualitates materiales, quantitatis ſunt capaces, cum tamen forma & materia non conſtent, & quid eſt rogo in potentia habere? niſi poſſe habere quantitatem à qua duntaxat per vos partes proueniunt, vnde idem prorſus per idem coguntur reſpõdere, cur nempe quãtitatis eſt capax quia eſt capax quantitatis.

In ſuper nec cauſam reddere poſſunt cur quæuis minima portio materiæ cuiuſuis quantitatis ingentis capax non ſit, vnde & aduerſariorum plures quancumque materiæ partem ſub quauis quantitate quantumuis maxima conſtitui poſſe fateri coguntur. Nos autem eam reddimus exactam ac conuincentem, ideo nimirum ſubſtantiam quãtitatis eſſe capacem, quia proprias habet ex ſe partes, & quo plures partes habuerit, eò erit maioris, obidque

pullicis

pullicis ſubſtantiam Elephantis quantitate affici non poſſe, quia non tot partes habet proprias & intrinſecas quot Elephantis ſubſtantia.

II. Concl. Secunda concluſio. Ipſa vnio coniunctio ve qua prædictæ partes ſubſtantiales ad totam ſubſtantiam integrandam copulantur, ſubſtantialis eſt, ſubſtantiæ ex ſe conueniens ante quantitatis acceſſum, hanc amplectuntur Doctores omnes ſupra commemorati. quæ probatur.

I. Probat. Primo, partes ſubſtantiam componentes, ad illius conſtitutionem conueniunt, prout omne accidens excludunt, ac præcindunt, ergò illarum vnio omne accidens excludit, cum enim ſubſtantia compoſita qua talis eſt, nullum accidens includat, partes illius prout ad præciſam ipſius compoſitionem copulantur, nullum accidens includere debent. Alioquim ſi medio aliquo accidenti vnirentur, ex illis non vnum per ſe, ſed per accidens quod piam conſtitueretur.

Confirmat Confirmatur, cum aquæ duæ copulantur prius natura intelligitur vnam aquæ ſubſtantiam cum alia connecti ac vniri, quam partem quantitatis, aqua enim ſicũ alia aqua iungatur, quia ſunt eiuſdem ſpeciei vnitur, nõ tamen cũ ligno, licet quantitas à quæ & ligni eiuſdem ſint ſpeciei, quia ſubſtantiæ ſunt diuerſæ ſpeciei. Præterea quod per hanc vnionem reſultat vnum indiuiduum ſubſtantiale ex illis duabus à quis, atqui ſecũdum ordinem naturæ, prius intelligitur indiuiduum ſubſtantiale quam accidentale & quantitatiuum, prius ergo percipitur vnio partium ſubſtantiæ.

Item quod ad quantitatem tota entitas partium ſubſtantiæ ſupponitur vt oſtenſũ eſt, atqui non ſupponuntur partes ſeparatæ & diuiſæ ergo vnitæ.

II. Proba Secundo probatur, quia ſemper vnio ad rei vnitæ prædicamentum reuocatur, vt modus ad illius complementum ſpectans, vt conſtat inductione in vnione materiæ & formæ, accidentis cum ſubiecto, vnionis intenſiuæ qualitatis, & vnionis partium quantitatis: ergo vnio hæc partium ſubſtantiam componentium, ad ſubſtantiæ cathegoriam vt modus quo ſubſtantialiter completur reducendus eſt, cum ſubſtantia vt integraliter completa in prædicamento ſubſtantiæ directè conſtituatur vt vnum per ſe in ratione ſubſtantiæ vt v. g. vna aqua

III. Probatur. Tertio, ſi quantitas in huius modi compoſitione & vnione formaliter conſiſteret A in eodem compoſito plures eſſent quantitates & trinæ dimenſiones, quia quot ſunt res ex partibus integrantibus conſtitutæ, tot ſunt partium diuerſarum genera, totque illarum compoſitiones & vniones: cũ ergo in eodem compoſito phyſico plura ſint entia ex partibus integrantibus compoſita, vt materia, forma ſubſtantialis corporea, plura accidentia materialia, quorũ vnum quodque proprias habet partes, quibus integratur, ac proprias illarum vniones, in quibus conſiſtit ratio formalis quãtitatis. ergo & plures quantitates ſimul in eodem compoſito, loco & ſitu, atque adeo penetratæ naturaliter.

III. Concl Tertia concluſio, ſi extenſio partium ſumatur pro earum diſtinctione qua à ſe inuicem diſtinguuntur & vnione qua vniũtur, ſic omnes qui ſubſtantiæ proprias partes adſcribunt, B propriam etiam ſubſtantiæ extenſionem à quantitatiua diſtinctã fateri tenentur, ſi vna pars eſt ab alia diſtincta vna erit entitatiuè extra aliam.

Quod ſi nomine extenſionis, partium vnionem nõ quamcumque ſed ordinatam intelligant, ita vt non ſint omnes inter ſe immediatæ copulatæ & confuſæ abſque ordine inter ſe, ſed ita vnitæ cum ordine vt ſubſtantia v. g. capitis ſit immediate cũ ſubſtantia colli copulata, non vero pedis ſed mediate, medijs ſcilicet alijs partibus, probabilius reputo, eam eſſe ſubſtantiæ cõcedendam. & probatur quia vnio partium ſubſtantiæ ordinata vt capitis cum collo, & colli cum pectore &c. eſt formaliter modus ſubſtantialis non ergò prouenit à Quantitate: antecedens probatur, quanti- C tas cum aduenit non tranſmutat partes ac vnionem ſubſtantiæ, ſed eo modo quo inuenit & quod inuenit informat, alioquim enim diſtinctam vnionem induceret quantitas in partes ſubſtantiæ, ab ea quam ex ſe habent, quia ex vi ſubſtãtialis vnionis per vos immediate quæuis pars cum quauis parte vnitur, vt caput cum pede & alijs, ex vi vero quantitatis ſolum vnitur immediatè cum vna parte, vt cum collo non verò cum alijs.

Præterea, partes ſubſtantiæ ſub quantitate ordinatæ ſunt vnitæ: ergo & ſublata quantitate, conſequutio hæc patet, quia per quantitatis ſeparationem non eſt producta vnio aliqua ſubſtantialis qua copulari incipiant partes quæ antea non erant vnitæ. rurſus cum quantitas à ſubſtantia ſeparatur,

paratur, tantum auſertur illius vnio cum ſubſtantia, non vero vnio ipſius ſubſtantiæ partium ordinata.

IIII. *Con.* Quarta concluſio, ſubſtantia ex ſe non habet localem extenſionem atque adeo ſeparata quantitate in ordine ad locum non maneret extenſa.

I. *Probatu* Primo probatur, quia extenſio hæc partium in ordine ab locum vt q. ſequenti videbimus eſt modus naturalis quantitatis ab ipſa vt à radice procedens, vnde per illam vt ipſe Soarez docet ratio formalis quantitatis explicatur, quam ait conſiſtere in aptitudinali extenſione locali ſeu ſituali aptitudine, non ergo immediatè prouenit ab ipſa ſubſtantia ſecundum ſe, alias enim dici poſſet, ſubſtantiam ſuam propriã impenetrabilitatẽ habere, quia extenſio localis ex propria natura petit vt quædam partes ſint extenſæ extra alias, ita vt non omnes ſint intimè præſentes in eodem loco, ſed vna pars ſit extra locum alterius hoc autem eſt eſſe impenetratas & vnam partem aliam expellere à proprio loco. Vel aſsigna cur extenſio localis quantitatis hanc habeat impenetrabilitatis proprietatem, non verò extenſio localis ſubſtantiæ.

II. *Probat* Secundo. nudata ſubſtantia á quantitate, maneret cum propria extenſione locali, cum hæc ſit realiter ab ipſa ſubſtantia diſtincta vt modus illius iam illam poſset Deus ſeparare, ſicut & extenſionem localem quantitatis ab ipſa; ſeparet ergo Deus & tunc propria contrariorum argumenta in eos retorqueri poſſunt, vel enim tunc ſubſtantia flueret ad punctum & ſic localiter in vno inſtanti moueretur, vel maneret extenſa localiter ſicut antea. ergo per extenſionem localem realiter diſtinctam de qua rurſus idem inquiram & ſic in infinitum.

I. *Corolla.* Tandem quod vt infra probabitur præſentialitas ſeu vbi corporeum & diuiſibile & extenſio localis re ſecernuntur, diuerſosque habent effectus formales, ergo ex vi ſolius præſentiæ aut vbi ſine locali extẽſione, non manebit ſubſtantia localiter extenſa.

Deducitur ex dictis hoc idem eſſe de quouis accidente materiali vt albedine calore &c. ſtatuendum. quoduis enim ſuas proprias partes habet quæ nõ partes quãtitatiuæ ſed integrales appellantur, propriamque extenſionem non in ordine ad locum ſed in ordine ad totum, quæ extenſio & vnio, ad idem accidens reducitur cu-
A ius eſt vnio. diciturque entitatiua & transcendantalis, ad complementum ipſius rei integrale ſpectans, ſecluſa quantitate.

Reliquum eſt vt ad Argumenta contra probatam ſententiam obiecta refellenda procedamus.

Ad Argu I. Opinio. Ad. I. Ad primum. 1. Opinionis, verum quidem eſſe illa omnia, Puncta, lineas, ſuperficies, longitudinem, latitudinem, profunditatem, figuram, diuiſibilitatem &c. in re quauis materiali reperiri, non tamen quãtitatiuè ſed entitatiuè vt latius in Phyloſophia. negat autem Ariſtoteles à ſubſtantia ſine quãtitate diuiſibilitatem in partes quantitatiuas. impenetrabilitas autem ſolam extenſionem quantitatiuam comitatur vt dicemus. obiectum Matematicæ eſt extenſio quantitatiua in ordine ad locum quam ſolum metiri poteſt terminus augmentationis eſt magnitudo duntaxat quã-
B titatiua.

Ad. II. Argumen Ad Secundũ, neganda eſt minor ex dictis, vnio hæc nec eſſentialis eſt nec accidentalis ſed integralis, ſicut & ipſæ partes neã eſſentiales ſunt, nec accidentales nec quãtitatiuæ ſed integrales, quæ vnio & partiũ diſtinctio in materia prima reperitur.

Ad Argu II. Opinio Ad. I. Ar. Ad. Primum, Secundæ opinionis. habere quidem extenſionem Quantitatiuam ſpecialem quandam rationem quæſt. ſequenti enodandam, quam obrem ſuper vacanea non eſt, à qua ſpeciali ratione proprietates quantitatis propagantur.

Ad. II. Ad Secundum, dari quidem plures dimenſiones entitatiuæ penetratæ imo id neceſſarium eſt, vt patet de ſubſtantia albedine calore &c. nec etiam obſtat vt extenſio localis ad quantitatem comparata cũ
C illa penetretur, quim potius ad finem naturalem apprimè requiritur, quia vbi cumq; eſt quantitas debet eſſe extenſio quoque localis intime illi præſens & vnita vt illam extenſam reddat localiter. Cum ergo dicitur duas quantitates naturaliter penetrari non poſſe, de quantitatibus ſtricte ſumptis quæ ſunt ſubiectum quo accidentium interſe comparatis intelligẽdum eſt, fieri enim nequit naturaliter vt interſe penetrentur, cum ſint impenetrabilitatis reſpectu ſui radices.

Ad argu. III. Opin. Ad I. argumeunt Ad Primum. Tertiæ Sententiæ, quodlicet ſubſtantia illa, quantitate ſeparata poſſit ad punctum quem Deus voluerit reduci, non quia naturaliter ipſa ad punctum per motum flueret localem, ſed quia Deus produ-

produceret in illa quoddam vbi,quo eſſet in puncto, ita vt in illo inſtanti in quo quãtitas eſt ſeparata, foret verũ dicere,quòd non eſt in ſpacio diuiſibili,id quidem eſſet per nouum miraculum. ſine illo autem ſi Deus ſolam quantitatem ſepararet, nulla alia adhibita mutatione,tunc ſubſtantia maneret in eodem ſpacio non localiter coextenſa. ſed extenſa in ſe, in extenſa verò & indiuiſibilis in ordine ad locum. Non quidem poſitiuè, quaſi ex natura ſua hanc poſcat inextenſionem & indiuiſibilitatem, extenſionemque à ſe remoueat,vt Angelus,ſed negatiuè,ideſt quod actu non eſt localiter extenſa eſt tamen apta ex ſe vt extendatur,maneret ergo præſens cum propria præſentia ſubſtantiali, tota in toto ſpacio & tota in qualibet parte ſpacij, vt infra magis agentes de vbi explicabimus.

Ad. Confirma. Reſpondent Thomiſtæ ſubſtantiam ſeparata quantitate nec in loco nec in puncto manſuram ac nuſquam,ſicut de Angelo non operante decernunt quem nullibi eſſe auſpicantur. nos tamen iuxta ſolutionem datam.

Petes,poſſetne Deus conſeruare ſubſtantiam extenſam localiter ſine quantitate Dicendum id dupliciter intelligi poſſe, primo ita vt per ſe ipſum loci vicem ſupleat abſque locali extenſione vt nõnulli voluerunt,& id impoſibile reputamus, cum effectus formalis quatenus formalis eſt nequeat à Deo per ſe ipſum ſupleri etiã ſi adiacens ſit extrinſece vt locus, vnde per ſe ipſum nequit Deus vicem loci in locando ſuplere, ita vt per ſe ipſum præſtet vt res aliqua ſine loco ſit locata ,ſicut ergo impoſibile eſt vt res ſine albedine ſit alba ita & quòd localiter ſit extenſa ſine locali extenſione.

Secundo quod Deus ſolam quantitatẽ ſeparet à ſubſtantia relinquendo in illa, localem extenſionem ex vi cuius partes ſubſtantiæ localiter maneant coextenſæ, & in hoc ſenſu qui hanc localem extenſionem ita eſſe propriè quantitatem ac primam ab hac realiter vt res à re diſtinctam opinantur, id fieri poſſe non inficiantur, qui vero ſolum eſſe modum quantitatis exiſtimant,id negant,quia & ſi rem poſſit Deus abſque proprio modo conſeruare vt hominem ſine ſeſsione, non tamen modum ſine re cuius eſt modus vt ceſsionem hominis ſine ipſo, ſic in præſenti tametſi Deus quantitatem ſine locali extenſione conſeruare poſsit,non tamen è contra. res A porrò, hæc longiorem expoſcit diſcutionem alibi diſpiciendam.

Ad. 2. In prædicta hypoteſi partem illam quantitate exutam non commenſurari loco, eſſet tamen vnita cum alijs partibus ſubſtantiæ,licèt partes quantitatis diuiſæ manerent.

QVÆSTIO. III. QVÆ
Sit ratio formalis quantitatis.

PHYLOSOPHVS in præſentiarum quantitatis diffinitionem occuluit,illiuſque diuiſiones ſtatim aggreſus eſt, quia ex hac fortaſsis illa poterat deduci,eam autem ſic tradit. 5.metaphy.c.13. vt probè adnotat Doctor q.18. prædicam. ſecundum quod poteſt habere B diffinitionem, exprimentem ſaltim quid dicitur per nomen, *quantum eſt diuiſibile*, vt excludantur indiuiſibilia vt puncta quæ nullatenus diuidi poſſunt, intellige etiam quantum eſt ex ſe, & ex propria natura quantitatis,licet ratione ſubiecti naturaliter diuidi non poſsit, vt quantitas quæ eſt in cœlo & in minimo,*in ea quæ inſunt*,ideſt in partes eiuſdem rationis quantitatiuas ſcilicet, quas actu & formaliter habet, vt mixta excludantur quæ ſolum virtute cõtinẽt elementa,*quorum ſingulum*,ideſt vna quæque pars earum in quas diuiditur, *natum eſt eſſe hoc aliquid*,ideſt apta eſt vt facta diuiſione per ſe cohæreat, & vt vnũ totum quoddã ab alijs ſeparatim conſiſtat.

Ex qua Ariſtotelica quantitatis notificatione multorum opinio profluxit aſſeuerans, diuiſibilitatem in partes eiuſdem C rationis & extenſionis eſſe eſſentiam quãtitatis. ſic Capreol. Sonzinas & Iabellus, procæque refertur d.Th in 1 ſſ.d.29.q.2. ar.1. illiuſque noſter Doctor loco dudum memorato videtur apertus aſſertor, qui id triplici ratione confirmat. Tum ex phyſophoqui ſic quantitatem diffinit. Tum ex diffinitione Quantitatis continuæ & diſcretæ per habere partes copulatas vel nõ copulatas, eſt ergo de earum eſſentia eſſe partibiles. Tandẽ quòd per diuiſibilitatem phyloſophus.5.metaphyſicæ.ſpecies colligit quantitatis, illa autem eſt ratio eſſentialis; ſecundum cuius diſtinctionem ſpecies alicuius generis diſtinguuntur. I *Opinio.*

Verum enim vero ne diſſentio ſit denomine,vel capi poteſt diuiſibilitas radicaliter

ter, ideſt pro radice aqua pullulat proxima ad diuiſiionem, in partes proprias quãtitatis aptitudo, ſic prædicta ſententia vera eſt, & à nemine negari poteſt, ſæpe ſæpius enim proprietas pro radice ipſa à qua emergit vſurpari ſolet, ſicut rationale quod alias habens intellectũ ratioſinatiuũ ſignificat, indiffinitione hominis pro radice ipſa nempe hominis differentia conſtituitur, ſi vero pro ipſa potentia ad diuiſionem proxima, non eſſentia ſed paſio eſt quantitatis, per illamque quantitatis eſſentia vt per notiorem paſsionem notificatur.

Mens Doc

Hæc eſt expreſſa mens noſtri Doctoris, quod vt occulata fide credas, illius verba ſubijciam. 5.metaphy. q.9. vbi ſic *concedo tamen quod diuiſibilitas eſt prima paſsio quãtitatis & non de eſſentia eius, vnde ſicut hæc eſt per ſe ſecundo modo, color eſt viſibilis, ſic hæc quantitas eſt diuiſibilis*, & paucis interiectis. *vnde quantitas notificatur hic per proximam paſsionem eius, & non diffinitur*, ſumit ergo Doctor diuiſibilitatem in prædicam. radicaliter, vt ſibi Doctor ſubtilis cohæreat, quod ſi Rubio in hoc ſenſu citat Doctorem vt reor, bene quidẽ, ſi vero aliter, falſitatis vitio luce clarius ex præfatis verbis conuinci poteſt.

II. Opinio.

Secunda opinio quantitatis eſſentiam in ratione menſuræ, quoad ſcilicet extenſionem & magnitudinem mollis conſtituit ſic Flandria. 5.metaphy. q. 14. art. 5. citatur que pro hac. d. Th. opus 35. de natura loci, eodem tamen modo quo præcedens opinio hæc exponenda eſt, vt vera ſit, vel pro ipſa radice à qua menſurabilitas effluit vel pro aptitudine proxima menſurabilitatis.

III. Opini

Tertia opinio partium extenſionem rationem quantitatis formalem ſtatuit. in modo tamen eam expendendi non eſt vnanime eam tuentium iudicium.

I. Modus & explicandi.

Thomiſtæ communiter eam eſſe dicunt rationem & diſtinctionem partium ſubſtantiæ, quia nempe arbitrantur ſubſtantiã ex ſe nullas habere partes integrantes, omnes formaliter à quantitate ſortiri, & emendicare vnde quantitatem diffiniunt formalem rationẽ partiũ. Sed nihil modo contra hos, ſunt enim iam præcedenti cõtrouerſia efficaciter impugnati, vel aſsignent quam rationem partium ſubſtantiæ tempus ex hibeat, quod ſpecies quantitatis à contrarijs deſsignatur.

II. Modus

Alij dixerunt eam non eſſe abſolutam rationem partium, cum ſubſtantia ex ſe proprias habeat partes, quas partes entitatis vocant, ſed partium extenſioniem ac mollem. Hi ſunt qui nullam aſſerunt partiũ extenſionem ſubſtantiam ex ſe habere, licet ex ſe habeat partes. Proprium ergò quantitatis munus eſt (aſſerunt) has partes ſubſtantiæ extendere, ſeu eas alioquim implicitas confuſias & in ordinatas euoluere explicare & ordinare. Sed cum his nihil modo, quia ſuperius egimus aduerſus eos.

Dixerunt alij eam eſſe ſubſtantiæ partes, in ordine ad locum extendere, non quidem in actu ſecundo ſed in actu primo ſeu aptitudinaliter, & hanc extenſionem ſitualem aptitudinẽ appellant, quia hæc ſolum quantitati conuenit, vt omnibus proditum eſt, non vt paſsio cum in quantitate intelligi nequeat principium vnde fluat ſuppoſita etenim partium extẽſione ſubſtantiæ, omnis ratio quæ vt prior aſsignatur ſuperuacanea eſt.

I. Notabi

Vt autem noſtrã ſententiam proferamus, obſeruare primo oportet, duo eſſe quæ rem hanc ancipitem & dubiam reddunt. primum eſt, inter plura quæ in quantitate reperiuntur, nimirum extenſionem partium quantitatiuam, tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad locum, diuiſibilitatem, menſurabilitatem ac impenetrabilitãtem, quæ omnia ſubſtantiæ tribuit (etenim cũ forma quæuis totum ſuum eſſe ſubiecto communicet, tribuit quidquid ipſa in ſe habet) quid horum primum ſit in quantitate perueſtigare, quod ſi id conſtiterit, id illius eſſentia erit, cætera autem paſsionũ ac proprietatum rationem obtinebunt, eſt enim certum apud omnes, primum conceptum immediatum rei, ordine ſcilicet naturæ primò rei conuenientem illius eſſentiam eſſe, eo enim ipſo quòd primus & immediatus eſt, nullus alius ſupponitur per quem oſtendi poſsit, ob idque eſſentia à priori demonſtrari nequit, vt pote nullã aliam habens cauſam alias eſſet proceſſus in infinitum. Tum etiam quòd eſſentia poſterior eſſe inquit re cuius eſt eſſentia, alioquin ſi res prior eſſet, pro illo priori ſine ſua eſſentia poſſet intelligi, quod implicat apertè. Eſt ergo eſſentia rei, quod primo in ipſa concipitur à bene eam intelligẽte, & quo res primò conſtituitur, ipſa autem radix eſt & eſſentia cæterorũ que rei conueniunt, vltimo modo ex quatuor à Porphyrio in c. de proprio receuſitis, ſcilicet om-

cet omni ſoli & ſemper vt propriæ paſsiones, id enim quod ad aliud ordine ſupponitur naturæ, quaſi radix & origo illius eſt, vnde à priori per propriam, & intrinſecã formalem cauſam primam vt rationem demonſtrari poſſunt. Secundum eſt quòd multa ex his quæ competunt Quantitati cuicumque rei materiali communia eſſe uidentur, vt habere partes, earum extenſionem, diuiſibilitatem &c. vti controuerſia præcedenti præfiximus Oportet ergo dilucidare quam peculiarem rationẽ importet, id quod ex his primò & per ſe naturam talis quantitatis ſtrictè ſumptæ cõſtituit, & eſſentialiter à rebus aliorum prædicamentorum diſtinguit, ne ſupervacanea videatur, quod quia difficilè eſt, non mirum ſi non ita facilè quantitatis eſſentia explanari valeat.

II. Notab Obſeruare Secũdò oportet cum noſtro Doctore in 4 ſl. id 10 Q. 1. extenſionem quantitatis eſſe ordinatam vnionem partium quãtitatiuarum, ex vi cuius vna pars dicitur extra aliam, & cum ly extra vt ait Doctor in reſpons. ad 4. dupliciter ſumi poſsit, vel prout reſpicit per ſe ipſas partes, & dicitur eſſe extra ſe inuicem, vel prout reſpicit locum, & dicit vnam eſſe extra locum alterius, duplex eſt extenſio, vna in ordine ad ſe ſeu in ordine ad totum alia in ordine ad locum, quæ extenſio localis vulgariter nuncupari ſolet, quæ duæ extenſiones eo diſcrimine ſeparantur, vt prima ſit ordo partium in toto, ita vt ex vi illius quædam ſint poſt alias, quædam ante alias in toto, nulla habita loci conſideratione, vt in Petro quouis modo ſe habente in ordine ad locũ, ſiue ſedeat, ſiue cubet aut quouis alio modo membra inflectat, caput & pedes ſunt partes extremæ, aliæ vero mediæ, abſque vlla confuſione, & hanc vocant Ariſto. in hoc cap. & Doctor loco citato. *§. Dico ergo.* poſitionem partium in toto quanto continuo permanenti. Secunda verò quæ priorem præſupponit eſt qua partes (vt ipſum nomen præfefert) ita ſunt diſpoſitæ in ordine ad locum, & veluti diffuſſæ, ſpacio & loco coextenſæ vt ſicut totum ſpatium & locus toti correſpondet quantitati, ita & diuerſæ partes loci diuerſis partibus quantitatis, ac vna ſit extra locum alterius, vt caput extra locũ pedis &c. his ſic præiactis.

I. Conclu. Scotus. Prima concluſio ſit. Ratio formalis & eſſentialis quantitatis eſt extẽſio partium non vt cumque ſed quantitatiua, & effectus formalis illius eſt actu reddere ſubſtã- A tiam quantam ſeu quantitatiuè extenſam aut habens partes quantitatiuas in idem enim recidunt. Sic noſter Doctor. 5. metaphy. Q. 9. in 4. d. 10. q. 1. Concluſio ſic conſtituta poſtea explicabitur, modo ſic probatur, quia extenſio ſic ſumpta ſoli cõpetit quantitati, ergo ipſa ſola eſt quæ ſubſtantiæ præfatam exhibet extenſionem, & hæc ratio eſt prior cæterarumque quæ quantitati coaptautur radix & origo quia enim quantitas extenſionem & partes habet, in eas poteſt diuidi quantitatiuè, & ſecundum illas poteſt metiri, ad aliaque metiẽda aſſumi vt menſura actiua, & per eas ita poteſt locum occupare vt vna pars ſit extra alterius locũ ac proinde ꝙ impenetrabiles ſint, prædicta ergo quãtitatiua extenſio eſt formalis & eſſentialis ratio quãtitatis.

B Hæc ergo extẽſio quantitatiua eſt qua ſubſtantia habet partes ſeipſis tangibiles, cum tamen id ex ſe non habeat, redditur que ex vi ipſius proximè capax accidentia ſenſibilia recipiendi, quod non habet ſubſtãtia ex ſe niſi remote quod hoc exemplo declari poteſt, licet enim tabula extenſionem habeat ex natura ſua, in qua imago poſsit aliqua depingi, hæc tamen extenſio remota eſt & indiſpoſita, qua propter opus eſt, va bitumine aliquo ſuperextendatur, vt in ea colorum diuerſitas proporcionatem ſedem habeant, ſicquè perfecta imaginis præfiguratio reſultet. Sic ergo licet ſubſtantia extenſionem habeat ſubſtantialem, hæc tamen remota eſt, vt in illã diuerſæ qualitates inducantur, vt ex earum cõiunction ex terna ſubſtantiæ pulchritudo proſiliat, vlterius ergo indiget vt quanti- C tate ſuperliniatur, & vt ex vi illius proximè capax ſit diuiſionis & menſuræ quantitatiuæ (de quibus vltima q.) localiſq; extẽſionis, ac impenetrabilitatis, quia omnia iſta à priori ac naturaliter effluunt ab extenſione quantitatiua.

Quod ſi obijeceris, non negabis qui hoc aſſeris, non ſolum non explicuiſſe, verum nec attigiſſe quid ſit in ſe ratio formalis quantitatis, hoc enim eſt quod exquirimus cum ſolum per ſuum effectum exponas *Obiectio.*

Reſpond. Reſpondeo, nec tu forſitam negare poteris & ſi inuitus, nec in ſe nec in ſuis paſſionibus eſſentiam quantitatis explicuiſſe ac pro inde nullo pacto attigiſſe, qui eſſentiam quantitatis abſolute rationem eſſe partium aſſeueras, nec aliter notificari poſſe

ſſe, quia multitudo partium vnitarum & diſtinctarum eſſentialiter eſt omnibus corporeis entibus, ineptè ergo per eam ratio ſpecialis quantitatis quam modo exquirimus, quaque à cæteris prædicamentis ſecernitur, explicatur. Vnde exactius per proprias illius paſsiones notificamus, nullus enim alius extat nobis additus ad rerum eſſentias capeſſendas quæ frequentius occultæ nobis ſunt & intercluſæ, nec certè aliter nobis exprimunt naturam accidentis quàm aſſerendo, eam eſſe quæ quantum eſt ex ſe, naturali modo expoſcit in hærere, alioquim etiam increpandi eſſent Ariſtoteles qui per diuiſibilitatem, & Angelicus Doctor qui per rationem menſuræ (vt optime aduertit Flãdria) eſſentiam Quantitatis patefaciunt

II. Concl. Secunda concluſio, extenſio hæc in qua ratio eſſentialis quantitatis ſita eſt, non eſt extenſio in ordine ad locum ſed in ordine ad ſe, ſic noſter Doctor loco citato, eſtquè certiſsima ſuppoſita fide, & probatur, nulla forma exiſtens ſuo ſubiecto vnita abſque ſuo effectu formali eſſentiali eſſe poteſt, implicat enim id qnod alicui rei eſt eſſentiale ab ea ſeparari poſſe, ſed poteſt eſſe quantitas ſubſtantiæ vnita ſine extenſione locali in ſacro Euchariſtiæ myſterio, omnibus Theologis acclamantibus, corpus Chriſti Domini non eſſe coextenſum loco, ſed totum in tota hoſtia, & totun in qualibet parte illius, habet tamen eam quantitatem quæ eſt ſubiectum quo accidentium vt vidimus, vnde tantam habet extenſionem in ordine ad ſe in hoſtia, quantam in cœlo, cum partes illæ non ſint confuſæ, ſed ita ordinatæ, vt caput ſit extra collum, & hoc extra pectus &c. Nulla habita loci ratione: ea ergo extẽſio in qua eſſentia quantitatis conſiſtit, non eſt in ordine ad locum ſed in ordine ad ſe, ſeu vt ait Doctor ordo, & poſitio partium in toto quantitatiua.

Nec ſolum extẽſionem actualem à formali ratione quantitatis excludimus, verum & aptiudinalem ocupãdi plures partes loci, hæc enim proxima aptitudo eſſẽtiam Quantitatis (extenſionem nimirum quantitatiuam) vt paſsio radicem ſupponit vt infra.

III. Conc. Tertia concluſio, Phyloſophus quantitatem, ſub propria ratione formali per proprietates magis exploratas notificatã tã in præſenti quàm in metaphyſica conſiderauit, hæc contra nonnullos oppoſitum opinantes præfigitur. Probaturque, ratio eſſentialis quantitatis eadem prorſus eſt, ergo & ratio prædicamentalis eadem vtrobique conſideratur, tum etiam quod plures nequeunt quantitatis ſpecies, ex eius paſsione colligi quam ex eſſentia, cum eadem latitudine paſsio ac eſſentia potiantur, vnde cui paſsio conuenit eidẽ & eſſentia a qua emergit.

I. Corollar Nonnulla obiter ad notare oportet. Primum eſt ex ſuperius animaduerſis deductum, triplicem eſſe extenſionem diſtinguẽdam, vnam entitatiuam cuicumque rei materiali conuenientẽ ſiue ſubſtantia ſit ſiue qualitas, aud quoduis aliud accidens materiale, & in hoc ſenſu non ineptè dici poſſet ab omnibus rebus quæ quouis modo partes habent rationem communem abſtrahi poſſe, in hoc conſiſtentem, quòd eſt, partibus conſtare diſtinctis ſiue ſubſtãtialibus ſiue accidentalibus, & hæc nõ prouenit à quantitate vt formalis effectus illius. Aliam quãtitatem modo explicatam in qua ratio eſſentialis quantitas ſit eſt. Alteram tandem localem, naturaliter quantitati debitam, quæ an modus illius ſit ad aliquod ex ſex vltimis prædicamẽtis ſpectans, poſtea.

II. Corolla Secundum eſt, quantitatem (vt in præſenti. c admonet noſter Doctor q. 16. in reſponſione ad 1) non ſolum ſubſtantiæ præfatam intenſiionem vt quo conferre, media vnione ac informatione, ſed eam in ſe vt quod habere, quam obrem ipſam in ſe quanta, extenſa, diuiſibilis, ac menſurabilis dicitur, ſicut inter formas ſubſtantiales, anima rationalis non tantum tribuit vt quo eſſe intellectiuum homini, ſed ipſa in ſe eſt intellectiua vt quod, cum ergo hoc peculiare ſit quantitati inter formas accidentarias vt ipſa in ſe concreti denominationem ſuſcipiat, ob id Ariſtot. ſolum in hoc prædicamento duplex quantum diſtinguit, vnum per ſe & eſſentiale, vti ipſa quantitas, ac illius ſpecies, quæ ab intrinſeco quantæ dicuntur & non medio alio accidenti extrinſeco, aliud quantum per accidens vt ſubſtantia & accidentia materialia, albedo, nigredo. &c. Quæ à quantitate extrinſeca quanta dicuntur. Duplex ergo modus concretionis in quãtitate reperitur, vnus eſt in quo concretũ compoſitionem ſignificat ex ſubiecto, & forma accidentali informante ac denominante ſubiectum cui in eſt, quod cõmune eſt aliorum accidentium concretis, alius

eſt

eſt qui ſolum innuit cõpoſitionem ex proprijs partibus integrantibus, non enim ſibi tribuit partes media vnione ac informatione, ſed ipſa per ſe partes habet ſe ipſa & ab intrinſeco.

Hinc obiter animaduerte, ex hoc peculiari modo quantitatis prouenire, eam priùs extenſionem propriaſque partes habere, quám eas ſubſtantiæ impertiatur, cum enim forma quæ rationem actus primi habet, prior natura ſit, quám effectus formalis qui rationem actus ſecundi ex illa procedens, prior erit quantitas quàm effectus formalis ſubſtantiæ communicatus: atqui in illo priori ſuam habet extenſionem ac partes, quibus ſubſtantiam afficit, aliàs enim in extenſa intelligeretur, quod cum eſſentia quantitatis pugnat. Tum quòd prius conuenit rei id quod eſt ſibi intrinſecum & eſſentiale, quám quod extrinſecum eſt, habere autem extẽſionẽ ita eſt eſſentiale quantitati, vt ſine illa intelligi nequeat, vnde enunciatio hæc quãtitas eſt quanta, extenſa, continua, eſt per ſe & eſſentialis, quando enim abſtractum eſt de eſſentia ſubiecti, & ipſum concretum, cum ergo quantitas à qua ſumitur concretum ſit ſuamet eſſentia, eſſe quantum erit eſſentiale, extendere, verò actu ſubſtantiam, non eſt de eſſentia quantitatis; cum ſine hoc non ſolum intelligi verum & in re dari poſsit, vt ſacra Euchariſtia conuincit, in qua quantitas quæ à ſubſtantia panis ſeparata conſeruatur, nullam ſubſtantiam extenſam reddit, eademque virtute diuina fieri poſſet, vt nullum accidens actu extenderet, ſicut nec vllam ſubſtantiam, ipſa tamen in ſe extenſa manet cum partibus, prius ergo conuenit quantitati rationem eſſe partium ſui ipſius, ſeu habere partes, quæ ſuapte natura ordinantur vt ſubſtantiæ formaliter impendantur.

QVÆSTIO IIII. NVM quantitas quæ genus eſt iſtius prædicamenti ſit quæ vniuoce in continuam & diſcretam vt in proprias ſpecies partitur.

TOTA præſentis controuerſiæ difficultas in diſcreta quantitate poſita eſt, de continua enim quam diffinit Ariſtoteles eam eſſe cuius partes communi termino copulantur, veram eſſe quantitatem, ad hoc genus ſpectantem in aperto eſt, ſola ergo quantitas diſcreta quæ ſic ſolet diffiniri cuius partes nullo termino copulantur, hoc eſt quæ diſcretionem habent & ſeparationem, eſt quæ totum negotium faceſsit, ſit ne vera iſtius prædicamenti ſpecies, & quia ſpecies illius communiter aſsignantur numerus & oratio, Quæſtio huc reducitur, vt diſpiciamus quo pacto ſe habeant numerus & oratio ad genus quantitatis, & num habeant, vnitatem requiſitam vt rationem entis per ſe habeant prædicamentalem.

Opinio. Celebris in Scholis. Celebris eſt in hac controuerſia opinio aſſeueranter deffendens, quantitatem diſcretam veram eſſe ſpeciem quantitatis, ſub genere generaliſsimo iſtius prædicamenti immediatè contentam, quod in continuam & diſcretam quantitatem vniuocè partitur, cuius propriæ ſpecies ſunt numerus & oratio. in quam opinionem Angelicus & Subtilis Doctor ex conſulto abire videntur cum communi vtriuſq; ſchola, ille varijs in locis, hic in præſenti q. 16. & 17. & 5. metaph. q 9. de numero autem probari poteſt his argutis.

I. Probat. Primum ex Ariſto. auctoritate petitum expreſſe hoc teſtantis tam in præſenti c. quám in 5. metaph. vbi propriam mentẽ expreſsit, & 8. metaph. tex. 10. vbi de numero vt de vera ſpecie, vt á cumulo aut aceruo diſtincto loquitur.

II. Proba. Secundum ꝙ numerus eſt obiectũ ſcientiæ realis determinatam ſpeciem habẽtis qualis eſt Arithmetica, eſt ergo vnum ens reale per ſe ſecluſa mentis functione, cum de ente per accidens ſiue caſuali ſiue in ratione entis teſte Phyloſoph. 9. metap. tex. 4 nulla ſcientia vt de proprio obiecto diſputet, cum enim res diuerſorum prædicamentorum complectatur vnam eſſentiã ac diffinitionem nequit habere, atq; adeo nec proprietates determinatas in aliqua ſcientia demonſtrabiles.

Confirmat Confirmatur hoc, determinatæ proprietates ab vna determinata eſſentia ac radice promanãt, atqui numerus habet determinatas proprietates, vt eſſe parem vel imparem, variaſque proporciones Arithmeticas quas percipit imaginatiua, vt rationes per ſe reſultantes ex diuerſis vnitatum conuinationibus, diuerſiſque illarum habitudinibus, habet ergo numerus determinatam ac realem radicem vnamque eſſentiam realem per ſe à qua ex propria natura propagantur.

Confirmat Confir.2. cum numerus ſit per ſe ſenſibilis teſte Ariſto.2.de anima c.6. per ſe eſt obiectū potentiæ ſenſitiuæ ex propria igitur natura eſt per ſe vnum vt id á quo ſuo modo ſenſus recipit ſuam vnitatem.

III. Arg. Tertium.vbi datur vnum per modum actus & alterū per modum potentiæ ibi datur vnum per ſe,ſed in numero hoc reperitur, cum in eo vltima vnitas ſe habeat per modū actus,reliquæ vero per modum potētiæ,cum enim plures vnitates ad numeri conſtitutionem cōcurrunt,ſuperueniēs vnitas dat ſpeciem numero,quia alias determinat,qua ablata diſſoluitur ſpecies & poſita ponitur vt traddit Ariſt.8.metaph. c.8.tex.15.& non ſolum occaſionaliter ſicut ablata quauis alia vnitate,ſed vt ablato vltimo per ſe conſtitutiuo ac determinatiuo.

Confirmat Confir. Si numerus eſſet ens per accidēs ſicut acerbus,addita aut ablata aliqua vnitate non variaretur eius eſſentia,ſed ſēper maneret eadem contra Ariſtotelem.

Notabile. Vt autē ea quo apud omnes certa ſunt proponantur,opere pretium erit animaduertere,numerum in numerātem & numeratum diuidi, ille vel poteſt ſumi pro actu intellectus ipſas vnitates actiuè numerante,& de hoc in præſenti non diſſeritur, cū certum ſit, qualitatem eſſe realiter & inhæſiue in ipſo intellectu repertam, ſicut & quāuis ipſius intellectus operationem vel pro ipſa actuali numeratione & actuali ordine ab actione intellectus in ipſis vnitatibus quatenus vna poſt aliam vel alias numeratur, reſultante: ſecundum quem ordinē vna eſt actu prima, alia media, alia vltima, & de hoc certum eſt eſſe ens rationis,variarique poſſe ab ipſo intellectu,ita vt quæ in vna numeratione erat prima,in alia ſit vltima,atque adeo nō poſſe ad eſſentiam numeri pertinere,cum relatio illa rationis primæ ad vltimam & vltimæ ad primā cuilibet vnitati indifferenter aplicari poſsit, ob idque numeratio accidentalis aut materialis appellari ſolet. de quo dixit Ariſto.4.metaph.c. vltimo ſi impoſsibile eſt numerantem eſſe (ideſt intellectum numerātem) impoſsibile eſt numerum eſſe,de hoc ergo nō procedit præſens controuerſia.numerus numeratus dicuntur vnitates, quæ numerantur, non prout ſubſunt prædictæ actuali numerationi, vt ſic enim ordinem rationis important, ad nullum prædicamētum reale per ſe ſpectantem,ſed prout dicūt aptitudinē numerabilitatis & ſic numerus numerabilis appellatur,ſeu numerabilitas paſsiua à qua vnitates numerabiles per vnum dicuntur,& in hoc ſenſu adhuc poteſt bifariam ſumi, aut abſtractè ab omni materia vt duo,tres,quatuor,aut numerus binarius, ternarius &c.non aplicando ad aliqua ſubiecta,vt ad homines vel lapides, vel Angelos &c.& ob id ſimplex & abſolutus appellari ſolet,ab alijs numerus expoliatus á rebus, ſeu non aplicatus rebus, ab alijs numerus formalis,communiter autem numerus abſtractus. vel ſumitur concrete, quatenus ad aliquam peculiarem materiā aplicatur, vt cum dicimus duo ligna tres homines,quaternarius Angelorum.

Vt ergo præfati auctores ſuam ſententiam tueantur ſupponunt,non eſſe in quouis rerum genere naturalium,artificialium ac moralium eandem vnitatē per ſe ſpectandam, ſicut nec eadem certitudo teſte Ariſtot. in omni materia ex poſtulari debet, ſed maior vel minor iuxta materiæ exigentiam,ſicut ergo nō idem eſt rerum omnium eſſendi gradus ad huc in eodem genere naturæ, ita nec idem vnionis modus,ſed vnus alio perfectior.numerus quippe inter entia naturalia vltimū tenet vnitatis per ſe gradum, ac infimum vnionis per ſe modum, ſufficientem tamen vt per ſe in prædicamento conſtituatur,quia partes ex quibus coaleſcit,vt quantitates ſunt continuæ,inter ſe diuiſæ & diuiſibiles, entia ſūt completa, & omnino abſoluta,abſque ordine interſe, ad ſpeciem aliquam continuæ quantitatis ſpectantia, & vt ſic non conſtituunt vnum per ſe, ſed per accidens, vt in cumulo & acerbo cerni poteſt, vt verò vnitates ſunt ordinabiles inter ſe & numerabiles per vnum atq; adeo in ratione quantitatis diſcretæ entia ſunt incompleta, coeuntque ad vnius per ſe conſtitutionem, ſicut multæ voces vnam per ſe faciunt harmoniam & multæ lineæ viſſuales vniuntur in ratione viſſualis, & vt ſic ſunt per ſe obiecta ſcientiarum Muſicæ & Perſpectiuæ. nō enim obſtat vt quæ in vno genere entia ſunt completa,in alio in completa ſint & partes, & quæ in vno ordine ſunt entia actu per accidēs,in alio ſint vnum per ſe.

Conueniunt ergo hi vnionē hāc qua vnitates coeunt ex quibus numerus componitur,non eſſe materialem aut entitatiuam ſed formalem ordinis, non actualis ſed aptitudinalis & tranſcendentalis, ex natura

rei

rei ipſis vnitatibus cõuenientis atque adeo fixus eſt invariabilis, ad eſſentiam numeri pertinens, qui ordo aptitudo numerabilitatis appellatur, in ſingulis vnitatibus partialiter reperta in omnibus verò completè, ſecundum quam, vna vnitas poſt aliam vel alias eſt ab intellectu numerabilis.

Sed in decernendo quo pacto iſtæ vnitates ſe habeant inter ſe in hac vnione, vt vnum per ſe conſtituant non eadẽ via procedunt. Quidam enim dicunt ordinem quidem habere inter ſe actus & potentiæ, formæ & materiæ quia cum eſſentia numeri conſiſtat in hoc quòd ſit multitudo numerata per vnum, vltima vnitas vt vltima eſt, modum habet actus & formæ ad quam reliquæ vnitates eſſentialem dicunt ordinem numerabilitatis ac materiæ. vnde in numero numerabili vltima vnitas invariabilis eſt determinata & fixa, ſicut & ordo reliquarum ad illam in ratione potentiæ fixus eſt, & licet alias non informet materialiter & in eſſe rei, bene tamen formaliter & in ratione numerabilitatis, & immediate quidem ſi coniunctim ſumantur, vt per modum vnius numerantur, & ſimul vniuntur nomine multitudinis, licet nõ ſi diuiſim vt cum vna poſt aliam actualiter & diuiſim numerantur, & tandem cum vltima vnitas ab alijs præſuppoſitis dependeat, in eſſe fieri & conſeruari, ſuo modo in ratione numerabilitatis ex illis vt ex materia dicitur educi, in hac ergo via duplex in numeris compoſitio reperitur, vna phyſica quaſi ex materia & forma, alia metaphyſica ex genere & differentia.

Aſſerunt alij, quòd cum vnitates ex quibus numerus conflatur, non vniantur interſe vnione enticatiua & phyſica, ſed tantum ordinis; in illo non reperitur compoſitio phyſica, ſed tantum metaphyſica, atq; adeo vnitas perſe metaphyſica, cõpoſitio autem ex vnitatibus integralis eſt, quæ nõ dicitur eſſentialis nec accidẽtalis ſed ſubſtantialis. vnde entitas aut ſubſtantia numeri in hoc conſiſtit, vt ex pluribus, vnitatibus ſecundum prius & poſterius numerabilibus ſit conſtituta, & in prædicta vnitate fundatur compoſitio metaphyſica ex genere & differentia, ab illa enim vt conſtante partibus diſcretis, ſumitur ratio generis quantitatis diſcretę, vt permanenti, ratio numeri in quo ab oratione diſtinguitur, & vt extenſa in duas vel tres vnitates ratio ſpecifica & differentialis, ab eiſdem ergo omnibus vnitatibus numerũ conſtituentibus ratio ſumitur generis &
A differentiæ. in hac via, vnitates omnes ſunt materiale, formale vero ille ordo numerabilitatis ſeu illa diſcretio quæ in ternario v.g dicitur ternitas, & ſic in alijs, hæc autem non eſt forma phyſica & ſic vnione phyſica non indiget, nec eſt forma variabilis, cum ternitas eadem ſit ſemper, omnes vnitates immediate informans. hic modus vnitatem per ſe numeri deffendendi plauſibilis eſt in ſchola noſtri Doctoris quem ipſe tradidit locis ſcitatis.

Quod ſi ab omnibus his exquiſieris, dicendum ne hoc eſt de quouis numero in quauis materia reperto? quidam Reſpondent in numero quãtitatiuo ex vnitatibus nimirum quantitatibis conſtituto, quem ob id prædicamentalem appellant, id verum habere, non tamen in tranſcendentali qui ex vnitatibus traſcendentalibus com-
B ponitur, vocatur autem vnitas tranſcendentalis, quæ in re quauis alia à quantitate reperitur, vt vnitas in ſubſtantia qualitate relatione &c. erit ergo numerus tranſcendentalis, qui ad res omnes cuius libet prædicamenti ſe extendit, vt numerus ſubſtantiarum, albedinum &c. iſti tamen in reddenda diſparitate valde laborant, vt mox videbimus.

Alij verò aſſerunt, eſſentiam quantitatis diſcretæ in quouis numero reperiri, quia nihil peculiare eſt in vna multitudine, quod non ſit in alia, quominus vtraquè ſit in eodem prædicamẽto, numerus enim quantitatum non pertinet ad hoc prædicamentum ratione extenſionis continuæ quæ in quantitate continua reperitur, id quidem omnino accidentarium eſt ratio-
C ni numeri, pertinet ergo ratione extenſionis quæ eſt in ratione numerãdi, ita vt ſint plures vel pauciores. quantitas numericũ diſcreta ſit, non in ſingulis vnitatibus penſanda eſt, ſed in earum diuiſione & diſcretione, hæc eodem modo in Angelis reperitur: ergo in ratione quantitatis diſcretæ ſunt eiuſdem rationis. Præterea quia relatio inter duos Angelos pertinet ad idem prædicamentũ, ad quod relatio inter duos lapides: ergo ſimiliter & ternarius. Tandẽ quòd numerus vniuocè dicitur de numero hominũ & Angelorum, dualitas enim. v.g. ſiue in ſubſtantijs ſiue in qualitatibus nõ variat eſſẽtiam dualitatis ad, idẽ ergo prædicamẽtum ſpectat, ad quod dualitas lapidum aut quantitatum. vnde aſſerunt quẽcumq; numerum obiectum eſſe Arithmeticæ, cũ eaſdẽ habeat paſsiones vt eſſe

parem vel imparé, eademq; principia, ex quibus euidenter deducuntur Arithmeticæ cõclusiones, vt ab hoc principio ſi à numeris æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia, euidéter deducitur in quouis numero, quòd ſi à duobus numeris quaternarijs binæ vnitates tollantur, quæ remanẽt vnitates, debẽt eſſe pares, ſiue ergo numerus ex vnitatibus quantitatiuis ſiue ſubſtantialibus reſultet eædem circa illũ poſſunt fieri demõſtrationes & ſupputationes, cum vnitates numeri compoſitionem ingrediãtur non vt diuiſibiles ſunt vt ſic enim entia completa ſunt ad ſpeciẽ quantitatis continuæ ſpectantia, vnde impertinenter ſe habet ad rationem numeri quòd quantitas magna vel parua ſit, ſed vt indiuiſibiles ſunt.)

De oratione quæ in præſenti ſumitur ſiue pro quauis dictione pluribꝰ ſyllabis cõſtante, ſiue ſimplex ſit vt, *arma* ſiue compòſita vt *arma virumque cano* non quidem mentali aut ſcripta, ſed vocali, affirmant etiam eſſe ens per ſe, ac veram ſpeciẽ quãtitatis iſtius prædicamenti, loquuntur autem de oratione vocali in qua plura reperiuntur & illius ſignificatio, & aer verberatus percuſione linguæ cũ palato, & ſonus media tali verberatione editus, & motus diuerſi ac diſcontinui ſyllabarum, & tẽpora ſeu morulæ, & durationes quibus prædicti motus durãt. Omnes conueniunt nõ ſumi orationem in preſenti primo modo, cum talis ſignificatio ex hominum placito depẽdeat, vnde impertinens eſt quòd oratio ſit ſignificatiua vel nõ, nec ſecundo modo cum aer verberatus ſit de predicamento ſubſtantiæ, nec tertio modo quia ſonus ipſe eſt de predicamento qualitatis.

Qui iam ergo dicunt orationem ſumi quarto modo, ita vt oratio ſit ordinata & ſucceſsiua diſcretio motuum ſyllabarum ſeu prolationum, quia quæuis ſyllaba motu locali efficitur, cũ fiat prolatione, quæ eſt ipſa aeris verberatio ſeu colliſio palati linguæ & dentium, à qua cauſatur ſonus de articulatus, ſicut ex colliſione duorum corporum cauſatur quicumque alius ſonus, talis ergo verberatio ſeu colliſio qua fit ſyllaba, eſt motus localis, & multitudo ordinata talium prolationum orationem conſtituit. probãt autem ſic ſuũ placitum, tres prolationes ſeu tres motus locales certo quodam ordine ſibi ſuccedẽtes quãtitatem diſcretam conſtituunt, non numerum ergo orationem cuius eſſentia in ſucceſsiua diſcretione conſiſtit.)

Alij dicunt orationem ſumi in præſenti quinto modo, pro ipſis temporibus & morulis præfatorum motuum quilibet enim motus ſuam propriam habet durationem & cum tempora talium prolationum ſint parua, ideo morulæ nũcupantur. erit ergo oratio illud compoſitum ex prædictis morulis certo quodam ordine ſibi ſuccedentibus, quia multitudo quãtitatum permanẽtium iſtius prædicamenti ordinatarum ſecundum prius & poſterius cõſtituit numerum, ergo multitudo quãtitatum ſucceſsiuarum iſtius prædicamenti nempe temporum ſibi ordinate ſuccedẽtium conſtituet orationem, motus autem non pertinet ad hoc prædicamentum ſaltim directè, vnde inferũt ad rationem orationis impertinẽs eſſe quòd voce proferatur, cum quilibet ſonus artificiosè editus oratio ſit, ſiue cy-
B tara ſiue fiſtula fiat, imo & quòd ſonora ſit, quia licet non edatur ſonus, morulæ illæ motuum cum debita proportione & ordine ſibi ſuccedentium vt in ſaltatione & motibus digitorum organa pulſantium abſque ſono orationẽ conſtituunt.

Alij tandem aſſerunt, in nullo horum orationem conſiſtere, ſed in multitudine vocum, ſeu ſonorum, ſyllabarum ve ordinata, nõ quatenus ſoni ſunt ſed vt habent extenſionem & magnitudinem, licet enim ſonus ipſe qualitas ſit, ipſius tamen extenſio, corpulentia & magnitudo quæ non eſt alia ab extenſione & magnitudine aeris vt verberati, quantitas eſt, ſicut ergo ex multis magnitudinibus ſubſtantiæ fit numerus ita ex multis magnitudinibus plurium ſonorum oratio fit, talis autem magnitudo nihil aliud eſt quàm dilatatio aut
C coarctatio ipſius ſyllabæ ratione cuius maior vna quàm altera eſt & vna longa & alia brebis vt à magnitudine intrinſeca & vt a priori: ab extrinſeco verò & vt a poſteriori longa dicitur aut brebis à tempore in prolatione conſumpto.

De modo autem vnionis prædictarum partium ſiue motus ſint ſiue tempora ſiue extẽſiones ſyllabarum vt vnum per ſe cõſtituant, proporcionaliter loquuntur ac de numero, cum enim diſcretæ & ſeparatæ ſint, vniuntur vnione ordinis aptitudinalis, quo ſunt ab intellectu ordinabiles ſecundum prius & poſterius, quantum ad longitudinem & brebitatem, ita vt longa brebem, aut brebis longam ſit apta ex propria natura præſupponere.

Secunda

Secunda ſententia ex diametro præcedenti oppoſita, quantitatem diſcretam à propria ratione quantitatis excludit, atq; adeo numerum & orationem, vt pote entia per accidens, quã multi ex grauiſsimis Phyloſophis at Theologis tam antiquis quã modernis amplectuatur, eamq; arbitror menti noſtri Doctris conformiorem vt videbimus.

Pro quo animaduertendũ cum Mauritio Anglico & alijs Scotiſtis, multa in ſua logica Doctorem noſtrũ aſſeruiſſe, ſecundum cõmunem ſentiẽdi modum, quorum oppoſita alibi ex propria mente traddita comperiuntur, vnde in lib. ſ in 1. d. 24. de numero diſſertè vtramq; opinionem proponens, ſic ait, *quid horum verũ ſit, alias videbitur, quãdo tractabitur de numeris.* nullibi autẽ de numero iterũ diſſeruiſſe reperitur, niſi in ſuis reportat. Pariſiẽſi, poſterius editis, vbi licet neutrã determinet, in hãc tamen ſecundã magis prolabitur, quia alijs opinionibus improbatis, han non improbat, ſed potius argumẽta proponit pro ea roborãda, & inſoluta relinquit vt bene ibidẽ aduertit noſter Nicolaus de Orbellis.

I. Conclu. Prima cõcluſio ſit. omnis numerus quarumcumque rerum ſiue quantitatum ſiue ſubſtãtiarum ſimpliciter & abſolutè loquendo eſt ens per accidens ex natura rei, ſubindeque fit, non eſſe ſpeciem quantitatis. In eam vt vidimis propendit ſubtilis Doctor & multæ Scotiſti, Nicolaus de Orbellis. Ioanes de Colonia in ſuis queſt. magiſtralibus, q. 279 & alij. tenent etiam Marſil. in 1. q. 27. ar. 1. Grego. q. 2. ar. 2. Mai in 1. d. 24 q. 2 Ochã d. 24. q. 2. Aureol apu Capr. d. 24. Alb. 8. metaph. tract. 1. c. 4. Soar in metap. diſp. 41 ſect. 1. Gab. Vaz. 1. p. diſp 128. c. 3 n. 7. Fõſeca 5. metap. c. 7. q. 5. ſect. 2. Oña in præd. q. de quant. ar. 4. videturq; expreſſa Ariſt. multis in locis 3. phyſi. c. 7. numerum diffiniens, inquit eſſe plures aliquot ve vnitates, & 8. metaphy. ſic ait *aut numerus vnum non eſt, ſed velut cumulus, aut ſi ſit dicendum eſt quid nam ſit illud quod efficit vnum ex multis* & 10. metaph. tex 2. ait numerum eſſe multa vna, & tex. 4. numerus eſt multitudo vnitatum, quæ diffinitio de ſumpta eſt, ex lib. 7. elem. Euclidis, rationibus autem corroboratur.

Scotus. Orbellus. Colonia. Marſi. Grego. Maior, Ocham. Aureo. Alner Soarez. Vaſquez. Fonſeca. Oña.

I Probat. Primò ſic à noſtro Doctore loco citato partes quæ non habẽt maiorem vnitatem in toto, quam haberent ſi non eſſent in toto, nõ ſunt partes alicuius totius, quod eſt per ſe vnum. Sed vnitates alicuius numeri non habẽt maiorem vnitatẽ, per hoc quòd habent diſcretionem in numero, quàm ſi A quæ libet eſſet per ſe ſine alia: ergo non ſunt partes alicuius totius quod eſt per ſe vnum, mai. patet, quia ſubiectum includit prædicatum, ſi enim eſſent partes alicuius totius, haberent maiorem vnitatem in illo quam ſi eſſent per ſe & ſeorium, quo pacto enim vnum efficerent, min probatur, quia vnitates faciunt numerum vt diſcretæ & diſtinctæ adinuicem cum de ratione quantitatis diſcretæ ſit quòd illius partes vt illius partes ſunt, non copulentur termino cõmuni, & ob id duæ partes eiuſdem quantitatis non efficiunt numerum ſimpliciter, quia & ſi re diſtinguantur vniũtur tamẽ termino communi, ſed quæ libet ſeorſum ſine alia eſt etiam diſcreta & diſtincta ab alia, non ergo habet maiorem vnitatem per hoc quod habet diſcretionem in numero, quàm ſi quæ libet eſſet B per ſe ſine alio

II. Proba. Secundo probatur ab eodem Doctore impoſsibile eſt aduenire formam aliquã abſolutam alicui ſine illius mutatione, ſed S ex lapidibus vel vnitatibus ſenarium numerum conſtituentibus ſi addatur vnus lapis ſex priores vnitates deſinunt eſſe ſub ſenarij ſpecie, & incipiunt eſſe ſub ſeptenario abſque ſui mutatione ergo nullam formam abſolutam de nouo acquirunt. Túc ſic ergo numerus nihil aliud eſt præter ipſas vnitates, cũ omni formalitate ſuperaddita vnitatib9 ſimul ſumptis preciſſa, ex vi ipſarum vt ſic, intelligitur multitudo limitata & finita: ergo & numerus. Tum etiam quod ternarius Angelorum nihil reale ſuperadditum dicit præter ipſas vnitates præciſè, cũ illud nec ſubſtãtia ſit ſic enim tres ſubſtantiæ vt homo Ange- C lus et equus vnam ſubſtantiam efficerent quæ eſſet chimera, nec accidẽs quia cõpoſitum ex ſubſtantijs ſubſtantia deberet eſſe: ergo nec ternarius quantitatum. Tunc rurſus ſic, ipſæ vnitates præciſè ſumptæ prout numerum conſtituunt, ſunt entia completa in actu & plura ſimpliciter: ergo numerus ex illis conſtitutus eſt plura ſimpliciter, non ergò vnum ſimpliciter, quia vnum & plura ſimpliciter accepta opponũtur inter ſe, teſte Phyloſopho. 10. metaph. tex 9. vnde de eadem re dici nequeunt, antecedẽs ſubſumptũ probatur prædictæ vnitates in ratione entis ſunt entia completa, cum exiſtant in ſubiectis realiter diſtinctis & à ſe inuicem ſepa-

ratis accidens autem ſecundum contrarios indiuiduatur à ſubiecto. ergo & in ratione vnius, quia quantitas in eſſe entis & in eſſe vnius ſecundùm aduerſarios eandem in re ſortitur rationem, & ſi aliquid addit, tantum eſt negatio diuiſionis.

Solutio. Quod ſi dixeris id verum eſſe de vnitate tranſcendentali; non vero quantitatiua hæc enim aliquid poſitiuum addit ſubſtantiæ, ipſam nempe quantitatem. Sed hoc nihil efficit, vnitas enim quantitatis, nō debet ſumi in ordine ad ſubſtātiam, ſic enim vnitas cuiuſcumque accidentis etiam dicetur poſsitiuum ſuperaddere, vt vnitas albedinis ipſam albedinem, ſed in ordine ad ipſam quantitatem cuius eſt paſsio, ſi addit aliquid idem dicendum erit de quauis vnitate, vnitas enim tranſcendentalis ad quātitatis vnitatem, rationem ſuperioris habet, ſicut ad vnitatem ſubſtantiæ, qualitatis &c. ſicut enim (vt ipſi aſſerunt) conceptus entis nihil aliud eſt quā ipſa decē ſuprema genera vt confuſe cognita, ita vnitas entis nihil aliud erit quā decē vnitates taliū generū vt cōfuſè cognitę de quo in metaphy. copioſius.

Instatur.

Confirmat Confirmatur ratio præcipua, multitudo ſecundum omnes non eſt ſimpliciter vnū ſed ens per accidens, ſed numerus eſſentialiter includit multitudinem vt ex ipſius numeri diffinitione conſtat, eſt enim multitudo numerata per vnum. Tum etiam quòd multitudinis ratio in diuiſione conſiſtit, quam habet numerus: ergo eſſentialiter eſt ens per accidens. Nec quidquā obficit ſi dixeris, multitudinem vt ſic ens per accidens eſſe, non vero multitudinem numeratam per vnum Si enim multitudo vt ſic eſt ens per accidens eſſentialiter; ergo & quæuis multitudo, cum qualibet habeat diuiſionem in ſe in qua conſiſtit pluralitas ſimpliciter.

III. Prob. Tertio probatur. Quod prædictis vnitatibus nulla poteſt vnio deſsignari, per ſe ſufficiens ad vnius per ſe conſtitutionē, quia ille ordo aptitudinalis ſeu numerabilitas nihil aliud importat, quam vnitates poſſe numerari ſecundum prius & poſterius: ergo tātum importat poſſe fieri vnū per intellectum, non verò quòd actu ſint vnum, duæ enim quantitates ſeparatæ quantumcumque fundamentum obtineat vt actu vniantur, non faciunt actu vnum quandiu actu nō vniuntur per vnionem actualē. In ſuper ſi prædicta vnio ſufficiens eſſet ad conſtituendum vnum ens per ſe prædicamentale, nihil poſſet aſsignari quod propriè eſſet ens per accidens A vnde totum vniuerſum eſſet vnum ens per ſe prædicamentale, cum illius partes ordinis habeant vnionem in ordine ad finem per ſe intentum à natura. Domus itidem & omnia entia artificialia & exercitus facile enim quis poſſet aſſerere, quod quæ ſunt plura in vno genere ſunt vnum per ſe in alio, & licet actualis ordinatio extrinſecum quid piam ſit in ipſis, ordinē tamē aptitudinalem ſeu ordinabilitatem vt ſic vel ſic ordinētur naturalē eſſe. & ex ſubſtantia & accidenti multo melius fieret vnum ens per ſe cum maior vnio intercedat, accidensque rationem actus habeat, ſubiectum vero potentiæ & materiæ, tum quod numerabilitas illa eſt potētia ſecundumquid & accidentalis, quātitatibus adueniens, ex eo quod ſeparantur cū tamē vt vnitæ & continuæ illam non habeant

B In ſuper ſi prædictus ordo numerabilitatis in rebus quantis vnum ens per ſe prædicamentale efficeret, ſimiliter & in rebus aliorum generū, vt in ſubſtantijs quantitate exutis, in qualitatibus. &c. cum in eis reperiatur vera diſcretio & ſeparatio entitatiua, & numerabilitas per vnum, cū vnus Angelus ſit poteſt aliū vel alios numerabilis, atque adeo eſt in eis aſsignabilis actus & potentia, forma & materia, cū ratio formæ in præſenti in eo cōſiſtat, quod ſit vltima deſsignabilis, & aliarum determinatiua, quod ex eo habet quia poſt aliam IV alias eſt vltimo numerabilis, atque adeo alias præſupponit, ratio vero materiæ in hoc quod per vltimam ſit determinabilis, quod ex inde habet, quod ſi ante aliam vel alias numerabilis, quæ in quouis numero quarūcūq; rerū reperiuntur vt euidēter patet ſi ergo hæc ad vnius per ſe cōſtitutionē C ſufficiunt in quantitatibus, cur non in alijs cum maxime eadē ſit ratio de quauis vnitate quo ad formale importatum, quia omnes negationem aut priuationem aut poſitiuum formaliter importare debent. quod ſi dixeris numerum aliarum rerum à quantitate & ſi ſit ens per ſe, nō eſſe prædicamentalem, quia de iſtius ratione eſt, vt conſtet vnitatibus quantis, & numeretur per vnum in quantitate.

Sed certe hoc mere gratis dicitur, quia numerus aliarū rerū à quantitate eſt vnū ens per ſe, vel ergò vniuocè conuenit in ratione numeri cū numero in quantitate, vel nō. Si primū, ergo vel vterq; eſt in hoc prædi-

prædicamento,& hoc nō,quia cum genus ſupremum iſtius prædicamenti ſit quantitas molis, nequit ſubſe continere res quantitatis molis ac corporis expertes. vel vterque excluditur,ſi quidem ratio quātitatis diſcretæ vniuocè competit, his quæ non ſpectant ad prædicamentum. Si non conuenit vniuocè (cuius tamen rationem reddere difficile eſt,) ergo ſicut quantitatum ternarius, quantitatis propria ſpecies directè conſtituitur, ita & ternarius ſubſtantiarum propria ſpecies ſubſtantiæ, & ſic de alijs. patet conſequentia quia nihil peculiare aſsignabis in vno ternario quod non in alio propter quod ille in prædicamento quantitatis collocetur, non vero hic in predicamēto ſubſtantiæ,ſicut enim datur quantitas, diſcreta cur non & ſubſtantia diſcreta & qualitas diſcreta?

Solutio. Dices quòd hic eſt tranſcendens ad omnes res extenſus,tranſcēdentia autem ad ſpeciale predicamentum non ſpectant,ſed per omnia vagātur,ſed hoc facile impugnatur.

Impugna. Sicut ternarius in ſubſtātia eſt trāſcendentalis ita & ternarius in quantitate, ſicut enim ille ſubtranſcendentali continetur ita & hic, conſequtio patet vnitas quantitatis ſub vnitate tranſcendentali continetur vt oſtenſum eſt & alibi efficacius oſtendetur, ergo & numerus ex illa compoſitus ſub tranſcendentali numero erit comprehenſus, vel ſi numerus in quātitate prædicamentalis dicitur, quia ex quantitatibus ad hoc prædicamentum ſpectantibus coaleſcit, ergo & numerus in ſubſtantia prædicamētalis erit, quia ex ſubſtantijs ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinentibus conflatur. Sicut enim numerus & unitas in quantitate eſt vnitas tranſcendentalis modificata per aliquid ſpeciale & prædicamentale,nempe quantitatem,ita & numerus & vnitas in ſubſtātia aliquid ſpeciale & prædicamentale addit,nempe ſubſtantiā.Et tandem licet vnitas in communi ad omnia ſe extendat,nō tamen vnitas in quantitate vt ſic ,quia determinat modū peculiarem entis,ita & vnitas in ſubſtantia vt ſic,qua enim ratione talē modum entis & vnitatis determinat,non ſe extendit ad alia,ſed ſub ratione cōfuſa & communi. & idem de numero in alijs rebus ſpeciale prædicamentum cō cernentibus.

Vlt prob. Vltimo tandē.Prædictæ vnitates numeri nequeunt vniri inter ſe in ratione actus & potentiæ :nequeunt ergo vnum ens per ſe conficere. Antecedens probatur, quia omnes vnitates in re ſunt eiuſdem rationis & nihil peculiare vna habet in re quod non alia, actus autem & potentia diuerſam rationē ſortiūtur, antecedēs probatur, quia ſi quæ diuerſitas in eis reperitur eſt ratio prioris mediæ & vltimæ, vt docet D. Th. 8. meta lect.3.ſed hunc non habent in re, ſed prout numerantur ab intellectu, cum prædicto ordine. Quòd ſi dixeris id verū eſſe,ſi ſermo ſit de ordine actuali,non vero ſi de aptitudinali. Contra hoc eſt,quod ſi de his vnitatibus loquamur non quidem formaliter vt ſubſunt actuali ordini, prædictiſque relationib9 primæ & vltimæ,ſed fundamentaliter, idem prorſus in quauis fundamentum reperitur, vt quæuis prima ſit vel media vel vltima deſsignabilis.

Confirmat Confirmatur,ea vnitas habet rationem formæ,quæ vltima eſt,& quidem cum vltima ſumitur, certum eſt non ſumi relationem actualem ad primam quando quidem hæc rationis eſt, vt vidimus, & alioquin eſſentia numeri in relatione conſiſteret. Sed tantum aptitudinaliter,vt nimirum apta eſt vt ſit vltima, ſed talis ratio æqua lance in quauis vnitate comperitur, cum quæuis ſit vltima deſsignabilis, ſicut quæuis eſt poſt aliam vel alias numerabilis, erunt ergo in quouis numero tot formæ quot vnitates,& in numero millenario mille formæ , quod ſane abſurdum eſt,forma etenim in quouis cōpoſito conſtituens & determinans eſſentialiter,determinata debet eſſe & certa,diſtincta a materia,et cum quouis cōparetur ſēper forma.

Confirmat Item quod ſi vnitas in re tantum habet quòd ſit apta vt vltima deſſignetur,ergo tantum habet eſſe aptam vt ſit forma, nō autem quod ſit actu forma,ſi enim in re tantum eſt determinatiua, ergo non actu determinat,& conſtituit,quia actualis ratio formæ nō conſiſtit in aptitudine,quod ſi eo pacto eſt forma quo eſt vltima, & in re tantum eſt vltima aptitudine quatenus eſt apta vltimo numerari: ergo tantū aptitudine erit forma in re,non ergo actu cōſtuit, niſi accedēte actu intellectus quo in eſſe vltimæ actu cōſtituitur. Nec quidquā efficit ſubterfugium illud, quod in ratione numeri in quo vnitates ſunt numerabiles vna poſt alias,includitur quòd vna ſit vltima certa & determinata, licet à nobis ignoretur, vt in vltimis rerum differentijs contingit, licet ſint certæ & determinatæ.

quod enim Argumentum conuincit eſt, nihil poſſe in vna deſsignari, ratione cuius forma conſtituatur, quod non reperiatur in quauis vnitate numeri in re.

Tum etiam omnes numeri eſſent eiuſdem ſpeciei cum habeant formam eiuſdẽ rationis nempe vltimam vnitatem.

II. Conclu Secunda concluſio. Idem dicendum eſt de oratione, non eſſe ſpeciem quantitatis Sic auctores præcedentis concluſionis. Tum quod eiſdem rationibus probatur eſſe ens per accidens, tum etiam quod ſucceſsio motuũ localium ſeu prolationum in illa reperta, nequit ad hoc prædicamentum pertinere, ſicut nec ipſi motus. Nec ſucceſsio temporum, quia ſi hæc vnum ens per ſe conſtituit; ergo & ſucceſsio ordinata ſyllabarum ſeu vocum, ſonorum ve, (extenſio autem illa cuiuſque ſoni entitatiua quidem eſt, cuilibet accidenti materiali communis, non vero quantitatiua, niſi ipſam quantitatem aeris vellis orationem eſſe) atque adeo in prædicamento qualitatis dabitur qualitas diſcreta.

III. Conc. Tertia concluſio Sola quantitas continua eſt quæ hoc prædicamentum conſtituit, cum ſit ens per ſe, quia vt videbimus infra eius partes ſunt vnitæ, quantitas diſcreta non comprehenditur ſub genere iſtius prædicamenti, vt propria ſpecies illius. vnde diuiſio quantitatis in continuam & diſcretam, non eſt generis ſupremi iſtius prædicamenti in proprias ſpecies, atque adeo nec vniuoca, ſed quantitatis ſumptæ, acceptione quadam Analoga, hæc ex dictis colligitur. Quia Ariſtot. in quouis prædicamento non tantum refert diuiſiones vniuocas illius, ſed etiam acceptiones & diuiſiones Analogas, vt ſic talis prædicamenti natura notior fiat. quo pacto etiam diuiſit quantum in præſenti, in quantum per ſe & per accidens.

IIII. Con Quarta concluſio, habet tamen numerus aliquam vnitatem ſecundum quid, ratione cuius poſsit dici ens per ſe ſecundũ quid, & hoc tantum probant oppoſitæ opinionis Argumenta, quia licet conſtet ex pluribus entibus in actu ac ſeparatis, ordinatẽ tamẽ co euntibus, in harmoniam numeralem. Quo pacto etiam domus aliquo modo dicitur vnum ens per ſe, quia licet conſtet ex pluribus entibus in actu, certo tamen ordine ſuiſque aptis ſedibus compoſitis & illa vnitas ſufficit vt ſuo modo poſsit diffiniri, ab illaque procedant proporciones aliquæ & proprietates, per ſe conſiderabiles ab aliqua ſcientia, propor- A cionatas quidem radici à qua procedunt, quæ nempe ſint ſimpliciter entia per accidens ſecundum rem, cum aliqua tamen vnitate, vt par vel impar, quæ componuntur ex pluribus in actu.

Ex quibus infertur primo. Numerum in nullo prædicamento directè collocari ſed reductiue in ſuo quouis prædicamento, vt numerus quantitatum in prædicàmento quantitatis, numerus ſubſtantiarũ in prædicamento ſubſtantiæ &c. Cum omnis multitudo ad illud reuocetur prædicamentum, cuius ſunt illa entia quibus coaleſcit.

Deducitur ſecundo. Quæſtionem illam num numerus genus ſit an ſpecies infima ad omnes numeros binarij ternarij &c. comparatus ſic. eſſe dirimendam, per ſe enim & ſimpliciter loquendo Phyſicè aut B Metaphyſicè, numerus nec eſt genus neq; ſpecies cum ens per accidẽs ſit & non per ſe, matematicè tamen loquendo inſtar generis ſe habet, reſpectu omnium numerorũ quæ ſpecie matematica differunt, & habent diuerſas proprietates, vt ternarius imparitatem, quaternarius paritatem.

Argumenta in contrarium obiecta facili ex dictis donari poſſunt ſolutione.

Primi Argumenti ſolutionem vide in tertia concluſione. Et præterea adde quòd ſi aliquãdo Philoſoph de numero vt de vera ſpecie quãtitatis loquitur, eſt quidẽ ſecundum aliorum opinionem, vt ipſe expreſſè aſſerit, 7. metaph tex. 44. vbi ait, patet igitur quòd ſimiliter de numero ſe habebit, ſi numerus quidem compoſitio vnitatum eſt, vt à quibuſdam dicitur. *I. Argũ.*

Secundum Argumentum ſoluitur per C quartam concluſionem, obiectum enim non tantam debet habere vnitatem, quantam habitus vel potentia cuius eſt, ſed ſufficit vt aliquã habeat ſaltim ordinis, vt videre eſt in ſcientia de republica, Coſmographia, Muſica & alijs. ibi autẽ. Ariſt. ſumſit ens per accidens quod opponitur neceſſario, & appellatur fortuitum & caſuale, non tamen quod opponitur enti per ſe & ens per accidens in genere entis, hoc quidem obiectum ſcientiæ poteſt eſſe, vt patet in ſcientijs ſub alternis quorum obiecta ſunt entia per accidens, vt de linea viſſuali, Perſpectiua. & de vulnere circulari datur ſcientia, cũ de eo demõſtret medicus dificilius curari. Imo quod Ariſto. ſenſus in loco illo eſt, ſcientiã non conſiderare *II. Argu.*

ea quæ

ea quæ ſecundum accidens in ſunt ſubiecto, ſed ea ſolum quæ per ſe conueniunt, vt ex contextu patere poteſt. Sed hoc locum proprium habet.

Ad I. Con. Ad primam confirmationem, ſufficere quidem vt aliquam vnitatem obtineat, vt ex ea reſultent aliquæ proporciones & proprietates vti dictum eſt.

Ad. II. Ad Secundam confirma. Sicut ad principale Argumentum. Imo quòd ſenſus ipſa plura percipit, licet non ipſam plurium vnitatem.

Ad. III. Ad Tertium Id iam eſſe impugnatum cum enim neutra vnitas alteram informet, quo pacto propria forma erit niſi valde metaphorice, quatenus aliquo modo complet numerum. Vnitas autem ſolum eſt vlti ma per rationem, ex quo tantum deducitur numerum per intellectum maiorem vnitatem habere, hac enim mens noſtra potitur facultate, vt ea quæ in re plura ſunt in vnum poſſit cogere, & quæ in re ſunt vnum in multa deducere.

Ad Confir Ad confirma. Reſpondandum cum noſtro Doctoro loco commemorato reportati. Dictum Phyloſophi ſpeciem eſſe ſicut numerum, ſolum in hoc tenere, quòd ſicut addita vnitate aut detracta, variatur numerus, ita, & eſſentiæ conſiſtunt in indiuiſibili, & quauis differentia addita vel ſubtracta variatur ſpecies, non tamen ob id voluit numerum eſſe ſimpliciter & per ſe ſpeciem, quia vt aduertit Nimphus ly ſicut eſt additum diminuens, in quo ſenſu quod eſt ſicut tale, non eſt propriè tale, ſed cum addito.

QÆSTIO. V. NVM QVANtitas continua iſtius prædicamenti, in permanentem & ſucceſsiuam vt in proprias ſpecies diuidatur.

QVIA inter ſpecies quantitatis cõtinuæ tempus à Phyloſopo connumeratũ in preſenti reperitur, quod ſuũ eſſe habet ſuceeſsiuum, ſeu cuius partes ſic ſe habent, quòd non ſimul exiſtunt, ſed quædam alijs ſuccedunt, in quo à re permanenti diſtinguitur, quæ totum ſuũ eſſe ſimul habet, & omnes illius partes ſimul exiſtunt, vt hoc lignum quod omnes ſuas partes habet ſimul exiſtentes, ob id communis ferme vſus obtinuit, vt quantitas continua quæ omnes ſuas partes habet copulatas, in permanentem & ſucceſſiuam diuidatur.

A Eſt ergo communis ac celebris in Scholis opinio, aſſeuerans, dari quantitatem ſucceſsiuam vere & propriæ eſſentiam quantitatis iſtius prædicamenti habentẽ, atque adeo præfatam diuiſionem quantitis in permanentem & ſucceſsiuam vniuocam eſſe generis in ſpecies, in qua cum Ariſtotele conuenire videntur vtriuſque Scholæ anteſignani, Angelicus & ſubtilis Doctor. In aſsignandis tamen quantitatis ſucceſsiuæ ſpeciebus non eſt vnanimis cõſenſus, communiter Tempus dun taxat aſsignari ſolet. Ab alijs tam tempus quam motus A nõnullis motus ſub vna ratione ab hoc prædicamento excluditur, vt nimirum acquiſitio quædam eſt formæ perfectæ in via ad illam conſiſtens. Sub alia vero admittitur, vt nempe continuus eſt, ſeu ratione continuitatis, quam non vt ſibi eſſentialem ſed vt proprietatem ſortitur, ſic à Fonſec 5 metaphy. c. 13. q 8. ſect. 1. & B 2. & à Copulata Coimbris. 3. phyſic. c. 2. q. 2. artic. 3.

Primo probatur de motu & tempore. Tempus & motus proprias & peculiares partes habent, propria & peculiaria continuatiua, cum partes motus, motus ſint, temporis vero partes, ſunt tempus. Illius continuatiua mutata eſſe, iſtius autem inſtantia: Habent ergo ſuas proprias extenſiones, & diſtinctas cum in æquali tempore poſsit eſſe maior vel minor motus Tum etiam quòd tempus ſuit à motu vt paſsio illius, eſtque illius menſura, præſupponitur ergo motus habens proprias partes atque adeo non à tempore ſed à ſe. Habent ergo ſuas proprias & peculiares continuationes ac diuiſibilitates, atque adeo ſunt quanta continua per ſe, in hoc enim conſiſtit eſſentialis ratio quantitatis continuæ. *I. Probat.*

C Secundo ſpecialiter de tempore Tempus enim præterquam quòd ſuam peculiarem habet extenſionem continuitatem ac diuiſibilitatem vti oſtenſum eſt completam habet rationem entis, quia licet illius eſſentia in ſucceſsione ſit poſita, ſed non in via aut alicuius formæ perfectæ acquiſione, ſeu in actu imperfecto & in choato, vt motus qui ex ſua ratione rei conuenit, dum eſt in fieri duntaxat, & licet cum hoc tempus ſit realiter idem, tamen diſtinguitur formaliter, nec ad alterius rei complemẽtum attinet, vt in quauis alia duratione cuiuſuis rei videri poteſt, quæ extra cõplementũ ſubſtantiale ipſius eſſe intelligitur: ergo vt quædã ratio cõpleta nõ *II. Proba.*

minus quàm actio & paſsio.

I. Notabi. Verum tamen vt noſtram ſtatuamus (A) ſententiam, brebiter prælibare oportet nonnulla quorũ fuſior diſcutio ad Phyloſophiam ſpectat, vbi de motu & tempore & ad metaphyſicam, vbi de rerum duratione ſub qua tempus continetur, vt propria ſpecies illius. motus ergo nihil aliud eſt quàm via tranſitus aut fluxus à termino à quo ad terminum ad quem, qui in inſtantaneum & ſucceſsiuum diuiditur. Ille eſt qui in inſtanti fit, qui cum non ſit quantus ac diuiſibilis in partes, quia eiſ caret, certũ eſt ab hoc prædicamento excludi, iſte vero qui fit in tempore, & partes habet ſucceſsiuas vt in motu locali cerni poteſt. Tẽpus verò nihil aliud eſt quam duratio illa motus ſucceſsiui, eſt autem duratio extenſio & prolongatio exiſtentiæ ſeu retẽtio & perſeuerantia in exiſtentia, ſecundũ quam res dicitur durare, ſequitur ergo duratio rei exiſtentiam vt modus illius aut proprietas, ita vt quæuis res exiſtens ſuã propriam habeat durationem cum propria exiſtentia identificatam, & ſolum formaliter diſtinctam, vt luculenter docuit noſter Doctor in. 2 d 2. Sub inde fit talẽ fore durationem rei, qualis fuerit illius exiſtentia, ſi hæc eſt permanens, duratio permanẽs erit, ſi ſucceſsiua, & ipſa etiam ſucceſsiua. Cum igitur exiſtentia motus ſucceſsiui ſucceſsiua ſit, illius duratio ſucceſsiua erit, & hanc vocamus tẽpus, quod ſic poteſt diffiniri. eſt permanẽtia ſeu perſiſtentia motus ſucceſsiui, & cum à motu formaliter ſit diſtinctum, diſtinctam habet ſucceſsionem, & extenſionem partiũ motus enim eam habet in ratione viæ & acquiſitionis, tempus verò in ratione moræ & perſiſtentiæ, & diſtinctas partes cum enim partes motus, ſint ſecundum acquiſionem, ſunt motus, partes vero temporis ſecũdum durationẽ atque adeo tempora, diſtinctiſque copulantur continuatiuis vt in primo Argumento tactum eſt.

II. Notab Secundo in memoriam reuocare oportet, nõ quamcumque extenſionem & continuitatem, rationem quantitatis habere vt diximus q. 2. ſed quantitatiuam, quæ ex propria ratione ſua ordinatur ad reddendam ſubſtantiam, quantam ſeu quantitatiuè extenſam, vt explicuimus q. 3. Vnde extenſio illa & continuitas quam quæuis res materialis ſiue ſubſtantia ſit, ſiue accidens, ratione cuius quantitatis eſt capax entitatiua vocatur, quia nimirum ad propriam entitatis compoſitionem ex proprijs partibus continuatiuis ſpectat.

Prima concluſio ſit, motus non habet rationem quantitatis atque adeo non eſt ſpecies illius, in hac fere omnes conueniunt, quia Ariſt tam in metaphyſica quã in logica non ſolum motũ non enumerat inter quantitatis ſpecies, verum etiam vtrobique oſtendit, eſſe quantum per accidens, ratione magnitudinis ſupra quam fit, quia tantum dicimus eſſe motum, quãta eſt illa magnitudo & longitudo viæ. *I. Conclu.* Tunc ſic ergo motus non habet propriam extenſionem quantitatiuam ſed extenſus eſt à magnitudine mobilis per accidens, ſicut albedo eſt quanta per accidens, ratione ſuperficiei in qua eſt. *I. Probati.*

II. Proba. Secundo probatur, ſi propter aliquid motus rationem quantitatis per ſe haberet, maximè ratione propriæ extenſionis (B) & continuitatis, ſed non ratione huius: ergo nullo pacto. Maior probatur, quia in alijs accidentibus materialibus propria extenſio & continuitas entitatiua non habet rationem quantitatis per ſe, cum illa nihil aliud ſit quam propriarum partium compoſitio & vnio, quæ etiam in ſubſtantia materiali reperitur, vnde reuocatur ad rem illam cuius eſt. Ergo nec motus localis ratione propriæ extenſionis, & continuitatis entitatiuæ quam habet, ex propriarum partium vnione habebit rationem quantitatis per ſe; nec enim eſt ratio cur motui propria & peculiaris quantitas per ſe diſtincta à quãtitate ſubiecti adſcribatur & non alijs accidentibus materialibus, niſi vellis in opinionem Nominalium ſuperius exploſam incidere, quod ſi illa tã(C)tum dicuntur quanta per accidens à quantitate ſubiecti in quo ſunt. Ita & motus ex quantitate mobilis aut ſpatij.

Confirmat Tum etiam quod quantitas per ſe ex propria natura primò et per ſe ordinatur ad reddam ſubſtantiam quantam, ſecundario vero accidentia quæ in ipſa ſunt, hic enim eſt proprius & formalis effectus illius, ſed motus non ſic ordinatur ſed tantum ad acquiſitionem termini, vnde tantum ab eſt vt ſubiectum in quo eſt quãtum reddat, vt potius ipſe à quantitate ſubiecti in quo eſt quantus reddatur per accidens.

Confirmat Preterea quod motus eſſentialiter habet rationem entis imperfecti & incompleti, cũ illius eſſentia & extenſio conſiſtat in via & fluxu cum imperfectione: nequit

ergo

ergò per ſe & directe in prædicamento locum habere, antecedens in Phyloſopia ostendetur. Ponitur ergo motus ac extenſio illius reductiue in eo prædicamento in quo illius terminus, vt via ad illum & acquiſitio illius.

II. *Concl.* Secunda concluſio probabiliſsimum reputo tempus non habere propriam rationem quantitatis per ſe, ſed tantum per accidens quantum dici atque adeo non eſſe ſpeciem iſtius prædicamenti. hãc tuentur Doctores præſtantiſsimi vtriuſque Scholæ tam Angelici, vt Sonzinas. 5. metaph. c. 14. q. 24. Caiet. in prædicamento quantitatis. Sanches hic lib. 5. q. 29. Soarez in metaphyſi. diſputa. 41. ſect. 9. quam Subtilis Scoti. vt Fr. Ioanes de Colonia in ſuis queſt. Magiſtrali. in Scotum. q. 383. Videturque expreſſa mens Ariſt. qui licet in logica, logicum agẽs cuius non eſt rerum naturas ſtricte perueſtigare oppoſitum docuiſſe videatur iuxta vulgarem loquendi modum, in metaphyſica tamen. lib. 5. c. 13. inter quanta per accidens tempus connumerat ſic. *Hæc* (ideſt locus & tempus de quibus loquitur) *quanta quędam & continua dicuntur, eo quòd illa diuiſibilia ſunt, quorum ſunt hæc paſsiones, etenim quia illud in quo corpus mouetur quantũ eſt, & motus quantus* eſt, *tempus autem quia hic quantus*, quod clarius expreſsit, 4 phyſic. c. 11. tex. 99 ſic. *quod enim magnitudo continua ſit, motus quoque eſt continuus, quod autem motus & tempus, nan quantus motus eſt, tantum & tempus videtur ſemper fuiſſe.* Tempus ergo ſecundum Ariſtot. quantum per accidens eſt, & in hoc ſenſu dixit. 3. phyſi. tex. 1. motum eſſe de genere continuorũ ideſt per accidẽs, ſicut dici ſolet Cygnum eſſe de genere candidorum.

Noſter autem Doctor licet Ariſtotelẽ interpretatus, tempus referat inter ſpecies quantitatis tam in logica quam in metaphyſi. ſed ex his quæ docet in lib. ſent. noſtra concluſio ſatis aperte poteſt colligi. imo quod in metaphyſica. lib. 5. q. 9. tãtum oſtendit, motum & tẽpus proprias habere partes & continuatiua, propriamque extenſionem, & in hoc ſenſu poſſe dici quanta, in ſententia tamẽ noſtri Doctoris vbi ſuperius q. 2. hæc extenſio entitatiua eſt, vnde in eadem Quæſt. prope finem aſſerit propter Ariſt. dicendum eſſe motũ & tempus eſſe quanta per accidens, ſi de quantitate ſtrictè ſumpta ſermo fiat.

I. Probat. Probatur autem primò ſtatuta aſſertio, duratio in communi ſub qua tempus con-
A tinetur, non ponitur in hoc prædicamẽto, cum vt ſic non habaet extenſionem, & diuiſibilitatem, vt poteque à duratione abſtrahit diuiſibili & indiuiſibili ergo nec tẽpus eſſentialiter ſub illa contentum, conſequẽtia patet, vbi res aliqua ponitur, conſtituuntur etiam omnia illius prædicata eſſentialia, dum modo non ſint tranſcendentia, vt inductione patet in omnibus prædicamentis, duratio autem eſt prædicatum eſſentiale temporis, non tranſcendens ſed vniuocum, nulla enim poteſt aſsignari tranſcendentia, aut dependentia, aut aliqua alia Analogiæ ratio, cum ergo omnes durationes in ratione formali durationis conueniant, vel omnes debent in eodem prædicamento collocari, vel omnes à prædicamentis reijci. Porro nulla ratio reddi poteſt, cur quædã in vno, aliæ vero in alio
B ſedem habeãt, eadem vtique ratione dici poſset, ſubſtantiam materialem & ſpiritualem diuerſa exigere prædicamenta, & idem de qualitate corporali & ſpirituali, actione inſtantanea & ſucceſsiua, accidentali & ſubſtantiali. Quod ſi dixeris durationi ſubſtantiali & accidentali nihil vniuocum dari poſſe, ſaltem reſpectu durationis accidentalis materialis & ſpiritualis qualis eſt quæ reperitur in motibus ſpiritualibus Angelicis, quid vniuocum erit.

Secundò probatur ſi qua ratione tempus eſſet ſpecies Quantitatis per ſe maxime ratione cõtinuitatis & extenſionis partium, ſed talis extenſio & continuitas temporis propria, eſt entitatiua & tranſcendẽtalis reſpectu omnium rerum materialiũ, quia extenſio partium temporis eadem eſt realiter cum extenſione partium mo- *II. Proba.*
C tus, tametſi formaliter ſit diſtincta, atqui extenſio partium motus entitatiua eſt, ergo & temporis. conſequentia patet, cur quæſo continuitati & ſucceſsioni temporis propria conceditur Quantitas mollis, non verò continuitati & ſucceſsioni motus ſi ergo tempus quãtum eſt, erit per accidens à quantitate ſubiecti, ſicut enim motus cauſatur à mobili, ita & tempus.

Confirmat Confirmatur, duratio quæ genus eſt tẽporis, non eſt extenſa & quanta per ſe, ergo nec tempus conſequentia patet, vt extenſio & partium continuatio ſit per ſe, debet eſſe propria habita ex proprio genere & non ab alio emendicata, ſed tempus extenſionem quantitatiuam non ſortitur à proprio genere (quod duratio eſt) acceptã

ſed

ſed emendicatam à quantitate mobilis & ſpatij, aliàs enim id quod non eſt quantitas per rationem quantitatis contraheretur, & vnum prædicamentum poſset per aliud contrahi.

III. Prob. Tertio probatur, ſi tempus eſſet quantitas per ſe alicuius, maximè exiſtentiæ motus, ſed reſpectu illius non habet rationem quantitatis: ergo reſpectu nullius, min. probatur tum quia quantitas ex propria ratione ordinatur primo & per ſe ad quantificandam ſubſtantiam, vnde ratio partium ſubſtantiæ ſolet diffiniri, tũ quòd nullius rei duratio eſt quantitas eius ſed modus exiſtintiæ illius, nec enim vllo modo poteſt intelligi quo pacto tempus quantificet motum, quia cum motus ſit cauſa temporis, potius tempus ſuam habet extenſionem à motu quàm ècõtra vnde motus in priori naturæ cum propria ſucceſsione & extenſione intelligitur, tempus ergo eſt quod ad motus extenſionem extenditur, non veroècontra

Inſuper quod tempus incompletum quoddam eſt, ſicut & motus à quo procedit, vt illius proprietas, ab incompleto enim vt incompletum eſt, nihil completũ poteſt procedere, & res incompleta vt ſic nequit habere proprietatem ſe perfectiorem, nempe completam, effectus enim non eſt perfectior cauſa a qua adæquate procedit, nec proprietas radice à qua pullulat.

Vlt prob. Tandem probatur à Fr Ioane à Colonia ex doctrina noſtri Doctoris, illud quod eſt per ſe paſsio entis reſpectiui nõ eſt ens abſolutum, ſed tempus eſt paſſio motus qui eſt reſpectiuus maximè motus localis qui ſecundum noſtrum Doctorem in. 4. eſt reſpectus extrinſecus adueniens ſicut & illius terminus qui eſt vbi, ergo & tempus, id autem quod eſt de genere quantitatis eſt abſolutum.

III. Conc. Tertia concluſio, quantitas quæ in permanentem & ſucceſsiuam partitur, non eſt quantitas mollis, hoc prædicamentum conſtituens, ſed quantitas largè & tranſcendentaliter ſumpta, vnde diuiſio hæc non vniuoca eſt, ſed Analoga. hæc colligitur ex dictis, & probatur, motus & tempus non habent propriam rationem quantitatis per ſe, ergo nec quantitas ſucceſsiua cuius ſpecies aſsignatur. Præterra corroboratur, motus tempus & ſuperficies non conueniunt vniuocè in ratione continui: ergo quantum continuum non diuiditur vniuocè in permanens & ſucceſsiuum A antecedens probatur, Qualitatis continuitas vt albedinis non conuenit vniuocè cũ ſuperficiei continuitate: ergo nec temporis ac motus continuitas, patet conſequentia, vt enim in duobus primis nulla poteſt ratio eadem aſsignari, ita nec in ſecundis, quia ſi quæ oſtendatur eadem & in his aſſignari poterit. Probatur iterum Primum antecedens motus & temporis extenſio non conuenit cum extenſione ſuperficiei: ergo nec illorum continuitas, conſequentia eſt aperta, quibus enim viuens non conuenit vniuocè neque viuens ſenſibile, quibus ergò vniuoce non conuenit extenſum, nec extenſum continuum; antecedens probatur, extenſio ſuperficiei aut corporis in poſitiua ratione conſiſtit, extenſio vero motus & temporis in negatione ſimultaneæ exiſtentiæ, quia de ratione B entis ſucceſsiui eſt, vt cum eſt pars antecedens, non ſit ſubſequens, & dum ſubſequens, eſt non ſit antecedens, in qua ſuceeſione negatio clauditur eſſentialiter, non ergo eadem ratio eſt in his ac in illis.

IIII. Co. Quarta concluſio, Propter Auctoritaté tamẽ grauiſsimorum Doctorum communis modus ſentiendi de tempore peculiari nempe ratione continuum eſſe, peculiaremque ſpeciem quantitatis conſtituere probabilis eſt in quo dicẽdum eſt tempus eſſe motus quantitatem, quem menſurat & extendit, realiterque à motu diſtingui, vt probat noſter Doctor in 2. d. 2. q. 2. licet aliæ durationes prorſus idem ſintcum rebus quarum ſunt, poteruntque ſolutiones adhiberi rationibus adductis, quæ michi ſane efficaces ſunt.

Ad Arg. C Argumenta in principio pro prima opinione adducta facile ex dictis diluuntur.

Ad. I. Ad Primum dicendum eſt, motum & tempus habere quidem propriam extenſionem, partes & continuatiua, eam tamẽ non eſſe quantitatiuam per ſe, ſed tranſcẽdentalem & entitatiuam, reddique quãtam per accidens á quantitate ſubiecti.

Ad. II. Ad ſecundum, tempus incompletum quid eſſe quippe cum à radice incompleta prosedat vt dictum eſt.

QÆSTIO VI. NVM LINEA *ſuperſicies & corpus ſint ſpecies quantitatis continuæ.*

CVM Quantitas continua quæ hoc prædicamentum conſtituit, eſſentialiter magni-

magnitudo quædam ſit Antiqui Phyloſophi ex trib9 poſitionum differentijs, nimirum, ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrũ, ante & retro, quæ in viuentibus intrinſecè, in non viuentibus verò extrinſecè reperiũtur tres collegerũt dimenſiones aut magnitudines (eſt quippe dimenſio extenſio magnitudinis ab vna loci poſitione ad oppoſitam) Prima dimenſio eſt cuius extenſio ſumitur à poſitione loci ſurſum, ad poſitionem deorſum, & hæc appellatur longitudo aut linea. Secunda quæ à poſitione dextri ad ſiniſtrum deſumitur, & hæc vocatur latitudo ſeu ſuperficies. Tertia demum ab Ante ad retro, & hæc profunditas ſeu corpus nuncupatur. eſt ergo linea magnitudo vnius dimenſionis, ſcilicet longitudinis ſuperficies duarũ dimẽſionum, lõgitudinis & latitudinis, corpus trium, longitudinis latitudinis & profunditatis, quod expreſsit Ariſto. 5. metaph. c. 13. & 1. de Cœlo c. 1. ſic, linea eſt magnitudo quo ad vnum cõtinua, ſeu verſus vnam loci poſitionem, ſuperficies, quo ad duo cótinua, ſeu quo ad duas loci poſitiones, corpus eſt magnitudo ad tria continuum, ſeu verſus tres poſitiones, vnde corpus in præſenti non ſumitur pro ſubſtantia naturali ſiue completa, quo pacto diximus corpus ſub ſubſtantia collocari, vt ſpecies illius, ſiue in completa pro alia parte compoſiti naturalis, ſed pro magnitudine trinæ dimenſionis, quæ accidés quoddam eſt, corpuſque matematicum appellatur.

Ex quo deducitur tres tãtum eſſe magnitudinis ſpecies, ſeu quantitatis cõtinuæ, quas per terminos communes quibus illarum partes copulantur diffinit Phyloſophus, linea eſt quantitas continua cuius partes copulantur punctis, ſiue longitudo continuata punctis, eſt autem Punctum ens quoddam minutiſsimum, prorſus indiuiſibile & in extenſum. Superficies cuius partes copulantur lineis, ſeu latitudo continuata lineis, corpus cuius partes ſuperficiebus continuantur, ſeu profunditas ſuperficiebus continuata. ſicut ergo punctũ eſt continatiuum partium lineæ, & vltimus terminus quo linea terminatur, idẽ habet linea in ſuperficie, & ſuperficies in corpore Ob idque Matematici tres magnitudinis ſpecies colligunt, confingentes hos tres terminos moueri, tunc ex motu puncti linea deſcribitur. ex motu lineæ ſuperficies, ex motu ſuperficiei corpus.

Conueniunt ergo omnes punctum quidẽ vt pote omnino indiuiſibile & prorſus incompletum in genere quantitatis, A nullatenus eſſe quantitatis ſpeciem, ſed tantum ad illam reduci, vt terminus ac principium lineæ, corpus verò vt veluti extremum illi, veram eſſe quantitatis ſpeciem completam & perfectam, quippe cũ vnde quaque ſit extenſum verſus omnem dimenſionem. Tota ergo difficultas eſt de linea & ſuperficie, num cenſendæ ſint veræ ac completæ ſpecies quantitatis.

I Opinio. Plerique ſunt qui partem tueantur negatiuam his commoti fundamentis.

I. Argũ. Primum eſt, ex Ariſtotele deductum qui 1. de cœlo. c. 1. ſolum corpus ait inter magnitudines eſſe perfectum, quòd ſolum ſit omni ex parte continuum, linea ergo & ſuperficies erunt entia in completa in genere quantitatis, cum non omnimodam extenſionem habeant.

II. Argu. Secundum eſt id quod ex propria ratio B ne ſua eſſentiali eſt aliquid alterius vel vt pars, aut modus, aut principium rei, ad illius complementum ſuapte natura ordinatum, abſolute loquẽdo eſt quid in completum, ita ſupra. d 2. q 2. oſtenſum eſt, qua ratione materiam, formam, vnionem & omnes partes integrantes à recta ſerie prædicamẽtali excluſimus, atqui linea & ſuperficies ſic ſe habent, cum eſſentialiter pertineant ad integritatem corporis vt continuatiua & terminatiua illius, nullo modo à corpore ſeparabilia, ſaltim naturaliter loquendo, ſunt ergo quid in completum in genere quãtitatis. Quod ſi dixeris, vt continuatiua atque adeo vt in diuiſibiles, eſſe quidem quid in completum, ſi vero ſecundum ſe cõſiderentur vt diuiſibiles ſunt, eſſe ſpecies completas, ſeu vt alij dicunt, eſſe quidẽ in completas in tali ſpecie, vt linea in completa eſt in ſpecie ſu- C perficiei & ſuperficies in ſpecie corporis, non tamen in toto genere quantitatis ſicut punctum at verò in ratione longitudinis linea cõpleta eſt, ſed hæc ſic impugnantur.

III. Arg. Tertiò, linea non ſolum vt indiuiſibilis eſt (& idem de ſuperficie reſpectu corporis) ſed vt diuiſibilis etiam eſt verſus lõgitudinem ad rationem ſuperficiei ſpectat, ergo vt ſic quid incompletum eſt, ex propria ratione ad alterius complementum ordinatum. antecedẽs probatur, quia de eſſentia ſuperficiei eſt bina dimenſio & de eſſentia corporis trina, vnde ſuperficies diffinitur, eſt longitudo & latitudo ſine pro-

profunditate,& corpus, longitudo,latitudo,& profunditas.

Confirmat Confirmatur continuatiuũ ſuperficiei vt illius continuatiuũ eſt, eſſentialiter diſtinguitur à cõtinuatiuo lineæ ſedillud vt ſic eſt omnino indiuiſsibile :ergo hoc habet rationem continuatiui ſuperficiei,nõ præciſè vt eſt indiuiſibile, ſed vt eſt diuiſibile ſecundum vnam extenſionem,indiuiſibile autem ſecundum duas.

IIII. Arg Quarto,iſtæ magnitudines vt viſſum eſt, tantum differunt pœnes numerum dimenſionum, ſed dimenſiones non differunt in ratione magnitudinis ergo nec illæ.

II. *Opinio.* Dixerũt Alij longitudinem & latitudinẽ poſſe bifariam capi, primò ſtrictè cum limitatione huius aduerbij *tantum*, ita vt longitudo importet quãtitatem quæ vná tantum habet dimẽſionem, latitudo duas, tantum,& hoc pacto illa conſtituit lineã, hæc ſuperficiem. Secundò ſine prædicta limitatione,& ſic ſunt quid incompletum, eſt enim longitudo vt ſic de eſſentia ſuperficiei & ſuperficies de eſſentia corporis.

I. *Notabi.* Vt autem noſtram & communem proferamus ſententiam apprimè adnotare oportet,has tres magnitudines ſeu dimenſiones ſuas proprias habere partes,ſuaque propria cõtinuatiua, vt partes lineæ ſunt lineæ,continuatiua vero puncta,partes ſuperficiei ſuperficies vtique ſunt, continuatiua vero lineæ,partes corporis,ſunt corpora,& cõtinuatiua ſuperficies.igitur pũcta non ingrediuntur lineæ compoſitionem tanquàm partes illius, ſed tantum vt cõtinuatiua, atque adeo dicuntur eſſe de eſſentia illius, non in recto ſed in obliquo, quo pacto vnio dicitur de eſſentia compoſiti,vnde non in recto ſed in obliquo enunciatur de illo, in quo ſenſu intelligendum eſt,lineam nec dari nec intelligi poſſe ſine punctis,alioquim non continua ſed in partes diſſoluta intelligeretur quod cum eſſentia illius pugnat. Idem proporcionaliter dicendum eſt,de linea ad ſuperficiem, & de ſuperficie ad corpus cõparatis,lineã nempe nõ ingredi ſuperficiei compoſitionem vt partem illius,quia non vt eſt indiuiſibilis,vt enim punctum indiuiſibile additum alteri, nequit lineam conficere, ita nec linea, ex ea parte qua indiuiſibilis addita alteri vt ſic ſuperficiem & latitudinẽ diuiſibilem poterit conficere, nec qua ratione diuiſibilis, vt ſic enim vna linea addita alteri,longiorem lineam efficiet,non latitudinem,& eodem modo poteſt conuinci de ſuperficie reſpectu corporis, tantum igitur ingrediuntur ſub ratione continuatiui,linea ſuperficiei compoſitionem, & ſuperficies corporis.

Prima concluſio ſit,linea,ſuperficies & corpus,ſunt tres ſpecies completæ quantitatis,inter ſe diſtinctæ & oppoſitæ,quarum neutra in recto de alia prædicatur, ſic cum Ariſtot.tam hic quám.5 metaph. omnis Phyloſophorum ſchola, & probatur. illæ ſunt propriæ & diſtinctæ ſpecies alicuius generis,quæ genericam naturam participant diſtinctis differentijs contractam,atqui tales ſunt linea, ſuperficies,& corpus reſpectu quantitatis cõtinuæ, quæ genus eſt iſtius prædicamenti:ſunt ergo veræ & propriæ ſpecies illius diſtinctæ, minor probatur,linea,ſuperficies,& corpus, ex ſuarum eſſentiarum immediatarum habent extẽſionem quantitatiuam terminis communibus copulatam, & addũt diſtinctas & peculiares rationes extenſionis vt linea ſecundum longitudinem, ſuperficies ſecundum latitudinem,corpus ſecundum profunditatem. Sunt ergo veræ & propriæ ſpecies quantitatis.

I. Conclu. Ariſtote. Scotus. S. Thom. Probatur.

Confirmat Confirmatur,prædictæ dimenſiones,habent proprias partes diſtinctas,propria & diſtincta continuatiua, ergo & proprias & diſtinctas extenſiones in genere quantitatis continuæ,

II. Proba. Si aliquid obſtaret quo minus linea & ſuperficies completæ eſſent ſpecies quantitatis,maxime quia linea in ſuperficie, & ſuperficies clauditur in corpore, hoc porrò nihil obſtat. Tum quia, linea non ingreditur ſuperficiem formaliter vt pars illius,ſed vt partium continuatiua, & communis terminus, atque adeo quatenus indiuiſibilis eſt,vt ſic enim continuat & terminat, aliás non eſſet vltimo terminans, haberet enim aliquid vlterius terminans, & licet ſuperficies includat aliquo modo extenſionem lineæ,nõ formaliter,ſed quaſi materialiter ſeu non in recto ſed in obliquo.Cum enim accidentia in genere entis non ſint omnino perfecta,ſub diuerſis rationibus completa poſſunt eſſe & incompleta,& quod in aliqua ſpecie completũ eſt,poteſt ſub alia ratione in alterius accidentis ſpecie claudi.

II. Conclu Secunda concluſio,linea,ſuperficies,& corpus,ſunt ſpecies infimæ quantitatis cõtinuæ, in hac etiam fere omnes conueniunt. *Probatur.* Probatur,eſſentia quantitatis in extenſione conſiſtit,non ergo poteſt eſſen

tialiter

tialiter diuidi in ſpecies diſtinctas,niſi per modos extenſionis diuerſos eſſentialiter, A ſed linea(etidem de ſuperficie,& corpore)nequit diuidi in modos extenſionis eſſentialiter diuerſos:ergo nec in ſpecies eſſentialiter diuerſas. probatur antecedẽs, quia extenſio cuiuſque lineæ tantum eſt in partes longitudinis, & omnia puncta quibus omnes lineæ inter ſe cõtinuantur, ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo omnes lineæ cum eodem puncto ſint cõtinuabiles ſunt eiuſdem ſpeciei.

Deducitu. Ex quo deducitur omnes lineas,(etidẽ de ſuperficie & corpore)eſſe eiuſdem ſpeciei, ſolumque diſtingui numeraliter & accidẽtaliter,atque adeo omnes diuiſiones lineæ, vt in rectam, curbam, circularem maioris vel minoris longitudinis, finitam vel infinitam accidentales eſſe, curbitas enim & rectitudo accidunt lineæ, cum eadem linea modo poſsit fieri recta modo curba. maior autem & minor longitudo tantum eſt, maior vel minor partium integralium extẽſio,quæ non variat ſpeciem, ſed pertinet ad rationem indiuidualem atq; adeo nec finitas & infinitas, ſi enim daretur linea infinita eiuſdem ſpeciei eſſet cum finita.

Ad.Argũ Ad Argumenta in contrarium obiecta facile ex dictis

Ad. I. Ad Primum Mentem phyloſophi eſſe, quòd corpus ſit ſpecies magnitudinis perfectiſsima.

Ad. II. Ad Secundum, ſolutionem ibi datam exactam eſſe, vnde diſtinguenda eſt minor, quatenus habent rationem termini communis, aut principij concedo, ſecundum propriam rationem extenſionis nego, ſic enim quæuis habet completam quandam quantitatis extenſionem quia linea eſt in C ſe continua ſine ordine ad ſuperficiem, & perfectè ſine illa cognoſci poteſt, & licet cum ſuperficie ſit coniuncta,nullo tamen modo ab illa in eſſe longitudinis perficitur,& idem de ſuperficie reſpectu corporis.

Ad.III. Ad.Tertium quod hanc ſolutionẽ eneruat, per ſecundam probationem noſtræ concluſionis, diſtinguendum eſt antecedens,formaliter nego,quaſi præſuppoſitiuè concedo,ad probationem diſtinguendum etiam antecedens,in recto & formaliter nego,vna formaliter & in recto nempe latitudo, alia vero materialiter,& in obliquo concedo, vt longitudo, & idem de corpore quòd formaliter tantum eſt profunditas,materialiter autem & in obliquo latitudinem & longitudinem importat. Vnde propoſitiones iſtæ ſuperficies eſt duplex dimenſio,corpus trina,nõ ſunt propriæ,& formaliter,ſed tantum præſuppoſitiuè & materialiter,iuxta ſenſum dictum intelligendæ.

Ad Confir Ad Confirma.quòd continuatiuum ſuperficiei dicit rationem indiuiſibilem ſecũdum latitudinem, hæc autem non niſi cum longitudine coniuncta reperitur, continuatiuum corporis indiuiſibile debet eſſe ſecundum profunditatem, quæ non reperitur niſi coniuncta cum ſuperficie.Ob id ſuperficies lineam aut longitudinem includit, formaliter quidem vt in diuiſibilis eſt ſecundum latitudinem,materialiter vero vt longitudo eſt,corpus itidem ſuperficiẽ includit,formaliter quàtenus eſt indiuiſibilis ſecundum profunditatem, materiali B ter autem vt diuiſibilis eſt ſecundum latitudinem.

Ad.IIII. Ad .Quartum diſtinguenda eſt maior. propriè & formaliter nego,ſic enim diſtinguuntur per proprias extenſiones diuerſæ rationis,præſuppoſitiuè & materialiter concedo.

Obiectio. Obijciat quis ex dictis,ex pluribus entibus in actu vt ex pluribus ſpeciebus completis fit vnum per accidens vti in numero oſtendimus. corpus ergo ens per accidens erit. Reſpondendum eſt,lineam & ſuperficiem ingredi corporis conſtitutionem,non formaliter vt ſpecies completæ ſunt, ſed vt in completæ, & indiuiſibiles. Dices idem etiam poſſe dici de numero, ex vnitatibus componi vt entia in completa ſunt Reſpondeo numerum conſtitui ex vnitatibus, vt entia ſunt actu diuiſa & ſeparata, atque adeo vt completa. Linea verò & ſuperficies cũ corpore vnionem habent.

Aduerte tamẽ proſequentis Quæſtionis intelligentia, quòd ſicut linea non ſolum continuatur, ſed etiam terminatur punctis, quæuis enim linea duobus punctis eſt clauſa,& duo illa extrema puncta,termini appellatur.Ita & ſuperficies non ſolum lineis continuatur,ſed etiam terminatur, & corpus ſuperficie,vt in orbe cœleſti videri poteſt, duabus ſuperficiebus terminata,vna ſuperiori quæ conuexa dicitur, altera ex parte inferiorique concaua nuncupatur.

QÆSTIO

QVÆSTIO VII. DENTVR ne Aliæ ſpecies Quantitatis continuæ.

QVONIAM Plerisque plauſibilis eſt opinio aſtruens, locum eſſe ſpeciem quantitatis continuæ, Ariſtotelis patrocinio roborata, in præſenti capite locum inter Quantitatis ſpecies referentis, è re erit nonnulla præmittere proloci naturæ intelligentia. et quidem locum eſſe nullus eſt qui ambigat, cum res omnes naturales in loco eſſe, omnes fateantur, ſed quæ ſit natura loci, difficile eſt explicatu, in Phyloſophia enucleandum.

Non loquimur in præſenti de loco veterum Phyloſophorum, quem dixere, ſpacium eſſe illud aut interuallum, quod á corpore repletur & occupatur, vt ſpacium illud quod intra latera alicuius vaſis concipimus, de hoc enim certum eſt, non eſſe quantitatis ſpeciem quia in Phyloſopia oſtendetur, ſpacium illud non eſſe quid reale poſitiuum, ſed aut imaginarium & ope intellectus per modum entis cōfictū, aut negationem eſſe realem ſeu nō repugnantiam corporum capiendorum, locandis corporibus commenſuratam, atque adeo non eſſe dimenſionem & quantitatem. Sed de loco Ariſtotelico communi Peripateticorum conſenſu recepto, quem aſſerit ſuperficiem eſſe concauam corporis continentis, circumſcribentis, ambientiſque aliud corpus ſibi contiguum. vt cū aqua continetur in aliquo vaſe tamquam in loco, illa ſuperficies vaſsis non conuexa ſed concaua quæ nimirum proxima eſt aquæ, illamque immediate tangit, continet & circumſcribit, dicitur locus aquæ, & ipſa aqua contenta dicitur corpus locatum. Ob idque locus ab Ariſtot. appellatur terminus primus ambientis, ideſt ſuperficies corporis ambientis, cum ſuperficiem dudum dixerimus, terminum eſſe corporis, & non quæcumque ſuperficies ſed prima, ideſt proxima & immediata corpori locato. ex quo totū ipſum corpus ambiens cum non ſit quod primò & immediatè tangit locatum, non dicitur locus, ſed vltima ſuperficies illius ſibi inhærés, tangenſque immediatè locatum. vnde locus non inhæret corpori locato & contento, ſed ipſi locanti & continenti, extrinſecè ergo ſe habet reſpectu locati.

I. Opinio. conſtituēs Aſſerunt ergo prædicti Doctores tam ex antiquioribus quám ex recenſioribus Ariſtot. interpretibus, locum eſſe veram *locum ſpeciem Quantitatis.*

A quantitatis ſpeciem à ſuperficie diſtinctā, atque adeo ſuperficiem in communi genus eſſe duas ſub ſe ſpecies complectens, locum nempe & ſuperficiem particulariter dictam, quæ propter nominum indigētiam nomē generis ſibi retinet, vt in alijs ſpeciebus ſolet euenire.

Supponunt autem hi, ſuperficiem quæ ſpeciei, rationem habet ſolum dicere partium extenſionem ſecundum longitudinē & latitudinem, per quam corporis profunditas terminatur, locum verò eandem extenſionem partium importare, addereque reſpectu locati ambitum & cōtinentiam, quia locus, eſt ſuperficies ambiens & continens locatum, locus ergo licet intrinſece in hæreat & afficiat ipſum locans, extrinſece tamen afficit & denominat locatum, & ſic dicitur tantum eſſe locatum quantus eſt locus, quem occupat, & vice

B verſa, nec enim opus eſt vt ab omnibus quantitatis ſpeciebus res denominentur quantæ intrinſecè. & cum aliquæ ſint paſſiones quæ conueniunt ſpeciebus non ratione generis ſed ſecundum proprias ſpecificas rationes, quæ ob id non conueniūt omnib9 ſpeciebus, ideo immobilitas quæ loco conuenit, non ratione quantitatis vt ſic, ſed vt locus eſt, ſoli illi conuenit, & non alijs ſpeciebus Quantitatis.

Sed Aduerte non eodem prorſus modo opinionem hanc á ſuis patronis defenſari, quidam enim aſſerunt ſuperficiem & locum ſpecie diſtingui, penes intrinſecum & extrinſecum ita ut ſuperficies ſit extenſio intrinſeca, locus verò intrinſeca. Alij per proprias extenſiones formaliter diſtinctas nituntur his Argumentis. *II. Modus exponendi*

C Primum eſt. Locus in ſua propria ratione ſpecialem modum importat formalis extenſionis, diſtinctum à ſuperficiei extenſione, eſt ergo diſtincta ſpecies. probatur antecedens, locus ſupra ſuperficiem continentiam addit, ſed hæc eſſe nequit ſine propria & peculiari extenſione. ergo. minor probatur. talis continentia eſt in ordine ad locatum quod extenſum eſt, ergo in ipſa ratione continendi & ambiendi quem locus dicit formaliter includitur extēſio partium, cum impoſsibile ſit locum ambire & continere locatum extenſum, quim & ipſe ſit extenſus. *I. Argū.*

Secundum, quòd loco conueniunt omnes proprietates quātitatis, vt eſſe æqualē vel inæqualē, eſſe menſuram, & diuiſibitas *II. Argu.*

ratione

ratione cuius partibus loci correſpondent partes locati. vnde illius diuiſibilitas ſumitur per ordinem ad locatum, non verò ſuperficies.

III. Modu

Dixerunt alij locum in ratione menſuræ diſtinctam conſtituere ſpeciem quantitatis, quatenus eſt menſura extrinſeca locati, non tamẽ in ratione extenſionis, quia non habet peculiarem extenſionem ab extenſione ſuperficiei diſtinctam,

Alij tandem dicunt, propriam eſſentiã loci non eſſe deſumendam per ordinem ad locatum, ſed per ordinem ad ſubiectũ cui in hæret, quod ſic explicant, quòd cũ Accidentia ſint entia dependentia, ſuam vltimam differentiam ab aliquo alio ſemper deſumũt, vel á termino, vel ab obiecto, vel per ordinem ad ſubiectum, vt ſimitas á curuitate diſtinguitur per ordinem ad Naſſum, vnde ſimitas eſt naſſi curuitas, duplices ergo ſunt ſuperficies, quædam quæ non determinãt aliquod ſubiectum, aliæ verò quæ aliquod ſubiectum peculiare determinant, illæ tantum important quod ſint termini corporis & ſunt ſuperficies particulariter ſumptæ, iſtæ verò dicunt ordinem ad tale ſubiectum nempe continens, & tales habent rationem loci, locus ergo differt eſſentialiter à ſuperficie particulariter ſumpta per ordinem ad ſubiectum in quo eſt, quia locus eſt ſuperficies non quælibet, ſed corporis continentis vt continens eſt, vt ſimitas eſt curuitas non quælibet, ſed exiſtens in Naſſo, & ad hanc eſſentiam ſequitur in loco reſpectus continentiæ ad locatum, & immobilitatis ad centrum & polos mundi.

Fundamentum iſtorum eſt, quod accidentia quæ ex propria ſua natura determinant aliquod ſubiectum, diſtinguuntur eſſentialiter, vt viſum eſt in ſimitate, ſed locus eſt ſuperficies non quæuis, ſed determinans proprium ſubiectum, corpus nempe continens, vnde in ſuo conceptu eſſentiali totum hoc includit, ſicque diffinitur eſt ſuperficies corporis continentis, ergo. In hoc igitur ſentiendi modo locus & ſuperficies realiter diſtinguuntur.

Opinio. de pondere.

Demum non deffuerunt qui præter locum aliam etiam admitterent quantitatis ſpeciem, atque adeo quantitatem diuidendam eſſe in magnitudinem, multitudinem & pondus, Probatur tũ ex Ariſtot. conſtituente. 5. metaph. c. 13. graue & leue inter ſpecies quantitatis, graue autem & leue ad rationem põderis ſpectant. Tum quòd proprietatès habet quantitatis, vt æquale & in æquale, duo enim corpora vnius libræ á ſuo pondere dicuntur æqualia, & eſſe menſuram, cum pondus ſit grauium & leuium menſura.

Notabile.

Sed pro noſtra ſtabilenda ſentẽtia, quæ proculdubio verior & communior eſt, obſeruandum, ſuperficiem illam concauam corporis continentis vel poſſe comparari ad ipſum ſubiectum cui in hæret, quod diximus eſſe corpus illud quod intra ſe aliud continet, vt ſuperficies aeris concaua me circundans & immediate tangens in hæret ipſi aeri me continenti & circundanti, vel ad locatum quod circuſcribit & immediate tangit, & vt ſic multa includit ſcilicet extenſionem localem (loquimur de loco materiali rerum materialium quantitate affectarum) quia circunſcriptio & commenſuratio conſiſtit in hoc, quod tota quantitas loci ambiat & contineat diuiſibiliter totam quantitatem conuexam locati, & pars partem, vnde latera continentis localiter debent diſtare, hoc autem nequit eſſe ſine extenſione locali, ergo locus circunſcriptiuus illam eſſentialiter includit, includit præterea figuram tali commenſurationi accomodatam, nempe concauam, hæc enim eſt ad aliud corpus ambiendum & continendum proporcionata, ob id que in diffinitione loci ponitur. Includit inſuper continentiam, vt ex eadem diffinitione conſtat, in qua dicitur corporis continentis, hæc autem vel poteſt ſumi pro actuali continentia, quo pacto importat extrinſecam denominationem continentis, & relationem continentiæ loci ad locatum, aut pro aptitudine ad continendum quæ nihil aliud eſt quám potentia extrinſecè denominandi corpus locatum aut contentum. tandem includit vbi ſeu præſentialitatem in tali vel tali ſpacio, in quo locatum debet continere.

I. Conclu

Prima concluſio. Locus ad ſubiectum corpus nempe continens cui in hæret comparatus, non cõſtituit ſpeciem diſtinctam á ſuperficie, ſed eadem prorſus eſt. ſic fere omnes communiter aſſerentes locum materialiter ſumptum pro ſuperficie corporis continentis, in qua fundatur relatio cõtinentiæ eſſe ſpeciem quantitatis, non tamen diſtinctam á ſuperficie.

I Probat.

Probatur primò, genus ad eſſe alicuius ſpeciei per ſuæ rationis formalis diuiſionem contrahitur. Sed ratio formalis

ſuperficiei eſt extenſio partium ſubſtantiæ ſecundum latitudinem, ergo per diuiſ- A ſionem huius debet conſtitui noua ſpecies ſuperficiei, quæ vt ſic debet tribuere nouam & ſpecialem rationem extenſionis, condiſtinctam eſſentialiter ab extenſione alterius ſpeciei, quia differentia determinat genus ad modum ſpecialem ſub tali genere, ſed locus cõparatus ad ſubiectum cui in hæret, & cui intrinſecè tribuit ſuum effectum formalem, non tribuit nouam & ſpecialem rationem extenſionis: ergò non conſtituit nouam & diſtinctam ſpeciem, min. probatur quia corpus cui in hæret tantum extendit ſecundum latitudinem, ſicut quæuis alia ſuperficies, quia præter tres modos extenſionis. quæſt. præcedenti recenſitos, ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, non eſt alius modus ex cogitabilis, vt Phyloſophi ex triplici poſitionum differen- B tia poſsibili, & Matematici, ex tribus modis terminorum & principiorum, quorum motu prædictæ imaginantur dimenſiones deſcribi, & ex tribus modis quibus ſe poſſunt lineæ perpendiculariter interſecare demonſtrãt. nequit ergò locus corpori cui in hæret aliam extenſionem & diuiſibilitatem præter præfatas exhibere non ſecundum longitudinem aut profunditatem, ergo ſecundum latitudinem, quæ eſt ſuperficiei, atque adeo ab hac non eſt ſpecies diſtincta.

Confirmat Confirmatur; vltima ſuperficies aeris me continentis nihil peculiare ſuperaddit extenſioni ſecundum latitudinem, niſi quòd me contineat, ſed ex hoc, nullo alio ſpeciali modo aeris ſubſtantiam extendit quàm ſi nullum corpus contineret, quòd ſi quid piam confert, tantum eſt denominatio extrinſeca continentis, ergo nullam præſefert peculiarem & diſtinctam extenſionem.

Solutio Dices forſam, addere quidẽ locum ſupra extenſionem ſecundum latitudinem, ordinem ad tale ſubiectum, quem non importat ſuperficies abſolutè ſumpta, ratione cuius conſtituitur locus, in eſſe diſtinctæ ſpeciei, imo ex hoc infertur, diſtinctam ac ſpecialem extenſionem ſubſtántiæ cui in hæret conferre, quia locus eſt ratio partium contentiuarum, ſuperficies vero tantum ſecundum latitudinem.

Oppugna. Hæc tamen vires non ad imunt argumẽto. quia corpus eſſe continens tantum addit denominationem extrinſecam: ergo per ordinem ad illam nequit ſpecialis ratio extenſionis ac quantitatis excerpi.

Tum quòd ordo ille ad corpus continens nullam tali ſubiecto extenſionem cõferre peculiarem, ſi quam enim maximé rationem partium contentiuarum, ſed hæc non importat ſpecialem rationem extenſionis ab ea quæ eſt ſuperficiei, quia partes eſſe contentiuas ſupra extenſionem partium ſecundum latitudinem, ſi de actuali continentia procedat, tantum addit denominationem extrinſecam, & relationem realẽ continentiæ quæ non ſunt de prædicamẽto Quantitatis. Si verò de aptitudinali, tantum addit aptitudinem continendi locatum & partes illius, atque adeo, ad denominandum extrinſece contentum, ſed talis aptitudo nullã importat ſpecialem extenſionem, reſpectu ſubiecti cui in hæret præter extenſionem latitudinis, ſicut nec aptitudo in ſuperficie ad recipiendam albedinem, aut in ſuperficie veſtis ad hominẽ peculiari modo circundandum.

Secundò probatur, ſi ſuperficies concaua corporis continentis per ordinem ad illud conſtituitur ſpecies diſtincta à ſuperficie abſolutè ſumpta, ergo & ſuperficies conuexa corporis contenti per ordinem ad corpus contentum conſtituitur alia ſpecies diſtincta, vt enim aduerſarij aſſerunt, ſicut illa totum hoc eſſentialiter includit, quòd ſit ſuperficies non quæ cumque, ſed corporis continentis, & conſtituitur locus, quid prohibebit dicere, hanc totũ hoc eſſẽtialiter includere, quòd ſit ſuperficies, non quæcumque, ſed corporis contenti, & ſicut illa addit rationem partium contentiuarum, ita & hæc rationem partium contentarum ſeu potẽtium C contineri, eo enim admiſſo, quodcumque diſcrimen aſsignetur nullius ponderis erit. *II. Proba*

In ſuper quod aduerſa opinio plenam nobis viam ſternit in numeras fingendi ſpecies, vt ſuperficiem corporis calidi, & corporis albi, &c nouas eſſe formalitates, ſpecies quantitatis diſtinctas extruẽtes. *Confirmat*

Secunda concluſio. locus vt locus eſt, quo pacto ad locatum comparatur, nõ eſt ſpecies quantitatis, nec in ratione extenſionis, nec in ratione menſuræ. eſt noſtri Docto. in præſenti q. 23. & omnium Scotiſtarum. & ex thomiſtis non pauci nec minoris notæ iſtius aſſertionis patrocinium hac tempeſtatè ſuſcipiunt. *II. Conc.*

Proba.

I. Probat. Probatur primò, locus vt locus eſt eſſẽtialiter multa importat diuerſorum prædicamentorum vt in noſtra animaduerſione ex omnium mente præfixa propoſuimus, eſt ergo ens per accidens, non ergo conſtituit ſpeciem prædicamenti quantitatis.

II. Proba. Secũdò probatur, locus vt locus eſt formaliter ad locatum comparatus, nullam importat ſpecialem rationem extenſionis quia nullam tribuit locato, ergo vt ſic non eſt ſpecies quantitatis diſtincta Probatur antecedens, locus non inhæret locato, nõ ergò ei extenſionem tribuit aliquã, quantitas enim eſt accidens quod intrinſecè in hærẽdo reddit formaliter quantum & extenſum, quod ſi locus continendo locatum nihil intrinſecum ei tribuit, ſed tantum denominationem exrrinſecam contenti, illud non reddit formaliter extenſũ.

Confirmatur. corpus locatum ſupponitur de ſe extenſum, nullum ergo extenſionis genus poteſt de nouo accipere à loco. imo ſi à locato aufferretur quantitas, non maneret extenſum propter ſuperficiem ambiẽtem. Confirmatur ſecundò, ſi aliquam tribuit locus extenſionem locato, vel eſt vt in ſe partes habeat, & hoc non, cum id habeat locatum á quantitate ſibi intrinſeca. vel quòd habeat partes in loco. hoc autem aut eſt habere partes in loco receptas, quod non eſt noua extẽſio, ſed eſt extenſum recipit claudi in alio, imo tunc locatum reſpectu ambientis eſſet locus cum ambiens & locans recipiatur in locato. aut habere partes in loco eſt quod partibus loci correſpõdeant partes locati & hoc de formali eſt relatio ſimultatis aut preſentialitatis, de materiali verò ipſas quantitates & extenſiones locales loci & locati poſitas in tali ſitu importat.

III. Prob. Tertiò tãdem, quod in linea danda etiã eſſet duplex extenſio eſſentialiter diſtincta, atque adeo duplex ſpecies, vna quæ ſubiectum extenſum reddit ſecundum longitudinem, altera reſpectu corporis extenſici, quod verſus longitudinem cingit. dices lineam non ambire adæquatè ſicut locus & ob id non conſtituere ſpeciem diſtinctam. Si enim linea in propria extenſionis ſpecie completa eſt, et ſi ad ſuperficiẽ comparata in completum quidpiam ſit, ergo in ratione continendi ſecundum propriam extenſionem longitudinis completa & adæquata erit, licet in ratione latitudinis in completum quid ſit. Quòd vero nec in ratione menſuræ conſtituat ſpeciẽ diſtinctam quãtitatis patet, quia ratio menſuræ eſt paſsio quantitatis, quæ ergo in eſſentia quantitatis conueniunt etiam in ratione menſuræ quæ ab eſſentia quantitatis fluit.

Tertia concluſio. Pondus nõ eſt ſpecies quantitatis, hanc dubio procul omnes ingenue fatentur, cum Ariſt qui. 5. metaph. tex. 19. grauitatem & leuitatem numerat inter ſpecies Qualitatis quod ſi. c. 13. inter ſpecis quantitatis cõnumeraſſe videatur, ex Pitagoreorum opinione loquutus eſt, omnia corpora ex athomis & ſuperficiebus conſtituta auſpicantium. vnde corpora illa grauiora nũcupabãt, quæ ex pluribus ſuperficiebus & athomis erant conſtituta, leuiora verò quæ ex paucioribus. ſed re vera quantitas ponderis præcipue in intenſione conſiſtit, atque adeo impropria & translatitia quantitas eſt, & per trãslationem æquale vel in æquale, quod commune eſt omnibus prædicamentis. *III. Conc.*

Super eſt Argumenta diſſoluere quæ concluſionis veritatem eneruant. *Ad Arg.*

Ad primum, quod ſicut locatum contineri non dicit ſpecialem rationem extenſionis ſed ſupponit, cum nihil aliud ſit quám extenſum circunſcribi, ita continere, non importat formaliter nouam rationem extenſionis, ſed ſupponit, cum continere nihil aliud ſit quám id quod extenſum eſt aliud circunſcribere. Ariſtot autem vt ait noſter Doctor loco citato locũ in hoc. c. inter quantitatis ſpecies adſcribit, non ſecundum propriam opinionem, ſed antiquorum locum eſſe ſpatium æquale locato aſſerentium, quam tamen improbat Ariſt. 4. phy. vnde illus non meminit. 5. metaph. *Ad. I.*

Ad ſecundum. loco quidẽ nõ formaliter ſed materialiter accepto ratione ſuperficiei quam pro materirli importat quantitatis proprietates conuenire. *Ad. II.*

Ad fundamentum. Quarti. maioris intelligentia alibi erit expendenda. Sed diſtinguatur min. locus materialiter ſumptus nego, vt ſic enim tantum reſpicit ſubiectum, cui ſuam extenſionem tribuit, formaliter autem in quantum locus multa concernit & includit ratione quorum eſt ens per accidens.

QVÆSTIO VIII. QVO PACTO ſit conſtituenda coordinatio iſtius Prædicamenti Quantitatis.

CONTROVERSIA præſens ex dictis facile poteſt expediri, ſed oportet alias diuiſiones quantitatis ab Ariſto. aſsignatas expendere, vt quo pacto ſe habeat ad hanc coordinationé percipiamus.

I. Diuiſio Diuiſit Ariſtoteles quantitatem ſeu quantum, in quantum per ſe & per accidens, quam diuiſionem ſola quantitas ſibi vendicat, inter reliqua accidentium Prædicamenta, quæ tãtum ſunt formæ accidétariæ à quibus ſubiecta denominationem accidentalem ſuſcipiunt, & talia per accidens dicuntur cum tamen ipſæ denominationem concreti & vt quod non ſuſcipiãt, vt albedo denominationem albi tribuit, ſubiecto accidentaliter, cum tamen ipſa in ſe alba non ſit, vnde tantum datur albũ per accidens, & non per ſe. Quantitas verò talis eſt naturæ, vt non ſolum ſit ſubiecto, quod accidentaliter afficit, ratio eſſendi quantum per accidens, ſed ipſa ſibi eſt ratio eſſendi quanta eſſentialiter, ób id ergo in ſola quantitate diuiſio hæc quanti in per ſe & per accidens reperitur, quán tum per accidens eſt quod á forma quantitatis, accidentaliter conſtituitur vt ſubſtantia materialis & cætera accidentia materialia, à quantitate quanta redduntur, quo pacto motum & tempus quanta per accidens vocat Ariſto. quantum verò per ſe, quod ſe ipſo eſſentialiter eſt quantum, quo pacto genus iſtius prædicamenti & illius ſpecies quanta per ſe ſunt & eſſentialiter. vnde diuiſio hæc non vniuoca eſt, ſed analoga, atque adeo non eſt generis iſtius Prædicamenti, ſed in latiori acceptione.

II. Diuiſi Diuiſit etiam Ariſtot. Quantitatem in eam quæ habet poſitionem in continuo, & in eam quæ talem poſitionem non habet, vt autem de qua poſitione præfata diuiſio procedat Obſeruandum eſt, geminam eſſe poſitionem, vnam quam partes quantitatis habent in ordine ad locum, quæ eſt ſituatio partium in loco, ſeu extenſio partium in ordine ad locum & ſitum, ratione cuius aliquid dicitur cubare, ſedere, iacere, ſtare, ſed de hac non loquimur (quidquid aliqui dicant) quia ad prædicamentum ſitus ſpectat, alia eſt quam partes habent inter ſe abſque ordine ad locum, & eſt illa poſitio ſeu conſtitutio partium inter ſe ratione cuius vna eſt in alia, vt digitus in manu, & manus in brachio, & certo ordine eſt deſsignabilis, quæ ſit vna pars & quæ alia, quæ anterior, quæ poſterior quæ ſurſum, quæ deorſum, quæ dextra quæ A ſiniſtra, nulla habita loci conſideratione, & hanc vocat Ariſtoteles ſituationem partium ita aſſerens, *ſingulæ namque earum ſita ſunt alicubi, & habeas vbi diſtinctè ſumas, & aſsignes vbi ſingulæ ſitæ ſint in plano, & ad quam partem reliquorũ copulantur* vbi per partes alicubi eſſe ſitas non intelligit ſituationem in loco, ſed ſituationem ſeu talé diſpoſitionem & ordiné interſe vt vna ſit extra aliam. Ex quibus liquet prædictam poſitionem ſolis ſpeciebus iſtius prædicamenti conuenire, vt lineæ & ſuperficiei ac corpori, cum in eis duntaxat extenſio partium quantitatiua tali ordine inter ſe copulatarum, vt præfata deſſignatio fieri poſsit, reperiatur. locus autem materialiter ſumptus cum ſit ipſa ſuperficies, vt ſic prædictam poſsitionem habet, indiuiſsibilia autem quantitatum continuatiua, vt puncta reſpectu lineæ, B cum tali extenſione partium careant, nõ habent per ſe poſitionem in continuo, ſed tantum ratione partium in quibus ſunt, ratione quarum deſsignari poteſt, quo pacto vnum punctum ſit extra alium, & vbi ſit & in hoc ſenſu dixit Ariſtoteles, 5. metaph. tex 12. punctum eſſe indiuiſibile continui habens poſitionem.

Concluſio ſit, ex omnibus deductæ quo pacto ſit Prædicamentum Quantitatis in noſtra ſententia coordinandum, in eo ergo tantum datur vnum genus, quod quantitas continua permanens eſt, ſub ſe nulla genera compræhendens, ſed tantum tres ſpecies infimas, nimirum lineam, ſuperficiem & corpus, vnde non opus eſt, vt inter genus ſupremum & infimas ſpecies genus aliquod ſubalternum intercedat, & probatur, quia genus & ſpecies præſcinduntur á C rerum conuenientijs, ſed nulla conuincenti ratione oppoſita oſtendi poteſt, quim ab infimis ſpeciebus generica conuenientia abſtrahatur, quæ primo diuerſa ſit ab alijs generibus, ergo nec quòd ſub eodem genere ſupremo nequeant eſſe immediatè ſpecies infimæ.

QVÆSTIO IX. QVÆ SINT Quantitatis proprietates.

ARISTOTELES in præſenti nõ omnes Quantitatis proprietates traddidiſſe cõſtat ſuperuacaneũ ratus, vbi rerũ naturæ ad amuſſim nõ expẽduntur. omnes illarum proprietates propa-

propalare. Nos tamen vt iſtius Prædicamenti cognitionem illuſtriorem redda mus,brebiter eas percurremus, quibuſdã animaduerſionibus præiactis.

I. Anima. Primò animaduertendum eſt, diuiſibilitatem vt docet noſter Doctor.5.metaph. q. 9. habitudinem eſſe, ſeu aptitudinem ad diuiſionem, quæ in vniuerſaliſsima acceptione vſurpata multiplex eſt, in præsẽti autem tãtùm loquimur de diuiſibilitate quantitatiua in partes extenſas eiuſdem rationis cum toto, cuius actus vt apte exponit Doctor, non eſt eſſe actu diuiſam in omnes partes, hoc enim ſtare nequit cum eſſentia ipſius diuiſibilis, ſed diuidi. poteſt autem quantitas in infinitum diuidi, quòd ſi per diuiſionem entitas ipſius integralis deſtruatur aliquomodo, nihil in cõuenit, cum nonnumquam actus deſtruant ſubiectum, vt corruptibilitas paſsio eſt compoſiti naturalis, cuius actus corruptio nẽpe ſubiectum deſtruit, prædicta autem diuiſibilitas generatim cõuenit cuique quãtitati, licet per accidens ratione ſubiecti in quo eſt, diuiſionis exercitium nonnumquam impediatur, vnde ſi ſeparata daretur à tali ſubiecto corruptionis experti diuidi poſſet.

II. Anim, Secundò Animaduertendum. infinitatem quantitatiuam eſſe, extenſionem habere terminis concluſam & limitatam, infinitatem vero, eandem extenſionem habere, nullis terminis clauſam, qualis eſſet linea in infinitum protenſa, Quia tamen valde dubium eſt, num infinitum in quantitate poſsit dari, eſt etiam quo pacto infinitas ſit paſsio Quantitatis, quòd ſi illud impoſsibile reputetur aſſerendum, infinitatem quæ paſsio quantitatis aſsignatur eſſe in potentia, non in actu vt ſcitè admonet noſter Doct. in. 2. metaph.q.6.

III. Animadu Tertiò Animaduerte. in præſenti non agi de æqualitate & in æqualitate translatitia, ad quamcumque magnitudinem perfectionis ſeu virtutis conſequuta, quo pacto duos Angelos dicimus eiuſdem perfectionis, æquales eſſe, ſed de ea quæ quantitatem propriam iſtius prædicamenti commitatur, vt diſti ſequenti magis explanabitur. Nec ſumitur pro relatione illa æqualitatis aut inæqualitatis in conuenientia duarum quantitatum in eadem extenſione vel diſconuenientia fundata, hæc enim ad prædicamentum relationis ſpectat, ſed pro aptitudine ad talem relationem, omni quantitati cõuenienti, cum nulla ſit, quæ apta non ſit, vt alteri ſit æqualis A vel in æqualis.

IIII. Animad. Quartò Animaduerte. cum noſtro Doctore. 5.metaph.q.9.& in 2.d.2.q.1.in quotlib.q.13.in 4.d.48.q.2.menſſuram eſſe rationem cognoſcendi rei magnitudinem, vnde menſurare eſt, quãtitatem ignotam per magis notam certificare, eſt autem duplex menſura, vna perfectionis quæ nihil eſt quàm alicuius rei perfectio per cuius comparationem gradus perfectionũ aliarum rerum menſurantur & cognoſcuntur. ita vt quomagis ad illam acceſſerit res, perfectior ſit, & quo magis receſſerit, imperfectior. in quo ſenſu dixit Ariſtot 10. metaph.c. 2.tex.3.primum ideſt perfectiſſimum in vno quoque genere, cæterorum eſſe menſuram, vt in genere animaliũ homo, in genere colorum albedo, & de hac menſura non agimus in præſenti. alia eſt B menſura quantitatiua, cuius naturam peruestigamus: hæc ergò bifariam diuiditur, in paſsiuã & actiuam, menſura paſsiua eſt aptitudo illa quam quæuis quãtitas habet vt eius extenſio & magnitudo per aliam vt per mediũ extrinſecũ mẽſuretur, & notificetur, & quæ ſubſtantiã cui in eſt reddit menſurabilem quantitatiuè, ob idque mẽſurabilitas ſeu menſura menſurata nũcupatur. Actiua verò menſura eſt aptitudo qua quantitas eſt ad aliud menſurandum apta, & vtraque poteſt ſumi in actu, mẽſura paſſiua in actu eſt, quæ actu mẽſuratur, & eius extenſio per alteram quantitatem notificatur, mẽſura actiua in actu per quam actu aliud menſuratur & cognoſcitur, vt per medium & inſtrumentum, & in vtraque eſſe actu menſuram, tantum eſt extrinſeca C denominatio, proueniens ab actu ſeu vſu menſurandi, qui nihil aliud eſt quam aplicatio menſuræ ad menſuratũ, ſiue per actũ intellectus vnum cum alio conferentis, ſiue ſẽſibilis per aliquẽ ſenſum, ex quã ſequitur cognitio quantitatis rei quæ menſuratur, quia ideo homo menſura vtitur vt medio & inſtrumento, vt rei quantitatem cognoſcat, actus ergo mẽſurandi valde extrinſecus & accidẽtarius eſt quãtitati, qua menſuramus, & quæ menſuratur.

Menſura rurſus actiua ſumpta in aptitudine, poteſt adhuc dupliciter capi, aut remote, aut proximè, aptitudo remota nihil aliud eſt quàm ea aptitudo quã quantitas habet ratione ſuæ extẽſionis, vt poſsit inſtitui menſura per hominũ accommodationẽ, proxima vero ipſa iam accomodata

& inſtituta, ratione cuius inſtitutionis proxime apta eſt, vt aſſummi poſsit, tam quam inſtrumentum & medium extrinſecum per modum menſuræ, ad aliud menſurandum. vnde menſura actiua in aptitudine proxima, non ſolum importat extenſionem quãtitatis, ſed etiam humanam impoſitionem, cum non ſit potior ratio cur quantitatis vnius extenſio ſecundum ſe conſiderata, ſit ex natura ſua menſura alterius, & non vice verſa, opus ergo eſt vt ex hominum placito inſtituatur, vt menſura ſit, per accomodationem condicionum perfectæ menſuræ, de quibus ſtatim. aliud autem eſt inſtitui mẽſuram, & aliud illa iam inſtituta vti, ſicut actus primus proximus, & actus ſecundus.

Tres aſsignat condiciones Ariſtoteles primæ & perfectiſsimæ menſuræ. 1. metaphy. tex. 2. & 3 prima quòd certa ſit nota determinata & fixa, aliàs enim quo pacto rei magnitudinem nobis ignotam certò poterit notificare. Secunda quòd indiuiſibilis ſit, ſi enim prima eſt, non debet ab alio menſurari, ſi autem diuiſsibilis eſſet & partes haberet poſſet ab alio menſurari, & pars media prior haberet rationem prioris menſuræ, & ſic in infinitum. Tertia quod homogenea ſit, eiuſdem ſcilicet rationis cum menſurato, vnde extenſio quantitatis nequit eſſe intenſionis qualitatis menſura, quod expræſsit Ariſtoteles 10. metaph. c. 3. tex. 4. aſſerens *ſemper autem menſura eiuſdẽ generis eſt*, & id explicans addit deinde, *magnitudinũ enim magnitudo ſecundum vnum quodque, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocum vox, grauitatis grauitas, vnitas vnitatum*, quia ergo præfatæ condiciones vnitati ex propria natura conueniunt, cum minimum ſit omnium quæ in genere numeri collocantur, vt pote indiuiſibilis in ratione vnitatis, nec minui nec augeri poteſt, ex propria natura certa eſt determinata & inuariabilis, ob id Ariſtoteles menſuram per ſe ad vnitatem refert, naturaliſque menſura appellatur. ad quantitatem verò continuam cum indiuiſibilitatem nõ habeat ex propria natura atque adeo nec inuariabilem certitudinem, non niſi quatenus ex hominum placito, loco vnitatis accipitur, ad res humano vſſui deputatas menſurandas, vt vlna, palmus, digitus, modium. &c. Ob id menſura artificialis dicitur, in quantum per modum indiuiſibilis intra certos terminos ita conſtitutæ, vt nec minimum augeatur, aut minuatur, á (A) nobis accipitur, & quia certius & facilius, parua quantitate, quam maiori alterius quantitatem menſuramus, & cognoſcimus, idcirco menſura ſemper deſignatur minima quoad fieri poteſt in tali genere, per cuius aplicationem & replicationem quantitas ignota rei menſuratæ depræhenditur.

Ex dictis infertur primò Mẽſuram paſſiuam intrinſecam eſſe, cum ſit aptitudo propria quantitatis, qua ipſa per ſe & ſubſtantia cui ineſt accidentaliter redditur mẽſurabilis, proporcionaliter ad id quod ſuperius de ratione formali quantitatis animaduerſum eſt. Menſuram verò actiuam extrinſecam eſſe reſpectu alienæ quãtitatis. vt egregiè docet noſter Doctor in 2. d. 2. q. 1. & cum eo Sapientiſsimus pater Soarez in metaphy. diſput. 40. ſecti. (B) 3 vnde quantitas afficiens ſubſtantiam, non habet rationem menſuræ actiuæ reſpectu illius ſed tantum paſsiuæ qua redditur menſurabilis (quidquid obmurmuret Sanchez. q. 15.) cum mẽſura homogenea debeat eſſe, quantitate ergò non niſi quantitatem menſuramus, atqui ſubſtantia nõ eſt quantitas: ergo quãtitas inhærens ſubſtantiæ eam non menſurat, nec quantitatẽ illius, cum enim hæc non ſit alia quàm ipſa quantitas, ſe ipſam menſuraret. Tantum ergò menſurat actiuè extrinſecè alienam quantitatem. Argutum autem Sanchez non tanti ponderis eſt, quanti ab ipſo penditur. cum enim ait, quòd hæc ſubſtantia ſit tanta habet ex ſua quantitate, ergo quòd cognoſcatur eſſe tanta habet ex ſua quantitate, diſtinguenda eſt conſequutio, habet ex ſua quãtitate quòd cognoſcatur (C) paſsiuè id eſt ſit cognoſcibilis vt tanta, concedo, actiuè nego, nõ niſi per alienam quãtitatem quanta ſit cognoſcitur.

Secundò infertur. Menſuram in actu ſiue paſsiuam ſiue actiuam non eſſe quantitatis proprietatem, cum vt dictum eſt, denominationem duntaxat extrinſecam importet, nec menſuram actiuam ſecundum aptitudinem proximam, cum ex hominũ placito & inſtitutione depẽdeat, ſolum ergo procedit quæſtio de menſura paſsiua in aptitudine, & de menſura actiua ſecundum remotam aptitudinem.

Prima concluſio ſit. diuiſibilitas finitas vel infinitas, æqualitas vel inæqualitas ratio mẽſuræ paſsiuæ & actiuæ iuxta modum expoſitum ſunt paſsiones quãtitatis.

proba-

probatur, quia omnes prædictæ rationes conſequuntur ad eſſentiam quantitatis vt ad radicem & originem à qua propagantur, & in quam reſoluuntur, ideo quia quãtitas diuiſibilis eſt, finita vel infinita, æqualis vel inæqualis, & menſura, quia extenſa eſt & partes habet, & conueniunt omni quantitati ſoli & ſemper, in ſuper ſpecialiter probatur de ratione menſuræ, menſurabilitas enim abſolute comitatur quantitatem, quæuis enim etiam infinita per aliam menſurabilis eſt, & ob id etiam quæuis aptitudinem habet vt poſsit ad menſurandum deſtinari.

II. Conclu. Secunda concluſio. Proprium etiam eſt quantitati non ſuſcipere magis & minus, & non habere contrarium loquendo de propria contrarietate. Sic Ariſt. & communis omnium interpretum ſchola. prima pars probatur, quia quantitas licet habeat partes extenſionis, non tamen intenſionis, ergo licet ſuſcipere queat maius & minus, non tamen magis & minus. Secunda pars probatur, quia contrarietas, eſt oppoſitio eorum quæ ſub eodem genere maximè diſtãt, & ab eodem ſubiecto mutuò ſeſe expellunt, hæc autem non datur inter quantites eiuſdem ſpeciei, vt inter duas lineas, cum talis oppoſitio ſpecificam diſtinctionem formarum oppoſitarũ expoſcat, nec inter quantitates diuerſæ ſpeciei, vt inter lineam, ſuperficiem & corpus, cum non ſe mutuo expellãt ab eodem ſubiecto, imo ex natura ſua poſtulãt coniunctionem, & vna eſt alterius principium. Vnde augmẽtatio & diminutio quę ad quantitatem terminãtur, non ſunt motus propriè contrarij, ſed priuatiuè oppoſiti, quia vna eſt acquiſitio alicuius quantitatis, altera deperditiò alicuius quantitatis, diuiſibile autem & indiuiſibile etiam priuatiuè opponuntur ſi formaliter ſumantur. magnum autem & paruum formaliter ſumpta opponuntur relatiuè, ſed iſtæ proprietates non ſunt Quarto modo, cũ etiã ſubſtãtiæ cõueniãt vt viſum eſt

III. Conc. Tertia concluſio, ſunt etiam quantitatis proprietates extenſio localis & ſitualis aptitudine, quia quantitas redditur loci extenſi occupatiua, & apta vt partes habeat in ordine ad locum & ſitum extenſas, ita vt vna pars ſit actu extra locum alterius, & impenetrabilitas, quæ eſt aptitudo aliam quantitatem expellendi ab eodem loco quantum eſt ex ſe, ita vt non ſint ſimul penetratæ. Probatur concluſio, quia licet actualis extenſio localis & actualis impenetratio, poſsint á quantitate ſeparari, vt contingit in ſacro Euchariſtiæ miſterio, atque adeo non ſint illius proprietates, ſumptæ tamen aptitudinaliter neceſſariò & per ſe quantitati conueniunt, quæ quantum eſt ex ſe petit naturali modo talem partium localem extenſionem, & impenetrationem, ſed non conueniunt in primo modo dicendi per ſe: ergo in ſecundo; atque adeo vt paſsiones illius. minor probatur quia prædictæ aptitudines licet realiter ſint idem cum quantitate, vt aliæ aptitudines, ſupponunt tamen rationem formalem quantitatis, cum prius ſit quantitatem habere rationem partium in ſe quàm in ordine ad locum, & non compatiendi ſecum aliam in eodem loco, non ergo conueniunt quantitati per ſe in primo ſed in ſecundo modo.

Confirmat. Confirmatur, aptitudo illa extenſionis ſitualis adquam ſequitur impenetrabilitas, non eſt proprius & primarius effectus formalis quantitatis, ſed quaſi effectiuus per emanationem reſultãs, aliarum proprietatum inſtar, ergo non eſt ratio eſſentialis qnantitatis, antecedens oſtenditur, proprius & primarius formalis quantitatis debet eſſe actualis, cum quantitas ſit actualis forma, nequit ergo eſſe aptitudo, Quantitas ergo corpus cui in eſt quantum reddit actu primò & per ſe, ſecundariò verò aptum quantum eſt ex ſe ad localem extenſionem.

IIII. Con. Quarta concluſio, omnes iſtæ Quantitatis proprietates prout ab eſſentia quantitatis in cõmuni intelliguntur exoriri, omnibus illius ſpeciebus vniuocè conueniũt, & exæquo. probatur, quando eſſentia à qua proprietates aliquæ proſiliunt, vniuocè & exæquo aliquibus conueniunt, tales quoq; proprietates eodẽ modo debẽt eiſdem conuenire. atqui quantitatis eſſentia vt ſic ſuis omnibus ſpeciebus vniuocè conuenit & exæquo, vt pote genus illarum: ergo omnes illius proprietates quæ ab illa in communi propagantur. idem enim in quantum idem ſemper eſt natum facere idem.

V. Concl. Quinta concluſio. Prædictæ proprietates talem ordinem inter ſe obſeruant, vt quædam prius illi conueniant, aliæ medijs prioribus vt rationibus illarum, docet hãc egregiè noſter Doctor. 5. metaph. q 9. & probatur, concluſio, quia prius inſunt rei proprietateſque illi vt in ſe eſt

conueniunt, quàm quæ in ordine ad aliud prius ergò conueniunt quantitati diuiſibilitas, finitas vel infinitas, quæ conueniunt illi vt eſt in ſe, quàm æqualitas vel inæqualitas ſitu alis aptitudo & impenetrabilitas quæ ei inſunt in ordine ad aliud, & inter illas, proxima & inmediata paſsio (ait noſter Doctor) eſt diuiſibilitas, eo enim quòd partes habet, immediate ſequitur in eas diuiſibilem eſſe, vnde quãtitas per diuiſibilitatem vt per proximam & primam illius paſsionem notificatur, non deffinitur, hanc ſequitur finitas vel infinitas, cum finitum præſupponat aliquid quod finiri debet, quòd neceſſario diuiſibile præintelligitur, finitum autem & infinitum, cõſequuntur æquale & inæquale, de inde ratio menſuræ ſiue paſsiuæ ſiue actiuæ, quia ea tenus menſurari poteſt, quatenus menſuræ æqualis eſſe poteſt, vel ſemel, vt cum menſura eſt adæquata, vel ſepius replicatæ ſi inadequata ſit; & in tantum apta eſt, B vt aliam actiuè menſuret, in quantum alteri eſt æquabilis & hæc de quantitate.

DISTINCTIO V. De Ordinatione Tertij Prædicam. Relationis.

RELATIONIS aggredimur cognitionem nõ minus vtilẽ & ad multa in alijs ſcientijs percipiẽda neceſſariam, quàm difficilem nodiſque ferme inextricabilibus irretitam dabimus tamen operam, Deo auſpice, Delioque noſtro notatore Scoto Duce, vt quæ à pleriſque diffuſa ſatis, & ab alijs nimium cõſtricta in hac æduntur tempeſtate, ita noſtris diſcipulis offeramus, vt nec à neceſſarijs defficere, nec à brebitate omnino deuiare videamur.

LITTERA ARISTOTELIS.

I. Concln. Prima concluſio. *Relatiua ex aliorum mente ſunt, quæ eo ipſo quòd ſunt, aliorum eſſe dicuntur, ex qua diffinitione nonnullæ conſequuntur proprietates, vt habere cõtrarium ſuſcipere magis & minus, quòd ad conuertentian dicantur. quòd ſint ſimul natura.*

II. Conclu. Secunda concluſio. *Predicta diffinitio admitenda non eſt, quia ex ea ſequitur ſubſtantias aliquas eſſe ad aliquid, vt caput alicuius caput, quod dici nequit, ob id aliter & a* A *commodatius relatiua ſunt diffinienda, ſic ad aliquid ſunt, quæ eo ipſo quòd ſunt aliorum ſunt.*

Tertia concluſio. *ex hac diffinitione deducitur, ad diffinitè cognoſcendum vnum relatiuum, neceſſum eſſe alierum cognoſci; ex quo ſequitur ſubſtantias non eſſe relatiuas cũ illarum eſſe, non ſit ad aliud & vna cognoſci valeat abſque alterius cognitione.* III. Conc.

LITERA NOSTRI Doctoris.

DE relatione differit noſter Doctor varijs in locis ſuæ doctrinæ in hac ſua logica quinque excitat Quæſtiones. 5. metaphy. quatuor. a. 21, ad. 24. in lib. ſenten. multa docet in 1 d, 1. q. 2. d. 1. q. 4. d. 3. q. 1. 6 7. & 8. d. 5 q. 1. & 2. d. 7. q. 1. d. 8. q. 3. & 5. d. 13. q 1. d. 15. q. 1. d. 19 q. 1. d. 21. & d. 23. q 1. d. 26. q 1. d. 27. q. 8. d. 28. q. 3. d. 30. q. 2. d. 31. q. 1. d 35. q. 1. d. 32. q 1 d. 38. q 3. d. 45. q. 1. in 2. ſentent. d. 1. q. 2 & 5 in 3 d 1. q. 5. d. 8 q. 1. d. 30 q 1 in 4 ſent. d. 6. q. 9. & vltima. d. 11. q. 9. d. 12. q. 1. d. 13. q. 1. d. 46. q. 3. in quotlibetis. q. 3. 4 6. 11. 13. 17 in collat. Q. 1, 6 7 15. in ſuis reporta. pariſiens. locis citatis. Modo quæſtiones illius logicales proponamus.

QVÆSTIO. I. An genus relationis ſit vnum. Q 25. D.

Prima concluſio. *Affirmatiua probatur quia ſecundum vnam rationem dicitur de omnibus ſuis inferioribus, quæ ratio eſt habitudo vnius ad aliud, & quia omnes relationes habent eundem modum denominandi ſubſtãtiam, videlicet in comparatione ad aliud, at accidentia quæ eodem modo denominant ſubſtantiam, ſunt vnius generis.* I. Concln. C

Secunda concluſio. *non ſolum dantur relationes reales, quæ nimirum dantur in re, ſeclusa quauis intellectus operatione, ſed etiam relationes rationis, ab intellectu conficta, aut inter extrema rationis, aut ſaltim vnum extremum eſt rationis, aut licet extrema realia ſint, non tamen realiter diſtincta, talis eſt relatio identitatis ad ſe ipſum* in Reſpõs. ad. 2 II. Concln.

Tertia concluſio. *Predictæ relationes rationis nõ ſpectant per ſe ad hoc prædicamentũ* III. Concl.

ſed

ſedtantum reductiué, probatur quia relatio in communi nequit vniuocè dici de reali & rationis ibidem.

IIII. *Con.* Quarta concluſio. *Conuenienter diffiniuit Ariſtot. genus iſtius prædicamenti in concreto, quia cum relatio ſit debiliſsimum ens, vt pote habitudo duorum, melius in concreto quàm in abſtracto cognoſcitur.*

Q.26.D. QVÆSTIO II An ſecunda relatiuorum notificatio ſit conuenienter traddita ab Ariſtot.

I. Conclu. Prima concluſio. *Relatiua ſunt duplicia, quædam ſecundum dici, quibus congruit prima diffinitio, ad aliquid dicuntur, quæ cumque hoc ipſum quòd ſunt, aliorum dicuntur, vel quomodo libet aliter ad aliud, alia ſunt ſecundum eſſe, quibus conuenit ſecunda notificatio, quam magis aprobat Ariſtot.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Diuiſio hæc non eſt generis in ſpecies ſed æquiuoca, aut valde analoga, cum relatiuũ ſecũdum dici ſit ſecundũ quid relatiuum, vt homo mortuus eſt ſecundũ quid homo.*

III. Conc. Tertia concluſio. *Prima & ſecunda proprietas relatiuorum quæ ſunt recipere contraria, & ſuſcipere magis & minus, non inſunt per ſe relationibus, ſed tantum modo ratione eorum in quibus per ſe fundatur relatio, vnde quæ fundantur in formis ſuſcipientibus magis vel minus vel contrarietatem.*

Q.27.D. QVÆSTIO III. Nũ relatiua ſint ſimul natura.

I. *Conclu.* Prima concluſio. *Illa relatiua quæ mutuo per ſe referuntur, ita quòd vnius eſſe ſit, ad aliud ſe habere & e cõuerſo ſunt ſimul natura, propter rationem Ariſtot. quia poſito vno, ponitur reliquum, & ècõuerſo & deſtructo vno, deſtruitur reliquum & è conuerſo.*

II. *Concl.* Secunda concluſio. *Si relatiua ſint per accidens, vel non per ſe relatiua mutua, vt relatiua tertij generis non oportet quòd ſint ſimul natura.*

Q.28.D. QVÆSTIO IIII. V. in diffinitione vnius relatiui neceſſarium ſit ponere ſuum correlatiuum.

Concluſio. Concluſio affirmatiua. *Probatur tum ex Ariſtot hic dicente, impoſsibile eſſe vnum relatiuum diffinitè cognoſcere niſi alterum cognoſcatur, & ex Porphy in c. de ſpecie vbi ait genus dici ad ſpeciem & è conuerſo, ideo neceſſe eſſ vtrorumque rationibus vtriſque vti. & ratione quia eſſe eſſentiale relatiui eſt ad aliud ſe habere, ſed diffinitio indicat eſſe eſſentiale diffiniti, igitur diffinitio relatiui debet indicare ſuum eſſe ſe habere ad aliud, quod ñ poteſt, niſi in ea ponatur correllatiuum ipſius diffiniti.*

A QVÆSTIO V. Vtrum idem relatiuum poſsit ad diuerſa referri. *Q.29.D.*

Concluſio *idem primò nõ refertur ad duo, ideſt ſecundum propriam ſuam rationẽ, quia tunc non eſſet vnum eſſentialiter, poſſet tamẽ aliquid referri ad duo non omnino diuerſa, ſed quoram vnũ includat aliud aliquo modo.*

COMMENTARIVM.

CVM id quod relationis cognitionem in acceſſam reddit, ſit ipſam eſſe formam adeo tenuem & imbecillem, vt ab in numeris feretris dependeat, nempe à ſubiecto, fundamento, termino, ob id, vt in illius natura ac proprietatibus rimãdis diſtinctè ac clarè progrediamur, diſtinctionem hãc in quatuor
B partes ſeu articulos ſecabimus, in primo agemus de varijs acceptionibus & diuiſionibus relationis & de eius eſſentia in communi. In Secundo de illius ſubiectto fundamento, ratione fundandi. in Tertio de termino relationis. in Quarto de illius proprietatibus.

ARTICVLVS I. DE ACCEPTIOnibus diuiſionibus ac eſſentia relationis in communi.

QVÆSTIO I. DE VARIIS acceptionibus & Diuiſionibus relationum.

CVM nomen hoc relatiuum aut relatio rem ſignificet ad aliud ordinatã,
C Prima illius vſurpatio latiſsima eſt, quamcumquè rem ſignificans, quomodo libet ad aliud ſiue proprio ordine ſiue improprio ordinatam, ſiue ſubſtantia ſit, ſiue accidens, ſiue completa ſiue in completa & relatiuo in hac ampla ſignificatione conueñit diffinitio prima ab Ariſtot. relata, & à Platone vt fertur excogitata, quæ ſic ſe habet, *ea ſunt ad aliquid, quæ id quod ſunt aliorum eſſe aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur* in qua acceptione vt certum ab omnibus præmittitur, non cõſtituere hoc prædicamentum, cum res etiam abſolutas comprehendat, quæ ob id ſolum relatiuæ dicuntur, quia ſunt aliquid aliorum, vt caput alicuius caput &c. ob idque præfatam diffinitionem Phyloſophus explodit. Sumitur ſecundò preſsius pro re quæ ve-

rè & propriè ad aliud ordinatur, cui ſecũda diffinitio conuenit ab Ariſtot ex proprio marte de prompta, & ab omnibus ſuis interpretibus celebrata, *ad aliquid ſunt quibus hoc ipſum eſt, eſſe ad aliquid aliquo modo ſe habere*, hoc eſt relatiua ſunt quorum tota natura & eſſentia eſt ad aliud ſe habere, vt totum eſſe Patris ad Filium eſt, & totum eſſe Filij ad Patrem, hæ duæ diffinitiones licet his duntaxat verbis dici & eſſe differre videantur, ſi tamen propriè & in rigore ſumantur maxime diſcrepãt. diffinit autem Phyloſophus relatiua innumero plurali, vt eorum natura magis eluceſcat, quæ ſemper inter duo extrema verſatur, & in concreto, non quia (vt egregiè adnotat noſter Doctor in præſenti. Q. 25. Ad. 2. Argu.) putauerit, Prædicamentum hoc ſolum in concreto conſtitui, ſed quia cum relatio inter omnia entia ſit debiliſsimum, eſt minimæ in ſe cognoſcibilitatis, noſcibilior eſt, ſecundum quòd infor mat ea quorum eſt habitudo, vt enim in ſua eſſentia à fundamento & termino dependet, ita & in ſua cognitione.

Ex hac gemina diffinitione primordiũ traxit communis illa inter dialecticos relatiuorum diuiſio, in relatiua ſecundum dici & ſecundum eſſe, in qua expedienda non eſt vnanimis interpretum concenſus.

I. Opinio. Dixerunt quidam relatiua ſecundum dici veras relationes ſecũdum eſſe impor tare, non tamen ob id ad hoc prædicamen tum ſpectare, pro quo.

Supponunt, relationes ſecundum eſſe in duplici eſſe diſcrimine, quaſdam in rerum abſolutarum eſſentijs incluſas, talis eſt habitudo materiæ ad formam, accidentis ad ſubiectum, ſcientiæ ad obiectum, creaturæ ad Deum, alias verò extra rerũ eſſentias exiſtentes, & accidentaliter res afficientes, quæ licet omnes in hoc conueniant quod ſunt veræ relationes ſecundũ eſſe, quarum eſſentia eſt ad aliud, in multis tamen valde differunt, quòd illæ ſunt per ſe intentæ à natura, ad aliquod peculiare munus ad eſſe vel fieri rei per ſe neceſſarium, vnde & per ſe fiunt, ſuntque per ſe principia agendi, iſtæ verò non ſunt per ſe á natura intentæ ad munus aliquod ſpeciale obeundum, ſed vt res ſe præcisè reſpiciant, vnde nec per ſe agunt, nec per ſe fiũt ſed tantum conſequenter poſitis fundamento & termino reſultant, vt puri reſpectus.

Ex quo duplex diſcrimen inter prædictas relationes deducũt. primum eſt, quòd relationes primæ, non conſtituunt ſubiectum vt purè terminum reſpiciens, ſed aliquod munus circa ipſum exercẽs, vel cauſando, vel aliquo alio modo operando. Secundæ verò relationes conſtituunt ſubiectum vt purè reſpiciens terminum ſub præ ciſa ratione termini, nullum aliud munus circa ipſum exercendo. Secundum eſt, primas relationes non ſpectare ad hoc peculiare prædicamentum. Tum quòd in com pletæ ſunt, vt pote quæ ad rerum abſolutarum eſſentiale cõplementum ſpectant, vt modi eſſentiales aut differẽtiæ intrinſecæ illarum, tum etiã quòd in nullo aliquo modo peculiari conueniunt, ſed ad varia munera interdum primò diuerſa ordinantur, ſolum ergò reductiuè ponuntur ſub res abſolutæ quas complent, ſecundas vero hoc peculiare genus entis prædicamentique relationis conſtituere. Tum quòd ex proprio genere & differentia conſtant, & ad nullius eſſentiale complementum ſpectant, tùm etiam quòd omnes vniuocè conueniunt in hoc peculiari modo purè reſpiciendi terminum, vt præciſe terminus eſt, & ob id prædicamentales appellari.

Fundamẽ. Fundamentum autem iſtorum, non leue apparet, quod præfatis relationibus relatiuorum ſecundum eſſe eſſentia & diffinitio verè conuenit, quòd totum eſſe illorum ſit ad aliud ſe habere, tota enim eſſentia materiæ eſt ad formam vt ad propriũ perfectiuum, & tota eſſentia formæ ad materiam, tota eſſentia ſcientiæ ad obiectum, & alia id genus innumera, quæ ſine habitudine eſſentiali nequeũt intelligi etiã ab intellectu perfectè rem comprehendẽte, quia in illorum eſſentiali diffinitione prædicta eſſentialis habitudo collocatur, nec aliter diffiniri poſſunt, Cui accedit, quòd omnes vno ore fatentur prædictorũ eſſentiam, in quadam dependentia, commenſuratione aut proportione conſiſtere ea autem quid eſt niſi vera relatio? cum duo extrema neceſſariò expoſcat, quia cõ menſuratio eſt vnius ad aliud, & dependẽtia vnius ab alio, nec aliter intelligi poſſunt.

Confirmat. Confirmatur, ſcientia ex ſuæ quiditatis præciſo omni ſuperaddito, & ſimiliter accidens, dicunt ordinem, illa ad obiectũ, & hoc ad ſubiectum, ergo ordo ad obiectum eſt de eſſentia ſcientiæ, & ordo ad ſubiectum de eſſentia accidentis. conſequẽtia patet, antecedens probatur, quid quid poteſt

poteſt aliud attingere, reſpicit illud vt attingibile ab ipſo, ſed omnis ſcientia ex viſuæ quiditatis, potens eſt attingere ſuum obiectum intelligibiliter, cum exviſuæ quiditatis intellectum inclinet ad intelligibiliter, faciliter & ſcientifice illud cognoſcendum: ergò exviſuæ quiditatis præciſè reſpicit ſuum obiectum vt à ſe attingibile, ex quo dici ſolet quiditatem ſcientiæ per ordinem ad obiectum deſumendam eſſe De Accidenti probatur omnis forma informans in quantum talis dicit ordinem eſſentialem ad illud cuius eſt forma & cui tribuit ſuum effectum formalem, cum enim vt ſic nō ſit propter ſe, eſt propter ſubiectum & compoſitum, ſed accidés exviſuæ quiditatis eſt forma accidentalis ſubiecti: ergo vt ſic dicit ordinē ad ſubiectum. In ſuper, quid quid ab alio dependet, vt dependens eſt, dicit ordinem dependentiæ ad illud, ſed ſcientia exviſuæ quiditatis præciſé dependet ab obiecto, quia ſi hoc nō eſſet poſsibile realiter vel intelligibiliter, nō eſſet poſsibilis quiditas ſciētiæ. Similiter accidens exviſuæ quiditatis dependet à ſubiecto poſsibiliter ſumpto, vnde inter eſſe in dependens per ſe ſubſtātiæ & eſſe dependens per ſe accidentis nō eſt dare medium, ergo ſcientia & obiectū ex viſuarum quiditatum dicunt ordinem dependentiæ.

Si autem ab eis exquiſieres, num omnes præfatæ relationes ſecundum dici ſint appellandæ? quidam reſpondent nō omnes, ſed quaſdam eſſe tranſcendentales, quæ per omnia vel plura prædicamenta vagantur, vt relatio aptitudinalis inhærentiæ accidentis ad ſubiectum, in eſſentijs nouē generum accidentium interclufa, & relatio eſſentialis creaturæ ad Deum, quæ in quouis rerum genere reperitur, alias verò ſecūdū dici, quæ nimirū habitudines ſunt, rerum quæ ad vnum duntaxat attinēt prædicamentum, tales ſunt eſſentiales habitudines potentiæ ſcientiæ habitus & actus, ad prædicamentum qualitatis duntaxat ſpectantium.

Placet tamen nobis ſentire cum noſtro Doctore, qui nullam relationem eſſe de eſſentia entis abſoluti vbique profitetur. in 4. d. 12. q. 1. inquit *illud quod eſſentialiter includit reſpectum, non eſt ad ſe, ideſt abſolutum ſecundum. D. Auguſti. 7. de Trinit c. 2.* & ſtatim ſubdit, numquam ſenſiſſe Ariſtot. formam quæ per ſe eſt in genere abſoluto eſſentialiter claudere reſpectum aliquem, ſit ergo.

A Prima concluſio, Relatiua ſecundum dici ſunt illa quæ directè & principaliter ſignificant naturam abſolutam talis quidē conditionis, vt cōnotent relationes quas ſibi adiunctas habent, non vt ſibi eſſentiales ſed cōſequenter importatas quæ prius eſt explicanda & poſtea probanda. 1. *Conclu*

Entia quæuis ſunt in triplici diſcrimine, quædam ſunt quæ non ordinantur ad aliquid extrinſecum & quia ab extrinſeco abſoluuntur, abſoluta dicuntur, ideſt ab extrinſeco ſoluta & independentia, vt homo quātitas qualitas &c. alia ſunt quæ eſſentialiter ad aliud extrinſecum ordinātur, & ob id relationes reſpectus, aut habitudines ſecundum eſſe appellantur, vt paternitas filiatio, & concreta iſtorum relatiua ſecundum eſſe appellantur, quæ formaliter prædictas relationes important, vt Pater, Filius. Alia ſūt quaſi media, quæ B licet in ſua eſſentia abſoluta ſint, & nullam relationem includant, ſunt tamen talis naturæ vt conſequenter importent relationem, quam connotant in directè, & per quam explicantur, & ob id ſolet dici prædictarum rerum naturas non eſſe merè abſolutas, aut conſiſtere in ordine abſoluto, ſeu quaſi immanenti, aut fundamentali, quia cum in ſe abſolutæ ſint, ſunt tamē fundamenta ordinis veri & formalis, talia ſunt potētiæ, habitus, actus rerum inclinationes, appetitus, pondus & aptitudines, iſta ergo entia dicuntur relatiua ſecūdum dici. Sic noſter Doct. in præſenti. q. 26. §. *Dicēdum*, vbi poſt quam ſtatuit relatiua ſecundum dici non dici relatiua ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, quia in ſe ſunt abſoluta; ſubdit, *quædam ſunt relatiua ſecūdum dici, vt quæ ſunt in alijs generibus, & ſe* C *cundum aliquam habitudinem dicuntur ad alia, illa tamen ſimpliciter loquendo nō ſunt relatiua.*

Probatur concluſio, relatiua in quantū relatiua in hoc ab abſolutis ſecernuntur, quod abſoluta ab extrinſeco abſoluūtur, & habent eſſe in ſe & ad ſe, relatiua vero eſſentialiter ad extrinſecum referuntur, pugnat ergo cum naturis abſolutis vt eſſentialiter includant veras relationes ſecundum eſſe, aut alioquim nulla res erit abſoluta ſed omnis ſimpliciter relatiua ſecundum eſſe, cum nulla ſit in qua prædictus ordo aut aptitudo ad aliquid extrinſecum non poſsit reperiri. Dicere autem ob id eſſe abſoluta, quia nō reſpiciunt purè termi- 1. *Probatū*

terminum, ſicut hoc non tollit ab ipſa habitudine quim ſit vera relatio ſecundũ eſſe, ita nec ab eſſentialiter conſtituto per illã, quim ſit vere relatiuum ſecundum eſſe, cũ talis ſit res quale eſt ſuum conſtitutiuum, & diffinitio relatiuorum ſecundum eſſe ab Ariſtot. tradditа, verè ei conueniret, quorum eſſentia in eſſe ad aliud conſiſtit, non enim aliquid aliud addidit Phyloſophus, aliàs diminutè proceſsiſſet, ſi cõplè tam diffinitionem relatiuorum iſtius prædicamenti non traddidiſſet.

II. Proba. Secũdò, quòd in aduerſarios retorquere poſſumus Arguta, quibus noſtros reſpectus extrinſecus aduenientes oppugnant, ſic. omnes relationes quas tranſcendentales & ſecundum dici appellant, cum prædicamentalibus conueniunt in hac ratione cõmuni eſſentialiter referẽdi vnum ad aliud ſeu reſpiciendi aliud, & quid pro hibet prædictam rationem abſtrahere, ab hoc quod eſt reſpicere aliud vel vt pure terminum, vel aliquo alio modo vt à rationibus contrahentibus: ergo ſub eodem genere collocari poſſunt, aut ſaltim ipſæ relationes tranſcendentales & ſecundum dici, cõueniunt in ratione reſpiciẽdi aliud aliquod munus circa ipſum exercendo, licet differant per talem vel talem modum ſe habendi aut cauſandi ergo conſtituunt vnum genus. Quod ſi ipſas relationes dixeris eſſe incompletas ſaltim ipſa relatiua ex eis conſtituta vt quæpiam completa in ratione relatiui aliquod genus conſtituẽt. Reſpondeant ad hæc, vt ex eorum ſolutione in reſpectibus extrinſecus aduenientibus noſtram extorqueamus.

III. Prob. Inſuper, quòd multæ relationes ſunt quæ reſpiciunt, aliud non vt purè terminũ ſed vt cauſam, vt Filius Patrem, & multæ relationes trãſcendentales reſpiciũt aliud vt terminum, quia terminus relationis eſt ille in quem tendit relatio, ſeu in quo terminatur & ſiſtit, ſed ſciẽtia tẽdit in obiectum imo vt pure terminum reſpicit, quia & ſi ſcientia conſiderata vt effectus obiecti, illud vt cauſam reſpiciat, atque adeo ñ vt purè terminum in ratione verò menſurabilis reſpicit illud vt purè terminum, quia reſpicit vt menſuram ſuæ perfectionis adæquationis aut veritatis. Sed obiectum in ratione menſuræ puram habet rationem termini, cum vt ſic nullam cauſalitatem exerceat, vt ipſe Soarez & alij præmittunt, vbi infra videbimus, quod quidẽ non ſolum verum eſt de relatione prædicamentali qua ſcientia reſpicit obiectum ſed de ipſo ordine tranſcendentali, quia A aliás nihil ſpeciale eſſet in hoc genere relationis vt ipſi intendunt, cum omnes relationes aliorum generum iſtius prædicamenti reſpiciant terminum vt pure terminum: ergo intelligendum eſt de ipſa relatione tranſcendentali quæ iſtius eſt fundamentum, ſcientia ergò per propriam entitatem reſpicicit obiectum, vt menſurabile ſuam menſuram atque adeo vt pure terminum. Tandem quòd admiſſo relationes tranſcendentales & ſecundum dici eſſe veras relationes ſecundum eſſe, ſuperfluum eſt alias eis ſuper addere, quia ſcientia ex viſuæ præciſæ relationis ſibi intrinſecæ ſufficienter reſpicit ſuum obiectum, vt quid ab illa intelligibiliter attingibile, relationes autem non ſunt multiplicandæ abſque neceſsitate vnde nullum erit tertium genus relationis contra Ariſtotelem.

B Noſtram concluſionem non leuiter ab Ariſtotele adumbratam tenẽt cum noſtro Doctore omnes Scotiſtæ, & maxima Phyloſophorum pars præſertim antiquorum, ex qua conſtat in Deo non dari vera relatiua ſecundum dici, cum vt viſum eſt veram relationem dependentiæ connotent, vnde omnipotentia Dei licet nequeat à nobis aliter concipi, niſi inſtar relatiui, nõ ob id eſt quia veram relationem importet ad res creabiles, niſi quia à nobis ad modum creatarum potentiarum imperfectè concipitur. *Scotus. Orbellus. Tataretus*

Secunda concluſio relatiua ſecundum eſſe ſunt quæ directè & principaliter ſignificant habitudinem ad aliud ad quam ſignificandam primò ſunt impoſita, vt ſimile primò & directè ſimilitudinem importat; vnde relatio ſecundum eſſe eſt vera & for C malis habitudo ad aliud, ſeu ordo quaſi formaliter trãſiens ad aliud nempe ad terminum. *II. Concl.*

Tertia concluſio. Diuiditur item relatio ſecundũ eſſe in relationem rationis & realem, quæ diuiſio non vniuoca eſt ſed æquiuoca aut analoga, quo pacto ens in reale & rationis diuiditur. Sic noſter Doctor in præſenti. q. 25. Ad 2. principale & 5. metaph. q. 11. relatio rationis eſt habitudo ſeu ordo á ratione confictus inter ea quæ aparte rei talem ordinem non habent talis eſt relatio prædicabilium de qua in toto illorum progreſſu late diſſertum eſt. quæ relatio vt verbis Doctoris vtar in prædicto luco metaph. contra nonnullos malè *III. Conc.*

Scoti-

Scotizantes.*in eſt rei in quantum conſideratur, & per cōparationem alteri comparatur,* A *quia cōſideratio eſt collatiua vnius ad alterū* non ergo fit per actū directum ſeu reflexum quo ipſa cognoſcitur, ſed per actum comparatiuum quo vnum extremum ad aliud confertur, vnde ſubdit Doctor, *falſum eſt etiam quod actu reflexo intelligendi fit relatio rationis, fit enim primo actu ſcilicet directo intellectus comparantis hoc ad illud: quando autem reflexu intelligendo comparationem illam vt obiectum, tunc non cauſatur relatio rationis, ſed conſideratur, & eſt conſideratio logica,* quæ nempe tales relationes conſiderat vt obiectum. explicat in præſenti Doctor, interquæ intercedat relatio hæc rationis, ſcilicet quando vtrūque extremum eſt rationis, aut alterum extremum eſt rationis, aut quando extrema & ſi realia ſint, non tamen realiter diſtinguūtur vt inter hominem & animal, quod brebiter complexus eſt prædicto loco Metaph. aſſerens, relationem rationis aliquam fundari ſuper ens rationis, vel in re nō prout exiſtit á parte rei, ſed vt intelligitur ex collatione eius facta ad aliud per intellectum, conſtabit autem hoc ex actius, cum condiciones relationis realis præfixerimus ex inde enim illas eſſe rationis quæ præfatas condiciones non habuerit facilè conſtabit.

Relatio realis eſt habitudo illa & formalis ordo inter aliqua quæ citra omne mentis opus datur, vt relatio Patris ad Filium & Filij ad Patrem, dari autem tales relationes in re contra delyram illam opinionem totum relationis prædicamentū de medio tollenté probat noſter Doctor. 5. illo metaph. q. 11. & in 2. d. 1. q. 5. quadruplici ratione ex ipſa rerum natura petita. Prima ex vnitate vniuerſi quæ teſt. Phylosopho. 12. metaph. in ordine partium vniuerſi poſita eſt, vnde qui contra relationes reales proteruiunt, inconnexā faciunt vniuerſi ſubſtantiam. Secunda ex rerum compoſitione, in qua partes habitudinem habent inter ſe. Tertia ex rerum cauſatione, quæ proportionem & à proximationem petit. Quarta ex Matematicis, in quibus omnes concluſiones de ſubiectis relationes oſtendunt vt in prima concluſiones Geometriæ laterum æqualitas de triangulo demonſtratur, hactenus verbis Doctoris ſum loquutus. Sed potiſsimum relationum realium veritatem Fides orthodoxa confirmat, cum perſonas diuinas relationibus realibus cōſtitui profiteatur, A quatenus vna producit, & altera producitur, cum ergo in rebus creatis vna producat & altera producatur, cur ab eis relegandæ erunt reales relationes? Nec relationis vocabulum te decipiat, quod ex vi nominis, intellectus collationem ſignificare videatur, iādiu enim cōmunis Phyloſophorum vſus obtinuit & accommodatio, vt realem habitudiné ſecundum quam vnius ad alterum fit comparatio ſignificaret.

IIII. Conc. Quarta concluſio. Diuiditur etiam relatio realis in relationes increatas, quæ in diuinis reperiuntur de quibus Theologi in. 1. ſent. quæ ad hoc prædicamentū nō ſpectant, cum ex ſuperius ſancitis, omne increatum ſit ſupra omnia prædicamenta vt pote quod à nullo capi poteſt. & in relationes creatas quales ſunt relationes omnes reales creaturarum. B

V. Concl. Quinta concluſio, relatio realis creata in relationes intrinſecus & extrinſecus aduenientes partitur, iſtius diuiſionis acerrimus protector eſt noſter Doct. multis in locis ſuæ doctrinæ, & cū eo uniuerſa Scotiſtarū ſchola has antē diffinit noſter Doct. in. 4. d. 13. q. 1. & quolib. 11. relatio intrinſecus adueniés eſt, quæ ābo extrema poſsita in actu ſequitur neceſſariò (vel quod idem eſt) quæ neceſſariò conſequitur ſuum fūdamentum poſito termino, ita vt poſitis extremis ex propria extremorum natura talis reſpectus neceſſariò ſequatur inter illa, vt poſito hoc & illo albo, ſtatim ſequitur illa ſimilitudinis relatio, ſecluſo quouis extrinſeco, vt ex inferius dicendis cōſtabit, relatio verò extrinſecus adueniens eſt, quæ non conſequitur neceſſariò extrema etiam ſi ambo ſint poſita actu, ſed requirit aliquid extrinſecum, vt in vltima C diſtinctione de ſex vltimis prædicamentis videbimus, vbi hæc differentia latius erit expendenda.

VI. Conc. Sexta concluſio, poteſt etiam diuidi relatio ſecundum eſſe in relationem tranſcendentalem & prædicamentalem, in ſenſu tamen longe alio à præcedenti contrariorum, vt ar. ſequenti videbimus.

VII. Con. Septima concluſio. tandem, relationum quædam ſunt mutuæ, quæ nimirū in vtroque extremo ſunt reales, quibus extrema ex natura rei mutuo ſe reſpiciunt, vt relationes Patris & Filij, vel ambæ ſunt rationis vt genus & ſpecies, aliæ ſunt non mutuæ, quando in vno extremo eſt relatio

realis

realis, & in alio eſt relatio rationis, quia vnum extremum fundamentum habet vt ad aliud res referatur realiter, quod tamē in altero defficit, ruſus quædam ſunt relationes æquiparentiæ, quæ nimirum ſunt eiuſdē rationis & denominationis in vtròque extremo, quia vtrumque extremum eſt eiuſdem rationis in ratione fundandi, vt relatio ſimilitudinis inter duo alba eiuſdem rationis & appellationis eſt. Aliæ ſunt diſquiparantiæ quæ ſunt diuerſæ rationis & appellationis in extremis, quia extrema ſunt diuerſæ rationis, in ratione fundandi, vt Paternitas & Filiatio. hæ rurſus duplices ſunt ſecundum noſtrum Doctorem. tam in præſenti quàm in. 2. d. 1. q. 5. quædam ſuperpoſitionis, aliæ ſuppoſitionis, relatio ſuperpoſitionis eſt cuius fūdamentum ſuperioritatem & dominium habet reſpectu fundamenti ſui correlatiui, vt relatio maioris ad minus, Patris ad Filium in rebus creatis, Domini ad ſeruū cauſæ ad effectum, & ob id eam vocat Damaſce in ſua dia'ec. c. 50. relationem præcellentiæ, relatio ſuppoſitionis eſt cuius fundamentum inferioritatem habet dominij & poteſtatis, reſpectu fūdamenti ſui correlatiui, & eam vocat Damas. relationem inferioritatis, vt relatio Filij, ſerui, effectus &c.

Reliquum eſt, vt fundamentum oppoſitæ ſententiæ diluamus, negando totum antecedens, ea enim omnia quæ in argumēto aſſumuntur, ſunt abſoluta ſecundum eſſe, ſiue ſecundum eſſentiam, nequeunt ergò ad aliud referri eſſentiali habitudine, ſed tantum accidentali, quam indirectè & conſequenter importat, per quam illorum natura à nobis cognoſcitur & explicatur, nec aliter eam cognoſcimus, quia in hac vita rerum naturas prout in ſe ſunt non cognoſcimus, poſſunt tamen aliás ſine illo reſpectu intelligi ac diffiniri, cum non expoſcant ex propria natura vt per aliquid extrinſécum diffiniátur, nec de illorum eſſentia eſt actualis & formalis dependentia aut commenſuratio quæ in habitudine formali ad aliud conſiſtit, ſed tantum fundamentalis & radicalis & inſe inmanens.

Ad Confir Ad confirma. diſtinguatur antecedens, ordinem quaſi formaliter tranſeuntum ad aliud nego, ordinem abſolutum & quaſi immanentem concedo, vt iam explicatum eſt.

A *QVÆSTIO II. QVÆ RElatio ſit quæ Hoc Prædicamentum conſtituit.*

PALAM eſt apud omnes Relationē Genus entis peculiare conſtituere, ſpecialemque categoriam vt ex diuiſione entis in decem genera à Philoſopho præſcripta ſatis notum eſt, licet enim quod cum alijs ita commixtum eſſe vt naturam ab eis diuerſam non habeat, ſed in eorum eſſentijs eſt incluſum, proprium genus entis non conſtituat, quod tamen cætera entia ſic comitatur & conſequitur, vt propriam habeat rationem & eſſentiam ab alijs primò diuerſam, completam, per differentias contrahibilem, & ſi ſit accidens modo determinato ab alijs diuerſo ſubſtantiam afficit, peculiare prædicamentum conſtituit. Circa propoſitam controuerſiam varij ſunt opinandi modi.

B Plerique dixerunt Omnes relationes tam ſecundum dici quàm tranſcendentales ad hoc prædicamentum ſpectare. Fundamentum eorum eſt ſuperius propoſitū quod verè & propriè participant eſſentiā relationis, omneſque vniuocè cōuenire videntur, ponūtur ergo per ſe in hoc prædicamento, ſimul atque earum concreta, relatiua nempe ſecundum dici & tranſcēdentalia, cum concretum in eo prædicamento ſedem habeat in quo & illius forma conſtitutiua, ex vi cuius ſortitur formaliter propriam formalitatem eſſentialem. Tum etiam quòd in quo prædicamento forma aliqua conſtituitur, in eodem & illius effectus formalis vt omnes ingenuè fatentur ergò res relatiua, quæ effectus formalis eſt relationis in eadem ſerie cōſtitui debet in qua & relatio. *I. Opinio.*

C Dixerunt alij peculiare eſſe iſtius generis vt relationes rationis in eo directam ſedem habeant, cuius opinionis patrocinium multi ex grauioribus Thomiſtis ſuſceperunt D. Th. pro ſe adducentes. *II. Opinio.*

Fundamē Fundamentum illorum eſt, quòd relationibus rationis realium relationum congruit diffinitio, cum illarum totum eſſe ſit ad aliud, vt totum eſſe generis ad ſpecies & ècontra, & relatio realis ex vi propriæ formalitatis quæ in eſſe ad cōſiſtit, nullam dicit realitatem.

I. Conclu Prima tamen concluſio ſit, relationes ſecundum dici aut tranſcendentales ad hoc genus relationis non ſpectant. ſic noſter Doct. & ex precedenti controu. ſtabilitis

certius apud nos conuincitur, cum ſint entia ſecundum eſſe abſoluta, inſuper quòd aliás omnia prædicamenta confunderentur, & in hoc omnia collocarentur, cum nullum ſit quòd in oppoſita opinione prædictam habitudinem ſubterfugiat.

II Conclu. Secunda concluſio relationes rationis á recta ſerie iſtius prædicamenti exterminantur. ſic Doct. in præſenti. q. 25. &. 5. metaph. q. 11. & patet, quia ſupremum iſtius Prædicamenti genus, ſub ente reali continetur, hoc enim eſt quod ab Ariſt. in decem genera partitur. Præterea quia vt hic & in 1. d. 29. q. vnica bene á Docto. oſtenditur, ens reale nequit vniuocè cum ente rationis conuenire, in conceptu aliquo communi ab eis præciſo, quia eſt diminutum ens & entis vmbra.

Tertia concluſio relationes reales duntaxat ſecũdum eſſe, creatæ & intrinſecus aduenientes ad hoc prædicamentum ſpectant. hæc ex dictis clara eſt, ex quo deducitur, quòd licet relatio ſecundum dici in hoc prædicamento ſedem non habeat, habet tamen relatio ſecundum eſſe quam ſecum importat, quæ vt videbimus ad tertiũ genus relationis pertinet.

III, Concl. Quarta concluſio, relatio quæ hoc prædicamentum conſtituit realis eſt non ſolum vt rationem habet accidentis, ſed ſecundum proprium & vltimum modum relationis. Sic noſter Doctor & communiter omnes, probaturque. Tum quod modus determinatiuus entis accidentis vè realis, debet eſſe realis, cum modus determinatiuus & id quod determinatur proportionari debeant. Tum etiam, quòd modus conſtitutiuus entis realis nequit eſſe ens rationis, alioquim non realis ſed rationis eſſet eſſentialiter, aut ſaltim ẽs per accidens, ſi enim ex rebus generum diuerſorum non ſubalternatim poſitorum nequit vna eſſentia fieri, multominus ex ente reali & rationis quæ pluſquàm genere differunt, vna eſſentia conſtitui poterit, neceſſario ergò debet eſſe realis. quis enim dicere audebit aut paternitatem ens rationis eſſe, aut nec realẽ nec rationis? quid quid enim ex duobus conſtituitur, neutrũ illorum eſt, cum tamẽ quodcumque ens, neceſſariò vel reale aut rationis debeat eſſe.

I. Obſeru. Animaduerte tam ſupremũ genus quã cætera genera ſub alterna ac ſpecies & indiuidua iſtius Prædicamenti ſicut & aliorum accidentium, tam in abſtracto quàm in concreto ſignificari, in concreto vt relatiuum vel relatum, æquale, pater, in abſtracto relatio æqualitas, paternitas.

A

II. Obſer. Animaduerte ſecundò cũ noſtro Doct. 5. metaph. q. 11 genus iſtius prædicamenti his nominibus ſignificari, in abſtracto, relatio, habitudo, comparatio, ordo, reſpectus, dependentia, ad aliquitas, verum eſt, vt ait Doctor quòd ordo & dependentia ſunt ſpecialiores quàm aliæ, quia ordo in rigore nõ videtur niſi prioris ad poſterius dependentia autẽ ſolum in aliquibus quia imperfectionem importat, vnde in diuinis relatio datur, ſed non depẽdentia reſpectus autem vicè verſa vniuerſalius ſe habet, quòd reſpectus dicitur de ordine ètiã tranſcendentali, vnde licet omnis relatio ſit reſpectus, non tamen omnis reſpectus eſt relatio. in cõcreto verò relatiuum aut relatum, ad aliquid.

Fundamẽ. Fundamentum primæ opinionis facilè diluitur ex aſſertis, quòd cum præfatæ relationes ſint abſolutæ ſecũdum eſſe, tam ipſæ quàm earum concreta ab hoc prædicamento excluduntur, relationes verò quas conſequenter important, & earum concreta quatenus ab ipſis formaliter cõſtituuntur & denominantur, cum vt ſic relatiua ſint ſecundum eſſe, iſtius ſunt prædicamenti.

B

Fundamẽ. Fundamentum ſecundæ opinionis per ſecundam concluſionem, quòd verbum eſſe in diffinitione relationis realis poſitũ ſimpliciter eſt intelligendum pro vero eſſe eſſentiæ reali, ſicut ergo relationes rationis non ſunt entia ſimpliciter ſed ſecundum quid, ita non ſunt verè & realiter ad aliquid, ſed cõcipiuntur eſſe ad aliquid, eorumque eſſentia qualiſcumque ſit per proporcionem ad reales relationes intelligitur.

C

QVÆSTIO III. QVÆ SIT Eſſentia Relationis.

NON eſt animus antiquatas veterum opiniones & ab aliquibus recentioribus ab orco reuocatas in medium proferre, ſed eas duntaxat quę in Scholis peruulgantur, vnde exploſa opinione illa relationem eſſe aſſerens, illud interuallũ quod inter duo extrema intercedit, quod nihil aliud eſt, quàm vna & eadem relatio qua duo extrema referuntur, ſicut eadem via eſt à Thebis ad Athenas & ab Athenis ad Thebas. hoc prorſus inintelligibile eſt,

cum

eum idem numero accidens nequeat eſſe naturaliter in pluribus ſubiectis, nec eadẽ relatio tribuere poteſt plures effectus formales eſſentialiter oppoſitos, vt eſſe patrem & filium.

I. Opinio. Prima opinio poteſt eſſe eorũ qui eſſentiam relationis in ſola extrinſeca denominatione poſitam eſſe affirmant ſiue á termine extrinſeco ſiue à conceptu intellectus prouenientèm, ita vt vnum eſſe ſimile alteri nihil aliud ſit quàm poſſe concipi vt ſimile alteri.

I. Argũ. Poteſtq; primò probari, quia quidquid eſt ens reale creatum, ſuam habet cauſam effectricem, atqui relatio nullam habet, non ergo eſt ens reale aliquod, ſed tantum præfata denominatio, min. probatur non terminum, qui enim fieri poteſt vt res adeo diſtans in rem longe remotam agere queat, vt cum Petrus candore nitẽs albeſcente Paulo Romæ ei ſimilis efficitur, nec ob eandem cauſam ab actione qua terminus producitur. nec fundamentum cum hoc ſæpe ſæpius nullius ſit actiuitatis, vt materia prima, quantitas, relatio ipſa quæ fundamentum ſolet eſſe alterius relationis.

II. Argu. Secundò relatio non eſt ſubſtantia vt per ſpicuum eſt, nec accidens cũ eſſe illius nõ in eſſe(in) quod de ratione eſt accidentis ſed in puro(ad)conſiſtit, cum totum eſſe, illius teſte Ariſt. ſit ad aliud ſe habere. imo quod(in)et(Ad)opponuntur vt ratio abſoluta & relatiua, nequeũt ergo eidem formaliter conuenire.

II. Opinio. Secunda aſſerit relationem eſſe conſortium aut coexiſtentiam duorum extremorum, vt vnũ album eſſe ſimile alteri, nihil aliud eſſe quàm alterum album illi coexiſtere, aut duo alba ſimul, aut hoc album habere albedinem ſicut alterum, à quo ſentiendi modo parum aut nihil ab eſſe vidétur, qui relationem aſſerũt in re nihil prorſus eſſe, quám ipſum fundamentum vt terminum connotat, vt ſimilitudo eſt ipſa albedo vt connotat alterum album. atque adeo inter fundamentum & relationem nullam in re diſtinctionem reperiri, ſed ſolum eſſe ab intellectu ſic vel ſic eãdem abſolutam entitatem propter coexiſtẽtiam termini concipientem, cuius placiti potiſſima fundamenta art. ſequenti vbi de præfata diſtinctione inter fundamentum & relationem.

Probatur autem pronunc, quod entia non ſunt admittenda vltra rei exigentiam; ſed duo alba omni ſuper addito actione ſiue mentis aut diuinæ omnipotentiæ reiec-
A to ſimilia ſunt, ergo ad hoc nihil aliud precer dicta eſt admitendum, min. probatur quia duo alba formalem habẽt vnitatem in ratione albedinis in qua formaliter conueniunt: ſunt ergo formaliter ſimilia, nec enim aliter concipi poſſunt, quia non vt formaliter diſsimilia.

Confirmatur nulla res alteri poteſt eſſe ſimilis per rem alterius prædicamenti nec etiam diſtingui niſi per id per quod in tali eſſe cõſtituitur, duo ergo alba ſimilia ſunt quia vnum eſt album ſicut aliud. Et duo extrema diſtincta ſeipſis formaliter intelliguntur, & non per aliquod accidens ſuperadditum. *Confirmat*

Cæterum vt veram & ab omnibus vniſè receptam opinionem proferamus, Ad notare oportet, omnibus eſſe in confeſſò rationem accidentis per nouem modos,
B determinari ac modificari ad ſingula quæque prædicamenta conſtruenda, obidque, quoduis Accidentis Prædicamentum duplici conceptu gaudere, conceptu nimirum accidentis, & conceptu proprij modi rationem accidentis determinantis. primus cõmunis eſt omnibus accidẽtibus, quia in eo conueniunt, qui conceptus per eſſe(in)explanatur, nõ quia in eſſe aut inhærere actu aptitudine ve de ratione ſit accidentis vt probat noſter Doct. in 4. d. 12. ſed quia per talem modum natura accidentis explorata ſit, differũt verò per proprios modos peculiares qui in ordine ad ſubſtantiam quam afficiunt deſumuntur, vnde ſuperius diximus accidentia à ſe inuicem ſecerni pœnes diuerſos modos afficiendi ſubſtantiam, vt proprius modus quantitatis eſt ſubſtantiam quantificare, qualitatis
C qualificare aut diſponere. Hi autem accidentium modi in duplici ſunt diſcrimine, quidam ſunt abſoluti ab omni alio extrinſeco, quia non ordinant ſubſtantiam ad aliud, & hi conſtituũt accidentia abſoluta, quæ ſubſtantiam afficiunt in ſe, vt quantitas qualitas. Alij vero ſunt reſpectiui accidentia relatiua conſtituentes, quæ ſcilicet afficiunt ſubſtantiam ad aliud referendo ob idque appellantur ad aliquid, & ideo proprius hic modus relationis per eſſe (ad)explanatur. Hinc oborta eſt communis illa loquutio, relationem capi poſſe prout dicit(in)vel prout dicit(Ad)quod nihil eſt dictu quam rationem hanc aut conceptum geminum in relatione reperiri, ac-

Notabile.

cidentis

cidentis vnum per(in)ſignificatum, in quo cum omnibus accidentibus etiam abſolutis cõuenit, alterum proprium & peculiarem à proprio modo hauſtũ per ad expreſſum quo in eſſe relationis conſtituitur.

Ad notandum ſecundò, eſſe(in)quo conceptus accidentis ſignificatur tripliciter capi poſſe. primo in communi & præcisè, quo pacto rationem cõmunem importat omnibus accidẽtibus tã abſolutis quàm relatiuis, vnde vt ſic nec abſolutũ eſt nec relatiuũ, vt perperã nonnulli volunt, ſed abſtrahit ab vtroque modo, ſiſtẽdi ſcilicet in ſubiecto, aut tranſeundi ad aliud, & tale (in) nõ opponitur relationi ſed potius in illa includitur determinatũ per modũ eſſẽ di ad aliud. vel vt iã determinatũ per modum, ad, aut per modũ abſolutũ afficiendi ſubſtantiã in ſe, hoc pacto eſſe in abſolutũ & eſſe in relatiuum opponuntur.

III. Nota Tertio tandem obſerua, in hac propoſitione, relatio in quantum relatio, particulã in quãtum, aut quãuis aliã ſimilem, poſſe bifariam ſumi, primò vt reduplicet integram eſſentiam relationis, & vt ſic certum eſt, rationem accidentis includere, cum integra illius eſſentia ex vtroque cõceptu eſſendi(in)&(ad)cõſtituatur. ſecundò vt præciſe reduplicet proprium relationis modũ per (ad)ſignificatum, & tunc non leuis eſt ſed ſatis ſinuoſa & ambigua controuerſia inter Doctores hinc inde pugnantes agitata, num in hac præciſa ratione & preciſo modo relationis ratio accidentis includatur, ita vt formaliter prout dicit, Ad, dicat etiam, in, quidam affirmant qui Entis & Accidentis tranſcendentiam in intima vltimorum modorum penetratione ſitam eſſe arbitrantur, validiſsimis Argutis roborati. Negant alij, qui rationem entis, accidentis ve non claudi in vltimis modis quibus determinatur defendunt, nec tranſcendentiam entis in eo ſiſtere, ſed in amplitudine illius qua per res omnes vagatur vt ratio communis inclusa, non in ratione qua contrahitur, ſed in integra eſſentia, vt ratio animalis in integra eſſentia hominis clauditur, non in differentia contrahente, ſed res eſt quæ prolixam ſatis expoſtulat diſcutionem, in metaphyſica enodandam, hæc ſecunda pars à nobis tenẽda eſt cum noſtro Doct. His ſic præiactis.

I. Conclu. Prima concluſio ſit. relatio non eſt ipſa duo extrema ſimul ſeu fundamentum pro ut cõnotat terminũ. Sic noſter Doctor & oppoſitum eſt Prædicamẽtum Ad aliquid A de medio tollere, & ſola dialecticæ Artis differendique vſus gratia verbis illud fateri. Probatur concluſio, relatio ex communi omnium acceptione eſt forma ſimplex, duo autem extrema eſt aggregatum per accidens, ex duobus entibus completis. Item quòd duo alba sũt duo indiuidua Prædicamenti qualitatis, nequeunt ergò diſtinctũm prædicamentũ cõſtituere. aut ſi vnum album ad Prædicamẽtum relationis non ſpectat, ergo nec duo alba, etiam ſi vnum in recto & alterum in obliquo ſumatur, vt Durandus fingit, peradditum enim eiuſdem prædicamẽti præcisé niſi aliquid aliud de nouo reſultet, non conſtituitur Prædicamentum omnino diuerſum. *I. Probat.*

Præterea probatur, non eſſe fundamentũ vt cõnotat terminũ, vel enim fundamẽtum cõnotare terminum, eſt intrinſecè affectum eſſe ad terminum, & illum intrinſecé reſpicere, ergo addit aliquid intrinſe cum ipſi fundamento, cum impoſsibile ſit eidem rei ſecũdum eandem rationem & eſſentiam ſimul & realiter contradictoria conuenire, cuiuſmodi ſunt connotare terminum, & non connotare terminum, in ſua eſſentia & diffinitione, vel eſt præciſè eſſe fundamentum & terminum, quod impugnatum eſt. *II. Probat* B

II. Conclu. Secunda cõcluſio, relatio realis non cõſiſtit in extrinſeca denominatione proueniente ſiue à termino coexiſtente, ſue ab intellectu concipiente fundamentum per modum relatiui. Prima pars probatur quia iam rueret relationis prædicamentum, cum enim extrinſeca denominatio in re nihil aliud ſit, quam forma denominans, relatio nihil aliud eſſet quam alterum extremum, ſiue terminus abſolutus, atque adeo relatio qua aliquid refertur ad aliud, in diſtincto eſſet ſubiecto ab eo quod refertur, nempe in termino, ac proinde vnum eſſet ſimile alteri per albedinẽ quæ eſt in termino. Tum etiã quòd extrinſeca denominatio potius eſt quædã extrinſeca applicatio formæ extrinſecæ ad rem denominatam, quàm ipſius ſubiecti habitudo ad terminum extrinſecum, in qua eſſentialiter conſiſtit relatio. *I pars pro* C

II. Pars. Probatur Secunda pars probatur. aut illa denominatio extrinſeca ab intellectu ꝓueniẽs, eſt eſſe rationis ab actu illius in fundamento reſultans, & de hoc certum eſt non eſſe relationem realem, aut ipſe actus intellectus à quo talis denominatio prouenit, &

T hic

hic non ſpectat ad hoc prædicamentum, ſed ad prædicamentum qualitatis, aut aliquid tenens ſe ex parte fundaméti actum intellectus præcedens, non ergo eſt denominatio extrinſeca ab illo proueniens. Tum etiam quòd ſicut friuolum eſſet aſſerere eſſentiam albedinis conſiſtere in hoc quòd eſt poſſe concipi vt albedinem, ita & aſſerere, eſſentiam relationis eſſe poſſe concipi ab intellectu in ordine ad aliud. Inſuper, vno duntaxat albo exiſtéte, non poteſt id intelligi vt ſimile alteri, quando verò alterum adeſt poteſt concipi, quod antea non habeat, vel ergo quia acquirit aliquid intrinſecũ de nouo, quod antea non habebat, quod intendimus, vel eſt ſola extrinſeca denominatio proueniens à termino ſcilicet albo de nouo exiſtente, quod iam impugnatum eſt. Tádem quòd conceptibilitas ſaltim ratione præſupponit rem ipſam cuius eſt, hæc enim cauſalis eſt vera, quia hæc res eſt talis naturæ ideo eſt ſic conceptibilis, ſicut ergò poſſe concipi vt cumque oritur ab entitate qualicumque, ita & poſſe concipi vt ſimile vel vt ſimilitudo oritur à ſimilitudine: ſimilitudo ergo formaliter non eſt conceptibilitas, cum prius vt prius eſt, non cõſtituatur in ſuo eſſe eſſentiali per ſuum poſterius.

III. Conc. Tertia concluſio. Relatio eſt forma intrinſecà afficiens & denominans ſubiectũ cui ineſt etiam ſecundum proprium conceptũ per (ad) expreſſum, vnde denominatio relatiua eſt denominatio intrinſeca, cõmunis eſt hæc doctrina vtriuſque Doctoris Angelici & Subtilis, ille n. in. 2. contra gentes c. 13 à relatione (aſſerit) non denominari aliquid quaſi à forma exterius exiſtente, ſed inhærente.

Probatur. Probatur concluſio. denominatiò relatiua eſt per habitudinem vnius ad aliud, vnde relatio eſt forma cuius effectus formalis eſt referre vnum ad aliud, ergò neceſſariò debet eſſe forma intrinſecé afficiens id quod refert. conſequentia patet, quia referens vnum ad aliud debet eſſe in aliquo extremo, ſed repugnat eſſe in eo ad quòd refertur, ergò in eo quod refert. quia ad relationem tantum concurrunt per ſe duo extrema.

Tandem quòd ſi oppoſitum eſſet verum non eſſet cur Sancti relationes reales ex tempore in Deo concedere formidarent.

IIII. Con. Quarta concluſio quamquam Ariſtot. genus iſtius Prædicamenti in cõcreto diffini erit, ad aliquid eſſe affirmans cuius
A totũ ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere, ex prædicta diffinitone ſeu notificatione vt ait Doctor Relationis in abſtracto (quo pacto etiam generis ſummi rationem habet). facilè ſic deduci poteſt. relatio eſt accidés reale cuius totum eſſe, eſt ſubiectum ad aliud referre, intrinſecus ei adueniendo. Prima particula loco generis conſtituitur quà à relationibus diuinis quæ nõ ſunt accidentia, & à relationibus rationis ſecernitur, conuenitquè in ea cum Accidentibus realibus abſolutis. cæteræ autem particulæ differentiæ locum tenent, per illam, cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud diſtinguitur ab abſolutis, per vltimam intrinſecus adueniendo à ſex vltimis prædicamentis, quorum eſſe licet in vero reſpectu conſiſtat, differunt tamen vt ait noſter Doctor quod non intrinſecus ſed extrinſecus adueniunt, vt infra d. ſeptima explicabitur.
B cum ergo forma ſit quæ in genere cauſæ formalis eſſe tribuit, & id quo aliquid in determinato eſſe conſtituitur, vt per omnia prædicamenta diſcurrenti patebit, relatio eſt forma quædam quæ ſubiectum afficiendo in aliud ordinat aut refert. concluſionem hanc vt pote rationem formalem exprimétem nõ amplius quàm communi omnium acceptione poſſumus indicare.

Ex præfatis deducit Doctor. 5. illo metaph. relationem in abſtracto nõ eſſe quæ refertur, hoc enim conuenit concreto ab ipſa conſtituto, ſed rationem eſſe referendi, qua ſubiectum ad aliud refertur, vt albedo nõ eſt alba ſed qua ſubiectum album cõſtituitur, cum ergò aſſeritur totum eſſe relationis cõſiſtere in ad aliud referri, nõ vt quod ſed vt quò eſt intelligendum, quo
C pacto albedo dici ſolet alba vt quo.

Vltima concluſio de intrinſeca ratione relationis vt ſic non eſt quòd ſit dependétia à termino, ſic noſter Doctor in. 1. d. 30. q. 2. & probatur, quia in diuinis datur vera relatio cuius totum eſſe eſt ad aliud, vt relatio paternitatis ad filium, optimè ergo intelligi poteſt vnum ad aliud referri ſine dependentia ab illa. *Vlt. Conc.*

Secundo probatur in rebus creatis. in relationibus primi generis ſi duo albiſſima ponerentur, illa erunt perfectè ſimilia & tamen neutrum ab alio depéderet, quia neutrum ad alterum ordinaretur vt imperfectum ad perfectum à quo habet perfectionem. Præterea in relationibus ſecũdi generis agens naturale creatũ nõ agit in quantum *II. Probat*

quantum eſt imperfectum,cum agere ſibi competat,in quãtum eſt in actu,vnde agere conuenit Deo ſumme,ergo agens agit in quantum perfectum,ſed in quantum agens habet relationem realẽ ad ſuũ effectum,ergo nõ eſt de ratione relatiui in quãtum tale dependere ad aliud. Tandẽ quod ſi hoc relatiuum ad aliud dependeret,vice verſa & illud ad hoc,in quantum etiã mutuo refertur,vnde eſſet dependentia eſſẽtialis circularis,quod eſt impoſsibile, cum in nullo ordine eſſentiali dari queat circulus,idem enim ſimul eſſet dependens & independens reſpectu eiuſdem.

Vnde verum eſt quod ſuperius dixit noſter Doctor, licet dependentia omnis formalis relatio ſit,non tamen omnis relatio eſt depẽdentia,nec omne id ſine quo aliquid poteſt eſſe ab illo dicitur depẽdere,pater enim in diuinis nequit eſſe ſine filio,ab illo tamen non dependet.

Ad.1.Ar Ad Primum primæ opinionis art.ſequẽti erit reſpondendum

Ad ſecundum,qui tranſcendentiam entis & accidentis incluſionẽ præſe ferre aſſerunt in vltimis modis. Reſpondent relationem prout dicit Ad licet rationem Accidentis includat,illam tamen non exprimit, cum enim proprius conceptus & diſtinctus Accidentis vt ſic non ſit ad aliud vt ad terminum, ſed eſſe in alio vt in ſubiecto, hinc fit non ſignificari expreſsè per ad,ſed per in Ad ergo vt ad expreſſe dicit modum relationis,implicitè verò & in confuſſo,in. Vel vt alij ex parte rei ſignificatæ in,dicit,quia id quod ſignificat includit accidens, ſed non ex modo ſignificãdi, nec in ſe licèt inferre ſecundum explicitum cõceptum non exprimit,in ergò ſecundum explicitum conceptum non eſt accidens, committitur enim fallacia à dicto ſecundum quid,addictum ſimpliciter,à modo ſcilicet ſignificandi et exprĩmendi ad ipſam rem. relatio ergò in re prout dicit ad inhæret ſubiecto non ſiſtẽdo in illo, vt contingit in formis abſolutis, ſed referendo ad terminum,& cum dicitur totum eſſe relationis eſſe ad aliud,ly totum non excludit rationes tranſcendentales entis & accidentis realis,ſed ſolum eſſe,in,abſolutum.

II.Solutio Suſtinendo tamen ſententiam noſtri Doctoris in 4.d.12.& in 2.d.1.q.5.ad 3. Enrrici,cum Tatareto ibi rationẽ entis & accidentis nõ claudi in vltimis modis,præmittendum eſt vt ab Argumento nos extricemus, quòd licet relatio duplicem cõceptum habeat per in & ad expreſſum realiter vna entitas eſt ſeu vna accidẽtalitas, tota quidem ſecundum vtramque rationẽ exiſtens & in hærens vnica & eadem exiſtentia & in hærentia, ſicut enim proprius modus relationis per ad expreſſus rationem communem accidentis & in hærendi determinat,eamque relatiuam reddit,ita & ratio accidentis per in ſignificata,ſpecialem modum relationis cum quo identificatur, in hærentem reddit per ſuam in hærẽtiam,& veluti mutuo ſeſe iuuant & præſtant, ita vt in hærentia ipſius relatiua ſit à proprio modo relationis, & proprius modus relationis vt ſic in hærens ſit ab in hærentia Accidentis.

Hac animaduerſione bene inſpecta,contrariorum argumenta non tanti ponderis eſſe arbitror,quanti à ſuis auctoribus penduntur, cum enim clamant relatio ſub proprio & præciſo conceptu afficit & denominat ſubiectum vt forma intrinſeca, totum hoc admittimus, non opus eſt vt verba multiplicentur,cum verò inferunt, ꝙ præcisé vt dicit ad in hæret, diſtinguo conſequẽs,per in hærentiam quam habet in ſe cõcedo,quam habet à ſe nego,primũ denotat quod in hærentiam habeat, vnde cumque habeat etiam ſi ab alio ſit emendicatũ, ſecũdum verò quòd illud habeat nõ vt ab alio petitũ,ſed ex propria vi & facultate,vnde contingit, aliquid habere aliud in ſe ſed non a ſe, aliud vere habere illud tam in ſe quam à ſe, cuius rei multa exempla proponi poſſũt, rationes formales metaphyſicæ vt ſic, exiſtunt in re exiſtentia quam habent in ſe, non tamen à ſe ſed ab entitate phyſica,materia prima ſecundum D.Th.opinionẽ,vt materia prima eſt,exiſtit in re,per exiſtentiã quidem quam in ſe habet,ſed non à ſe ſed à forma emẽdicata cũ qua eſt vnita ſicut ergo eſſe in accidentis habet quòd relatiuum ſit non à ſe ſed ex vi modi relationis cum quo identificatur,ita eſſe ad relationis vt ſic in hæret ſubiecto,quod ad aliud refert per in hærentiam quam in ſe habet, non tamen à ſe,ideſt ex propria ratione habitam,ſed à ratione accidentis cumqua identificatur.

Vrget Argumẽtum,modus proprius relationis vt ſic habet ex propria ratione quòd ſit accidens intrinſecé & formaliter, ergo in ſe & á ſe in hæret, antecedens probatur,ex propria ratione eſt ens reale,nõ ſubſtantia vt liquet,cum non ſit ens per ſe

ergo accidẽs & ens in alio. Occurrẽndum eſt diſtinguendo antecedens, modus præciſus relationis eſt ens & accidens identicè concedo, formaliter & intrinſecè nego, quod idem de omnibus alijs modis vltimis aſſerẽndum eſt.

Et cum vltimò nos premere contendũt formaliter & intrinſecè non eſt ens ergo nihil, non enim medium vllum intelligibile eſt inter ens & nihil, & cum ens in ſubſtantiam & accidens diuidatur, quod vtrũque membrum ſubterfugit, rationem ẽtis ſubterfugere neceſſum eſt, ac pro in nihil eſſe. Neganda eſt prima conſequentia datur enim medium inter ens & nihil modus nempe entis, qui licet non ſit ens formaliter, quia diuiſum includi nequit in modis determinantibus ſed in membris diuidentibus, vt in prædicabilibus docuimus, eſt tamen aliquid entis, quod in re datur vt entis modificatiuum. Vnde decem modi nõ ſunt membra diuiſionis entis, ſed modi determinantes rationem entis ad decem genera rerum; numquam ergò fatendum eſt ens diuidi in decẽ modos, ſed in decem genera rerum per decem modos, ſed de hoc ſerior occurret diſputatio in metaphyſica.

Ad fundamentum ſecũdæ opinionis diſtinguendo eſt minor fundamentaliter cõcedo, formaliter nego, de quo infra.

Ad Confir. diſtinguatur antecedens, eodem pacto fundamentaliter concedo formaliter nego, cum enim ratio formalis ſimilitudinis & diſtinctionis ſit in ordine ad aliud, quæ formaliter ſimilia & diſtincta dicuntur, formaliter ad ſe inuicem referuntur, atque adeo per formam relationis ſibi ſuperadditam, cum in ſe abſoluta ſint. non enim ſatis ſunt abſolutæ formæ ad omnia efficienda quæ abſolutis & reſpectiuis conficiuntur.

Sed ſi inquiras, relatione ſecũdum ſuã propriam rationem perfectionem importat? Aliqui abſoluté negant de quauis relatione ſiue creata, ſiue increata. Alij affirmam omnem relationem importare perfectionem. Media tamen via videtur progreſſus noſter Doc. quot libeto 4. De relationibus enim diuinis tam hic quam in 1. d.26 q.3.d.1.q.4. aſſerit nec perfectionẽ nec imperfectionẽ importare, vt pote entia non quanta, ſed de his relationibus nihil modo logici: proprium enim Theologorũ eſt, de eis diſputare. de relationibus creatis aſſerimus ſuam habere peculiarẽ perfectionem, adeo tamẽ modicam, vt nõ mirum ſi illius ſint capaces, ratio autem

A huius eſt, quod eſſentia creata non eſt totaliter perfecta, ſed ſucceſsiuè perficitur atque adeo rationem potentiæ & perfectibilis habet per relationes, relatio ergo creata perfectio quædam erit, quia perfectibile vt perfectibile non reducitur ad actum niſi per perfectionem.

Sic noſter Doct. in 1.d.26.q.1.§. Ad rationes pro ſecunda opinione, Ad 3. ait *quia probabilius videtur, quod relatio poſsit eſſe perfectio quã proprietas hypoſtatica* & deinde ſubdit *alicui tamẽ relationi ſecundũ propriã ratione cõuenit eſſe perfectionẽ, aliqua enim eſt perfectior altera vt, patet de æqualitate reſpectu inæqualitatis.*

QVÆSTIO IIII. NVM Eſſentia relationis in actu conſiſtat, num in aptitudine.

B PRÆSENTIS controuerſiæ titulus geminum inuoluit ſenſum lõgè diuerſum, Primus eſt de ipſa forma ſecundum ſe & in abſtracto conſiderata, num illius eſſentia cõſiſtat in actuali exhibitione ſui effectus formalis, qui cumque ſit talis effectus, ſiue in actu ſiue in aptitudine cõſiſtens, ita vt relationi repugnet dari in re niſi exercendo actu ſuum effectum formalem. An vero in ſola aptitudine illum conferendi, ita vt dari poſsit in re aut intelligi exiſtens abſque eo quòd actu tribuat. Secundus ſenſus procedit de relatione vt affi inte iam & informãte ſuum ſubiectũ, num illud eſſe formale quod tribuit ſit eſſe conſiſtẽs in actu, aut in ſola aptitudine, an inquã cum eſſe formale quod tribuit relatio ſubiecto, ſit eſſe ad aliud, ſit eſſe actu ad aliud relatum, vel an eſſe ad aliud

C aptitudine quaſi in actu primo potens referri. Porrò quàm diſtincti ſint duo hi ſenſus, hoc exemplum demõſtrat, de eſſentia enim quãtitatis non eſt actu ſuum effectũ formalem ſubſtãtiæ cõferre, cum ſine illo dari poſsit, vt in ſacro Euchariſtiæ myſterio in quo quantitas nulli ſubſtantiæ ad hæreſcit, atque adeo nulli ſubſtantiæ ſuum formalem effectum ex hibet, ſed eſt apta conferre, in hac ergo aptitudine illius eſſentia ſita eſt, effectus tamen formalis quẽ impendit, non in aptitudine ſed in actu cõſiſtit, ſeu in actuali extenſione partium ſubſtantiæ, ſicut albedo reddit ſubiectum non aptitudine ſed actu album, ſiſcitatur ergò præſens controuerſia, num idem de relatione fatendum ſit.

Con

I. Opinio. *Mai in 4. d. 12. q. 1. Ledeſma. 1. p. 4. q. 28. ar. 2. dub. 4.*

Circa primum ſenſum aliquorum opinio eſt aſſeuerans eſſentiam relationis nõ eſſe ſitam in actuali exhibitione ſui effectus, ſed in aptitudine ad illum exhibendum, & in hoc ſenſu dicendum eſſe, de eſſentia relationis nõ eſſe quòd actu referat, ſed quòd ſit apta referre, vti de quantitate dictum eſt.

I. Probat. Primo probatur Placitum hoc, ex illo receptiſsimo communi omnium ore proloquio, verba in diffinitionibus nõ actum, ſed aptitudinem præſeferunt, quod in omnibus formis experimẽtum conuincit.

Confirmat Confirmatur, enunciatio hæc relatio eſt cuius totum eſſe eſt ad aliud, æternam ſortitur veritatem, igitur vera eſt ante quàm relatio actu exiſtat, & ſubinde ante quam in actu referendi exercitium prodeat, atque adeo illius eſſentia non in actu ſed in aptitutine referendi ſita erit.

II. Argu. Secundò prob. Prius natura eſt relationem habere eſſe, quàm quod referat ſubiectum ad terminum, ergò illius eſſentia nõ cõſiſtit in actuali exhibitione ſui effectus formalis, conſequentia hæc perſpicua eſt, cũ nihil prius ſit eo quod eſt de ipſius eſſẽtia, ãtecedẽs, oſtẽditur, prius natura eſt forma quã eam vniri ſubiecto & illud afficere quia modus præſuponit rẽ cuius eſt.

III. Arg. Tertio relatio poteſt diuina vi conſeruari à ſubiecto ſeparata, ergo illius eſſentia in aptitudine conſiſtit & non in actu, antecedens probatur, in hærentia non eſt de eſſentia relationis, cum non ſit de ratione accidentis quod in abſolutum & reſpectiuum eſſentialiter diuiditur. ergo ſine illa poterit virtute diuina conſeruari, cũ Deus poſsit ſubiecti vices ſuplere & ſine illo accidẽs conſeruare in alio genere nẽpe efficientis.

II. Opinio Circa ſecundum, pleriſque non infimi nominis opinio illa affirmans effectum formalẽ relationis in aptitudine proxima cõſiſtere & non in actu vero ſimiliter viſſa eſt hoc eſt non eſſe actu referri ad terminum, atque adeo ſubiectũ ex vi relationis eſſentialiter non conſtitui actu relatum ad terminum quaſi in actu ſecundo, ſed aptitudinaliter quaſi in actu primo & proximo relatiuum. Supponentes relationem duplicem effectũ formalẽ habere ſeu duplicem actum primum & ſecundũ, primus in quo conſiſtit eſſentia relationis vt pote quẽ primò tribuit, eſt ita afficere ſubiectũ vt illud reddat proximè potẽs referri, ſeu eſſe relatiuũ in actu primo, ſecundus verò vnũ ad alterum actu referre, quod eſt proprium relationis exercitiũ, & hic (aſſerunt) non eſt de eſſentia relationis, cum ſine illo primus poſsit ſtare, nec eſt eadem ratio de forma abſoluta vt de albedine quæ cum nõ depẽdeat ab alio extrinſeco, nõ indiget alio vt ſuum effectũ formalẽ actualẽ tribuat, relatio autẽ in hoc quod eſt actu referre ſubiectũ, pendet à termino extrinſeco.

Probatur primo opinio hæc ex diuiſione illa relationis ſub expreſſa relationis ratione inter Theologos & Phyloſophos ſatis celebrata, in conceptam & exercitam, ſeu in actu primo, ſignato, vel vt conceptо, & in actu ſecundo & exercito, primumque (aſſerũt) ſolam aptitudinem denotare, ſecundũ vero actum. poſſeque primũ in relatione ſine ſecundo concipi, de eſſentia ergo relationis non eſt conſtituere actu relatum, ſed potens proximè referri, cum nulla res concipi queat, abſque eo quòd eſt ſibi eſſentiale.

Confirmat Confirmatur de eſſentia relationis in cõmuni non eſt referre in actu exercito, ſed in actu ſignato ſeu poſſe referre, quod nec de eſſentia relationis eſt in particulari, cũ non habeant diſtinctas eſſentias.

II. Argũ Secundò probatur, quando forma reddit ſubiectum in actu circa vnum quod adeſt, & in potentia circa plura quæ deſſunt certum eſt talem actum nõ eſſe formalem effectum talis formæ, ſed potius aptitudinem ad prædictum actum, atqui relatio paternitatis ſubiectum cui ineſt, actu reddit circa vnum filium exiſtentem, & in aptitudine ad plures filios qui non dum ſunt, ergo effectus formalis paternitatis non eſt actu ſed aptitudine referre, maior oſtẽditur, quia intellectus animam reddit intelligentem actu obiectum præſens, & in potentia intellectiuam circa obiecta abſentia, ideo effectus formalis illius nõ eſt reddere animam actu intelligentem, ſed intellectiuam.

I. Notabi. Pro noſtro placito ſtabiliendo operæ prætium erit obſeruare, formas accidentales in duplici eſſe diſcrimine, quædam ſunt quælicet exiſtant dependenter à ſubiecto, non tamen ita intimè quin diuina virtute exiſtere nequeant à ſubiecto ſeparatæ, vt quantitas albedo & aliæ ſimiles, & in his aptitudo ab actu ſeparatur, cum enim eſſe poſsint ſine ſubiecto, poſſunt eſſe abſque eo quòd actu conferant ſuum effectum formalem & tales formæ dicuntur entitate, quæ nõ tantã dependentiam

habēt ab extrinſecis. Aliæ verò ſunt adeo
exiguæ,& debiles,vt intimè á ſubiecto de A
pendeant,& eis repugnet eſſe in rerum na
tura, quim ſint actu in ſubiecto illud affi-
ciendo & informando, & tales formæ di-
cuntur modi.in hoc ergo vniuersè loquen
do entitas á modo diſtinguitur quòd eſ-
ſentia modi in actuali modificatione ſui
ſubiecti conſiſtit,atque adeo in actuali ex
hibitione ſui effectus formalis, ita vt ſine
ea intelligi aut eſſe non poſsit, cuiusmo-
di eſt vnio que eſſentialiter conſiſtit in ac
tuali vnione partium non vero in aptitu
dinali,& eſſentia actionis in conſtitutione
agentis in eſſe agentis actu,& idem de ali
js ſex vltimis prædicamentis. in his ergo
eſſentia ab actu eſt inſeparabilis, & ob id
à noſtro Doctore appellantur formæ vl-
timatæ,aut conſiſtentes in vltima actuali-
tate.

II.Notab

Obſeruandum ſecundò in genere cauſæ B
efficientis diſtinctum eſſe exercitium for
mæ ab effectu formali illius, quia conſiſ-
tit in operatione quæ eſt omnino diſtinc-
ta ab ipſa forma,vt calefactio à calore,cū
enim calor ſecundum ſuam vltimam ra-
tionem non ſit formaliter calefactio, non
tribuit formaliter eſſe calefacientis, ſed
tantum eſſe calidi aut calefactiui,ob id in
ordine ad efficientiam intelligitur prius
res conſtituta in actu primo per formam,
quàm in actu ſecundo per actualem opera
tionem omnino diſtinctam & ſeparabilē à
forma conſtitutiua in actu primo.in gene
re verò cauſæ formalis exercitium for-
mæ non eſt diſtinctum ab effectu formali
illius cum non conſiſtat in operatione ali
qua diſtincta,vnde formam exercere ſuū
actum nihil aliud eſt,quàm dare ſubiecto
ſeipſam ſecundum propriam rationem & C
actualitatem quàm habet in genere cauſæ
formalis,& nihil aliud exercere poteſt,vn
de albedo exercet actum formæ cum ſu-
biectū reddit actu album, obidque in hoc
genere diſtingui nequit duplex actus.1.&
ſecūdus à primo ſeparabilis.

I. Conclu. *Scotus.* *Tataret.* *Lichetus.* *Orbellus.* *Niſa.* *Bargius.* *Baſſolis.* *Paulus* *Scriptor.*

Prima concluſio ſit, eſſentia relationis
in abſtracto conſiderata, non in ſola apti-
tudine ſed in actuali ex hibitione ſiui ef-
fectus formalis cōſiſtit, vnde in re nequit
exiſtere niſi ſubiectum afficiendo,& ei ac
tu ſuum effectum formalem conferendo.
Sic noſter Doctor. in 4. d.12. q. 1. vbi ſic
*Secundo probatur concluſio quia reſpectus
eſſētialiter eſt habitudo inter duo extrema,&
ideo ſicut tollere terminum ad quem eſt reſ-
pectus,eſt tollere vel deſtruere reſpectum,ita* A
*tollere id cuius eſt reſpectus eſt tollere reſpec
tum,& deſtruere rationē reſpectus,non ergo
quia accidens reſpectiuum eſt accidens, ideo
requirit ſubiectum vel fundamentū,ſed quia
reſpectus eſt reſpectus ideo requirit cuius ſit,
& ad quid ſit,etiā in diuinis,*& q.2.in reſpō.
Ad q.vbi poſt quam ꝓpoſuit ſubiectū acci
dentis duplex eſſe poſſe,vel vltimatè ter-
minans dependentiam accidentis ideſt vt
ſubiectum principale & quod, quo pacto
ſola ſubſtantia eſt ſubiectum accidentis.
aut quod cumcumque terminans depen-
dentiam accidentis proximè,& ſi non vlti
maté,quo pacto vnū accidens eſt ſubiectū
alterius,vt quantitas albedinis,nō primū
& vt quod,ſed vt proximū & vt quo.ſub-
dit,*poſsibile eſt accidens quod cūque abſolutū
eſſe ſine ſubiecto vtroq; modo ſicut probāt illa
quæ adducta ſunt cōtra primā opinionē,ſed ac* B
*cidēs reſpectiuū nō eſt poſsibile eſſe ſine ſubiec
to ſaltim ſecūdo modo*(cui nēpe immediate
& proxime tribuit ſuū effectū formalē,
vt æqualitas ſine quātitate)*quia nō eſt poſſi
bile quòd ſit reſpectus inter duo quim ſit alicu
ius ad aliquid, & hoc nō eſt ratione accidētis
ſed ex ratione reſpectus,nō poteſt autē eſſe reſ
pectus alicuius ad aliud, niſi inſit illi cuius
eſt reſpectus,& ita ſi eſt accidentis erit ſibi tā
quā accidens ſubiecto* & in reſp.ad.3.*depen-
dentia relationis ad fundamentū eſt eſſentia
liſsima,ita quod ſine ea nō poteſt eſſe ratio re
lationis.* Tenent communiter omnes Sco-
tiſtæ ibi,& eſt cōmunior inter Thomiſtas

Probatur ratione noſtri Doctoris,quia *Probata.*
relatio eſſentialiter eſt habitudo vnius ad
aliud,ergo ſicut implicat dari aut intelligi
ſine termino ita & ſine ſubiecto quod re-
fert ad terminum:ergo implicat dari in re
C niſi afficiendo & informando ſubiectum,
atque adeo ſuum effectum formalem ei
conferendo. Præterea ex propria ratio-
ne modi cuius eſſentia in actuali modifica
tione conſiſtit, vnde implicat dari actionē
in re niſi actu conſtituendo agens,& vnio
nem niſi actu vniendo, ergò idem neceſſa
riò de relatione fatendum eſt.

Ex quo explicatū manebit num relatio
ſit mòdus dicendus,an res,cui ſatis reddit
noſter Doctor in.2.d.1.q.5.in quorlib.q.3.
aſſerens,accipiendo rem generaliſsime vt
in decem genera diuiditur, ſic relatio po-
teſt res dici, ſimiliter ſi res ſumatur prout
diſtinguitur a modo intrinſeco de quo ali
bi .ſi verò ſumatur res pro entitate, quæ
ſaltim virtute diuina conſiſtere poteſt
ſeparata,

ſeparata, quia non habet intimam dependenciã à ſubiecto, ſic nõ res ſed modus eſt.

II. Conclu. Secunda concluſio, relatio ſumpta prout ſuum effectum formalem tribuit, confert eſſe actualiter relatum, & nõ ſola aptitudine, ſic noſter Doctor in. 3. d 8. q. 1. vbi aſſerit *relatio eſt qua habens eſt vltimate ad aliud* & ſic omnes illius diſcipuli, cui ſẽtentiæ plures ex thomiſtis acceſſere.

I. Probat. Probatur concluſio, relatio eſſentialiter eſt actualis forma, ordo nimirum & habitudo actualis, ergo effectus formalis illius debet eſſe actualis atque adeo actu eſſe ad ſubiectum ordinatum. Confirmatur idem prorſus ſunt re & ratione albedinem eſſe propriam formam albi, quã reddere album actu & formaliter; ergo iddem prorſus ſunt re & ratione, eſſe propriam formã relatiui, & referre actu vnũ ad alterum. Conſequentia probatur quia ideo albedo reddit actu albũ quia ipſa in ſe in ratione albedinis eſt actualis & vltimata forma, & actio tribuit eſſe agẽtis nõ in aptitudine ſed in actu, quia in ratione actionis eſt actualis & vltimata forma, at relatio in ratione habitudinis ſic ſe habet.

III. Conc. Tertia concluſio quæ ex præcedenti deducitur, relatio in re nullum alium effectũ formalem tribuit aut actum, quàm habitudinem actualem ad terminum in qua proprium relationis exercitium conſiſtit. Probatur cõcluſio, exercitium relationis non prouenit ab ipſa in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, non ergo conſiſtit in aliqua operatione diſtincta & ſupperaddita, ſed in hoc quod ſe ipſam ſecundum propriam rationem relationis quæ in eſſe ad aliud cõſiſtit, tribuit formaliter ſubiecto, & in ordine ad aliud conſtituit, nullus enim alius actus aut exercitium eſt excogitabile, quàm afficiẽdo ſubiectum, ſuum effectum formalem tribuere.

Ad. I. Ar I. Opinio. Ad Primum primæ opinionis, illud vulgatum veritatem habere in formis primi generis, in prima obſeruatione recenſitis, non verò in formis ſecundi generis, propter rationem ibi ſtatutam.

Ad. Conf Ad Confirma. enũciationem illam ſic eſſe intelligendam, relatio eſt cuius totum ſuum eſſe eſt actu ad aliud, eſſentia autẽ relationis ab exiſtentia & inhærẽtia preſciſſa, ſignat, quod in relationibus actu exiſtẽtibus exercetur, ſed de hoc infra. art. 2.

Ad. II. Ad. 2. negatur antecedẽs, numquã extra ſubiectũ eſt & illius in exiſtere in actuali exhibitione ſui effectus formalis cõſiſtit.

Ad Tertium negandum eſt antecedens, vt art. ſequenti. q. 1. videbimus. Ad. III.

Ad Primũ Secundæ opinio. prædictam diſtinctionem non fundari in ipſa natura relationis, cum in re nequeat dari relatio vt afficiens & informans ſubiectum ſub propria ratione relationis, quin ſit actu referens, eſt enim forma ſimplex in qua eſſe in non eſt realiter diſtinctũ ab eſſe ad, ſed vna & eadem realitas. Sed ſolum in noſtro imperfecto modo concipiendi non concipientis integrè & perfecte, ſed tantũ cõfuſſè & in adæquarè relationes diuinas propter quas talis diſtinctio inuenta eſt.

Ad Confirma. infra art. 3. Ad Confir

Ad ſecundum, nullum nobis exhibet negotium enim fatemur, eſt neganda minor que maximam habere deceptionem, tum ex dicendis Articul. 3. & etiã ex ſtabilitis quod numquam relatio in aptitudine conſtituit ſubiectum in ordine ad aliquem terminum. Ad. II.

ARTICVLVS II. DE SVBIECTO, Extremo Fũdamento & Ratione fundandi relationem.

QVÆSTIO I. QVID SIT ſubiectum extremum & fundamentum relationis.

CONTROVERSIA hæc quibuſdam aſſertionibus iuxta mẽtem noſtri Doctoris dirimenda eſt.

I. Conclu Prima concluſio, ſubiectum relationis eſt id quod relationi ſubijcitur, ab eaque afficitur & denominatur, debet autem ſubiectum relationis realis eſſe reale, cum accidens reale exigat ſubiectum reale, cui inhæreat, & inuitatur & vnũ numero quia relatio vnum ſubiectum habet, vnde cum dicimus inter duo corpora alba dari relationẽ ſimilitudinis nõ eſt ſic intelligẽdũ ac ſi vna & eadem relatio ſimilitudinis eſſet in duobus extremis albis vt perperá Henrricus fuit arbitratus, ſed ſenſus eſt, in quouis extremo quod refertur, ſuam eſſe diſtinctam relationẽ, vt in quolibet albo ſua eſt relatio ſimilitudinis qua alteri ſimile dicitur, quod nonnũquam nomine ſingulari ſignificari ſolet, quia quaſi ex, vtraque relatione in vtroque extremo exiſtente vna veluti integratur.

Hoc idem ſubiectum extremum appellatur, vnde communiter dici conſueuit, relationum habitudinem claudi inter duo extre-

extrema, hoc eſt inter duo quæ obid extrema dicuntur quia terminant & claudunt habitudinem vnius ad aliud, ſed iam vniuerſè loquẽdo ipſa correlatiua relationis extrema dicuntur.

Secunda concluſio. Fundamentum relationis eſt illud quod in ſubiecto requiritur, vt realis cauſa & ratio ob quam in illo conſurgat relatio, vt duo corpora non haberent interſe relationem ſimilitudinis niſi haberent in ſe albedinem, nec relationem æqualitatis niſi quãtitate eſſent prædita.

Subiectum & fundamentum proximũ relationis cõmuniter ſolet à Doctoribus pro eodem vſurpari, quia proximum fundamentum videtur cui proximè & immediaté in eſt relatio, vt relatio æqualitatis immediate in hæret quantitati quæ illius proximum fundamentum eſt, quia eam immediatè denominat. Re tamen inſpecta acceptio hæc non eſt peripatetica, nec menti Phyloſophi congruens omnino, in cuius doctrina non ita materialiter accipitur vt fundamentũ domus, cui tota domus innititur, & ſupra quod conſurgit, ſed vt id quo mediante in ſubiecto receptiuo conſurgit relatio.

Proquo ſupponendũ eſt non eſſe de ratione fundamenti quòd ſit idem re cum ſubiecto, aut re ab illo diſtinctum, ſed abſtrahit, quandoque enim eſt idem quòd ſubiectum cui relatio immediatè in hæret, quando que eſt diſtinctum, eſt tamen de ratione fundamenti vt ſic eſt, vt ſit in eodẽ ſubiecto in quo eſt relatio vt docet noſter Doctor. Prima pars probatur, quia multæ relationes dantur quæ non inſunt proximo fundamento, vt relationis paternitatis proximum fundamentum eſt potentia generatiua quæ tamen non eſt ſubiectũ ſed ſubſtantia generantis, quod etiam in alijs reperitur, aliæ verò inſunt immediatè ipſis fundamentis, cuius ratio eſt, quòd fundamentum vti diximus realis cauſa eſt aut ratio propter quam relatio conſurgit poſito termino, ſed talis cauſa quandoque eſt entitas aliqua aut modus ſuper additus entitati ſubiecti, quandoque ipſa natura talis ſubiecti ſecluſo omni ſuperaddito, vt in relatione identitatis inter duas ſubſtantias. Verum eſt tunc ſaltim ratione diſtingui, quia ſubiectum dicitur præciſè quatenus relatio ei adhæret, dicitur autem fundamentum præciſé, quatenus cauſa eſt & ratio ob quam relatio conſurgit in ſubiecto. Secundam partem docet Doc- (A) tor in 4.d. 13.q.1. quia à fundamento dependet relatio infieri eſſe & conſeruari: ergo debet eſſe in ipſo ſubiecto in quo eſt relatio, cum ei in ſit ratione fundamenti.

Obiectio. Quòd ſi dixeris relatio á fundamento dependet in eſſe fieri & conſeruari, ergo ei ſemper in eſt vt ſubiecto. *Respond.* Nulla eſt cõſequentia, bene enim poteſt aliquid ab alio dependere eſſentialiter, licèt ei non in hæreat vt patet in termino relationis, depẽdet ergo á fundamẽto vt ſic vt à cauſa neceſſaria & inductiua illius, in genere cauſe efficientis vt videbimus, & vt à diſpoſitione neceſſaria in genere cauſæ materialis, & quandoque vt á ſubiecto.

Et quod de fundamento & ſubiecto dictum eſt itidem de fundamento & extremo dicendum erit, quandoque fundamentum & extremum idem ſunt, quandoque (B) diſtinguuntur, ita vt aliud ſit fundamentũ, & aliud extremum, quæ apprimè obſeruanda ſunt pro noſtra doctrina.

Obſeruandum etiam eſt nec de ratione fundamenti vt ſic eſſe quod ſupponatur habens inclinationem ſeu quàm alij ordinem tranſcendentalem appellant, ſed tantum quòd ipſum ſit tale vt poſito termino vt ad ipſum & ad terminum ſequatur ex natura extremorum. Sic Doctor in. 1. d. 30. ſ. Ad Argum. 2. quæſt. contra nonnullos aſſerentes omnem relationem prædicamentalem in tranſcendentali fundari, noſtrum aſſertum probat inibi Doctor dupliciter primò quòd entitas abſoluta alicuius effectus, nõ habet intrinſecam dependentiam à cauſa creata, nec neceſſariò inclinatur ad illam, quia poſſet eadem entitas abſoluta eſſe tantum á cauſa prima, (C) & tamen quando producitur á cauſa creata realem relationem ad illam dicit, non ergò requiritur ad relationem realem quòd natura illa abſoluta in qua fũdatur, ex ſe ad alterum extremũ neceſſario propendat. Secundò ſimilitudo in duobus albis eſt relatio realis, & tamẽ vnum album præciſè ſumptũ, prout eſt relationis fundamentum, ex ſua entitate nõ inclinatur ad extremum alterum, maximé ſi ponatur ſumma albedo ad albedinem ſumam.

Tertia concluſio relatio ſuam realitatem habet á fundamento efficienter poſito termino. Sic noſter Doctor in. 2 d. 1. q. 5. contra nonnullos aſſerentes relationem à termino produci ſeu á producente terminum. Probatur, quid quid in rerum

natura

natura ponitur ſiue per ſe primò vt res primo & per ſe intenta ſiue ſecũdario, habet aliquã cauſam ſui eſſe ſibi proporcionatam à qua producatur, non enim idem ſe ipſum producit, & de non eſſe transfert ad eſſe, ſimul enim eſſet & non eſſet, ergò relatio ponitur in rerum natura ab aliqua cauſa ſibi proporcionata, non à termino cum hic ſæpe lõgè diſtet, quo pacto enim terminus Romæ exiſtens relationem poteſt producere in albo exiſtente limæ, nec producens terminum ſeu fundamentum in termino propter eãdem rationem, nec enim aliter poteſt dici cauſa relationis cõſurgentis in extremo alio præ exiſtente, niſi quatenus produxit terminum, terminus autem non eſt cauſa productiua relationis in alio extremo diſtanti, niſi condicio neceſſario requiſita, nec poteſt eſſe cauſa relationis producẽs ipſum extremũ aut fundamentum, quia hoc ſæpe non exiſtit, quando relatio producitur in fundamento, vel ſaltim actio qua tale fundamentũ fuit productum iam non eſt, id autẽ quod non eſt nequit aliud producere, reliquum ergo eſt vt ab ipſo fundamento producatur, poſito tamen termino, cum enim relatio ſit habitudo vnius extremi ad aliud, vtriuſque poſitionem requirit, ante quam ergo terminus in re ponatur, fundamentum erat veluti impeditum, & illo poſito ſtatim conſurgit in vtroque extremo relatio, ex propria fundamentorum vi.

Nec inconuenit nonumquam fundamẽta non eſſe actiua, vt videre eſt in materia prima, quantitate & relatione, cum enim relatio tam minimæ ſit entitatis in ſuo fieri, eſt minimæ productionis, cuius capax eſſe poteſt quæuis res, cum nulla ſit quæ ad aliam comparari non poſsit. Eo maximè quòd à pleriſque aſſeritur relationem per ſolam reſultantiam aut ſimplicem emanationem habere eſſe, eamque non eſſe verã actionem, ſed hoc ſuam habet non leuem controuerſiam in phyloſophia aut metaphyſica.

Deducitur ex præfatis, fundamentum relationis realis reale debere eſſe & poſitiuum, quia ens rationis aut negatio cuiuſque actionis eſt incapax vnde vt ait noſter Doctor quòd nulla aptitudo quæ ſit tãtum non repugnantia, fundamentum eſſe poteſt relationis realis, ſed aptitudo quæ eſt potentia ſeu facultas realis.

IIII. Con. Quarta concluſio, relatio ita intimè à fundamento & ſubiecto pendet vt nec virtute diuina poſsit in re ab illis ſeparata conſeruari. ſic noſter Doctor in 4.d.12.q.1. Lichetus in 2. d.1. q. ...

I. Probat. Probatur primò relatio eſſentialiter eſt reſpectus vnius ad alterum, ergò ſicut neceſſariò terminum concernit, neceſſario ſubiectum concernit & fundamentũ, vtrũque enim in diffinitione relationis ponitur. In ſuper quòd motus eſſentialiter depende ab vtroque termino, à quo & ad quem, relatio autem eſt veluti quidam motus & tranſitus à ſubiecto ad terminum.

II. Proba. Secundò probatur, ratio eſſentialis relationis vt viſſum eſt, in actuali exhibitione ſui effectus formalis conſiſtit, ſeu in actuali modificatione & affectione ſubiecti ſicut ergo à ſua eſſẽtia ſeparari nequit, ita nec ab extremis ſeparata conſiſtere, ſicut nec vbi exiſtere poteſt ſeparatũ à re vbicata, nec figura à re figurata.

Confirmat Confirmatur ſi relatio daretur in re ſeparata ab extremis, eſſet contradictio, eſſet enim ordo actualis vnius ad aliud cum illius eſſentia ſupponatur, & non eſſet actualis ordo vnius ad aliud, ſeparata enim nihil aliud poſſet ordinare, relatio ergo prædicamẽtalis vt ait Lichetus, ſuum proprium in eſſe ſiue propriam inhærentiam aptitudinalem & actualem habet, diuerſimode tamen quàm abſolutum, illa enim numquam poteſt habere aptitudinalem quin ſimul habeat & actualẽ, quia eſt impoſsibile illam à fundamento ſeparatam exiſtere, abſolutum vero poteſt habere aptitudinalem ſine actuali, licet ergò inhærentia ipſa actualis nõ ſit eſſentialis relationi eſt tamen de eſſentia relationis vt relatio eſt, quòd exiſtat actu ſuum effectum formalem exercendo, ſicut exiſtẽtia non eſt de ratione eſſentiæ, eſt tamen illi eſſentiale vt non exiſtat ſine exiſtentia.

Sciſcitatur quis, poſſet ne ſaltim diuina virtute ſeparari relatio ab extremis proximo fundamento affectis, aut illam corrumpendo, aut fluxum illius impediendo, ita vt duo extrema vt duo alba in eodem gradu maneant abſque relatione ſimilitudinis? Quidam negant hoc fundamento ducti, quòd ſicut figura etſi realiter à quãtitate diſtinguatur, nõ tamen poteſt Deus quantitatem ſine figura conſeruare, tum quia figura eſt eſſentialis terminus quantitatis finitæ, ita vt inter quantitatem finitã & figuram ſit eſſentialis cõnexio, tum etiã quod reſultat naturaliter ex quantitate

per reſultātiam quæ magis ad cauſam formalem quàm efficientem reducitur, ita & relatio.v.g. ſimilitudinis eſt terminus eſſentialis Qualitatis poſitæ in duplici eſſe, & reſultat à qualitate, cum illius eſſe eſt duplicatum, cuius reſultantia aut pullulatio multum habet de ratione cauſæ formalis, vnde data hypoteſi quòd duo alba Deus cōſeruaret, neceſſario & ſimilitudinē conſeruare deberet, ſicut eo ipſo quòd finitam quantitatem conſeruat, neceſſum eſt vt illam cum figura conſeruet, cumqua eſſentialem connexionem habet, ſic multi ſcotiſtitæ probabiliter reſpondent, cum Licheto. q. 4. & 5 loco citato, qui oppoſitum non eſſe ad mentem noſtri Doctoris aſſerit.

II. Solutio

Alij tamen Scotiſtæ affirmant, fundamento illo noſtri Doctoris innixi, quod omnē abſolutum prius poteſt Deus facere ſine omni poſteriori, ſed ſuppoſita reali diſtinctione relationis á fundamento (de qua poſtea) id nos non reputamus impoſſibile, nec noſtrum Doctorem alicubi oppoſitum docuiſſe conſtat, quia relatio non eſt de eſſentia extremorum, ſed ad illa cōſequitur vt accidens illis ſuperaditum. Tū etiam quòd cauſarum omnium efficientiū concurſus pendet à diuino, poterit ergo Deus fluxum relationis impedire, ſuum concurſum ſubſtrahendo, atque adeo poterunt duo extrema etiam proximis fundamentis affecta dari in re diuina virtute ſine relatione. Tunc quidem, duo alba.v.g. manerent fundamentaliter duntaxat ſimilia, hoc eſt dictu, quòd ſunt talia quæ poſſunt ſimilitudinem fundare, quod noſter Doctor in 1.d. 29.q.2. non leuiter innuit.

QVÆSTIO II. QVOD GEnus Entis fundamentum eſſe poſſit relationis realis.

I. Opinio. *Soto.* *Toletus.*

NON eſt concors dialecticorum placitum in hac re Quidem enim opinantur genus ſubſtantiæ relationis Fundamentum eſſe nō poſſe. quia inconueniens eſſe ſuſpicantur, relationem immediatè in ſubſtantia fundari, conuicti auctoritate negatiua Ariſtot. qui relationem ſolum aſſerit in quātitate, actione & paſsione, & menſura fundari.

Ratio autem quæ pro eis alicuius ponderis eſſe poteſt, eſt quæ in identitate relationis cum fundamento vim habet, ſicque efformari poteſt, relatio identificatur cū fundamento, atqui relatio, (prædicamentalis quidem de qua præſens ſuſcipitur diſputatio) nequit cum ſubſtantia identificari, nequit ergò in ſubſtantia fundari min. probatur, quæſt. ſequēti, minor patet quia accidens nequit cum ſubſtantia identificari vt.q. eadem ſequenti.

Caietanus *Sonzinas.* *Toletus.* *Maſius.* *Murcia*

Dixerunt alij nullam relationem fundamentum eſſe poſſe alterius relationis probari autem poteſt primò ex noſtro Doctore, qui. 5. metaph.q 11 concluſio.10. aſſerit vt vitetur proceſſus in infinitum vnā relationem non fundari in alia, in.1.d.26. idem reputat inconueniens. in 2. d. 1, q. 5. adducit dictum. D. Aug.7. de Trinitate c.2. aſſerentis, omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo. ideſt relatione, ſenſus eſt quod ſi ab omni relatiuo relatio abſtrahatur manet aliquid, id eſt fūdamentum abſolutum, & 3. de Trinitate aſſerit ſi nihil eſt ad ſe, nihil eſt quod ad alterum dicatur. Ideſt quod non eſt abſolutum non poteſt ad aliud referri, ex quibus colligit Doctor ſic, non eſt ergò præcisè aliqua relatio fundamētum relationis, ne detur proceſſus in infinitum.

II. Argu.

Et hoc ſit ſecundum Argumētum, quod non parum nos laceſſere videtur, de proceſſu in infinitum in relationibus, qua etenim ratione inter duas relationes dantur relationes & inter quaſcumque dādæ erūt & ſicut prima fundat ſecundam, ita ſecunda & tertiam & ſic de alijs, certè quācumque viam arripueris difficultatē hāc nunquam effugere valebis.

III. Arg.

Tertium ſit, hoc eſt quaſi primū principium ab omnibus receptum, quòd quādo aliqua forma alicui ſubiecto eſſe aliquod largitur, ipſa non eſt formaliter talis per aliam formā ſed ſe ipſa, ſeu ſic quando aliquid eſt tale denominatiuè, per aliquid quod eſt formaliter tale, ſtatus eſt in formali, vt corpus album denominatur ab albedine, ipſa tamē dealbari nequit, nec vna actio alia actione fieri, atqui relatio eſt ratio referendi, nequit ergò ipſa referri, ex oppoſito enim cum inter fundamētum & relationem ſit ordo per ſe, in ordinatis per ſe admittendus eſſet proceſſus in infinitū quem maxime refugit natura.

Cæterum vt noſtram ſententiam proferamus præſcribendum eſt, quòd quando denominatio aliqua eſt eiuſdem rationis cum forma aliqua, & effectu formali illius quem ipſa alteri cōfert, & intrinſeca & in ſe-

& inſeparabilis ab ipſa, ſiſtẽdum eſt in tali
forma, vt per ſe ipſam talis ſit, vt exiſten-
tiam ſuo modo exiſtere, non eſt per aliam
exiſtentiam ſed ſe ipſa, quia denominatio
exiſtentis eſt eiuſdem rationis cum ipſa
exiſtentia ſeu effectu formali illius, & quã
titas eſt quanta non per aliam quantitatẽ
ſed ſe ipſa. quia denominatio hæc eadẽ eſt
cum ea quam ipſa formaliter cõfert quã
do verò denominatio eſt longè diuerſæ ra
tionis à propria ratione formæ & effectu
formali quem ipſa confert, eique acciden-
talis eſt, non poteſt ab ipſa forma proue-
nire, ſed ab alia diſtincta & accidentaliter
ſuperaddita, quia impoſsibile eſt, vt ab ea
dem forma plures effectus formales pro-
ueniant eſſentialiter diſtincti, aut quòd ea
dem ratio eidem eſſentialis eſſe poſsit &
accidentalis

I. Conclu. Prima concluſio, ſubſtantia poteſt eſſe
proximum & immediatum relationis præ
dicamentalis fundamentũ, ſic noſter Doc
tor 5 metaph. q 12. in. 1. d 31. in 3 d. 8.
in quotlib. q. 6. omnes illius diſcipuli, pro-
batur quia inter ſubſtantiam creatam pro-
ducẽtem & productam datur vera & rea
lis relatio cauſæ & effectus, in ipſis ſubſtã-
tijs immediate fundata. ipſa enim ſubſtan
tia Filij eſt quæ generatur. Item relatio
identitatis inter duas ſubſtantias eſt rea-
lis & prædicamentalis. vt inferius. q. 5. vi-
debimus, quæ tamen proximè & imme-
diatè fundatur in ſubſtantia ex propria cõ
dicione & natura ipſius, priusquàm ali-
quo accidenti affecta intelligatur, vnde
in duabus ſubſtantijs eadem maneret rela
tio identitatis ablata per diuinam poten-
tiam quantitate & quouis alio accidenti,
cum ab eis non dependeat identitas & con
uenientia ſubſtantiarum, cum hæc ſit in
propria natura & perfectione ſubſtan-
tiali.

II. Conclu Secunda concluſio. Relatio etiam pro-
Scotus. ximum & immediatum fundamentum al
Lichetus. terius relationis poteſt eſſe. Sic Doctor.
Baſſolis. 5. metaph. q. 11. in. 1. d. 1. q. 4. d. 6 q. 2. d. 12
Tataretus. q. 1 &. d. 19. in 2 d. 1 q. 4. ad. 5. in 4 d 6.
Barguis. q. 10 & omnes illius diſcipuli. probatur
Mairon. autem cõcluſio hæc primò, ratione noſtri
Anton. an Doctoris ex Euclide & omnibus Arithme
dreas. ticis proporcionalitas fũdatur inter duas
Orbellus. proporciones, eſt enim duarum propor-
Niſa. cionum ſimilitudo, proporcio autem for
Colonia. maliter eſt relatio: ergo relatio fundatur
Herrera. in relatione. Huc accedit, quòd in relatio-
Rada. ne reperiuntur condiciones omnes ad al-

teram relationem realem fundandam re
A quiſitæ, vera nempe & realis conueniẽtia
& diſtinctio, quæ ſi in relatione non ſuffi-
cerent, nec in alijs rebus in quibus etiam
poſſet dici, reperiri conuenientiam & diſ
tinctionem fundamentalem aut negatiuã,
aut ſolum per relationes rationis, vt ali-
qui affirmant de relationibus.

Si dixeris relationes formaliter ſe ipſis
referri. Sic occurro relationibus cõueniũt
multæ denominationes relatiuæ longe di-
uerſæ rationis ab eis quas ipſæ tribuunt,
eiſquè prorſus accidentales, tales ergò de
nominationes ab eiſdẽ nequeũt prouenire
ſed ab alijs relationibus accidentaliter ſu
peradditis, cõſequẽtia patet ex ſuperiori
animaduerſione, antecedens probatur, Pa
ternitas vna ad aliã Paternitatem compa
rata quatenus cũ ea cõuenit, denominatur
ei ſimilis (& ſic de alijs relationibus inter ſe
cõparatis) ſed talis denominatio eſt lon
B gè diuerſæ rationis, ab ea quæ prouenit ab
ipſa paternitate, eique eſt omnino accidẽ
talis. prouenit ergò ab alia relatione nẽpe
ſimilitudinis ei accidẽtaliter ſuperaddita,
maior patet. minor probatur. Tum quòd
fieri nequit, eſſe alteri ſimile aut diſsimile
effectum eſſe formalem Paternitatis, alio
enim modo denominat, & alio modo de-
nominatur, denominat Patrem & denomi
natur ſimilis. Tum etiam quòd illæ deno-
minationes relatiuæ ſunt longè diuerſæ
rationis, quæ ſunt in ordine ad terminos
lõgè diuerſæ rationis, ſicut & ipſæ relatio
nes à quibus proueniũt, ſed denominatio
ſimilis & denominatio Patris tẽdũt in ter
minos lõgè diuerſæ rationis, ſicut & pater
nitas & ſimilitudo, illa enim eſt eſſentiali-
ter ad Filiũ, hæc vero ad paternitatẽ cui
eſt ſimilis quòd autẽ hæc dñominatio ſimi
C lis ſit Paternitati accidentalis patet, quia
& ſi nulla alia paternitas præter hãc in re
rum natura maneret, ſuam retineret in-
tegram eſſentiam, non tamen ſimilis eſſet,
ergò denominatio hæc ſimilis eſt acciden
talis paternitati & contingens. Confirmat

Confirmatur, vel paternitas vt ſic reſpi
cit eſſentialiter paternitatẽ aliam vt pro-
prium terminum à quo ſpecificatur, aut
accidentaliter, non primum alioquin plu
res terminos haberet eſſentialiter diſtinc
tos, ſi ſecundum, reſpicit ergo illam per re
lationem ſimilitudinis ſibi accidentaliter
ſuperadditam, ſicut vna albedo accidenta
riè eſt alteri albedini ſimilis, quod ſic am-
plius premi poteſt, licet relatio ſe ipſa re-

fera-

feratur ad terminum ſeu relationem illã quam per ſe & eſſentialiter reſpicit, vt rationẽ terminandi ſibi oppoſitam,(vt contrarij aſſerunt) ad aliam tamen ſibi non oppoſitam ſed diſparatam, quam per ſe non reſpicit, materialiter tantum ſeu per modum ſubiecti materialis accidentaliter ordinatur, ergo per aliam relationem ſibi aduenientem accidentariè, & ſeparabilem contingenter, cum ei poſsit adeſſe & abeſſe abſque ſubiecti euerſione, ſicut & terminus, quando enim duorum extremorũ comparatio nõ eſt per ſe & eſſentialis ſed accidentalis vt duarum quantitatum aut albedinum, tunc habitudo illorum accidẽtalis eſt & ſeparabilis, ergo duæ relationes non oppoſitæ inter ſe accidentaliter ſe habentes per formam relationis accidẽtalem ſibi ſuper additam ſe ſe mutuo reſpiciunt, & formaliter referuntur. Aſſerere autẽ formaliter quidẽ referri per relationes rationis, quis nõ videat manifeſtũ eſſe ſubterfugiũ, in quibuſdã reales relationes concedere & in alij negare: infra quidem oſtendemus quamcumque vnitatem, realemque conuenientiam inter res realiter diſtinctas & exiſtentes ad relationem realem fundandam ſufficientem eſſe.

Ex quo animaduerte cum noſtro Doctore in prædicto caſu acceptionem relationis eſſe materialem, tunc enim ſumitur formaliter & eſſentialiter, cum accipitur vt forma referens ſuum ſubiectum ad proprium terminum, quo pacto dicimus non eſſe quæ refertur, ſed rationem referendi, tunc autem ſumitur materialiter & accidentaliter, cum accipitur non vt forma referens, ſed vt ſubiectum quod refertur per aliam relationem ad terminum, qui accidentaliter ſe habet reſpectu illius, eſt ergo eſſẽtiale relationi quòd ſit actualis ratio referendi, quòd verò ſit ſubiectum alterius relationis omnino accidẽtalẽ eſt, & habens ſe aliarum rerum abſolutarum vt quãtitatis ac qualitatis inſtar, quæ per aliã relationem referuntur.

III. Conc.

Tertia concluſio. Nullum genus entis eſt, quòd relationis fundamentum eſſe nequeat. Sic Doctor. 5. illo metaphyſi. q. 11. vbi ſic *relatio fundatur ſuper rem cuiuſcumque generis.* & patet quia inter duas actiones, paſsiones, ſitus. vbi, &c. datur vera & realis conuenientia & diuerſitas ex vi propriarum rationum ergo & fundamentum verum relationis ſimilituninis, aut diuerſitatis.

A

Omnia enim entia creata cum ſint eiuſdem ordinis, & relatio in ordine vnius ad aliud conſiſtat, omnia ſunt ad ſe inuicem intrinſeca relatione reali ordinabilia ac referibilia.

Fundamẽ I. Opinio

Fundamentum primæ opinionis quo ad id in quo Ariſtot. proſe adducit nihil cõficit, quia ipſe expreſſé, 5 metapyhſicæ. c. 15 docet, ſub vnitate conuenientiã in ſubſtantia comprehendiſſe, vnde ſubdit *eadem enim ſunt quorum ſubſtantia eſt vna* Rationi verò qua firmatur. q ſequenti fiet ſatis.

Ad Primum quo ſe defendit ſecunda opinio ex teſtimonijs noſtri Doctoris de promptum. in illo metaphyſi. nihil determinat de hac re, ſed in vtraque opinione Argumentum ſoluit, in illo aut. 1. d. 26. vt ait Lichetus non abſolutè negat relationem fundari in relatione, ſed in particulari de iſtis, ſcilicet de æqualitate & inæqua-

B

litate, æqualitatem ſcilicet non poſſe fundari in inæqualitate. Sed certè littera Doctoris benè inſpecta mens ipſius longé deuiat ab iſta expoſitione, ibi enim intendit probare ex D. Aug. æqualitatem ex propria ratione & formaliter perfectiorem eſſe inæqualitate, quòd ſi dicatur ait Doctor hoc prouenire ex parte fundamenti, hoc falſũ eſt *poteſt enim inæqualitas fundari in fundamentis perfectioribus quàm æqualitas*. quòd ſi dixeris hoc prouenire ex fundamento primo, quod reſpectu æqualitatis eſt paritas, impugnat Doctor, quòd paritas duarum quantitatum non poteſt eſſe abſolutum ſed relatio, cum nõ poſsit intelligi aliquid eſſe par abſque eo quòd ſit alicui par, tunc infert Doctor paritatem non poſſe eſſe fundamẽtum æqualitatis, & imparitatem inæqualitatis, ſic

C

Si autem dicat relationem ſicut videtur manifeſtum, ergò relatio fundabitur per ſe in relatione, ecce ergo infert abſolutè vt incõueniens relationem fundari in relatione. Vnde reſpõdeo illud inferri à noſtro Doctore vt inconueniens in opinione contrariorum, qui vnam relationem in altera fundari non poſſe contendunt, cuius aſſertor apparet D. Th. qui pro ſecunda via aut opinione citatur in illa. q. à Doctore, & cuius rationes ſoluuntur ibi.

Ad illud teſtimonium ex. 1. d. 1. q 5. bene Tataretus & Lichetus, quòd noſter Doctor ibi tantum intendit fundamẽtum vltimatum & principale relationis eſſe abſolutum, relatio autem poteſt eſſe fundamentum proximum, non tamen vltimatũ

tunc

tunc ſic infert, ſi creatura nihil aliud eſſet quàm ſua creatio vt vult Henrricus, tunc illa relatio eſſet relationis vltimatum fundamentum quod eſt inconueniens.

Ad. II. Ad ſecundum. duplex ſolet communiter adhiberi ſolutio.

I. Solutio. Prima non veretur proceſſum in infinitum admittere in relationibus, cum enim ſint minimæ entitatis & perfectionis etiã ſi in infinitum multiplicētur, nequeunt ſimpliciter infinitum in perfectione conſtituere ſed tantum ſecundum quid, vt in cõtinuo & ſi actu infinita puncta ſint, quorũ quoduis ſuam habet perfectionem ab alterius perfectione diſtinctam, ita vt vna in altera non includatur nec vna ſit minor alia, non tamen efficiunt infinitum ſimpliciter.

II. Solutio. Secunda ſolutio proceſſum in infinitum vitare contendit, non tamen eodem modo, quidã enim aſſerunt, quòd ſicut in quouis ſubiecto vna duntaxat quantitas reperitur qua omnia quæ tali ſubiecto inſunt, quanta redduntur, ſic etiam reperitur vna relatio ſimilitudinis qua cuncta quæ in ſubiecto ſunt ſiue abſoluta ſiue reſpectiua ſimilia dicuntur, & idē de diſsimilitudine & diuerſitate. Hi tamen merito ab omnibus exploduntur, tum quod relatio eſt proprius modus fundamenti à quo neceſſariò ſequitur poſito termino, nequit ergo intelligi quo pacto afficere queat res a deo diſtinctas

Inſuper quòd in relationibus circulus & contradictio committeretur, ſimilitudo enim fundata inter duas albedines ad aliã relationem diuerſæ rationis cõparata, eſt ei diſsimilis: in ea ergo eſt relatio diſsimilitudinis, & cum fundamētum ſit prius eo quod in illo fundatur, relatio ſimilitudinis prior erit relatione diſsimilitudinis in illa fundata, hæc rurſus diſsimilitudo, alteri diſsimilitudini comparata eſt ei ſimilis, ergo relatione ſimilitudinis quæ poſterior erit diſsimilitudine, ſed hanc aſſeris eſſe illam primam ſimilitudinem: ergo eadem relatio ſimilitudinis eſt prior & poſterior ſe ipſa, in quo eſt contradictio & circulus.

Alij aſſerunt deueniendum eſſe ad relationes quæ ſe ipſis referuntur & alias nõ fundãt, vt cũ duæ paternitates referuntur relatione identitatis ſpecificæ aut ſimilitudinis, identitas autem & ſimilitudo ſe ipſis ſunt eædem & ſimiles, diſsimilitudo ſe ipſa diſsimilis. Sed adhuc non quieſcit proceſſus iſte in infinitum, ex his principijs

A quòd ab eadē forma effectus formales eſſentialiter diſtincti & oppoſiti nequeunt prouenire, & quod nec effectus formalis prouenire poteſt niſi à forma eſſentialiter tali, ut eſſe album non niſi ab albedine. Tandē eandem formam non poſſe ſibi denominationem ſibi oppoſitam cõferre. Tunc ſic licèt ſimilitudo ſe ipſa poſsit eſſe ſimilis, nõ tamen diſsimilis, quia eſſentialiter eſt forma ſimilitudinis in vnitate fundata, & non diſsimilitudinis in diuerſitate fundata, & relatio diuerſitatis tantum eſt eſſentialiter forma diuerſitatis, & non ſimilitudinis, ergo relatio ſimilitudinis non poteſt eſſe diſsimilis niſi per relationem ſuperadditã diſsimilitudinis ſicut nec hæc ſimilis niſi per aliam relationem ſimilitudinis & ſic in infinitum. Quod ſic poteſt vrgeri, inter duas diſsimilitudi-

B nes datur totalis cauſa vt relatio ſimilitudinis reſultet, ſicut inter duas albedines, & quæuis relatio cum alia ſibi non oppoſita comparata accidentaliter ſe habet, & iſta comparatio poteſt in infinitum fieri inter quamuis relationem ſuperadditam ad aliam ſibi non oppoſitam ad quam ſolum materialiter & accidentaliter refertur.

Noſter Doctor ex alio principio talem dirimit proceſſum, quod ſequenti controuerſia expendendum eſt.

QVÆSTIO III. QVO PACto Relatio à ſuo Fundamento diſtinguatur.

CELEBRIS ſemper extitit cõtrouerſia hæc inter Dialecticos & Metaphyſicos de diſtinctione relationis á fundamento aut ſubiecto,

C exquirit ergo, num relatio v.g ſimilitudinis fũdata in albedine ab ea diſtinguatur diſtinctione rationis aut reali, relatio æqualitatis à quãtitate, & identitatis à ſubſtantia, & cum realis diſtinctio duplex eſſe poſſit, aut propria & ſtricta inter res proprias & diſtinctas habentes exiſtentias a ſe ipſis, aut formalis quæ inter rationes formales in eadem ētitate repertas datur admiſſo diſtinctionem eſſe realem videndum ſupereſt, vtra ſit ex his.

Duo ſunt in hac re opinantium placita è regione aduerſa. Primum aſſerit diſtinctionem inter relationem & fundamētum nullatenus realem eſſe ſed rationis ratiocinatæ, tametſi enim relatio forma ſit realis

intria-

intrinſeca ſed non diſtincta à fundaméto, quantum ad id quod ponit in ipſo, ſed tantum quoad terminum quem connotat, ſine quo non manet actualiter ſed fundamentaliter, vnde cum diſinit eſſe relatio non ſeparatur aliquid reale quod ſit in fũdamento, ſed ſolum terminus deſtruitur, quo ablato ceſſat relatiua denominatio quæ terminum connotat, relatio ergo ſimilitudinis in re eſt ipſa albedo non abſolute ſumpta, ſed vt aliam albedinem reſpicit quam vt terminum reſpicit non ſub ratione albedinis ſed ſimilitudinis.

Argumenta quibus placitum hoc non tantum ſuaderi ſed et perſuaderi poſſe videtur tria potiſsima ſunt.

I. Argum Primum eſt, quòd ſi relatio res eſt aliqua à fundamento diſtincta, in eodem eſſent infinitæ relationes & infinitæ perfectiones ex quibus vna perfectio ſimpliciter infinita conſurgeret, & certe vix credi poteſt, toties deſtrui ac produci infinitas prope relationes propinquitatis ac diſtãtiæ, quoties res aliqua mouetur.

II. Argu. Secundum. quòd amiſſa reali diſtinctione inter relationem & fundamentum, vix aut difficulter aduerſarij ſe ſe poſſunt à proceſſu in infinitum extricare, alioquin enim inter fundamentum & relationem daretur relatio diſtinctionis realis, & tũc de illa relatione inquirendum ſupereſt num diſtincta ſit realiter á fundamento, quòd ſi iterum concedis vt teneris, idem redit iudicium de illa & ſic in infinitum

III. Arg Tértium quod ſi relatio eſſet fundamẽtum ſuperadditum quoppiam vt quid diſtinctum, numquam contingeret illius acceſsio abſque ſubiecti mutatione atqui accidit ſine illa, cum teſte Phyloſopho. 3. phyſi.c.2.tex.10. ad relationem nõ ſit motus. Porrò numquam mihi perſuaſum habebo, me mutari ex eo duntaxat quòd alterum extremum in re ponatur, & in eodem in inſtanti infinitas pati mutationes.

II. Opinio *P*lacitum ſecundum in ſcholis ſatis plauſibile grauiſsimorum virorum tutamine roboratum, omnem relationem nulla excepta à ſuo fundamento reali diſtinctione, ſecerni affirmat nõ formali duntaxat, ſed ſtricta rei à re, ſeu modi propriam & diſtinctam exiſtentiam habentis, multa habet fundamenta quibus ſatis redditur veroſimile, quæ poſtea referemus, hæc duo non parum vrgent

Fundamẽ Non eſt aſsignabilis potior ratio de vna relatione quàm de alia, ſi ergo aliqua à ſuo fundamẽto re diſtinguitur, de quauis A idem decernendum erit, conſequutio oſtenditur, quia nulla relatio eſt quæ quantum eſt ex ſe & ex parte fundamenti ab illo ſeparari nequeat, quòd ſi relatio aliqua de facto non poteſt ſeparari, hoc quidem per accidens, eſt quia nimirum illius terminus perire nequit vt in relatione creaturæ ad Deum, quòd ſi per impoſsibile manẽte eſſentia creaturæ Deus non exiſteret, ceſſaret prorſus ac ſepararetur.

II. Argũ Accidens quod in nouem genera diuiditur, non eſt accidens prædicabile quod ſubſtantiam comprehendit vt diximus in prædicabili, ſed tantum prædicamentale verum & Phyſicum condiſtinctum à ſubſtantia, quia ſecundum Ariſtotelem ens in ſubſtantiam & accidens diuiditur, & accidens in nouem genera inter quæ tertium locum genus relationis occupat, ergo re- B latio prædicamentalis ſub vero ac reali accidenti phyſico á ſubſtantia condiſtincto eſſentialiter continetur, ſed nulla ſubſtantia cum vero accidenti reali poteſt identificari ergo nec relatio cum fundamento ſubſtantiali minor patet, eſſe ſubſtantiæ eſt per ſe & independẽs à ſubiecto, eſſe vero accidẽtis eſſe depẽdens & in alio, implicat autem vnum & idem re eſſe dependẽs & independens per ſe & in alio.

Confirma Iuuat etiam quòd relatio eſt accidens vere & realiter ſubiecto inhærens, habet ergò propriam inhærentiam qua ſubiecto inhæret, & propriam exiſtentiam ex propriæ naturæ condicione inhærentiam exigentem, cum exiſtentia accidẽtis ex propria natura ſit imperfecta quæ nequit ſubſiſtentia compleri, ſed tantum in- C hærentia, qua illius inexiſtentia accipit cõplementum, nequit ergò ſubſtantia cum accidenti identificari, cum nihil poſsit ſibi ipſi realiter inhærere, nec eadem entitas intelligi poteſt inhærentiæ ac ſubſiſtẽtiæ capax.

Seriò ad notare oportet cum noſtro Doctore in. 2. ſent.d.1 q.5.ſ. hic dicitur realem ſeparationem duorum ſignum eſſe adeo verum diſtinctionis realis inter illa vt eo diſsipato nullus ſuperſit efficax realis diſtinctionis captandæ locus, etenim licet ex reali diſtinctione realis diſtinctorum ſeparatio aliquando deduci non valeat, realis tamen ſeparatio, diſtinctionis realis apertum indicium eſt, aut ſi non, tolle illud è medio, & ſiquis propterea nus neget quantitatem á ſubſtãtia materiali realiter

liter diſtingui, quis alius ergò realem diſtinctionem oſtendendi locus tibi reſtat, euerſo illo principio? Imo & tota rueret Phyloſophi doctrina. quia. 7. topic. problemata multa per cõtradictionis viã terminat ac diffinit, & ex hoc principio diſtinctionem realem materiæ & formæ oſtendit, & 4. phyſic. locum à locato ſecerni, quia nimirum materia eadem ſub diuerſis formis, & idem locus cum diuerſis locatis perſiſtunt. rationem à priori oſtẽdit Doctor quòd ſi vnum poteſt eſſe ſine alio, ergò de vno dicitur vere eſſe quando ſimul & ſemel de alio verum eſt affirmare non eſſe, nequeunt ergo idem eſſe realiter habere. conſequutio patet, quando de aliquibus duobus ſimul & ſemel duo contradictoria affirmantur, nequeunt de eo ſecundum idem eſſe verificari, ſed eſſe realiter & non eſſe realiter ſunt cõtradictoria; igitur non poſſunt ſimul & ſemel de eodem eſſe verificari, alioquim idem prorſus eſſet realiter & nõ eſſet, contra illud primũ principiũ impoſsibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, aut quod libet eſt, vel non eſt.

I. Conclu. Prima concluſio ſit. relatio quæuis à ſuo fundamẽto formaliter diſtinguitur ex natura rei omni mẽtis ope ſecluſa ſic noſter Doctor in 1.d.3.q.5 & in. 2.d.1.q.5.6. ad q. iſtam, eique communis fermæ omnium Phyloſophorum conſenſio ſubſcribit, imo & multi Thomiſtæ qui aliàs in diſtinctionem formalem acriter equis vt aiunt & quadrigis inuehũtur, eam in præſenti, placido vultu amplectuntur. Probatur primò ratione ſuperius allata, quia decem prædicamentorum genera primo eſſe diuerſa nullus inficiatur, atqui relatio & fundamenta ad diuerſa genera ſpectant, habent ergò ſuas rationes formales primo diuerſas, nullo ſpectato mẽtis opere, formalitas etenim relationis in re datur, nec eam fingit intellectus vt commõſtratum eſt, itidem & formalitas fundamenti, & in ipſa re formalitas vna non eſt alia, & quæuis eſt finita & limitata, vnde ratione infinitatis nequit vna in aliam tranſire, ergo in re vna formalitas eſt ab alia diſtincta, hoc enim eſt vnum ab alio diſtingui, vnum non eſſe aliud & eſſe extra rationẽ formalem alterius, ſiue nõ incluſam formaliter in ratione formali alterius.

Confirmat Confirmatur, tota formalitas relatiua eſt in ordine ad aliud, abſoluta verò in ſe, idem autem in re ſecundum eandem rationem formalem nequit vere & realiter eſſe ad aliud & non ad aliud, ſeu ad ſe, alioquim relatio in re eſſet entitas formaliter abſoluta.

II. Probat Secundò probatur. æqualitas. v. g. & quantitas in re habent modos conſtitutiuos omnino diuerſos citra omne mentis opus, cum quantitas conſtituatur per eſſe extenſiuũ partium ſubſtãtiæ, æqualitas vero per habitudinẽ ad aliud, ergo & habẽt genera primò diuerſa, quipe cũ ad diuerſa prædicamenta pertineant, ſub eodem genere contineri nequeunt, habent ergò in re eſſentias actu diſtinctas ex diuerſis generibus & differentijs aut modis conſtructas, aut ſanè ſi ſola noſtræ conſiderationis vis ſatis eſſet, ad prædicamenta diſtinguẽda, ea prolibito confingere & multiplicare liceret.

II. Conclu Secunda concluſio, relatio quæ à fundamento ſeparari poteſt, ea nimirum cuius fundamento non repugnat eſſe ſine termino, quia per accidens ſe habet ad illud, realiter ab eo diſtinguitur, diſtinctione rei aut entitatis modalis à re cuius eſt modus. ſic noſter Doctor loco dudum commemorato. & cum eo vniuerſa ipſius ſchola probatur autem fundamentis noſtri Doctoris.

Scotus. Lichetus. Baſſolis. Tataret. Bargius. Mairon. Ant and. Rada. Herrera.

Primò, ex eadem reali ſeparatione, nihil eſt idem realiter cum aliquo, quod realiter poteſt eſſe ſine illo abſque vlla contradictione, ſed præfatæ relationes tales ſunt vt ſine eis abſque vlla contradictione fundamenta perſiſtant, nequeunt ergo eadem eſſe realiter cum illis. minor patet quia pereunte vno albo, manet in alio extremo fundamentũ, nempe albedo quoad omnem ſuam entitatem abſolutam, & tamen nõ manet in illo relatio ſimilitudinis quam antea habebat, cum nõ maneat formaliter & intrinſecè ſimile ſicut antea,

Quòd ſi dixeris, perire quidem relationem ratione connotati, termini nempe extrinſeci, abſque eo quòd aliquid intrinſecum fundamento pereat. Certe qui hoc aſſeris licet verbis argumentum eludas tamen in Nominalium figmentum prolaberis, relationem formaliter nihil eſſe quàm extrinſecam denominationẽ à termino prouenientem exiſtimantium, aut eſſe vtrumque extremum, vnum in recto & aliud in obliquo, ſeu pro connorato, quæ iam ſunt oppugnata, quia deſtructo termino, proprium & formale eſſe relationis euertitur, cum tamẽ nihil ex parte fundamenti pereat, ergo formale eſſe relationis

nis eſt eſſe actu ad terminum, tenens ſe intrinſecè ex parte fundamenti, ſed deſtructo termino deſinit hoc eſſe actuale, & ſolū manet fundamentaliter ſeu in aptitudine vt fatetur Doctor Soarez: ergo deſinit eſſe aliquid tenēs ſe intrinſecè ex parte fundamenti, licet conſequenter pereat deſtructo termino quem ad ſuum eſſe coexigebat, impoſsibile autem eſt vnam & eandem rem in diſtinctam in re perire & non perire, eſſe & non eſſe vere & realiter.

Solatio. Plerique Reſpondent, perire quidem relationem intrinſece & in ſe non realiter ſed formaliter. *Impugna* Impugnantur tamen efficaciter ſic, quia vel intendunt relationem non perire in re ante intellectum, ſed per illum duntaxat, & hoc dicere abſurditate eſt plenum, cum ſecluſo omni actu intellectus qui circa relationem verſatur, non maneat in re actualis habitudo ad terminum, quæ antea erat, perit ergo in re relatio aut intendunt perire quidem propriā rationem formalem relationis, quæ in eſſe (ad) conſiſtit, non tamen illius realitatem, aut entitatem quæ non eſt alia quàm fundamenti. Hoc prorſus in intelligibile eſt, quia illa formalitas quæ perijt cum non ſit purum nihil aut ens rationis quidpiam reale eſt, ſpeciale genus accidentis conſtituens, ſed illa vt ſic perit, citra omne mentis opus, non quidem quoad eſſentiam, ſed quoad ſuum eſſe actuale exiſtentiale, perit ergò realiter quoad ſuam realitatem & entitatem modalem quam habet ſibi proporcionatam.

Aliæ autem ſolutiones quæ adhiberi ſolent, perire relationem quoad diſtinctionē non vero quoad eſſentiam, vel prout dicit (ad) manere verò prout dicit (in) aut perire in actu exercito manere vero in actu ſignato, ſeu poſt quàm perit diſtinguitur realiter, non verò ante, friuolæ ſunt, & quæ ex præfatis facilè poſſunt impugnari.

II. Proba. Secundò probatur. ex reali relationis acceſſu ad fundamentum, etenim exiſtente Petro albo, ex noua alterius albi productione ei ſimilis efficitur intrinſecè & formaliter, cum tamē antea non eſſet: ergo talis denominatio aliquid intrinſecum reale importat in depēdens ab intellectu ergo forma á qua prouenit erit aliquid reale de nouo adueniens, præter albedinē quæ antea erat, quia denominatio noua realis ac intrinſec, a intelligi & eſſe nequit, ſine noua reali ac intrinſeca forma de nouo ſubiecto afficiente. Dicere autē aliquid rei eſſe de nouo non in fundamento ſed in

A termino qui de nouo factus eſt, eſt prorſus conſtituere relationem in ſola extrinſeca denominatione, & oppoſitum intelligi nequit ſine noua forma relatiua intrinſecè afficiente & actu referente ſubiectū ad terminum.

III Concl. Scotus. S. Thom. Tertia concluſio. quæ eſt noſtri Doctoris in. 2. d. 1. q. 5. relationis acceſio realem inducit mutationem ac compoſitionem in ſubiecto, hanc non ſolum communis Phyloſophorum ac Theologorum cōſenſus cum Angelico & Subtili Docto. profitetur, verum enim verò & Sancti omnes fatentur Sic D. Aug. 5. de Trinitate. c. 15. Ambroſi. 1. de Trinitate c. 5. qui ob id negant relationes reales poſſe de nouo Deo aduenire, alioquim mutationē & compoſitionē paſſurus, quod nefas eſt de Deo ſuſpicari vnde Ambroſ. *Si prius erat Deus*

B *& poſtea Pater, generationis acceſsione mutatus eſt, auertat Deus hanc dementiam á fidelium mentibus*, & quidem ſuppoſitis his quæ diximus, euidens eſt concluſionis, veritas nec ſine magna temeritatis nota negari poteſt.

I. Pars. Prima pars concluſionis probatur. mutatio eſt realis tranſitus de non eſſe ad eſſe reale de nouo intrinſecè acquiſitum, & mutari eſt realiter & intrinſece ſe habere aliter nūc quàm prius, atqui per relationis acceſſum fundamentū aliter ſe habet nūc quàm prius intrinſecè & realiter, vt album tranſit de non eſſe ſimile ad eſſe reale & intrinſecum ſimilitudinis: ergò verè & realiter mutatur.

II. Pars. Secunda pars probatur ab eodem Doctore, vbi eſt vnio actus & potētiæ, eſt compoſitio, ſed ſubiectum & relatio vniuntur

C vt actus & potentia, etenim ſubiectum eſt in potētia ad relationem, hæc verò eſt forma relatiua conſtituens ſubiectum in eſſe relatiui, ergo efficiūt compoſitionem ex qua vt ait Doctor reſultat vnum concretum & compoſitum accidentale reale.

IIII. Co Quarta concluſio. relatio ſine qua fundamentum eſſe nequit ſine contradictione, ſeu ea cuius fundamento ab intrinſeco repugnat eſſe ſine termino non diſtinguitur realiter ab illo. Sic noſter Doctor in ibi & vniuerſa illius Schola. Probatur à noſtro Doctore tam ibi quàm in quorlib q 3. quod ita conuenit alicui vt ſine eo eſſe nequeat abſque contradictione eſt idem realiter cum eo. ergo relatio quæ ita conuenit ſubiecto aut fundamento vt ſine ea

eſſe

eſſe nequeat ſine contradictione erit eadem realiter cũ illo. antecedens probatur quia ſicut via concludendi diſtinctionẽ realem in eſſe inter aliqua duo eſt contradictio in eſſe dicta de illis, ita & via identitatem realem concludendi in eſſe inter aliqua eſt impoſsibilitas prædicationem in illo eſſe recipiendi contradictoriarum.

Aduertit autem Doctor vt antecedens verum habeat ne in argumento fallacia committatur conſequentis arguendo à propoſitione plures habẽte cauſas veritatis, ad vnam illarum etenim cauſa in ſeparabilitatis non eſt ſolum identitas realis, ſed etiam prioritas naturæ ſecũdum quam quod eſt poſterius depẽdet à priori, vt totum á ſuis partibus ſeparari nequit, à quibus realiter diſtinguitur, quia ab eis eſſentialiter dependet vt à cauſis intrinſecis, & etiam ſimultas naturæ, quo pacto relatiua vt ſic & ſi realiter ſecernantur, nequeunt tamen à ſe inuicem ſeparari, ideo adiecta limitatione arguit Doctor, quãdo aliquid nequit eſſe ſine alio & non propter prioritatem aut ſimultatem naturæ, eſt propter idẽtitatem realem, ſed vbi fundamentum eſſe nequit ſine relatione abſque contradictione (vt creatura ſine relatione dependentiæ ad Deum, ſicut nec ſine Deo eſſe poteſt, ſi enim ſine tali dependentia eſſe poſſet itidem poſſet eſſe ſine termino talis dependentiæ,) non eſt propter prioritatem naturæ, cum relatio non ſit cauſa intrinſeca fundamenti, nec propter ſimultatem naturæ cum fundamẽtum ſit prior natura relatione, ergo propter realem identitatem in eſſe.

Ad argũ. I. Opinio. Argumentis aduerſarum opinionũ ſuo ordine erit occurrendum.

Ad I. arg Primum Argumentum primæ opinionis nihil conuincit, cõcedimus enim, quòd cum relatio ſit minimæ entitatis, nihil incommodi eſſe, quòd in eodem ſubiecto infinitæ prope modũ relationes reperiãtur, nec hoc mirum de indiuiduis adeo imperfectis, cum etiam contrarij fateantur, quoties aliquã rés mouetur, infinita ferme vbi acquirere.

Ad II. Argumen Ad ſecundum, licet proceſſus ille in infinitum á nonnullis ſic vitari ſoleat, quòd relatio & fundamentum non diſtinguuntur relatione prædicamẽtali ſed tranſcendentali, quia ſunt primò diuerſa, quæ nimirum ſe ipſis & non per relationem diſtinguuntur, ſed ſolutio hæc nõ nobis placet; ſi enim vnitas analoga in qua primò diuerſa conueniunt, fundat relationem prædicamentalem vt videbimus, cur non & hæc diuerſitas. eſſe enim diuerſum formaliter denominatio relatiua eſt, ſicut eſſe diſtinctum, cum ſit in ordine ad aliud vel ſi ſine relatione prædicamentali poteſt intelligi: ergò & quæuis diſtinctio.

Reſpondendum ergo cum noſtro Doc. q. illa 5.2. ſent. d. 1. Ad. 4. Henrrici. relationem ſe ipſa referri ad fundamentum relatione alietatis ſiue diuerſitatis, ſicut enim ſine fundamẽto eſſe nequit, nec abſque ſe ſine contradictione, ita nec poteſt eſſe ſine relatione eius ad fundamentum, vnde relatio illa diuerſitatis qua ad fundamẽtum refertur eſt eadem ſibi, ex illo principio Doctoris, quòd cuicumque fundamento repugnat eſſe ſine termino relatio fundata in illo eſt eadem ſibi.

Ex hoc itidem principio vitat Doctor proceſſum in infinitum in alijs relationibꝰ loco dudum relato & in. 4. d. 6. q. 10. & d. 12. q. 1. & in quotlib. q. 3 §. *de tertio articulo* ſtandum eſſe in relatione quæ ſe ipſa refertur, in ea nempe quæ identificatur cum fundamento quia ab eo ſeparari nequit, cuius rei exemplum ſit, Socratis & Plato mutua identitatis relatione inter ſe referuntur, quæ ab illis ſeparabilis eſt ac realiter diſtincta, ſicut enim Socrates poteſt eſſe ſine termino ſuæ identitatis nempe Platone, ita & ſine tali identitate eſſe poteſt, identitas autem Socrates & identitas Platonis inter ſe comparatæ habent etiam identitatem, ſed non per relationem identitatis diſtinctam, ſed identificatam. Ex quo enim identitas Socratis nequit eſſe ſine identitate Platonis propter mutuitatem & ſimultatem naturæ, referũtur ad ſe inuicem relatione identitatis ab ipſis inſeparabili, atque adeo eadem ipſis.

Si autem hoc attẽtè inſpiciatur, ſolum videtur intendi à noſtro Doct. vitari proceſſum in infinitum quo ad diſtinctionem realem nõ vero formalẽ, cum prædictæ relationes quæ inter ſe identificantur, terminos habeant diſtinctos. Nec in omnibus id intelligi poſſe reor, cũ nulla ſit relatio in infinitũ quæ ad diſparatã cõparari nõ poſsit, tametſi ergo cũ relatione ſibi mutua cõparata ſeipſa referatur ꝓpter inſeparabilitatẽ, cum diſparata vero cõparata ſine qua eſſe poteſt, relatione diſtincta realiter, cũ ſine illa eſſe poſsit ſicut & ſine termino, cõſulendus erit noſter. Lichetus rem hanc ſuculenter expendens in. 2. d. 1. q. 4. & 5.

Ad. Tertium cum noſtro Doctore inibi ad relationem non eſſe motum per ſe primò à natura intentum (quod tantum intẽdit Phyloſophus ibi, oſtendere ſcilicet in quibus prædicamẽtis ſit per ſe primo motus & in quibus non) bene tamen ſubſequutum, quia cum aliquid relatiuè mutatur, hoc ideo eſt quia præcedit mutatio alicuius abſoluti quòd aut acquiritur, aut deperditur aut in ipſo ſubiecto aut in termino. Vel ſecundo Reſpodetur, Ariſt. negaſſe verum & proprium motum ad relationem, ſed non quamcumque mutationem, quamcumque varietatem inducentem, etiam ſi non ſit cum vera actione & paſsione coniuncta, ſed cum ſimplici emanatione. Seu vt Alij, ad relationem non eſſe mutationem phyſicam bene tamen metaphyſicam.

Ad I. II. Opinio

Primo Argumento ſecundi placiti ſic occurrendum erit, rationem diſcriminis in noſtris aſſertionibus ſecundum Doctoris mentem aſsignatum eſſe.

Ad. II Argumẽ.

Secundum quod maioris roboris eſt cum illius confirmatione hoc pacto diſſolues, totum quod in maiori aſſumitur concedendo. minor item concedatur, conſequentia erit diſtinguenda, relatio prædicamentalis quæ veram accidentis naturam ſortitur concedo cum ſubſtantia identificari non poſſe, relatio quæ non eſt prædicamentalis qualis eſt relatio creaturæ ad Deum, quæ ob id tranſcendentalis dicitur (& vt verbis Doct. loquar in illo. 2. d. 1. q. 5 §. *ad Argumenta principalia*) *quia quod conuenit enti ante quam deſcendat ad genera eſt tranſcendens, ſed quod conuenit omni enti, cõuenit ſibi antequam in genera deſcendat, ergo quod eſt tale eſt tranſcendens, & non alicuius generis determinati, ſic sũt iſta relationes.* talis ergo relatio dependentiæ creaturæ ad Deum cum proprietas ſit entis creati, vt multi Scotiſtæ aſſerunt, ex hoc enim quod eſt ens finitum & creatum de neceſſitate naturæ oritur talis dependentia à Deo, ob idque rationem entis aut modi incompleti habet, ideo non ponitur directè in hoc prædicamento, ſed reductiuè, vbi ponitur quæuis res, vnde quæ cum ſubſtãtia identificatur ſubſtãtialis erit, quæ cum accidenti accidentalis, In hoc ergò ſenſu admittimus relationem trãſcendẽtalem, non quidem, in eſſentijs abſolutis interclusam, ſed vt proprietatem enti ante quam ad decem genera deſcendat conuenientem.

QVÆSTIO IIII. SINT NE plures numero relationes ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto.

A

CONTROVERSIA hæc ſub alijs verbis agitari ſolet, num relatio à ſubiecto aut fundamento ſuã accipiat indiuiduationem ac vnitatem numericã, vel, num multiplicatis terminis relationes itidem multiplicari neceſſum ſit, ita vt tot ſint relationes ſiue ſpecie ſiue numero diſtincti, quot termini ſiue diuerſæ ſiue eiuſdem rationis.

Res eſt comperta in hac re cõtrouerſiã non procedere de his relationibus quæ ex propria natura plures terminos ex poſtulant, partiales quidem vnum totalem & adæquatum conſtituentes quo pacto relatio cuiuſque vniuerſalis plura exigit inferiora, cum enim talis relatio non terminetur ad quemlibet in ſolidum ſeu adæquate ſed tantum partialiter, ideò nec ab vno ſolo dependet aut ponitur in ſuo eſſe, nec in ſua cognitione, ſed ab vniuerſis. procedit ergo tantum in relationibus, quæ nõ requirunt neceſſariò plures terminos, vt ſint in re & cognoſcantur, ſed in ſolidum ad vnũ terminũ terminantur, & earũ eſſe ſimpliciter ponitur vno termino poſito, & illarũ cognitio ab vno ſolo dependet, vt relatio paternitatis æqualitatis, ſimilitudinis, &c. exquirimus ergò num ex his relationibus plures ſolo numero diſtinctæ ſint in eodem ſubiecto vt plures ſimilitudines ad plura alba ſimilia. certum enim eſt plures relationes quæ non ſolum numero ſed ſpecie differunt, in eodem eſſe ſubiecto, vt in eadem albedine relatio ſimilitudinis & diſsimilitudinis.

B

C

Opinio. Thomiſt.

Celebris eſt opinio Thomiſtarum aſſeueranter deffendens, ita relationem à ſubiecto indiuiduari vt plures relationes ſolo numero diſtinctæ in eodem ſimul eſſe non poſsint, ſed in tali caſu vnam duntaxat relationem pro pluribus ſufficere, eamque extendi aut diminui ſecundum quòd termini aut multiplicantur, aut deperduntur, atque adeo vnum ſubiectum ad plures terminos eiuſdem rationis vt vnum patrem ad plures filios vnum album ad plura alba ſimilia vna numero relatione referri, per ſequentes verò tantum intendi, inſtar habitus ſcientifici, qui non multiplicatur pro ſingulis concluſionibus eiuſdem obiecti, ſed tantum

tum

tum qui ſecũdum ſuam entitatem per primum actum fuit genitus, per ſequentes tantum extenditur. Sicut ergo relatio primo termino poſito ponitur, ita & vltimo pereunte perit, ab alijs autem quaſi inter medijs, inter primum & vltimum tantum extenditur, & his pereuntibus tantum perit quoad extenſionem.

Fundamẽ Fundamentum potiſsimum eſt, quòd præter quàm quòd ſtante vnitate numerica ſubiecti à quo indiuiduatio Accidentis ſumitur, numericã relationis multiplicitatem dari repugnat, cum vna ſola numero relatio. v. g. paternitatis ſufficiens ſit ad conſtituẽdum ſubiectum in ordine ad omnes terminos eiuſdem rationis, vt ad plures filios. ſuperfluè ergò & vitiosè plures admittuntur ad eundem effectum præſtãdum, quod nimium abhorret natura. antecedens probatur, quia ſicut vnus numero habitus ſciẽtificus ad plures concluſiones eiuſdem obiecti extenditur, ita & eadem paternitas ad plures filios, & eadem ſimilitudo ad plura alba ſimilia; ſic enim infinitas relationum facile vitatur, alioquim infinitæ ſimilitudines & totidem diſsimilitudines dandæ erunt.

I. Confirm Confirmatur, etiã ſi plures filios habeat pater, non tamen multiplex eſt omniũ pater, ſed vnus numero, vnicam ergò duntaxat relationem habet paternitatis.

II. Confir. Confirmatur ſecũdo, filius vnica relatione filiationis reſpicit patrem & matrem, ergo & pater vnica relatione paternitatis reſpicit plures filios. antecedens probatur quia alias filius eſſet multiplex filius.

pro propri ſententia. I. Notabi. Pro noſtra tamen ſententia ſtabilienda contrariorumque argutis facilè refellendis, quaſi per tranſennam accipe, quòd ſerio & fusè in metaph. eſt diſpiciendum, plura accidentia ſolo numero diuerſa, non obid naturaliter loquendo in eodem ſubiecto eſſe non poſſe, quia à ſubiecto indiuiduantur, cum non ſolum in ſchola noſtri Doct. vt certum ſupponatur, verum enim verò apud Doct. probatiores hac tempeſtate vt verius ſuſcipiatur, accidentia non à ſubiectis, ſed à ſe ipſis indiuiduari per proprias differẽtias indiuiduales intrinſecas & idẽtificatas, nec quia ſunt ſolo numero diſtincta, cum plures ſpecies intẽtionales ſolo numero differentes in eadem parte medij. & in eodem organo reperiantur, vt ſuo loco oſtendetur, ſed quia ita numero differunt vt ad idem munus & officiũ deſtinentur, & in eodem effectu formali præſ-

A tando omnino cõueniant, tunc enim cum quod libet ſufficiens ſit ad talem effectum preſtandum, plura ad eundem adhibere otioſum eſſet & ſuperuacaneum, ſi enim hæc albedo hoc album ſufficienter conſtituit, otioſa eſſet alterius albedinis acceſſio. obid ergò accidentia omnino abſoluta ſolò numerò diſtincta in eodem ſubiectó multiplicari nequeũt, quia effectũ habent formalé omnino eiuſdẽ rationis. Accidentium verò quæ ita numero differunt, vt eũdem effectum formalé preſtare nequeant multiplicatio, nõ otioſa ſed neceſſaria eſt, cum effectum qué vnum præſtat, nequeat alterũ præſtare. talia ſunt accidẽtia relatiua, quæ quia etiam ſecundũ proprias rationes numericas ſpeciales, important habitudines aut dependentias ad proprios terminos, ſicut habitudinem quã vnum importat ad propriũ terminum, nõ importat alterum, ita & effectũ relatiuum quem vnũ

B præſtat nequit alterum præſtare.

Hoc autẽ vt dilucidius percipias Animaduerte, in quauis relatione, ſicut & in quauis alia re prædicamentali rationem genericã ſpecificam & indiuidualé reperiri vt bene adnotat noſt. Herrera in. 1. diſp. 8. q. 1. in paternitate. v. g. eſt ratio generica relationis in communi, & vt ſic tantum dicit ordiné ad terminum in communi, & pẽdet à fundamento nõ determinatè ſed in communi & ratio ſpecifica paternitatis, & vt ſic reſpicit terminũ ſpecificum nempe filium, & tandem ratio indiuidualis huius paternitatis, & vt ſic reſpicit hunc filium, cũ enim ratio indiuidualis relationis non ſit abſoluta ſed relatiua ſecundum eam ſuum proprium terminũ adæquatũ reſpicit. rationi ergo genericæ ſpecificæ & indiuiduali in relatione repertis correſpondent etiam in *II. Nota.*

C termino ſuo modo ratio quaſi generica ſpecifica ac indiuidualis terminandi. & vt in eſſe relationis in communi, nequit intelligi ſine termino in communi, & vt eſt in tali ſpecie ſine termino ſpecifico. vt paternitas qua paternitas eſt ſine filio, ita prout eſt hoc indiuiduum relationis ſine hoc termino in indiuiduo, vt hæc paternitas ſine hoc filio quibus præiactis.

Concluſio. Scotus Cum ſua Schola. Concluſio noſtra ſit plures relationes ſolo numero diſtinctas in eodẽ ſubiecto reperiri in ordine ad diuerſos terminos, hõ eſt ſuperuacaneũ, ſed neceſſariò fatendũ. notanter autem dictum eſt in ordine ad diuerſos terminos, quia in ordine ad eundum terminum nequeunt multiplicari, vt

plures relationes paternitatis in ordine ad eundem filium, cum effectus ſit eiuſdẽ rationis, concluſio eſt Doct. 5. metap. q. 7. & in 3. d. 8. & q. vnica. & in quotlib. q. 11. §. *de Tertio patet*, & omnium Scotiſtarum, eã que ex doctiſsima Societatis Ieſu familia Magiſtri grauiores tuentur, Soarez in metap. diſput. 5. ſ. 8. n. 14. & fuſius diſput. 47. ſect. 17. n. 16. Fonſeca. 5. metah. c. 10. q. 1. ſ. 3. Molina 1. p. q. 1. a. 3. Probatur autem rationibus noſtri Doct. in illo, 3. d. 8.

I. *Probat.* Primò. *Sicut paternitas fundatur ſuper genuiſſe, ita & hæc paternitas ſuper hoc genuiſe & hac filiatio ſuper hoc genitum eſſe, ergo pater hac paternitate reſpicit hũc numero filium.* Tunc ſic relatio habet neceſſariam connexionem cum ratione fundãdi & termino ita vt poſita ratione fundandi & termino cõſurgat, ergo poſita noua ratione fundandi & nouo termino, noua cõſurgit relatio, ſed dum primo filio genito, ſecundus filius gignitur, adeſt nouus terminus & noua ratio fundãdi, nouũ ſcilicet genuiſſe (vt cõtrarij aſſerunt) ergo exvi illius noua & diſtincta conſurgit relatio, cum non ſit minus ſufficiens ſecunda generatio ad fundandam ſecundam relationem patris, quàm prima ad primam. quod exinde etiã patet quia ſi primo filio extincto ſecũdus gignitur, noua conſurgit relatio virtute nouæ generationis, ergo etiam ſi primus viueret illa conſurgeret,

Aduerſarij Reſpondent. Primo filio ſuperſtite cum iam in ſubiecto relatio paternitatis præexiſtat, per accidens impediri ne cõſurgat noua relatio. Occurritur tamẽ ſic, ſi nulla denuo relatio cõſurgit, quia impeditur, pari ergo ratione impeditur, quo minus ſit Paulus ſecundi filij pater, cum illum non reſpiciat relatione paternitatis. Quòd ſi dicant, nõ quidem acquiri nouam relationẽ, priorem tamẽ extendi ad ſecundũ filium. Vrgetur iterũ hoc pacto, vel illa noua extẽſio eſt aliquid reale intrinſecũ de nouo acquiſitũ, in Paulo, quo ſit pater ſecũdi filij, vel nihil. ſi primũ, illa extẽſio eſt realiter diſtincta à paternitate præexiſtenti, cũ ab illa ſeparari poſsit, & cõtingẽter aduenit, & ſine illa poſsit cõſeruari, & eſſentialiter eſt habitudo ad ſubſtantiam genitam ſeu ad filium vt formaliſsimè termini rationem induit, cum in hoc conſiſtat eſſentia relationis paternitatis, erit eſſentialiter paternitas à præexiſtenti diſtincta. Si ſecundum ergo non eſt cur magis ſit ſecundi filij pater quàm antea.

A Dicunt nouam extenſionem importare quidem aliquid intrinſecum & hoc eſt relatio præ exiſtens, & aliquid extrinſecum nouã ſcilicet terminationem termini, quia eſſe actu terminum actuale exercitium talis habitudinis importat. in hoc tota aduerſariorum ſolutio ſita eſt.

Impugnatur tamen ſic, denominatio relatiua & effectus formalis illius eſt intrinſecus, vt ſupra oſtẽſum eſt: ergo vbi eſt noua denominatio relatiua & nouus effectus formalis illius, vt in Paulo qui ad ſecundũ filium refertur ad quem antea nõ referebatur, erit noua forma relatiua intrinſeca de nouo ſuperaddita. Aut in Paulo creſcit effectus formalis ſcilicet intrinſecè referri ad ſecũdum filiũ, ergo creſcit forma addita noua entitate, implicat enim creſcere effectũ formalem intrinſecũ, quin etiã realiter creſcat forma intrinſeca. Itẽ extẽdi ad hunc filium eſt ordinari ad hunc filiũ **Impugna.**

B ad quẽ antea nõ ordinabatur, ergo vbi eſt noua extẽſio in ordine ad nouũ filium, eſt nouũ (ad) ergo & noua & diſtincta relatio multiplicato enim eſſe ad multiplicatur relatio cuius eſſentia in eſſe ad cõſiſtit. In ſuper vno filio obeũte aliquid reale amittit pater quod antea habebat cum iam nõ ordinetur realiter ad illũ ad quẽ antea ordinabatur, ſed nõ amittit relationẽ ad cæteros filios qui ſunt ſuperſtites, ergo aliam amittit, ac proinde multiplicem habebat.

Friuolum ergo eſt aſſerere, præ exiſtentem relationẽ denouo extendi, aut ordinari ad nouum terminũ per ſolam extrinſecam denominationẽ terminationis nouæ abſq; eo quòd aliquid intrinſecũ ex parte relationis ſuperaddatur, & ſi nouum exercitium relationis in prædicta denomina-

C tione cõſiſtit idem de quauis denominatione relatiua cum Nominalibus dici poſſet.

Secunda ratio Doctoris eſt. correlatiua ſunt ſimul natura nõ tantum in communi, ſed etiam in particulari, vt enim relatio in cõmuni pẽdet à termino in communi, ita & relatio in particulari ab hoc termino in particulari, imo quia in particularibus reperitur hæc cõdicio, per inductionẽ colligitur in communi, ergo hic pater & hic filius ſunt ſimul natura, ergo deſtructa hac filiatione in hoc filio, deſtruitur hæc paternitas in hoc patre, ſed manet paternitas reſpectu 2 filij mortuo 1: ergò alia paternitas fuit ad 2 filiũ, ab illa quæ fuit ad primũ quia nulla relatio noua aduenit ex hoc q. 1 filius corrũpatur, ſicut nec noua generatio **II. Probat**

aduenit

aduenit, ſuppoſito quod ſecundus filius fuit genitus viuente primo filio. adde etiam A quod relatio ad primum filium, nō ſolum natura ſed etiam tempore eſt prior alijs filijs & poteſt cognoſci non dum cognitis illis, ergo non habet illos pro termino

Confirmat. Confirmatur ratione Doctoris.5. metaph.q.7. deſtructo ad deſtruitur relatio, ſed deſtructo vno filio deſtruitur ordo ad illum, ergo & relatio, & tamē eſt ordo ad alium ergo eadem relatio corrumpitur & non corrumpitur.

III. Prob. Tertia ratio Doct. eſt ſupponendo relationem eſſe formam (vt ſupra oſtēdimus) qua vltimatè ſubiectum cōſtituitur in eſſe actu relati & ordinati ad terminum, vnde effectus formalis relationis ab illa in ſeparabilis in actuali exercitio referendi cōſiſtit, atque adeo actualem terminationem ex parte termini importat, cum enim relatio ſit eſſentialiter actualis reſpectus ſeu referentia ſubiecti ad terminum, non poteſt intelligi in ſubiecto quin actualiter referens. Porro ſi exercitium relationis eſſet diſtinctum & ſeparabile ab ipſa relatione & primario effectu illius, poſſet vtique dari quæuis relatio ſine vllo exercitio, atque adeo pater ſine vllo filio, quod enim dicitur de exercitio in ordine ad ſecundum filiū, ita de exercitio in ordine ad primū. nūc ergo efficaciter procedit ratio Doct. Quando aliquid per aliquam formā eſt vltimatè tale illa forma in eo exiſtente ſemper eſt tale. cum idem manēs idem ſemper ſit natū facere idem, vt quia ſuperficies eſt alba vltimatè per albedinem, albedine exiſtente in ſuperficie ſemper eſt alba, quia vbi eſt cauſa formalis ibi neceſſariò eſt effectus formalis. Sed relatio eſt C forma qua ſubiectum illam habens eſt vltimatè relatum ad aliud, igitur non poteſt eadem manere in eodem ſubiecto, quin tale ſubiectum ad aliud referatur, nempe ad proprium terminum, ergo non poteſt manere eadem paternitas deſtructo illo filio ad quem ſubiectum ordinabat, atque adeo cum deſtructo ſecundo filio deſtruatur hoc quod eſt eſſe ad illum deſtruitur etiā illa paternitas à qua denominabatur & conſtituebatur vltimatè pater reſpectu illius, alioquim enim ſi eadem maneret, eodem modo eſſet pater reſpectu illius ca antea cum exiſtebat. imo & poſſet manere paternitas eadem nullo filio manente.

IIII. Pro. Quarto probat. Doct. pater aliquo alio modo reſpicit hunc filium, & aliter illum, ſi alia relatione habetur propoſitū quod in patre erunt duæ paternitates, ſi non alia relatione contra, pater qui vnum habet filium reſpicit illum relatione reali, atqui ſecundo filio genito illum realiter reſpicit, quem antea non reſpiciebat, ergo dicit ad illum nouum reſpectum realem, ergo nouam relationem, quia reſpectus & relatio ſunt idem.

Vlt. prob. Vltimo tandem. plures numero relationes eſſe in eodem ſubiecto non repugnat propter indiuiduationē vt dictum eſt, nec propter ſuperfluitatē, quia effectus formalis quem vna numero relatio præſtat, nequit ab alia præſtari, non ergo ſuperuacanè plures numero relationes in eodem cōcedūtur. antecedens probatur. Tota vis terminatiua vnius numero relationis completur in ordine ad vnicū numero terminum, ita vt nulla remaneat in ordine ad B alium, ergo effectus formalis quem vna numero præſtat, nequit ab alia prouenire. antecedēs probatur, vna numero relatio ordinatur ad vnū numero terminū vt ad terminū totalem & adæquatum, ergo tota vis terminatiua illius in ordine ad illum completur & exhauritur, ita vt vltra illum nequeat ſe ad alium extendere, conſequētia patet in hoc enim cōſiſtit totalitas & adæquatio vt tāta ſit latitudo vtriuſque extrēmi, vt neutrum alterum excedat aut excedatur. antecedens probatur, ille eſt totalis & adæquatus terminus relationis, à quo ſolo pendet relatio in ſuo eſſe, cognitione & diffinitione. ſed talis eſt vnus numero terminus vt primus filius reſpectu paternitatis, quæ ad illum terminatur, quia ſolo illo poſito cōſurgit talis relatio & illo cognito cognoſcitur.

Corollari. Ex quibus infertur prefatas relationes inter ſe realiter diſtingui cum ita inter ſe affectæ ſint vt vna ſine alia viciſsim manere poſsit. Si verò quis admiſſerit fieri quidē realem additionē in ſubiecto nouæ relationis acceſſu expoſitione noui termini, ex omnibus tamen illis vnam integram relationem cōflari, nō multum erit cum illo cōtendēdum. Sed cum nullum genus vnionis inter illas relationes ex cogitari queat vt dicantur partes cōponentes vnam relationem, non enim intenſionis quo pacto duo gradus caloris vniuntur, quia in tali vnione vnus gradus præſupponit alium, inter iſtas autem relationes nulla eſt ſub ordinatio, & alias paternitas ſuſciperet gradus atq; adeo magis & minus, vnde vnus

pater eſſet magis pater, quando plures filios habet, quam cùm pauciores, nec vnio extenſionis ſecundum latitudinem continuam cum illę relationes ſint per ſe indiuiſibiles ex quibus continuum componi nequit.

Fundamē Fundamētum oppoſitæ opinionis nulla nos difficultate premit, cum ex dictis ſolutum maneat. de habitu autē ſcientifico idem dicēdum eſſe efficaciter oſtēdemus, intelligi enim nequit vnam rem realiter de nouo ad aliam extendi, niſi per aliquid reale de nouo acquiſitum, quod antea nō habebat, difficilius autem eſſe creditu arbitramur, vnam numero relationem infinitos reſpicere terminos, quàm relationes ſimul eſſe in eodem ſubiecto prope modū infinitas, quibus tot terminos reſpiciat, cū relationes minimæ ſint entitatis, quæ cum non ſolum ſubiectum ſed etiam terminum eſſentialiter reſpiciant, non ſolum variato ſubiecto, ſed etiam termino plurificato plurificantur.

Ad. I Con Ad Primam confirma. Reſpōdet Doct. in q illa 11. quotlib. *Corpus habens albedinē ſi ſecundum eam eſt ſimile multis, multas habet ſimilitudines, quia ſimilitudo numeratur termino numerato. ſed ipſum non eſt multa ſimilia ſed vnum ſimile, ſicut habens multas ſcientias eſt vnus ſciens, quia concretum non numeratur ad ſolam numerationem formæ, ſed oportet quòd cum hoc ſit numeratio ſuppoſiti habentis formam.* Vnitas ergo aut multiplicatio concreti accidentalis nō á formali ſed materiali ſignificato deſumenda eſt.

Obijciat, quis plus differunt duæ paternitates duorū ſuppoſitorum, quàm duæ exiſtentes in eodē ſuppoſito ſed illæ diſtinguuntur ſolo numero, ergò iſtæ ſunt vnū numero. Reſpondendū illas diſtingui plus materialiter & accidentaliter, in ſe autē tā diſtinctæ numero ſunt iſtæ quám illæ.

Ad. II. Ad 2. eodem pacto filium duplici relatione filiationis referri ad patrem & matrem. cum pereunte patre maneat Petrus eodē modo filius reſpectu matris ſicut antea, & tamen non manet filius patris, ergo diuerſa relatione, tum quòd ſunt fūdamēta numero diſtincta & rationes fundandi.

QVÆSTIO V. QVID SIT ratio fundandi quotuplex num ab illa eſſentialis ratio relationis deſumatur.

·(5)·

A APPARET quidem primo aſpectu, ſuperuacaneum eſſe, præter fundamētum ſuperius poſitum, rationem aliam fundandi ſupperaddere, ſi enim fundamētum diximus eſſe id quod in ſubiecto eſt cauſa aut ratio inductiua relationis poſito termino, in eo ergo ſiſtendum eſt. quod in relatione primi generis clarius cernitur, ad quam duo extrema ſimul ſumpta præciſé ſufficiunt, quæ nihil aliud ſunt quàm fundamentum & terminus, præter vtrumque ergò nulla alia exigitur ratio fundandi.

Non eodem modo ſolet à Doctoribus ratio fundandi exponi Plerique aſſerunt ex Thomiſtis rationem fundandi eam dūtaxat eſſe, quæ habet rationem condicionis neceſſariæ vt relatio conſurgat, vel vt rationem referendi actu exerceat, atque adeo proprietate ſermonis inſpecta, potius B condicionem quàm rationē eſſe appellandam, dum nullum influxum habeat in relationem. ratio autem rei ea eſt quæ aliquo modo illius cauſa eſt aut formalis aut effectiua, vnde ab illa relatio in fieri duntaxat dependet vt à condicione vltimò & proximè requiſita vt conſurgat, non tamē in eſſe & conſeruari cum ſine illa poſsit eſſe, nec requiritur vel in eodem fundamento ſit in quo eſt relatio, vt actio quæ ratio fundandi eſt paternitatis non in ipſo agēte ſed in paſſo eſt, & illa tranſacta manet adhuc paternitas.

Ex quo alij deducunt non oportere rationem fundandi aliquid reale eſſe, ſed ſufficere eſſe quid rationis, aut ſolam negationem realem, vt in ratione fundandi primi generis (dicūt) vnitas ſufficit rationis, aut C ſaltim negatiua de qua lib. 1. d. 2. art. 1. q. 6. diſſeruimus. Quorū fundamentū eſt quòd ratio fundandi nullam cauſalitatem exercet in relationem, vt autem ſit condicio ſufficit negatio realis, ſeu vnitas negatiua inter duo. Res tamē hæc à nobis iuxta mētē noſtri Doct. enodandā eſt his aſertionibus

I. Conclu. Prima concluſio. Præter ſubiectum & fūdamentum neceſſaria eſt ratio fundandi vt relatio conſurgat, hanc tenet cōmunis omnium Phyloſophorū conſenſus. eā docet Doct. varijs in locis ſuæ doctrinæ in. 1. d. 19. q. 1. §. *hic primò videndū*. in. 3. d. 8. in. 4. d. 6. q. 10. d. 13. q. 1. in quotlib. q. 6 probatur quia poſita tota entitate fundamenti vt albedine quæ fundamentū eſt ſimilitudinis & diſsimilitudinis ad huc nō cōſurgūt tales relationes, niſi ponatur vnitas aut diuerſitas.

ſitas. Item eadē res poteſt eſſe relationū eſſentialiter diſtinctarum & oppoſitarum A fundamentū, vt albedo ſimilitudinis & diſſimilitudinis, quantitas æqualitas & inæqualitatis vnde eſt albedo ex ſe indifferēs & indeterminata ad fundandā ſimilitudinem aut diſsimilitudinē, ergo nequit illas ſub eadem formali ratione fundare, cum relationes eſſētialiter diſtinctæ & oppoſitæ, fundamēta expoſcāt ſaltim formaliter diſtincta, cum ab eis etiam ſpecificentur, ergo ſub diuerſa ratione formali, vnde eadē albedo & ſi materialiter ſit vna formaliter tamē multiplex eſt, vt vna eſt fūdat relationē ſimilitudinis, vt diuerſa diſsimilitudinis, ergo præter entitatem fundamenti neceſſaria eſt ratio fundandi.

II. Conclu.

Secunda concluſio ratio fundandi propriè & ſtrictè ſumpta eſt illa ratio, proprietas aut naturalis & intrinſeca cōditio fundamenti qua formaliter in eſſe fundamenti proximi cōſtituitur, vnde pro eodē vſurpatur à noſtro Doct. ratio fundandi & fundamētum proximum in. 4.d.6.q.10. § *ſed reſtāt.* & illa reperitur in omni fundamento, licet nō realiter ſtrictè ſaltim metaph. ab illo diſtincta, qua proximè & vltimò aptum cōſtituitur fundamentū ad fundandam relationem, dum tamē terminus adſit, vel vt ait Doct. in. 4.d.13 q 1.ad. 5. principale fundamentum completū. vnde ea non habet ſolē rationē conditionis, ſed propriæ rationis quia reſpectu ipſius fundamēti modū habet formæ in genere cauſæ formalis vtrumq; extremū conſtituentis, & influxum habet in ipſam relationem effectiuum & quaſi formalē, vt albedo vt eſt ſub vnitate ſub forma fūdamēti influit efficienter in relationē, & albedo ex parte alterius extremi vt eſt ſub vnitate terminat illam, dependēt ergo ab illa relationes vt à forma extremorum.

Confecta.

Fx quo deducitur de eſſentia rationis fundandi eſſe, vt ſit in eodem ſubiecto in quo eſt relatio vt docet Docto. q. illa. 6. d.10. in 4. § *ſed reſtant* vbi ſic *quia ratio fundādi & relatio ſunt in eodē ſubiecto* & ab illa pendet relatio in eſſe fieri & cōſeruari, vt docet Doct. ibidē paulo infra vbi ſic *fūdamētū* (ſcilicet proximū de quo ibi loquitur *nō tantū eſt cauſa in fieri relationis ſed, in eſſe* & idē docet. d.13.q 1.§. ad 5. principale Fundamentum eſt id quod in ſubiecto eſt cauſa inductiua relationis ratio verò fundandi qua formaliter fundamentum conſtituitur.

III. Conc.

Tertia concluſio, ratio fundandi debet eſſe quid reale & non rationis, & licèt probabiliter dici poſſet, ſufficere eſſe realē negationē, vt in relatione primi generis vnitatē negatiuā, probabilius tamē eſt iuxta dicta, debere eſſe rationē poſitiuā realē ſic Doct. in. 4.d.6.q.10. § *ſed reſtant.* vbi ſic *nō ens nō poteſt eſſe fundamentū vel ratio fundādi aliquā relationē* 1. Pars oſtenditur quia aliàs ens reale ab ente rationis depēderet & ſine illo nō poſſet in re dari, ſicut nec poteſt conſurgere ſine ratione fūdandi. atqui conſtat relationes reales dari in re citra omne mentis opus ergo & ratio fūdādi.

II. Pars.

Secunda pars probatur, cauſa entis poſitiui poſitiua debet eſſe, ſed ratio fundandi vt diximus eſt cauſa relationis, quæ ens quoppiam poſitiuū eſt, cum ſit formaliter cōſtitutiua vltimi inductiui relationis, vt ratio intrinſeca cōnaturalis fūdamēti, quia eſt natura ſua aptū vt relationē cauſet.

IIII. Con.

B Quarta concluſio, & ſi relationum fundamenta innumera ſint omnia nempe rerum genera vti ſuperius cautum eſt, ratio tamen fundandi triplex duntaxat eſt, prima eſt vnitas, ſecunda menſura ſeu menſurabilitas. tertia potentia actiua & paſsiua & iuxta triplicem rationem fundandi datur triplex genus relationis ſubalternum, primum quod in vnitate fundatur, ſecundum in menſura, tertium in potentia actiua & paſsiua, hanc expreſsè docet Phyl. 5. met. cum cōmuni omniū interpretum caterua, eam docet noſter Doct. in præſēti, & 5. metaph. q 12. cuius ſufficiētiam colligit in 1. d 30. q. 1 ſic omnia entia creata quia ſunt limitata, ſunt partes totius vniuerſi, quod eſt vnū vnitate ordinis vt patet. 12. metap. ergò quod libet illorum eſt in potentia ad formā vniuerſi nempe ordinem, eſſe enim C & forma totius vniuerſi conſiſtit in ordine partiū inter ſe & cū toto de quo ordine dixit D Aug de ciuitate Dei, li. 19. ordinē eſſe parium diſpariumque rerum diſpoſitionē conſequentia probatur quia cū partes ex phyl. 5. metap. rationē materiæ habeāt reſpectu totius ſunt in potentia ad formā illius, vt patet de partibus corporis organici reſpectu animæ intellectiuæ : ergo quodlibet ens creatum, poteſt habere ordinem ad aliam partem. tripliciter autem tantum poteſt vna res ad aliam ordinari, aut ſecundū æqualitatem ideſt vnitatē & conuenientiā, aut ſecundum actionē & paſſionem, ſiue cauſalitatem, quo pacto ordinātur in ratione cauſſe & effectus, l. ſecun

dũ eminẽtiam, quæ eſt in naturis diuerſis, quatenus vna eſt menſura alterius, & alia menſurabilis, & vna pendet ab alia in ſua perfectione, & nulla eſt relatio prædicamẽtalis ex cogitabilis, quæ ad aliquod genus ex his non reuocetur, vt in queſt. poſt ſequentibus conſtabit.

V. Concl. Quinta concluſio. à fundamentis formaliter ſumptis vt nempe ſubſunt rationibꝰ fundandi, ſumitur diſtinctio eſſentialis relationum, materialiter & effectiué. ſic expreſsè noſter Doct. 5. metaph. q. 12. *§. ad queſt.* & q. 13. ait quod tertius modus relationum diſtinguitur à ſecundo modo, per fundamenta alia & alia, probatur cõcluſio tum ex Ariſt. diſtinguẽte triplex genus relationum iuxta triplicem rationem fundamenti. Tum etiam quòd fundamentum formaliter ſumptum per ſe eſt ad relationem neceſſariũ vt videre eſt in relationis diffinitione, in qua nõ ſolum terminus, ſed & fundamentũ etiam collocatur, eſt enim ordo vnius ad aliud, ab eo ergo et pote à quo eſſentialiter depẽdet, illius eſſẽtialis diſtinctio vt à cauſa materiali aut effectiua neceſſaria deſumitur.

Quod vt probè teneas, apprimè obſerua, & ſi relatio eſſentialiter à fundamento dependeat, ab eoque eſſentia illius venari poſsit non tamen eſt de eſſentia illius propriè loquẽdo ac ſi ſit pars intrinſeca illius vt genus aut differentia vt ar. ſequenti de termino etiam dicemus. cum fundamẽtũ & relatio eſſentias habeant fere ſemper primò diuerſas ad diuerſa genera ſpectantes. Sicut ergo relatio in communi ſuum proprium modum habet intrinſecum nẽpe (ad) quo in eſſe relationis conſtituitur, ita & ſpecies ſubalternæ ac infimæ relationis ſuas habẽt eſſentias & differentias intrinſecas, à quouis alio extrinſeco ſiue fũdamento ſiue termino diſtinctas, atque a deo proprias diffinitiones proprio genere & differẽtia conſtantes, quibus in ſuis proprijs ſpeciebus conſtituuntur, & ab alijs relationum ſpeciebus diſtinguuntur, quia tamen illarum eſſentiæ ab alijs extrinſecis fundamento & termino dependent, quæ magis nobis innoteſcunt, ideo illarum latentes eſſentias per fundamentum & terminum explicamus & cognoſcimus, imo non aliter poſſunt diffiniri.

VI. Conc. Vltima concluſio, nonnullæ relationes ſunt, quæ preter fundamentum, & rationẽ fundandi requirunt aliam conditionem ſimpliciter neceſſariam, tantum in ſuo fieri vt nimirum cõſurgant. tales ſunt relationes ſecundi generis duntaxat, quæ ita exigunt actionem & paſsionem vt pullulent, vt ſine illa ad huc de potentia abſoluta nequeant conſurgere, ſi enim actio generationis nõ intercedat inter Petrum & Paulum etiam ſi aliter exiſterent immediatè à Deo producti, neutiquam etiam poſſet inter eos relatio paternitatis & filiationis intercedere. quæ condicio propriæ loquẽdo non eſt ratio fundandi vt pote quæ nõ habet cauſalitatem aliquam in relationẽ nec ab illa dependet relatio in ſuo eſſe. niſi largé & lato ſermone eam ſic vellis appellare, quatenus neceſſaria eſt vt conſurgat relatio. Sic noſter Doctor locis citatis, de quo nos iterum. q. 7.

QVÆSTIO VI. QVO PACTO Primum Genus Relationis in vnitate fundetur, num omnes ſub illo contenta ſint mutua ac reales.

PRIMVM relationis genus vocat Ariſto. 5. metaph. c. 15. relatiua ſecũdum numerum aut vnitatem, quia in vnitate & numero fundatur, nomine autem vnitatis aut numeri non ſolum quantitatiuum intelligit, in quo fundantur omnes relationes & proporciones, quibus numerus ad vnitatem, ad alium ve in æqualem numerũ comparatur, ſiue proporciones illæ indeffinitè & generatim ſignificentur, vt excedẽs ad exceſſum, multiplex ad ſub multiplex, ſiue diffinitè & determinatè vt duplum ad dimmidium; quæ relationes etiam ſi in continua quantitate reperiantur, dicuntur ſecundum numerum, quia exceſſus ille & diuerſitas numeris ſignificatur. Sed etiam intelligit nomine quidem vnitatis quamcumque multorum cõuenientiam, nomine vero numeri pluralitatem ac diuerſitatem multorũ. Vnde Primum genus relationis erit quod in multorum conuenientia & vnitate, vt ſimilitudo, æqualitas &c. aut in diuerſitate & diſconuenientia vt diſsimilitudo & æqualitas fundantur.

Vnitatem quæ ratio fundandi eſt iſtius generis dixerunt quidam eſſe vnitatem rationis, cum ſit vnitas ſpecifica quæ in re non datur. Alij eſſe negatiuam, cum illa ſolum detur a parte rei vt in. 2. d. primi lib. docuimus, quæ in hoc conſiſtit quòd Petrus non differat à Paulo in natura humana, nec Paulus à Petro. Alij dixerunt ex *Sanchez.*

Tho-

Thomiſtis fundamentũ iſtius generis eſſe vnitatem, rationem vero fundandi eſſe menſuram quãtitatiuam, ita vt vnitas ſub ratione menſurabilitatis quantitatiuæ ſit completum fundamentum iſtius generis. quod fundamentum habet in. D. Tho 5. metaph. c de ad aliquid.

Circa ſecundũ quod cõtrouerſia expoſcit nũ omnes relationes in vnitate fundatæ reales ſint. Dixerũt nõnulli, relationes idẽtitatis in vnitate ſubſtantiæ fundatas, nõ eſſe reales ſed rationis. Sic Fonſeca. 5. metaph c. 15 ſuamque mentem ſic ſuadere conatur. *Fonſeca.*

I Armug Primò relationes quæ non minus conueniunt rebus dum non ſunt actu, quàm cum actu ſunt, nequeunt eſſe reales ſed rationis. Si enim quando nõ exiſtunt ſunt rationis: ergo & quando exiſtunt erũt relationes rationis, relationes enim quæ aliquando ſunt rationis, numquam poſſunt eſſe reales, ſicut nec è contra, ſuperaddere autem alias relationes reales eiuſdem appellationis cum extrema actu exiſtunt eſt ſuperuacaneum, ſed relationes identitatis in ſubſtantia fundatæ conueniunt rebus ita dum actu non ſunt ac cum actu ſunt, Petrus enim & Paulus non ſunt minus eiuſdem ſpeciei mortui quàm viui. ergo ſunt rationis.

II. Argu. Secundò: fundamentum relationis idẽtitatis in ſubſtantia ſiue ſpecificæ ſiue genericæ non datur in re ſed tantum per rationem, ergo & ipſa relatio rationis erit antecedens probatur, fundamentum prædictæ relationis debet eſſe natura prout diſtincta à ſingularitate, ſed natura vt ſic non datur in re, ergo nec fundamentum, min. patet cum diſtinctio inter naturam & ſingularitatem ſit per rationem, maior probatur, relatio hæc ſolam naturam afficit eique præcisè inhæret: ergo fundamẽtum illius debet eſſe natura prout á ſingularitate diſtincta antecedens patet, quia aliàs cum relatio forma ſit accidentalis ſubiecto cui inhæret dans ſe ipſa eſſe in ordine ad aliud (omnis enim forma alteri inexiſtens ſuum effectũ formalẽ illi cõfert, qui in inexiſtentia ſeu exhibitione ſui ipſius conſiſtit) ſingularitati ſuum effectum formalem exhiberet, eſſe nempe idem ſpecie, quod ſingularitati repugnat. qui enim fieri poteſt, vt Petrus ex vi ſuæ ſingularitatis ad Paulum referatur, identitatis ſpecificæ relatione, cum potius ratione illius numero diſtinctus cenſeatur.

Corroboratur hoc ſic. Si relatio hæc datur in re, vel ergo inhæret ſingularitati & per ſe illam refert. Vel nõ: ergo natura & ſingularitas in re diſtinguuntur, quia quod in re actualiter non eſt aliud, eſt actualiter ab illo diſtinctum, negatio enim hæc ſequitur ad rationẽ diſtinctam ex vi cuius quod uis diſtinctum dicitur non eſſe illud à quo diſtinguitur, ſi ergo in re relatio inhæret naturæ non ſingularitati, natura in re non erit ſingularitas: ergo diſtincta à ſingularitate, vel ſi eadem eſſet realiter & formaliter vtramque afficeret. *Confirmat*

Nec mediocris in hac re extat difficultas, in præfiniendo quæ vnitas in fundamẽto ſit neceſſaria vt relatio realis inducatur, celebris enim eſt in hac re Thomiſtarum opinio aſſeuerans neceſſariam eſſe vnitatem communem aut ſpecificam aut genericam, nullo pacto vnitatem numericam, atque adeo aſſerũt, relationes æqualitatis aut ſimilitudinis & identitatis in diuinis inter diuinas perſonas non eſſe reales ſed rationis quia fundamentum in eis vnum numero eſt, nempe eſſentia diuina. *Opinio. Thomiſt.*

Argumentum quod totam iſtius rei difficultatem attingit eſt, relatio eiuſdem ad ſe ipſum non realis ſed rationis eſt ſed talis eſt relatio vbi fundamentum nõ eſt plurificatum in extremis ſed idem numero, nempe eiuſdem ad ſe ipſum, ergo rationis, maior omnibus eſt in confeſſo, minor probatur, fundamenta ſunt quæ primò & per ſe referuntur, vnde relatio primò & per ſe ineſt fundamento vt formæ conſtituenti extremũ formaliter & ratione illius ſubiecto quod mediatè denominat, duo enim ligna æqualia dicuntur, quia ipſorum quantitates æquales ſunt, referuntur igitur extrema ratione fundamenti, ergo quando fundamentum eſt omnino idem, relatio erit eiuſdem ad ſe ipſum, atque adeo rationis.

Cõfirmatur ſi vna numero albedo eſſet in Petro & Paulo, illa non eſſet ſibi ſimilis realiter. ergo Petrus non eſſet re ipſa ſimilis Paulo. patet conſequentia ſi enim Petrus eſt ſimilis Paulo propter albedinem, & albedo non eſt realiter ſimilis ſibi ſed tãtum per intellectum, ergo nec Petrus niſi tantum per intellectum. *Confirmat*

I. Conclu. Sit tamen Prima concluſio, vnitas ſiue conuenientia plurium non ſolum ſpecifica & generica ſed etiam analoga eſt fundamentum relationum primi generis, nõ quidem ſumpta pro vnitate rationis, ſed

pro vnitate reali poſitiua eo pacto quo in re datur. Primã partem communis omniũ conſenſus docet, & quidem quoad vnitatem Analogam ſi talis ſit quæ vnum conceptum obiectiuum Analogatis intrinſece conuenientiæ importet, docet egregie noſter Antonius Andreas 5. metaph. q. 13. ad 3. Probatur Tum ex Ariſtot. Tum etiam quòd omnes prædictæ conuenientiæ reales ſunt, licèt enim generica & Analogica non tam perfectæ ſint ac ſpecifica, cum tamen in re dentur, ſufficientes ſunt ad realem fundandam relationem.

II. Pars. Secũda pars explicatur, diximus enim in 1 lib. dari quidem in re poſitiuam conuenientiam fundamentalem, quæ in hoc conſiſtit quòd in vtroque extremo ſua ſit vnitas poſitiua formalis ratione cuius ex propria naturali condicione talis vnitatis res apta ſit proximè vt alteri vnitatem eiuſdem rationis habenti fiat ſimilis, albedo ergo quatenus eſt ſub ſua vnitate poſitiua eiuſdem rationis cum vnitate alterius extremi actu exiſtentis, cauſat relationẽ ſimilitudinis aut identitatis, quod his verbis docuit noſter Doctor in 3. d. 3. q 1 in fine: *& tunc ad propoſitum dico, quòd in natura humana in Chriſto eſt vnitas aliqua realis minor vnitate numerali, & ſimiliter vnitas realis in Maria, & iſta vnitas eſt fundamentum mutuæ æqualitatis in Chriſto & Maria.*

II. Conclu Secunda concluſio prædicta vnitas in quauis re reperta cuiuſcumque ſit Prædicamenti fundat relationes reales & ex ꝓpria ratione mutuas. Sic noſter Doct. 5. metaph. q. 12. Anto. Andreas vbi ſupra Rada 1. contro. cont 26. art. 1 & quidem in relatione cuius fundamẽtum eſt vnitas quantitatis aut qualitatis non eſt cur inmoremur, cum ab omnibus admittatur. De relatione idẽtitatis quæ in vnitate ſubſtantiæ fundatur probat. D. Sic inter duas ſubſtantias vt inter hominem & equum, aut inter Petrum & Paulum omni accidẽti circumſcripto, reperiuntur omnes condiciones quæ relationem realem fundare poſſunt. duo extrema realia realiter diſtincta, fundamentum reale, natura nempe realis in vtroque extremo reperta, ratio fundandi realis, ſcilicet vnitas, & conuenientia in ſubſtantia, non enim minus realis eſt vnitas duarum ſubſtantiarum, quàm duarum quãtitatum ſicut enim ens reale in diuerſa prædicamẽta partitur, ita & vnitas in diuerſas vnitates, ſi ergo iſta ſufficiunt vt relatio æqualitatis in quantitate, (& idem de ſimilitudine in qualitate) realis ſit, cũr non vt relatio identitatis in ſubſtantia realis ſit? Sanè quod cumque diſcrimen protuleris facilè poteſt euerti.

A In ſuper inter duas ſubſtantias omni accidenti circumſcripto datur diſtinctio realis in ipſis ſubſtantijs immediatè fundata, datur ergo relatio diſtinctionis realis, ergo & identitatis in ratione ſpecifica aut generica, ſi enim vnum oppoſitum eſt reale alterum quoque reale erit.

Quòd vero relationes iſtius generis mutuæ ſint ex propria ratione, reales ſcilicet in vtroque extremo, etiam conſtat, quia vtrumque extremum talium relationum, rationem habet fundandi ex natura ſua realis relationis, quia ratione vnitatis aut exceſſus & diuerſitatis vtrumque extremum eſt ad aliud ordinabile, mutuis ergò B relationibus realibus ad ſe inuicem ordinantur. Notanter dictum eſt ex propria ratione, quia aliquando materialiter, & ex propria condicione & natura alterius extremi poteſt in hoc genere reperiri relatio non mutua, qualis eſt relatio conuenientiæ inter Deum & creaturam, quæ ex parte creaturæ realis eſt ex parte verò Dei rationis de quo poſtea.

Relationes autem iſtius generis quædã ſunt æquiparantiæ, quæ nimirum in vnitate fundantur, quia omnes iſtæ ſunt eiuſdẽ rationis & denominationis, vt patet de relatione identitatis, æqualitatis, & iſtis oppoſitæ, vt relatio diuerſitatis inæqualitatis, & diſsimilitudinis, quæ verò fundantur in numero aut exceſſu ſecundum ſpecificas rationes ſunt diſquiparantiæ, vt maius & minus, duplum ſub duplum.

III. Concl. Scotus Cum ſua Schola. C Tertia concluſio vnitas numerica fundamenti in vtroque extremo ſufficiẽs eſt ad inducendam relationem realem dum tamen extrema ſint realiter diſtincta. vt ſi Deus eãdem numero albedinem in Petro & Paulo locaret, tunc Petrus & Paulus eſſẽt à parte rei ſimiles inter ſe ita vt in quouis ſua eſſet relatio ſimilitudinis realis ab alterius diſtincta, idem tamen eſſet numero fundamentum. iſtius aſſertionis aſſerrimus protector eſt noſter Doctor in. 1. d. 19. q. 1. d. 31. q. 1. in quotl. q. 6. in. 3. d. 8. q. 1. cum vniuerſa ipſius ſchola.

Probatur. Probatur autem ſupponendo, duo eſſe neceſſaria ad fundandam iſtius generis relationem, diſtinctio & vnitas, illa quidem ex parte extremorum quod commune eſt

omnibus

omnibus relationibus vt art. ſequenti videbimus, ipſa enim ſunt quæ referūtur,& relatiuè opponuntur, vnitas verò requiritur ex parte fundamenti, quia per cōnenientiam in fundamento extrema diſtincta referuntur adinuicem, quòd adeo verum eſt, vt licet nonumquam extremum & fundamentum ſint idem, vt cum ipſa fundamenta primò & per ſe referuntur, ſi cut duæ quantitates relatione identitatis in eſſentia, tunc quidem licèt realis diſtinctio ac plurificatio requiratur in fundamento, non tamen præcisè quatenus fundamentum eſt, ſed prout extremum eſt quod refertur, quando ergo fundamētum & extremum quod refertur, ſunt diſtincta, realis diſtinctio ex parte extremorum ſolum requiritur, ex parte verò fundamenti vnitas, quòd ſi in rebus creatis ſemper eſt fundamentum multiplicatum in extremis, hoc ideò eſt quia eadem numero natura, aut idem numero accidens nequit eſſe in pluribus ſuppoſitis aut ſubiectis. Tūc ſic diſtinctio realis requiritur ex parte extremorum, cum ipſa ſint quæ referuntur,& opponuntur oppoſitione relatiua, vnde idē adſeipſum nequit realiter referri vt poſtea, quando ergo extremum quod refertur non eſt ipſum fundamentū tunc nō requiritur diſtinctio ex parte fundamenti, ſed tantum vnitas: ergò quo maior vnitas fuerit in fundamēto perfectior erit relatio in extremis.

Probatur Concluſio.

Confirmat Confirmatur ſi Deus eandem numero albedinem in Petro & Paulo conſtitueret tunc Petrus & Paulus eſſent abſolutè loquendo duo alba diſtincta à parte rei vt omnes concedunt,& manifeſtè colligitur ex ipſo Angelico Doct.1.p.q.39.ar.3. cum ſubiecta ſint plura, à quibus multiplicatio concretorum accidentalium deſumatur. vnde Petrus vere & realiter diceretur ſimilis Paulo, cum ſimilitudo ſit vnus rei ad aliam: ergo per relationem realem. In ſuper quòd vt contrarij fatentur, diſtinctio realis ex parte extremorum requiſita ad realem habitudinem non eſt tanta vt vnum extremum non includat aliud vllo pacto, ſed ſufficit diſtinctio includentis & incluſi, vt in relatione totius ad partes, in toto enim eadem numero pars includitur, ad quam refertur relatione reali: igitur licèt vnum extremum includat idem numero fundamētum quod eſt in alio extremo, quia tamen enim hoc ſimpliciter diſtinctio extremorum eſt verè in re, talis diſtinctio in re ſufficiens erit ad relationem realem inter illa.

A Vnde animaduerte cum noſtro Doct. in illa.d.3 1.q.1.§. *Ad Primum Argumentum*, extrema quidem referri inter ſe realiter ratione fundamenti ſed fundamentaliter duntaxat, non formaliter, cum fundamentum non ſit formalis ratio referendi ſed relatio, vt formaliter loquendo ſimile in albedine non refertur ad aliud per albedinem, ſed per relationem ſimilitudinis ad id autem non opus eſt, fundamenta in extremis multiplicari, ſed cum vnitate fūdamenti relationum realium plurificatio in extremis quæ per illas referuntur ſtare poteſt. Quo pacto etiam occurrendum eſt cum Aduerſarij premunt, extrema relationis realis ſunt realiter diſtincta, ſed ſunt extrema relationis per fundamentum in vtroque exiſtens, vt duo corpora ſunt ſimilitudinis extrema per albedinem B quia hac ablata non manerent extrema illius, ergo fundamentum debet eſſe realiter in vtroque extremo plurificatum. minor diſtinguenda eſt præcisè & adæquatè negatur, in adæquate concedo, extrema enim harum relationum æqualitatis ſimilitudinis &c. quæ in vnitate fundātur, nō referuntur ad ſe inuicem vt vnum præciſe nec vt diſtincta præciſe, ſed vt diſtincta inter ſe & vnum in magnitudine vel qualitate. Vel ſic formaliter nego, ſunt enim extrema relationis formaliter, quatenus aſficiuntur relationibus, quibus referuntur & opponuntur, fundamentaliter, ſeu tamquam per rationem fundamentalem indutentem in eis prædictas relationes concedo, ad hoc autem non opus eſt ipſum fundamentum in extremis diſtingui, ſed vnum eſſe, duntamen extrema diſtincta C ſint.

Notabile.

Solutio. Obiectio.

In ſuper falſum etiam eſt quod nonnulli obijciunt relatiua interſe opponi ratione fundamenti, ſi enim relatiuè opponuntur, peoût extrema ſunt relationis, non ergò ratione fundamenti quod aut abſolutum eſt, vel rationem induit abſoluti, ſed ratione relationum opponuntur. Ad id etiam quod alij Thomiſtæ, æqualitas per ſe primò reſpicit extrema vt vnum ergò quando vnitas extremorum eſt numerica, referuntur vt vnum numero, ergo relatione rationis cum ſit eiuſdem ad ſe ipſum. Diſtinguitur antecedens, preciſè nego ſimul vt diſtincta inter ſe,& vnum in fundamento concedo.

Quarta

IIII, Con. Quarta concluſio. Sicut vnitas diuiditur in vnitatem in ſubſtantia, in quantita- A te, & qualitate, ita & relatio primi generis in vnitate fundata in varias ſpecis ſub diuidur, in eam quæ fundatur in vnitate & conuenientia inter duas ſubſtantias, quæ relatio identitasis dicitur, & in eam quæ fundatur in vnitate quantitatis, quæ relatio æqualitatis dicitur, & in eam quæ fundatur in vnitate qualitatis, quæ appellatur relatio ſimilitudinis. hanc expreſſè docet Phyloſophus. 5. illo metaph. vbi ſic eadem dicuntur quorum ſubſtantia eſt eadem, æqualia quorum quantitas eſt vna, ſimilia quorum qualitas eſt vna.

Obiectio. Quòd ſi dixeris, ſicut datur vnitas in ſubſtantia, in quantitate, ſic & in alijs generibus, vt in Relatione, Actione, Paſsione. &c diminutè ergò proceſsit Ariſtot. cum tres tantum iſtius generis ſpecies retulit.

Reſpond. Reſpondendũ eſt, cum noſtro Doctore B 5. metap q. 12. *§. de ſimili & æquali* id verum eſſe quod Argutum intendit, Phyloſophus enim eas duntaxat vnitatis relationes enumerat, quæ proprijs nominibꝰ gaudent, eas verò ſubticuit vt innominatas, quæ in aliorum prædicamentorum vnitate fundantur. Vel etiam reſponderi poteſt, omnes alias ſub his tribus comprehẽdi vt ſtatim videbimus.

V. Concl. Quinta concluſio Tametſi relationes commemoratæ identitatis, æqualitatis & ſimilitudinis propriè & ſtrictè loquendo in ſubſtãtia quãtitate & qualitate reperiãtur. in omni tamen genere, imo & in Deo qui extra omne genus eſt cõmuniter & largè poſſunt reperiri, hanc egregiè docet & explicat noſter Doct. in metaphy. loco citato, & in. 1. d. 31. in. 4. d. 6. q 10. *§. hic dicitur*, in quotlib. q. 6. Sic quòd ſicut C tria hæc, ſubſtantia Quantitas & Qualitas ſi preſè ac ſtrictè ſumantur, ad tria prædicamenta ſpectant, ſi verò communiter & latè in quauis re reperiũtur, quia in hac acceptione quamcumque eſſentiam ſubſtantiam rei nuncupamus, & latitudinem extenſiuam cuiuſque rei ſiue ſubſtantialis ſiue accidentalis quantitatem appellamur. Sic etiam intenſiuam cuiuſque rei perfectionis latitudinem qualitatem dicimus, in quo etiam ſenſu differentia eſſentialis rei qualitas ſolet dictitari, vt pote quæ modũ qualitatis habet, eodem pacto relationem in rerum eſſentiæ vnitate fundatam identitatem vocamus, fundatam vero in vnitate extenſiuæ latitudinis cuiuſque naturæ, æqualitatem, & eam quæ in vnitate latitudinis intenſiuæ cuiuſque perfectionis ſimilitudinem. Vnde Phyloſoph. 1. metaphyſi tex. coment. 11. omne ens alteri comparatum idem eſſe vel diuerſum, æquale vel inæquale, ſimile vel diſsimile aſſeuerat.

Ex quo deducitur, nullam rem eſſe in qua in ordine ad alteram præfatæ relationes nequeant reperiri, vt duæ ſubſtantiæ æquales dicuntur quia eandem habẽt extenſiuam perfectionem, & duæ quantites aut duæ qualitates in eſſentia conuenientes, eædem dicuntur. Imo in rigore loquendo, relatio propria æqualitatis reperitur in quantitate non ratione vnitatis in eſſentia, ſed ratione latitudinis extenſiuæ, aliàs enim duæ lineæ vna pedalis altera bipedalis æquales eſſent inter ſe cum in eſſentia conueniant, & idem de ſimilitudine dicendum eſt, non propriè fundari in vnitate eſſentiæ qualitatis ſed in vnitate intenſionis, vt quæ intercedit inter duas albedines eoſdem gradus intenſionis habentes, vnde prædictæ relationes realiter diſtinguuntur & vna poteſt ſine alia eſſe vt relatio identitatis inter duas albedines prout in eſſentia conueniunt, ſine relatione ſimilitudinis, vt ſi non conueniant in in eiſdem gradibus intenſionis, quia vna eſt vt vnum & altera vt octo. *I. Corollar*

Cæterum cum eſſentię nomen Antonomaticæ ſubſtantiæ ſit accomodatum, relatio in illa fundata ſecundum propriam ſubſtantiæ rationem identitas dicitur, & quæ ei conuenit ratione quantitatis æqualitas, & quæ ratione qualitatis ſimilitudo.

II. Corolla Ex dictis etiam deducitur, ad hoc genus ſpectare tam relationes quæ in vnitate fundantur, quàm his oppoſitæ, quæ in diſconuenientia, vt relatio diuerſitatis identitati oppoſita, inæqualitas æqualitati, diſsimilitudo ſimilitudini. quas vocat Ariſtoteles ſecundum numerum quia diuerſitas aut diſconuenientia in qua fundatur in multitudine conſiſtit, & illarum extrema inter ſe ſe referuntur quatenus ſecundum diuerſitatem, numerum aut multitudinẽ efficiunt. ad hoc genus ſpectant relationes omnes quæ in proprio numero fundãtur, & omnes proporciones, & quæ exceſſum aut deffectum in quauis re ſignificãt, vt relatio maioris & minoris, magni & parui, aut loci temporisve diſtantiam & propinquitatem, ſiue contactum.

Ad. I. Ar Ad Primum quo Doctor Fonſeca conuincitur, concedatur antecedens, & mihor

negetur

negetur, relatio enim identitatis ſpecificæ abſolutè & ſimpliciter non conuenit niſi indiuiduis actu exiſtentibus, quando verò non exiſtunt, ſicut tantum eſſe habent per aprehenſionem & ſecundum quid, ita non referuntur niſi relatione rationis. Petrus ergò & Paulus viui ſicut abſolutè & ſimpliciter ſunt, ſimpliciter abſolutè & realiter dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei, atque adeo relatione reali, mortui vero tantum obiectiuè & per rationem.

Ad. II. Secundum Argumentum cum confirmatione, nulla nos difficultate premit, qui diſtinctionem admittimus ex natura rei inter naturam & ſingularitatem.

Ad fund. Opin. Tho. circa 3.p. Ad fundamentum Thomiſtarum quo noſtram tertiam concluſionem demoliri contendunt minor negando eſt, ad probationem ex dictis. Quibus adde ob id ſuperius dictum eſſe reſpectu aliquarum relationum, idem eſſe fundamentum & extremum, reſpectu vero aliarum eſſe diſtincta, quia quædam relationes ſunt, quæ conueniunt fundamẽtis ſecundum ſuam propriam & præciſam rationem, ſiue aliàs ſubiectum afficiant, ſiue non, & eæ quidem primò per ſe & immediaté afficiunt, referunt & denominant fundamenta, vt relatio identitatis in eſſentia inter duas albedines, & etiam relatio ſimilitudinis in vnitate gra ualis intenſionis, cuius ſignum eſt, quòd etiam ſi à ſubiectis ſeparatæ conſiſterent, eis referrentur, cum ergò in iſtis ipſa fundamenta extrema ſint quæ referuntur, diſtinctionem realem in eis expoſcunt, qua ablata etiam ſi fundamentum in diuerſis ſubiectis conſtituatur, auferuntur etiam relationes, tantumque relatione rationis referũtur, aliæ verò ſunt quæ reſultant in ſubiectis à fundamentis quatenus illa afficiunt, & iſtæ primò & per ſe & immediatè in ſunt ſubiectis, quæ relationes diſtinctæ ſunt, relatio enim identitatis in eſſentia inter duas albedines, ipſas afficit & denominat, non vero ſubiecta.

Falſum ergò eſt aſſerere relationes omnes iſtius generis, conuenire ſubiectis medijs fundamentis vt formis quibus immediatè in ſunt, licét enim talia fundamenta conſtituant extrema formaliter in eſſe vnius, quod neceſſarium eſt, vt in extremis conſurgat relatio, non tamen in eſſe diſtincti realiter, Tunc & ſi vnitas fundamẽti numerica ſit inducet relationem realem in extremis, imò ſi vnitas qualitatis facit ſimilitudinem in duobus extremis diſtinctis: ergo maior vnitas qualitatis qualis eſt

A numerica, inducet in illis perfectiorem rationem ſimilitudinis.

Ad Confirma Ex dictis concedatur antecedens, & negetur conſequutio. Ad proba. diſtinguatur antecedens fundamentaliter cõcedo formaliter nego, Petrus enim non dicitur ſimilis per ſimilitudinem qua ipſa albedo ſimilis dicitur, illa enim rationis eſt, nec ſimilitudo vocari poteſt ſed identitas, quia idẽ ſibi ipſi idem eſt, non ſimile. (Vnde æqualitas & ſimilitudo ex propria ratione requirunt extrema realiter diſtincta, vt bene probat noſter Rada in.1. controu.26.ar.3 con.1.) Sed per relationẽ ſimilitudinis in extremis in ſurgentem ex illorum diſtinctione & vnitate fundamenti, Et aduerte relationem modum eſſe extremi quod refertur.

B *QVÆSTIO VII. NVM RElationes Secundi Generi in potentia fundentur an in actione.*

PRÆMITTERE oportet quæ apud omnes explorata ſunt in hac cõtrouerſia. Primum quidem relationes in priuatione potentiæ fundaras non eſſe reales vt impoſsibilis & inuiſsibilis cum non ens, reale ens poſitiuum fundare nequeat, In ſuper vt certum & apertum recipitur, relationes potentiæ poſitiuæ ad effectum poſsibilem, ſeu quas vocant facturi ad faciendum non eſſe reales ſed rationis, cum relatio realis vt att. ſeq. videbimus terminum exigat actu exiſtentem, quod autem cantum eſt poſsibile aut futurum nõ exiſtit actu. nec obſtat quod

C eas Ariſt. in præſenti numerauit, id enim fecit vt bene adnotat noſtor Doct. in 4.d. 13.q.1. quia ſæpe conſueuit nõ ſolum ſpecies veras ſed & modos ſimilitudinem aliquam cum veris ſpeciebus habentes recenſere, vt ſic verarum ſpecierum natura apertius attingi queat, vt in prædicamento Qualitatis ait, Quale dicitur vno modo differentia ſubſtantiæ, cum tamen hæc ad genus qualitatis per ſe non pertineat, ſic in ſecundo modo relationis ponit illa ſecundum quæ aliquid dicitur ad aliud, nõ quia omnia illa ſunt relationis realis prædicamentalis ſpecies, ſed quia habent ſimilitudinem cum iſto modo, ſicque verarum ſpecierum relationis natura plenius capi poſſit.

Certum quoque eſt, quòd cum relatio-

nes in

nes in potentia fundatæ in duplici ſine diſcrimine, quædam quæ rationem potentiæ præciſè ſumptæ immediaté ſequũtur quales ſunt relationes potentiæ actiuæ realis & potentiæ paſsiuæ ad ſe inuicem, vt calefactiui ad calefactibile, quas vocat Ariſt. 5. metap relationes ſecundum potentiam actiuam & paſsiuam ſeu quaſi potentiales quæ in quibus vis potentijs creatis virtuté aliquam agendi & patiendi inter ſe ſe habentibus reperitur, vt in habitibus in ordine ad potentias in quas poſſunt efficere. Aliæ verò quæ neceſſariò ſupponunt actionem vt conſurgant, ſequunturque ad potentiam reductam in actum, vt relatio paternitatis, generationem ſupponit, certum inquam eſt primas non fundari in actione cum eam præcedant, ſed immediaté in ipſa virtute agendi patiendi ve, tota ergo controuerſia de ſecũdis procedit, num actio quam ſupponunt dicẽda ſit propriè ratio fundandi ac proximum fundamẽtũ, & licèt fortaſis re bene inſpecta quæſtio ſit de nomine, cum omnes in hoc coeant actionem & paſsionem neceſſarias eſſe condiciones, vt præfatæ relationes emergant, & illis tranſactis nihil minus relationes perſiſtunt, at videtur dubium ad hoc reuocari, ſufficiat ne hoc vt rationes fundandi appellentur.

I. Opinio. Soto. Toletus. Vaſquez. 1.p d.160. c 2. Prima ſententia abſolutè aſſertoriam partem tuetur et enim fatetur, actionem & paſsionem proprium fundamentum eſſe dictarum relationum. Suadetur

I. Argum. Primò ex Phyloſop. 5, metaph. c. 15. teſtãte relatiua iſtius generis bifariàm dici, aut ſecundum potentiam actiuam & paſſiuam, aut ſecundum actus talium potentiarum. & ex noſtro Doctore non obſcurè id adumbrante, niſi vellis non ſibi conſtare, in 3 enim d. 8. quæſt. 1. expreſſe aſſerit. *non magis repugnat relationem originis pluriſicari in ſuppoſito, quàm ipſam originationẽ quæ præcedit iſtam relationem originis vt proxima ratio fundãdi eam* & Paulo infra ſubdit *ſicut paternitas fundatur ſuper genuiſſe* ita hæc paternitas fundatur ſuper hoc genuiſſe & hæc filiatio ſuper hoc genitum eſſe.

II. Argu. Secundò probatur, relatio quæ immediatè ſequitur potentiam diuerſa eſt ab ea quæ actionem & paſsionem conſequitur, cum illa ſine hac perſiſtat, habent igitur fundamẽta diuerſa, atqui illius eſt potentia ſecundum ſe, iſtius ergo, erit actio potentiæ, ſeu potentia vt actioni ſub eſt.

III. Arg. Tertiò probatur. ideſt proprium ac proA ximum relationis fundamentum quo poſito & quouis alio ſublato relatio ponitur & quo præciſé ablato etiam ſi cætera ponãtur, aufertur, ſed ſic ſe habet actio, cum poſita generatione etiam ſi abſit generandi potentia relatio paternitatis conſtituatur.

II. Senten. Secunda ſententia, ipſam potentiam aſſerit duntaxat eſſe fundamentum, actionem verò minime.

III. Sent. Tertia mediam viam in greſſa, aſtruit fundamentum eſſe potentiam ipſam, actionem verò rationem fundandi, quæ frequentior eſt in ſcholis, in decernendo tamen quid nomine potentiæ agendi intelligant, num potentia remota & radicalis quæ eſt ipſa forma ſubſtantialis, num ipſa potentia proxima & formalis, vt potentia immediata generandi, ab ipſa forma ſubſB tantiali diſtincta non conueniunt. Quidam primum affirmant ea ratione ducti, quòd ſublata potentia quo quomodo in eo qui genuit, ita vt in potens reddatur, nihil minus remanet pater. Alijs verò ſecundum placet quia relatio paternitatis & filiationis in eodem reſidentes ſunt eſſentialiter diſtinctæ, nequeunt ergo in eadem forma ſubſtantiali fundari, ſed expôſcunt fundamenta diſtincta, quæ alia nequeunt eſſe quám potentia formalis actiua & paſsiua.

Notabile. Cæterum vt iuxta mentem noſtri Doctoris loquamur quæ proculdubio veriór eſt, & iuxta ea quæ ſuperius ex ipſius doctrina de ratione fundandi ſancita ſunt, & ſuppoſito vt certo in noſtra ſchola potentiam agendi patiendi ve non eſſe accidens quoppiam ſubſtantiæ rei ſuperadditum, ſed identicé eandem formaliter ſolum diſC tinctam, atque adeo in ſeparabilem prorſus ab eadem rei ſubſtantia, quod ſuo loco oſtendetur.

I. Conclu. Scotus. Prima concluſio. Actio & paſsio non ſunt proxima fundamẽta rationes ve fundandi relationum iſtius generis, ſed condiciones duntaxat neceſſariæ, aut vt verbis Doc. loquar præuiæ diſpoſitiones neceſſariæ vt relatio conſurgat. Sic Doctor. 5. metaphyſi. q. 12 et 4. d. 6. q. 10. & d. 12. q 1. ad. 5. vbi ſic. *Saluetur ergò dictum Phyloſop. ibi quòd relationes de ſecundo modo dicuntur ſecundum potentiam actiuam & paſſiuam vt ſecundum fundamenta, & ſecundum actionem potentiarum vt ſecundum diſpoſitiones præuias ad illas relationes*, & quot lib. 12. *ſ. hic dici poteſt* ſic loquitur, *quòd Phy*

loſophus

loſophus. 5. metaphyſica non intelligi quod actio & paſsio ſunt proxima fundamenta relationum ſecundi modi, quia relatio non manet fundamento non manente, manet autem relatio ſecundi modi non manente actione vel paſsione, ſicut aliquis manet pater non manẽte generatione, quòd autem dicit, relationẽ de ſecundo modo fundari ſuper actionem & paſsionem, intelligendum eſt non tanquam ſuper fundamentum proprium, vel ſuper rationem proximam fundandi, ſed tamquam ſuper diſpoſitionem mediam inter fundamentum proprium & ipſam relationem. ipſa autem potentia actiua & paſsiua poſſunt poni fundamentum immediatum relationis ipſius actionis & paſsionis, licét requiratur actio & paſsio media non vt ratio fundandi relationem, ſed vt quoddam præuium ad hoc vt ipſa in fundamento tali fundetur. Ex quo ſic de ratione fundamẽti aut rationis fundandi eſt quòd ab eò pendeat relatio in eſſe, cum enim relatio ſit minimæ entitatis tot feretris eget vt poſsit conſiſtere, ſed non ſic pẽdet ab actione cum hac tranſacta ad huc maneat relatio, abeo autem quod non eſt nequit res aliqua depẽdere. porro actio in præteritũ trãſiens ſimpliciter non eſt. Adde etiam quòd ratio fundandi eſt formalis ratio qua fundamentũ in eſſe proximi formaliter conſtituitur, ẽ qui relatio pendet à fundamento formaliter ſumpto in ſuo eſſe & conſeruari, ergò & à ratione fundandi.

Verum eſt ait Doctor actionem, licèt nullum influxum formalem aut efficientem habeat in relationem, neceſſariam tamen eſſe vt in re alterum extremum ponatur ex vi quidem talis actionis, ſi enim per aliam à principio ponatur non conſurget illa relatio, vt ſi Petrus à Deo ſolum in re poneretur non conſurgeret relatio filiationis. ob idque in fieri eſt neceſſaria ſimpliciter.

II. Conclu. Secunda concluſio. proximum & immediatum fundamentum prædictarum relationum eſt ipſa formalis potentia agendi aut patiendi, non quidem ſumpta pro relatione quàm de ſe dicit potẽtia (de qua in principio in ſecundo ſuppoſito) ſed pro abſoluto quod à tali potentia denominatur. verba ſunt Doctores in. 4. d 6 q. 10. § *reſtant duo* vnde ratio fundandi erit propria & intrinſeca condicio aut virtus ipſius potentiæ, qua conſtituitur proximè apta ex propria ratione ad fundandam relationẽ realem in ſubiecto in quo eſt, hæc patet quia ab illa habet relatio ſuam entitatem & dependet in ſuo eſſe.

III. Conc. Tertia concluſio. omnes relationes iſtius generis, ſunt reales & mutuæ quantum eſt ex propria ratione, & omnes diſquiparantiæ Prima pars patet, quia extrema illius vt ſic mutuo ſunt ad ſe inuicem ordinabilia, & cum ad eundem ordinem ſpectent vniuerſi ſcilicet vt partes illius ſicut ſupradictum eſt, in vtroque extremo eſt ratio fundandi veram relationem realem, & ratio terminandi eam. Secunda pars etiam conſtat, quia fundamenta ſunt diuerſa in extremis, in vno enim eſt potentia actiua in alio paſsiua: conſurgunt ergò relationes in vtroque extremo diuerſæ rationis & appellationis, atque adeo diſquiparantiæ.

Ad hoc genus ergò pertinent omnes relationes potentiæ actiuæ realis, & paſsiuæ ad ſe inuicem, omnes relationes cauſæ, & effectus in genere cauſæ efficientis, de cauſa finali, & illius effectu probabilius eſt nõ referri relatione reali. Tum ex deffectu exiſtentiæ in cauſa finali quia cauſat nõ vt in re exiſtit, ſed vt eſt in aprehenſione, vnde illius cauſalitas metaphorica tãtum dicitur, tum etiam quòd ab illius effectu non diſtinguitur, eadem enim res quæ in intencione eſt finis, in exequutione eſt effectus, vt ſanitas mouet vt finis dum non eſt in re ſed in intentione, eſt autem effectus vt in re obtinetur.

De cauſa formali, & materiali & effectu illarum nempe compoſito probabilius eſt, referri relatione reali, Sic Doctor in. 2. d. 1. q. 5. in principio §. oppoſitum vbi ſic *ſed totum habet relationem ad partes eandẽm ſibi, quia non poteſt eſſe totum & non eſſe ex partibus*, vnde certum eſt in hac doctrina, ex parte ipſarum partium realem eſſe relationem, prædicamentalem, ad totum & accidens ab illis diſtinctum, cum partes ſine toto poſsint eſſe; ex parte verò totius eſſe ſubſtantialem, vt pote cum ſubſtantia totius identificatam de illa ergo dicendum eſt, quod de relatione creaturæ ad Deum, modum habere proprietatis, & vt quid in completum à prædicamẽto excludi.

Relationes autẽ dominij, & ſeruitutis quæ in fundamento naturali potentia ſcilicet coercẽdi ſubditos fundãtur reales ſunt ex parte vtriuſq; extremi, vt quæ inter creaturã rationalem & alias inferiores à natura ſibi ſubiectas intercedũt, ad hoc genus

ſpec-

ſpectantes, quæ verò in fundamento morali vt in titulo emptionis & venditionis, aut captionis in bello ſunt rationis, de relatione dominij in Deo ad creaturas. Q. vltima.

Aduerte etiam diuiſionem illam relationis quæ actionem ſequitur, in eam quæ actionem præſentem, præteritam, & futuram, non eſſe generis in ſpecies, quæ enim actionem futuram vt facturi ad faciendũ, rationis eſt vt diximus, quæ vero actionẽ præſentem ſupponit eadem prorſus eſt, ac quæ actionem præteritam, vt eadem paternitas quæ in inſtanti generationis conſurgit, manet trãſacta generatione quamdiu durant pater & filius, denominatio autem agentis actu non eſt denominatio relationis iſtius prædicamenti, ſed prædicamenti actionis.

Ad Arg. I. Opinio. Argumenta Primæ opinionis ex dictis facili donantur ſolutione.

Ad. I. Ar Ad primum, ex Ariſtotele in prima cõcluſione reſpondet Doct. locis citatis, vbi ſe exponit apertè ſatis vnde in illo 3. ſent. non ſumit propriè rationem fundandi nõ enim ibi hoc exquirit.

Ad. II. Ad Secundum concedimus quidem diſtingui, ſed ex proprijs, & ſpecificis rationibus & proprijs terminis, à poſteriori autẽ cognoſcuntur ex eo quòd vna actionem ſupponit, alia verò non.

Ad. III. Ad tertium concedatur maior, minor negetur, tametſi enim condicio neceſſaria ſit actio, vt etiam docet Doctor. Quotlib. 4. non tamen ratio fundandi.

QVÆSTIO VIII. QVO PACto Relationes Tertij generis in Menſura fundentur, & an omnes ſint non mutuæ.

HAVD exiguam in hac re ingerit difficultatem Phyloſophus aſſerẽs relationes iſtius generis eſſe menſurabilis ad menſuram ſcibilis ad ſcientiam, & ſenſibilis ad ſenſum, ex quo duo inferri videntur ſatis pugnantia, cum communi Phyloſophorum dicto. vnum eſt obiectum potius menſurabilis rationem ſortiri, ſcientiam verò menſuræ, Alterum verò non ſolum in ſcientia ſed & in ipſo obiecto ſcibili realem reperiri relationem prædicamentalem ad ſcientiam.

Propter primum, dixerunt nõnulli ſciẽtiam habere rationem menſuræ reſpectu ſui obiecti, quatenus regulat eius veritates, & illas ad ſua principia reducit, ac proinde relationem menſuræ ad menſurabile realem eſſe, non tamen ècontra.

Propter ſecundum dixerunt alij, in relationibus tertij generis dari relationes mutuas, reales nempe ex parte vtriuſque extremi, vt ſcientiæ & ſcibilis ſi reale ſit. Hi tamẽ non eodem modo procedunt.

I. Opinio. Dixere enim quidam, ex parte cuiuſq; extremi ſuam eſſe relationem realem intrinſecam ab alia diſtinctam vt in ſcibili reali ſua relatio intrinſeca eſt realis diſtincta ab ea quæ eſt in ſcientia. Fundamentum illorum eſt. ideo ſcientia relatione reali refertur ad ſcibile, quia ex ſuæ formalitatis vi poteſt ſuum obiectum attingere ſed obiectum ſcibile ex vi ſuæ formalitatis præciſæ eſt potens attingi à ſciẽtia, per ſuas cauſas euidentes & nota principia, vnde ſcibilitas obiecti realis eſt aliquid reale vt proprietas ex reali eſſentia illius propagata, & eſt ordo tranſcendentalis ad ſcientiam à qua poteſt attingi, qui ſemper eſt fundamentum relationis Prædicamentalis, ergo obiectum reale ſcibile ſeu cognoſcibile refertur ad ſciẽtiam relatione reali.

II Opini. Alij dicunt vnum extremum vt obiectum relatiuum eſſe reale non quidem relatione reali intrinſeca qua ad ſcientiam referatur, ſed quia ad ipſum ſcientia refertur, vnde relatiuum eſt ex Ariſt. in duplici diſcrimine, quoddã quod relationẽ includit inhærentem, & referentem, aliud verò, quòd relationem dicit realem ad ipsũ terminatam, atque adeo per extrinſecam denominationem ab alterius extremi relatione, quia commune eſt omnibus formis quæ præter ſubiectum cui inſunt, ad aliud tendunt, quòd vtrumque denominent, vnum intrinſecè, & alterum extrinſecè, vt viſsio oculum denominat intrinſice videntem, obiectum verò extrinſecè viſſum.

Alij tandem dixerunt relationes iſtius generis non eſſe prædicamentales, ſed ſecundum dici, qui tales relationes veras eſſe ſecundum eſſe arbitrantur, atque adeo præter illas alias ſuperaddere ſuperfluum eſſe aſſerunt.

Supponendum tamen eſt cum noſtro Doct. 5. methap. q. 13. & in quotlib. q. 13. vbi obſcurius de hoc loqui videtur, aut menſuram ſumi poſſe pro habente modũ menſuræ quantitatiuæ, & in hac acceptione ſcientia poteſt dici menſura ſui obiecti

quatenus

quatenus eſſentiam & propietates obiecti notificat. Aut pro regula & norma perfectionis, aut adæquationis, menſurabilitas autem pro conformabilitate aut adæquabilitate cum alio; & in hac acceptione obiectum dicitur menſura, ſcientia verò, habitus, & potentia menſurabiles per obiecta vt per propriam regulam & menſuram, & ſic ſumitur in præſenti, quam doctrinam hauſit noſter Doctor ex contextu Phyloſophi, in illo. 5. metaph. vbi habitibus & potentijs appellationem menſuræ tribuit, nomen verò menſurabilis illarum obiectis, quod clarius teſtatus eſt idem. 10. metaph. tex. 5. vbi menſuræ quantitatiuæ diffinitione conſtituta, qua nimirum quantum cognoſcimus, ſubiungit, menſuræ appellationem ſecundum Analogiam ad ſcientiam & ſi qualitas ſit transferri, cuius verba ſunt, ſcientiam quoque & ſenſum menſuram rerum dicimus eſſe, propterea quia per ea aliquid cognoſcimus, & poſtea ſubdit verius & proprius ſcientiam & ſenſum eſſe menſurabilem quàm menſuram, quia magis menſuratur quàm menſurent.

I. Conclu. Prima concluſio. Ratio fundandi relationem Tertij generis eſt menſura & menſurabilitas in hac tertia acceptione ſic cum Ariſtot. Doctor, & cum eo communiter omnes. ratio menſuræ vt ſic tantum dicit quod ſit id cui alterum & adæquatur & cõmenſuratur ſicut normæ & regulæ aut ſuæ veritatis vt in his quæ ad intellectum & ſenſum ſpectãt, aut bonitatis in his quæ ad appetitum, ratio vero menſurabilis dicit quòd ad alterum comparetur vt ad id cui cõmenſuratur & adæquatur, vnde id quod menſurabile eſt, depẽdet ab eo quod rationem menſuræ habet, non tamen è cõtra, ſic referuntur ſcientia ad ſcibile, ſenſus ad ſenſibile &c.

II. Conclu. Secunda concluſio. omnes relationes iſtius generis ſunt non mutuæ ex propria ratione ſua, reales nempe tantum ex parte vnius extremi ſcilicet menſurabilis, rationis verò ex parte alterius extremi ſcilicet menſuræ. Sic noſter Doct. in. 1. d. 30. q. 1. §. *Reſpondeo* vbi ſic: *itaque hac præciſè differentia duorum primorum modorũ à tertio quia in primis duobus modis eſt relatio mutua. in 3. autem non eſt mutua, ſed alterum præciſe refertur* & d. 35. b. 1. §. *poteſt dici ad quæſt.* Sic ait *relationes Tertij modi differũt per ſe ab alijs duorum modorũ, q. in tertio modo nõ eſt mutuitas ſicut in alijs duobus modis.*

A Probatur concluſio ex dictis quia relationes iſtius generis ex intrinſeca ratione ſuã dicũt dependentiã vnius ab alio, quod reciproce non dependet, ergo fundamentum proximũ illius generis ſolum eſt in extremo mẽſurabili, nõ verò in alio quod mẽſura eſt: quæ præciſè dicit ex propria ratione ſua, vt ſit id ad quod aliud ordinatur, non tamen ipſa ad aliud, obidq; á non nullis diuerſi ordinis nuncupatur.

Obijcies Scotum aſſerentem. 5. metaph. q. 13. *iam ergo* patet quòd iſte modus diſtinguitur à ſecundo, nõ per mutuam depẽdentiam vel nõ mutuam, ſed per fundamẽta alia & alia. Reſpondeo ſenſum Doctoris eſſe tertium modum diſtingui à primo & ſecundo, non per mutuum vel non mutuũ præciſe, cũ hoc abſolute loquẽdo in primo & ſecundo reperiri poſsit vt vidimus & q. ſequenti videbimus, ſed per mutuũ vel non mutuum quod ex propria ratione fũ-B damenti rationiſque fundandi prouenit, quo pacto nõ reperitur in primo & ſecũdo, niſi tantũ per accidens, quia vnum extremum incapax eſt relationis realis.

Tertia concluſio. termini iſtarum relationum, vt obiecta v. g. ſcientiarum nõ dicũtur relatiua realia per relationes reales alterius extremi quas terminant. Sic Doctor in. 1. d. 30. q. 1. §. contra primum probatur, relatio v. g. ſciẽtiæ intrinſecè eſt ordo ad ſcibile, ergo nequit eſſe ordo ad ſcientiam; alioquin haberet duos terminos adæquatos eſſentialiter diſtinctos, & duas eſſentias. In ſuper quòd ab vnica forma ſpecie vnicus prouenit effectus formalis adæquatus, ergo & ab vnica relatione ſpecie vnicus tantum prouenit modus referendi vnius rationis, non ergo poteſt eadem relatio ad terminos formaliter opC poſitos referri, nec diuerſis ſubiectis conferre denominationes relatiuas eſſentialiter diſtinctas. III. Concl.

Adde etiam quòd denominatio terminatiua nõ eſt relatiua vt art. ſeq. videbimus, aliàs enim de quauis relatione hoc poſſet affirmari, per eam nempe terminum oppoſitum denominari vt per filiationẽ intrinſecè filium denominantem, patrem extrinſecè denominari patrem.

Quarta concluſio relationes iſtæ in ratione menſurabilis & menſuræ fundatæ ſunt prædicamentales. hanc totius ſcholæ communis vox profitetur cum Ariſtot. Angelico & Subtili Docto. quæ præfatas relationes conſtituere tertium genus rela- IIII. Con.

tionis

tionis ſub alterum illius prædicamenti proclamat. Cū iſtæ relationes ex propria natura extremorum menſurabilium proficiſcantur, quibus pendent ab ipſis menſuris ſeu obiectis, eiſque ad illa per ſe referuntur.

Quæ relationes ſint iſti gene.

Ad hoc ergo genus pertinent relationes omnes quibus potentiæ habitus & ſcientiæ reſpiciunt ſua obiecta præciſè ſub ratione menſuræ, quæ denominatio mēſuræ non eſt relatiua ſed terminatiua, relationis menſurabilis exiſtentis in potētia vel habitu quam in re terminat, illæ vero relationes quibus potentiæ habitus & ſcientia & illarum obiecta mutuò referuntur in ratione cauſæ & effectus aut motiui & mobilis pertinent ad ſecundum genus. vnde ait Doctor 5. metaphyſi. q. 11. ❡. pro quarta concluſi. non eſſe eandem relationem obiecti ad ſcientiam in ratione cauſæ cum obiectum cauſet ſcientiam, aut in ratione terminatiua ſeu ratione puri termini & menſuræ, illa enim realis eſt hæc vero rationis. et q. 17. ait ſenſum & ſenſibile intellectum & intelligibile appetitum & appetibile ſi in ratione actiui & paſsiui motiui & mobilis comparentur (obiectum enim mouet potentiam inprimendo in illa ſpecies, & cauſando ſcientiam) fundare relationes ſecundi generis ſi verò in ratione præciſè obiecti relationes Tertij generis & in. 1. d. 3. q. 1. ❡. Ad aliam quæſt. Sic loquitur de actu apetitus *amor in nobis vt productus habet ad voluntatem producentem relationem. 2. modi mutuam, habet etiam aliam relationem ad obiectum pertinentem ad tertium modum relatiuorum, & illa non eſt mutua, quia ſicut ſcientia refertur ad ſcibile & nō ē contra, ita amor ad amabile & non ē cōtra.* imago etiā teſte eodem Doct. in. 1. d. 3. q. 10. et in quotli. q. 17. vt menſurabile quoppiam ad id quod repræſentat refertur, & idem de ſigno naturali quouis ad ſuum ſignatum, ſignū verò ad placitum relatione duntaxat rationis refertur, de potentijs autem actiuis & illarum obiectis potentijs nempe paſsiuis, vt de calefactiuo & calefactibili dicendum eſt vt ait Doct. non referri relationibus tertij modi ad ſe inuicem, ſed ſecundi modi.

Nullum eſt fundamētum oppoſitarum opinionum quod in hac re nos torqueat. obiectum enim ſcibile denominatur à ſciētia extrinſeca denominatione non verò relatiua niſi rationis. Scibilitas autem aut intelligibilitas obiecti præciſè accepti

A in ratione menſuræ, non dicit aptitudinem vt ad aliud ordinetur, ſed tantum quòd ſit terminus aut obiectum cui ſcientia aut potentia commenſuretur.

QVÆSTIO IX. REFERAtur ne Deus relatione reali Ad creaturas

CONTROVERSIAM hanc verſat noſter Doctor in 1. d. 30. q. 1. Partem affirmatiuam ſuadere conantur Nominales Fundamenta autem quibus nituntur, vim habere videntur ſuppoſita relationis natura ab illis excogitata quæ in ſola extrinſeca denominatione conſiſtit. quod ſi verum eſſet, nulla eſſet mutatio aut compoſitio in Deo formidanda et nulla vrgens ratio adduci poſſet, ad relationes à Deo relegandas, ad

Ocham. Gregori. Grbriel. Marſili. Duran.

B omnia tria genera ſpectantes, ad primum quidem genus relationes quæ in vnitate ſaltim Analoga fundantur ſiue entis ſiue ſubſtantiæ, & relationes quæ in exceſſu magnitudinis vt inæqualitas Dei ad creaturas. Quòd ſic cōfirmatur, magnitudo in Deo eſt fundamentū æqualitatis quæ eſt relatio realis inter diuinas perſonas, et magnitudo creaturæ eſt fundamentū relationis realis in creatura, ergo ſi vtraque magnitudo inter ſe cōparentur, poterunt fundare relationem realem. Item & relationes ſecundi generis, quæ ſcilicet actionem & paſsionem ſequuntur, cum Deus & creatura comparentur in ratione cauſæ efficientis & effectus. Item quòd ſcientia Dei & omnipotentia relationes dicunt tranſcendentales ad creaturas cum ſine illis intelligi nequeant, ergò & prædicamē

C tales in illis fundatas.

Supponendum eſt cum. N. Doct. d. illa 30. vt extrema adinuicē referantur debere eſſe eiuſdē ordinis, idē enim eſt referri, & ordinari. quæ ergo diuerſi ordinis ſunt, nequeunt ad ſe inuicem mutuò ordinari, ea autē dicuntur eiuſdem ordinis (prætermiſsis alijs exponendi modis) ſecundum noſtrum Docto. quæ ad eundem ordinem partium vniuerſi ſpectāt, ex quibus nimirū totum vniuerſum vt ex partibus cōſtituitur, cum ergò partes ſint potentiales reſpectu formæ totius, partes duntaxat vniuerſi erunt in potentia ad formam vniuerſi nempe ordinē, atque adeò illæ duntaxat erūt inter ſe & in ordine ad totum ordinabiles, atqui Deus nō eſt pars vniuerſi

non eſt

non eſt in potentia ad formam illius, atq; adeo non eſt capax ordinis ad alias partes vniuerſi quo perficiatur.

Concluſio: Concluſio ſit nulla relatio realis ad creaturam reperitur in Deo. Hãc elegãter probat noſt. Doct. loco dudum relato & in. 2. d. 1. q. 4. cui ſancti omnes patrocinãtur. firmatur autem rationibus noſtri Doct.

I. Probat. à Doctor. Primò ex ſimplicitate & neceſsitate Dei quia enim Deus ſummè ſimplex eſt, quidquid eſt in eo eſt idem cum ipſo vt ait Auguſt. 11. de ciuitate Dei, ideo ſimplex eſt Deus quia eſt quidquid habet, & ex eo quòd eſt ſummè neceſſe eſſe nihil quod idem cum ipſo eſt, variari poteſt qua cumque hypoteſi poſita ſiue poſsibili ſiue impoſsibili circa aliud à ſe, ex his ſic ergò nulla realitas poteſt eſſe in Deo quæ neceſſariò coexigat creaturam vt ſit, cum enim illa eſſet eadem cum eſſe Dei, eſſe Dei neceſſariò coexigeret creaturam, ita vt non eſſet Deus illa non exiſtente, atque adeo Deus non eſſet ſummè neceſſe eſſe, cum illud quod coexigit variabile ſit, ergò nulla relatio realis poteſt eſſe in Deo ad creaturas, cum enim coexigeret ad ſuum eſſe coexiſtentiam illarum, aliqua eſſet realitas in Deo variabilis.

Quòd ſi dixeris ſaltim poſſe eſſe in Deo relationem realem ad creaturã in eſſe poſſibili. Occurrit Doct. tũ quod poſsibilitas creaturæ non eſt eſſe ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, imo abſolutè & ſimpliciter nõ eſt: ergo ad creaturã in eſſe poſſibili nõ eſt aliqua relatio ſimpliciter ſcilicet realis, ſed tãtũ ſecũdũ quid & rationis.

Præterea eſſe poſsibile creaturarũ non eſt ex ſe neceſſarium ſicut Deus, ſed vt dependens à primo neceſſario, atque adeo ſecũdum aliquam poſitionem variari poſſet, ergò nulla realitas quæ eſt in deo ex ſe ſummè neceſſaria poteſt dari quæ vt ſit, coexigat aliud ab ipſo Deo, quale eſt ens creatum etiam in eſſe poſsibili.

Secundò probatur, ſi aliqua relatio realis de nouo adueniret Deo ad creaturas, ſumma ſimplicitas & immutabilitas Dei compoſitione & mutatione ſordeſceret vt ex ſuperius præfixis facilè deduci poteſt, omnis enim tranſitus à contradictorio reali ad contradictorium, compoſitionem infert ac mutationem.

Vnde denominationes quædam quæ ex tempore Deo ſolent attribui, aut ſunt terminatiuæ, quia terminat relationes reales creaturarum ad ſe, & ſic ait Doctor in præfata d. 30. §. *Reſpondeo ſola relatione*
A *noua quæ eſt in creatura ad ipſum ipſe denominatur dominus nõ quidẽ quòd in creaturis ſint duæ relationes oppoſitæ, quarum altera ipſe denominetur, ſed vna tantum quæ eſt ad ipſum vt abſolutum, & propter hoc quod ſic abſolutum eſt terminus illius relationis denominatur quaſi eſſet in eo noua relatio correſpondens, quemadmodũ opus factum ab homine dicitur humanũ, non propter aliquid humanitatis quod ſit formaliter in opere, ſed propter humanitatem quæ eſt formaliter in homine, ad quem opus habet habitudinẽ* dicitur autem relatiuè formaliter Dominus relatione rationis quatenus cõcipitur vt correlatiuum ſerui, ſumuntur enim prædictæ denominationes ſi reales ſint à forma ſeu quaſi forma abſoluta, vt appellatio domini à poteſtate coercẽdi & creator à poteſtate reali quam ſuper rem creatam habet in ſe
B aut ab actione creandi aut á ſcientia & volitione reali, dicitur ſciens volens creator &c. et ſic de alijs.

Inſuper Animaduerte inter Deũ & creaturas dari relationes ad tria genera pertinentes, ſeu ſimilitudinem aut modum habentes illarum, ſi teneatur non pertinere ad hoc genus directè propter conſubſtantialitatem cum creaturis vt dictum eſt, niſi vellis tenere cum Soarez & alijs, quæ ad prædicamenta accidentium ſpectant non oportere propriè & ſtrictè debere eſſe accidentia, ſed tantum largè prout eſt extra eſſẽtiam rei, et ſi alias ſubſtantia ſit, quod etiam non leuiter innuere videtur noſter Doctor in illo 2. d. 1. q. 5. quod in meth. diſcutiendum erit) ſed primum vt probabilius admittit, vnde creatura refertur ad Deum relatione identita
C tis in ſubſtantia aut in ratione entis, aut in æqualitatis in exceſſu magnitudinis, quæ ſunt primi generis, & relatione effectus ad cauſam quæ eſt ſecundi generis, & relatione exemplati ad exemplar, menſurabilis ad menſuram, imaginis ad repræſentatum quæ ſunt tertij generis.

Obijcies noſtrum Doctorem expreſsè aſſerentem in prædicta d. 30. §. *Reſpondeo, omnes autem relationes creaturæ ad Deum pertinent ad. 3 modum relatiuorũ.* Occurro ex contextu verborum Doct. apertè colligi illius mentem, ibi enim loquitur de relationibus mutuis & non mutuis, & tunc ſubdit, omnes relationes creaturarum ad Deum pertinere ad tertium modum, hoc eſt modũ tenere relatiuorũ tertij generis,

quantum ad hoc quòd omnes ſunt nō mutuæ. licet diuerſimodè, in relationibus primi generis non ex propria ratione, ſed accidentaliter quia Deus propter rationes dictas incapax eſt relationis. in relationibus verò. 3. generis ex propria ratione fūdamenti vti dictum eſt.

Ex his non eſt difficilè Nominalium euertere fundamenta.

ART. III. DE TERMINO ET correlatiuo Relationis.

CVM relatio modum habeat viæ & tendentiæ à fundamento ad terminum, vt á termino á quo ad terminum ad quem, expeditis iam quæ ad fundamenti cognitionem ſpectant, ſuperſt vt de illius termino agamus, à quo vt ab eo ad quē vltimò tēdit principaliter illius ratio eſſentialis deſumitur, vnde in hoc art. non minus graues extant difficultates.

QVÆSTIO I. QVID SIT terminus & correlatiuum Relationis & quo pacto eam ſpecificet & diffiniat.

OBSERVANDVM eſt quòd cum terminus à terminando ſuam appellationem deſumat, ille erit terminus relationis ad quem relatio vltimò refert ſubiectum vt in eum qui illius habitudinem & quaſi tendentiam terminat. Poteſt autem ſumi terminus aut materialiter pro illa re quæ terminat relationem vt albedo, vel formaliter pro ipſa formali ratione terminandi, per quam ſcilicet terminus materialis relationem terminat, ſicut ratio fundandi eſt qua formaliter conſtituitur proximum fundamentum inductiuū relationis, ſicut ergo contingit idem fundamentum diuerſas induere rationes fundandi quibus diuerſas inducit relationes, ſic etiam eundem terminum materialiter diuerſas induere rationes terminandi, quibus diuerſas ad ſe terminat habitudines, quæ autem ſit hæc ratio formalis terminandi. quæſt. ſequ.

Terminus hic rurſus aut eſt adæquatus aut inadæquatus, ille eſt qui ſe ſolo terminat relationem, vt filius paternitatem in adæquatus vero qui ſe ſolo non poteſt terminare, vt videre eſt in relatione vniuerſalis ad ſua inferiora.

Prima concluſio. Relatio intrinſecè A accipit ſuam ſpecificationem ac eſſentialem diſtinctionem à proprio modo intrinſeco reſpiciendi terminum, qui modus eſt formalitas illa intrinſeca in proprijs viſceribus cuiuſque relationis incluſa, ex vi cuius in ſuo eſſe eſſentiali ab alijs diſtincto intrinſecè conſtituitur, qui modus reſpiciendi terminus formalis ex parte modi tendendi intrinſecè ſpecificans appellatur, & in hoc ſenſu terminus extrinſecus in quem tendit non eſt de eſſentia illius. Sic Doctor. 5. illo metaphyſica, & probatur quia relatio eſt metaphyſicè compoſita ex proprio genere & differentia ſi ſpecies ſit ſubalterna aut infima, ſi verò in communi vt ſupremum genus eſt ex ratione accidentis & proprio modo (ad) intrinſeco vti dictum eſt, ſed genus & differentia partes ſunt intraneæ eſſentiæ B cum illa identificatæ, habet ergò relatio ſuam propriam eſſentiam & propriam differentiam eſſentialem ſibi intraneam & identificatam, à qua ſuam accipit eſſentialem ſpecificationem & diſtinctionem ab alis. Vnde cum terminus in quem tendit extrinſecus ſit, ab illa realiter diſtinctus & ſeparatus, nequit eſſentiam relationis conſtituere vt genus aut differentia illius.

Secunda concluſio, cum relatio in habitudine eſſentiali ad terminum conſiſtat, atque adeo terminus ſit in quem vltimò relatio tendit, extrinſecè ab illo accipit ſuam eſſennialem ſpecificationem ac ab alijs diſtinctionem vt ab extrinſeco terminante eſſentiam illius, quaſi à forma extrinſeca, vnde largè & in aliquo ſenſu dici poteſt terminum eſſe de eſſentia relaC tionis & in illius eſſentia claudi nempe terminatiuè, & hoc pacto in diffinitione eſſentiali relationis eſt collocandus, non in recto ſed in obliquo. et hoc eſt quod ab alijs dici ſolet, relationem diffiniri non per terminum ſed ad terminum, hoc eſt non vt per genus aut differentiam, ſed vt extrinſecum additamentum in ordine ad quod illius natura per proprium genus & propriam differentiam explicatur. Sic Ariſtot 6. topi. c. 2. loco. 33. vbi ait ſi quod diffinitur eſt ad aliquid, vitioſam fore diffinitionem ſi in illa non aſsignetur id ad quod dicitur, & in hoc . c. ſi quis (ait) vnum relatiuum diffinitè ſciat, ſimul & neceſſariò diffinitè ſciet id ad quod dicitur. Probatur autem vnum,

quodque diffiniendum eſt, ſicut eſt eſſentialiter, cum res eo pacto ſe habeat ad diffiniri & cognoſci, quoad eſſe, ſed eſſentia relationis à termino abſolui nequit in hoc enim ab abſoluto ſecernitur, ergò neq; illius diffinitio.

Obſerua. Apprimé tamen obſeruare oportet eſſētialem ac formalem relationum diſtinctionem non ex materiali ſed formali terminorum diſtinctione petendam eſſe, cū ad vnam & eandem plures ſoleant relationes eſſentialiter diſtinctæ terminari, vt ad eandem albedinem relatio ſimilitudinis & diſsimilitudinis ſi cum nigridine conferatur, terminus ergò formaliter deſumendus eſt, quo pacto & ſi albedo materialiter vna ſit, formaliter tamen eſt multiplex, ob id que diuerſimo reſpicitur, ab albedine vt vna eſt formaliter, à nigredine verò vt diuerſa formaliter. Et quia terminus eſt in quem relatio vltimò tendit licet, ſpecificatio relationis à fundamento in alio genere cauſæ petatur vt ar. præced. ſimpliciter tamen ſolet termino acommodari, quaſi in genere cauſæ formalis.

Notanter autem additur illa particula (quaſi) quia terminus non eſt propriè cauſa alterius relatiui vt art. ſeq. dicemus.

III. Conc. Tertia concluſio, ſicut eadem relatio nequit eſſentialiter reſpicere plures terminos eſſentialiter diſtinctos. Ita nec plures relationes eſſentialiter diſtinctæ poſſunt habere eundem terminum formalem.

I. pars pro. Prima pars probatur, quia ſpecies relationis ſumitur à termino vti oſtenſum eſt, ergò ſi duos terminos reſpiceret eſſet in duabus ſpeciebus relatio eadem, vnde Phyloſo. 5. metaph. c. de ad aliquid idem relatiuum (aſſerit) non bis dici, alioquim duplicem haberet eſſentiam ſi enim termini ſunt eſſentialiter diuerſi, ergo diuerſi mode illos reſpiceret, haberet ergò modum reſpiciendi tales terminos eſſentialiter diuerſos, ergo diuerſas eſſentias, cum enim totum eſſe relationis ſit ad terminum, eſſentia illius intrinſeca in modo reſpiciendi terminum conſiſtit.

II. Pars. Probatur. Secunda pars ex hac prima euidenter deducitur. relationes quæ eundem terminum formalem habent, eundem habent modum reſpiciendi illum, idem enim terminus formalis eodem modo reſpicitur, habebunt ergò eandem eſſentiam. Item ſi tota eſſentia relationis eſt reſpicere terminum, ergò vbi eſt terminus vnius ſpeciei erit relatio vnius ſpeciei. vnde dixit D. Thomæ. 1. p. quæſt. 32. art. 2. in corpore *quòd cum ratio ſpecifica relationis conſiſtat in hoc quòd ad aliud ſe habet, neceſſe eſt dicere quòd duæ relationes non ſunt diuerſæ ſecūdum ſpeciem ſi ex oppoſito vna relatio eis correſpondeat.*

A

Obiectio. Obijcies relationes paternitatis & maternitatis diſtinguuntur eſſentialiter: cum habeant diſtinctas diffinitiones, mater enim eſſentialiter eſt filij mater & non pater, & pater eſt eſſentialiter filij pater & non mater, & mater in communi prædicatur de hac & illa matre vt de pluribus differentibus numero, non verò de hoc & illo patre & idem de patre in communi. habentque fundamenta & rationes fundandi eſſentialiter diſtintas, paternitatis eſt potentia actiua, & actio, maternitatis potentia paſsiua & paſsio, aliquim enim vna poſſet eſſe alia, & vna in alterius ſubiecto reperiri vt paternitas in matre &c. Vnde effectus habent eſſentialiter diſtinctos, pater enim non eſt mater. Tandem quod plus differunt maternitas & paternitas quàm duæ paternitates ſed iſtæ differunt numero, ergo illæ ſpecie.

B

Occurrendum tamen eſt ſuppoſita N. Doct. ſententia, illiuſque ſcholæ in. 3. d. 4. q. 1. cum communi omnium ferme medicorum conſenſu, ac ipſorum Principis Galeni non ſolum patrem ſed & matrem quoque ad prolis generationem actiuè ſeu effectiuè concurre; tameſi Ariſtot. paſsiuū duntaxat concurſum ei adſcribat, qua vt vero ſimiliori præiacta, maternitas & paternitas non diſtinguuntur eſſentialiter quia idem eſt in vtroque parente cauſandi modus, & idem prorſus terminus formalis, nempe filius, alioquim enim duæ eſſent admittendæ in filio rationes filiationis eſſentialiter diſtinctæ. cum vti probatum eſt eadem relatio nequeat habere plures terminos eſſentialiter diuerſos ſi enim pater & mater aliter & aliter in diuerſo genere cauſæ ad generationem prolis concurrunt, ergo in vtroque parente diuerſa eſſentialiter eſt ratio terminandi: ergo & in filio eſt ratio reſpiciendi eſſentialiter diuerſa patrem nimirum vt principium actiuum & matrē vt principium paſsiuum.

C

Adde etiam quod ſi generare actiuè & generare paſsiuè ſunt rationes fundandi eſſentialiter diſtinctæ, relationes

eſſentialiter diſtinctas inducentes, ergò & generari actiue per actionem vitæ & generari paſsiuè eruntin filio rationes fundandi eſſentialiter diſtinctæ, relationes filiationis eſſentialiter diſtinctas inducentes, tandem quòd in aduerſa opinione ratio terminandi formalis in termino eſt ipſa relatio, ſed in patre, & matre ſunt diuerſæ rationes reſpiciendi filium eſſentialiter diſtinctæ per vos, ergo in filio erunt diuerſæ rationes terminandi eſſentialiter diſtinctæ, ſicut enim multiplicatur rationes terminandi actiuè. ita & rationes terminandi paſsiuè, ergò & relationes eſſentialiter diſtinctæ.

Obiectio. Nec quidquam officit aſtruere, patrem & matrem reſpici vt vnum terminum totalem à filiatione, idcirco vnam numero ſufficere.

Hoc vtique falſum eſt, quia aliàs ab vtroq; relatio vt à termino adæquato dependeret, atque adeo non ordinaretur ad quenlibet ſeorſum per ſe & inſolidum, ex quo incũctanter ſequitur ꝙ, altero parente extincto poenitus relatio filij periret, vt pote termino adæquato à quo ſpeciem ſumebat & totali relatione à qua depẽdebat eſſentialiter deſſicientibus, etiam ſi alter ſuperſtes eſſet. In ſuper quòd ſuppoſito diuerſo concurrendi modo, quilibet parens in ſuo ordine, completum eſſet ac totale proximum generationis principium, Pater actiuum, Mater paſsiuum, cum ſingulis totaliter effectus correſpondeat.

Reſolutio. Dicendum ergo eſt relationes præfatas ſolo numero diſtingui, eandemque eſſe vtriuſque diffinitionem eſſentialem, vt pater eſt qui producit aliud eandem naturam participans per generationem vitæ quæ eadem diffinitio matri competit, idcirco per eandem rationem eſſentialem per quam pater eſt pater, per eandem mater eſt mater, non tamen per eandem per quam eſt accidentaliter & materialiter. Sicut ergo mas & fœmina non diſtinguũtur eſſentialiter ſed tantum accidentaria & materiali diſtinctione, & plus mas & fœmina diſcrepant, quàm duæ fœminæ materialiter, & fœmina de hac & illa fœmina prædicatur, & mas de illo & illo mare, ex hoc tamen inferri nequit ſpecifica diſtinctio, nec ex eo quòd mas nequeat eſſe fœmina: idem prorſus de relationibus paternitatis & filiationis dicendum eſt.

Quarta concluſio. Correlatiuum eſt, terminus quatenus vicisim refertur ſeu A relatiuum illud quod ex altera parte alteri relatiuo correſpondet, & correlatiua dicuntur, quæ ſeſe mutuo mutuis nempe relationibus reſpiciunt, vt Pater & Filius, Dominus & ſeruus. num autem terminus, ſub eadem ratione qua correlatiuum eſt, terminet, ſeu num correlatiua ſub eadem ratione qua ſe ſe reſpiciunt, & mutuo ad ſe inuicem referuntur ſe ſe terminent quæſt. ſequenti.

QVÆSTIO II. QVÆ SIT *ratio formalis terminandi num abſoluta aut relatiua.*

EX his etiam eſt controuerſia præſens, quæ principem locum tenet in hac materia, quæ ſub his verbis frequenter in ſcholis agitari ſolet, num relatio ad abſolutum terminetur, num ad relatiuũ: B nec in præſenti agimus de actuali denominatione termini vt nempe denominatur terminans, de ea enim certum eſt non eſſe aliquid intrinſecum in termino, ſed tantũ extrinſecam denominationem ſumptam à relatione alterius extremi prout tendit in terminũ, ſicut me eſſe actu viſum, aut viſionem Petri terminare, tantũ eſt quòd viſio Petri tendat ad me, eſſe ergò actu terminum, eſt actu reſpici ab alio relatiuo, & quandiu ab alio reſpicitur, tandiu dicitur actu terminus, reſpici autem & terminare idem ſunt. Procedit ergò controuerſia, de ratione formali intrinſeca ratione cuius reſpicitur terminus, & qua conſtituitur proximé & formaliter aptus ad terminandam relationem. Sicut enim ex parte fundamenti datur formalis ratio fundandi, à qua conſtituitur in eſſe C fundamenti proximè inductiui relationis ſic ex parte termini datur ratio formalis qua in eſſe termini proximè terminatiui conſtituitur.

Certum quidem eſt, quòd ſicut ſcientiæ triplex aſsignatur obiectum, ſcilicet materiale adæquatum, & formale vt quo, ratio nempe ſub qua conſideratur obiectum à ſcientia, & formale vt quod, illud ſcilicet totum ex materiali & ratione formali conflatum, ita etiam relationi hæc tria aſsignantur terminus ſcilicet materialis adæquatus, qualis eſt albedo reſpectu ſimilitudinis alterius ad ſe terminatæ, & terminus formalis vt quo iat ò nẽpe formalis quæ in ipſa albedine requiritur

ritur vt ſit proximè & formaliter apta ad terminandum, de qua præſens controuerſia procedit, & terminus formalis vt quod, qui nimirum ex vtroque coaleſcit, materiali & formali, & reſpicitur vt quod ab altero correlatiuo. exquirimus ergo, num ſicut ratio formalis ſecũdum quam pater reſpicit filium eſt paternitas, ita ſimiliter ratio formalis ſub qua filius reſpicitur à patre ſit ipſa filiatio, & terminus formalis vt quod ſit ipſe filius vt compoſitus ex ſubſtantia filij & relatione filiationis, atque adeo vt correlatiuum eſt. an vero aliquod abſolutum. Tres ſunt potiſsimæ ſententiæ, duæ exdiametro oppoſitæ, alia vero media via procedens, & ſi non ſit ea in quà veritas conſiſtit.

I. Opinio. Prima vniuerſe affirmat, rationem terminandi formalem in termino cuiuſque relationis ſiue mutuæ vt primi & ſecundi generis, ſiue non mutuæ, vt tertij generis, à qua ſpecificatur relatio alterius extrimi eſſe relationem in ipſo termino exiſtẽtem, ac pro inde relationem omnem ad terminum vt formaliter relatiuum terminari, & relatiuum vt ſic in alterius diffinitione collocari, nec in relatiuis circulus eſt vitioſus, ſed neceſſarius quia propter mutuam habitudinem mutuò ſe diffiniunt, nec ob id ignotum per ignotum diffinitur, tota enim diffinitio clarior eſt, quod ſufficit, licet correlatiuum in eo poſitum ſit æquè notum, cum tantum ponatur vt extrinſecum additamentum terminans eſſentiam relationis, non vt pars quiditatis aut tota quiditas intrinſeca relationis. ob idque termini loco nequit ipſius diffinitio ſubrogari in diffinitione ſui relatiui, (id enim duntaxat verum eſt in his quæ vt partes intrinſecæ in diffinitione alterius ponuntur, vt vice animalis in diffinitione hominis poſiti, ipſius animalis diffinitio ſubſtitui poteſt.) vnde non ſequitur idem per ſe ipſum tandem explicari, ſed quoduis per ſuam diffinitionem. cui ſententiæ pluſquam par eſt probabilitatis ita nonnulli tribuunt, vt ex oppoſita ſententia totam euerti relatiuorum naturam proclament. multa congerũt arguta, ſed hæc ſunt quæ neruoſius rẽ agunt.

I. Argum. Primum. ex Phyloſophi, & Porphirij auctoritate petitum, ille enim in hoc. c. traddita relationis diffinitione, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, per aliud, aſſerit intelligi, id quod dicitur ad conuertentiam, quæ ex eodem Phyloſopho in relatiuis habitudinem mutuam importat, vt pater eſt filij pater, filius patris filius. quod expreſius indicans ſubiungit, terminum relationis non alio modo conuenienter ſignificari quàm nomine relatiuo, ſic *Si à ſeruo auferantur cætera omnia etiam illud quod homo ſit, modo ſeruus relinquatur adhuc Dominus ad illum referetur, & ille viciſsim ad dominum, quòd ſi hoc vnum auferatur quod ſeruus ſit & cætera omnia relinquãtur ſtatim alter dominus deſinit eſſe* quid expreſius. Porphirius autem in . c. de ſpecie his verbis rem hanc profitetur. *quòd ſi etiam genus aſsignantes ſpeciei meminimus dicentes quòd de pluribus & differentibus ſpecie prædicatur, & ſpeciem dicimus idquod ſub eſt generi noſce oportet quoniam genus alicuius eſt genus, & ſpecies alicuius eſt ſpecies, ideo neceſſum eſt in vtrorumque rationibus vtriſque vti.*

Confirmat. Confirmatur, proprietates relatiuorum ſecundum Ariſtotelem ſunt, eſſe ſimul natura, & cognitione & diffinitione, ſed prædictæ ruerent ex oppoſita opinione. rueret quidem prima quia ſi Petrus vt pater terminatur ad filium vt Paulus eſt & non vt eſt filius, cum Paulus ſit prior natura Paulus quàm ſit filius (quia fundamentum eſt prius natura relatione, & prius eſt eſſe ad ſe quam eſſe ad aliud) incunctanter ſequitur, Petrum prius natura eſſe patrem quàm habeat filium, cum in illo ſigno & priori rationis quo reſpicit Paulum vt ſic ſit pater, in quo non intelligitur filius. rueret etiam ſecunda quia relatio perfectè cognoſcitur cognitis fundamento & termino, nihilque aliud requiritur, ſi ergo terminus relationis non eſt alia relatio ſit, vt cognitio vnius relationis non dependeat ex alterius cognitione, atque adeo non neceſſariò ſimul cognoſcantur, hoc enim in eo conſiſtit quòd eo ipſo quòd hoc cognoſcatur debeat etiam aliud cognoſci, quod expreſsè Phyloſopho aduerſatur. 5. metaphy. c. de Ad aliquid aſſerenti, impoſsibile eſſe aliquid relatiuè intelligi ad aliud, niſi intelligamus aliud relatiuè dici ad ipſum.

Tertia tandem rueret, quia ſimul eſſe diffinitione nihil aliud eſt, quàm vnum relatiuum per aliud relatiuum diffiniri & è conuerſo, non enim dicimus pater eſt hominis pater ſed filij pater. Si vero relatio terminatur ad abſolutum, per illud abſolutum eſſet eſſentialiter diffinienda

Corroboratur hoc iterum, quia ablata hac mutua relatiuorum reſpicietia, & terminatione ſecundum relationes vt ſecundum rationes formales, aufertur etiam ſimultas naturæ, cognitionis & diffinitionis, ſufficeret enim fundamentum poni & terminum ſub illa ratione formali abſoluta qua vt forma in eſſe termini conſtituatur, vt poneretur relatio in vno extremo, etiam ſi altera non conſurgeret in alio extremo ſaltim per diuinam potentiam, illa enim quæ nullo modo inter ſe dependent non dicuntur ſimul natura, cognitione & diffinitione. cum ſimultas naturæ ex ſimultanea dependentia in eodem genere cauſæ deſumatur, ideo enim albedo & dulcedo in ſacaro non dicuntur ſimul natura; quia inter ſe nullam habent dependentiã, ergò ſi relatio in termino exiſtens non ſe habet impertinenter reſpectu relationis alterius extremi, ſed vt cõmunis fert ſcholæ vox relatiua poſita ſeponũt & perempta ſeperimunt, & ſecundum Scotum, in illo. 2. d. 1. q. 5. ideo vna relatio ad aliam ſe ipſa terminatur relatione identitatis & non per aliam ſuperadditam, quia ſine illa nequit eſſe abſque contradictione, ideo eſt quia mutuo ſeſe reſpiciunt & terminãt formaliter, & ſibi inuicem ſunt concauſæ, ſeu con termini aut comprincipia, quia de ratione principij non eſt eſſe cauſam nec dicere prioritatem, vt ſic ſimultas naturæ & cognitionis obſeruetur.

II. Argu. Secundum, tota ratio cur hoc relatiuũ reſpicit aliud eſt relatio, ergò tota ratio cur aliud relatiuum reſpicitur ab iſto eſt relatio, conſequentia patet, vnum non reſpicitur ab alio niſi quatenus dicit proporcionem & conuenientiam cum illo, ſed abſolutum vt abſolutum nullam proporcionem aut conueniẽtiam dicit cum relatiuo cum ambo ſint diuerſi ordinis ergo.

I. Confirm Confirmatur, abſolutum conſtituitur in eſſe reſpicientis per relationem, ergò & in eſſe terminantis, cõſequutio patet ſicut eſſe reſpicientis eſt in ordine ad aliud ita & eſſe terminantis, ſicut enim nihil reſpicit ſeipſum, ita nec ſeipſum terminat, vnde ſine ordine ad aliud intelligi nequit, ſicut nec denominatio creatoris ſine creatura.

II. Confir. Confirmatur, ſecundò ſi terminus relationis eſſet abſolutus non poſſet illa diffiniri ſine notitia diſtincta talis abſoluti, ex quo fieret vt ad creatoris relationem cognoſcendam, oporteret eſſentiam Dei abſolutam cognoſcere diſtinctè.

III. Arg. Tertium ratio formalis terminandi ne- A quit eſſe ratio fundandi, quia nulla ratio fundandi generica abſoluta poteſt abſtrahi à menſura, menſurato, quantitate, actione & paſsione cum ſint diuerſi generis, ratio autem terminandi á qua ſpecificatur relatio vniuoca debet eſſe.

II. Opinio *Ferra 2. cont. gent. c. 11.* *Rubius.* *Maſius.* Secunda ſententia de relationibus mutuis idem fatetur cum præcedenti, de non mutuis verò aſſerit ad abſolutum terminari, tales ſunt relationes. 3. generis. Vnde aſſerunt, relationem in genere non exigere terminum abſolutum aut reſpectiuum, ſed ab vtroque abſtrahentem, in ſpecie autem vnum vel alterum expoſcit determinatè vt differentias genus per ſe determinantes ad diuerſas ſpecies, quia illa mutuam exigit oppoſitionem, hæc verò non; relatio ergò mutua duo munia habet, vnum primarium, ei vt relatio eſt conueniens, B vt eſſe rationem referendi, ſecundarium alterum, ei vt mutuæ conueniens nempe terminandi alteram relationem.

I. Argum. Primò probatur: relatio mutua eſſentialiter includit oppoſitionem relatiuam mutuam, ſed talis oppoſitio eſſentialiter includit quòd eadem relatio cuiuſque extremi alteram reſpiciat & ab altera reſpiciatur, terminantur ergò relationibus mutua relatiua, maior certa eſt apud omnes, minor probatur, oppoſitio relatiua eſſentialiter conſiſtit in ordine vnius ad aliam, tali enim ordine & mutua reſpicientia ſublata, nequit intelligi relatiua oppoſitio, ergò eſſentialiter includit, quòd vna alteram reſpiciat & eadem ab alia reſpiciatur eodem reſpectu oppoſitionis, ergò vnaquæque relatio non ſolum referendi ſed terminandi officium habet.

II. Argũ C Secundò. in diuinis relatiua mutua producentis & producti, formaliter terminantur relationibus, vt paternitas filiatione, & in hoc conſiſtit mutua relationum diuinarum oppoſito, vt exploratũ eſt in Theologia, ergò & in creatis, cum ratio alterius æque reperiatur in vtriſque, quæ in eo ſita eſt vt relatiuũ referat ad aliud, quod verò ſubſiſtens ſit vel inhærens, omnino ſe habet materialiter ad rationem relationis.

Confirma Confirmatur. Si rationes oppoſitæ alicuius eſſent roboris, eſſent etiam in Diuinis relationibus, cum enim vnum relatiuum per alterum notificetur, in eſſentialiter ordinatis eſſet circulatio, & eadem relatio eſſet prior & poſterior, notior & ignotior & non eſſent ſimul natura

eum

eum terminus prior ſit relatione, quia per illum diffinitur.

III. Opin. Scotus. Lichetus Mairon. Ant. and. Tataret. Baſſolis. Orbellus. Niſa. Bargius. Pelbartus Paulus Scriptor. Rada. Herrera. Trigoſus. Ex Thomiſtis. Capreolus Sonzinas. Soarez. Vaſquez. Oña. Murcia

Tertia ſententia vniuersè affirmat in creaturis relationes omnes ad abſolutum terminari, ac proinde ſicut ratio formalis fundamenti non eſt relatio ſed ratio aliqua abſoluta ſeu modum habens abſoluti ita & ratio formalis terminandi, non eſt relatio in termino exiſtens ſed ratio abſoluta ſeu modum habens abſoluti, quod notanter ſubiunctum eſt, cum enim vna relatio eſt alterius relationis proxima ratio fundãdi, vt vna paternitas, cum alia paternitate comparata relationem fundat ſimilitudinis cuius terminus formalis licet nõ ſit ſimilitudo in alia paternitate exiſtens, ſed paternitas ipſa, ſed hæc non ſegerit tunc formaliter vt relatio, ſed modum habet abſoluti relationem fundantis, de relatione ergo exiſtente in termino ſiue abſoluto ſiue reſpectiuo, oppoſita relationi alterius extremi intelligendum eſt non eſſe formalem rationem terminandi, ſed id in quo fundatur talis relatio. Hæc ſententia proculdubio verior eſt quam docet noſt. Doctor. in. 1. d. 26. q. 1. d. 30. q. 2. §. *Reſpondeo igitur ad primam. Q.* & cum eo vniuerſa illius ſchola, cui acceſſere plures ex grauioribus Thomiſtis tam ex antiquis quam ex modernis. noſter Petrus Trigoſus in. 1. d. Bonauent. quam duabus his aſſertionibus explanamus.

1. Conclu. Prima concluſio. Relationes nõ mutuæ terminantur terminis abſolutis & non reſpectiuis. Vnde in terminis prædictarum relationum ratio terminandi non eſt relatio aliqua in ipſis reperta, ſed aut entitas termini proprietas vt aliqua abſoluta ipſius.

1. pars pro Probatur autem à noſtro Doct. Si relatio aliqua eſſet ratio terminandi in terminis præfatarum relationum, eſſet relatio, aut realis aut rationis non primum, quia nulla eſt in illis relatio realis intrinſeca vt contrarij fatentur, à relatione autem alterius extrimi qua reſpicitur nequit terminus in eſſe termini conſtitui, vt ſcibile à relatione ſcientiæ, Deus à relatione creaturæ. Tum quòd prius ratione ſaltim intelligitur relationem menſurabilis referre ſciẽtiam ad ſcibile, quàm ſcibile ad ſcientiam, cum illud ſit cauſa iſtius, atqui in illo priori habet terminum, nequit ergo eadem eſſe ratio terminandi ſui ipſius. Tum etiam quòd prius ratione ſaltim eſt terminum eſſe proximé aptum terminandi, quàm actu terminare, ergo prius ſupponitur ratione formali terminandi conſtitutus quàm relatio ad ipſum terminetur, nequit ergo à tali relatione in ratione termini formaliter conſtitui. Inſuper quòd neque eſſe poteſt relatio aliqua tranſcendentalis in termino reperta, vt in ſcibili ad ſcientiam, alioquim ex illa conſurgeret relatio prædicamentalis qua ad ſcientiam referretur, atque adeo relationes tertij generis mutuæ eſſent. cum relatio tranſcendentalis vt pote quæ non dicit actu referri ſed potentiam & capacitatem ad referendũ cum in ſe abſoluta ſit actu, completur talis potẽtia & ad actum reducitur per relationem ſecundum eſſe, ſicut potentia actiua ad actum reducitur per actionem quæ alterius eſt prædicamenti, comparantur ergò, aptitudo illa quæ abſoluta eſt in ſe, & relatio ſecundum eſſe cuius eſſentia eſt actu referri, per modum actus primi & ſecundi. Porro hoc diſcrimine non ad miſſo nullum aliud inueniri poteſt. ex quo ſic, ergo ſicut poſito ſcibili ex vi ipſius aptitudinis ſcientiæ ad ſcibile reſultat in illa ex propria natura relatio realis prædicamentalis, ita & poſita ſcientia, in ipſo ſcibili ex vi aptitudinis ipſius ad ſcientiam ſuapte natura conſurgit in illo relatio realis ſecũdum eſſe prædicamentalis ad ſcientiam.

Tandem, quòd in Deo nequit intelligi relatio aliqua tranſcendentalis ad creaturam, ratione cuius terminet formaliter illam, alioquim enim Deus non eſſet ſimpliciter neceſſè eſſe, quia eſſe illius à poſsibilitate creaturarum dependeret, vnde ſi creatura eſſet impoſsibilis, Deus etiam eſſet impoſsibilis, cum ſecundum cõtrarios, quod relationem tranſcendentalem ad aliud dicit, ita cum illo connectitur vel ab illo depẽdet, vt ſi illud ſit impoſsibile etiã iſtud, vt ſi ſcibile eſſet impoſsibile etiam ſcientia, et idem de viſsione & viſsibili, ſubiecto & accidente.

Si obijcias, ſi creaturæ eſſent impoſsibiles Deus non eſſet omnipotẽs, dicit ergò omnipotentia ordinem tranſcendentalem ad creaturas. Occurrendum, negando antecedens, illa enim impoſsibilitas non eſſet ex parte Dei ſed ex parte creaturarum quia implicationem cõtradictionis inuolueret, vnde diceretur Deus abſolutè omnipotens ſicut modo, cum omnipotens dicatur, ex eo quòd poteſt producere totũ quòd non implicat contradictionem quod tunc etiam haberet.

II. Pars. Secunda pars quòd nec relatio aliqua rationis poſsit etiam eſſe ratio terminandi probatur ſic à Doctore.d. illa.30.q.1.§. reſpondeo. *Licet intellectus poſsit negotiari circa terminum alicuias relationis tertij modi & in illo tertio cauſare relationem rationis, tamen illa non eſt ratio terminandi relationem ſcientiæ ad ipſum, iſta enim relatio rationis non eſt in hoc abſoluto niſi dum actu cōſideratur ab intellectu: ſcientia autem realiter refertur ad ſcibile, non tantum vt conſideratur ab intellectu; ergo illa relatio rationis ſcibilis non fuit ratio terminandi relationem ſcientiæ,* & idem probat de Deo terminante relationem creaturæ, quia nullo intellectu conſiderante & prædictam relationem confingente comparando Deum ad creaturam ad huc in creatura eſt relatio realis ad Deum, nec enim ob id creatura ad Deum refertur quia à nobis actu cōcipitur Deus per modum correlatiui ſed quia verè & realiter influit eſſe in creaturam.

I. Solutio. Sed Proc mirum eſt quot ſolutiones ſint ab aduerſarijs ex cogitatæ, vt ſe ſe ab hac difficultate expediant. Quidam ingenuè fatentur, præfatas relationes non habere in re terminum formalem ſed fundamentalem, qui nimirum fundamentum eſt termini formalis.

Impugna. Sed euaſio hæc argumēti nulla eſt, quia iam terminus ille qui formalis dicitur ab iſtis non erit per ſe & ſimpliciter neceſſarius ad terminandam relationem ſed tantū ſe haberet per accidens, cum ſine illo detur relatio in re, vnde gratis talis terminus aſsignatur. Tum etiam, quòd ſi abſolutum termini in re actu terminat ergò prius ſaltim ratione ſupponitur vt proximè aptum terminare, cum actus proximam potentiam & aptitudinem ſupponat, ergo cum ratione formali terminandi, qua in eſſe terminatiui ſeu per modum actus primi conſtituitur.

II. Solutio Dixerunt alij relationem rationis eſſe rationem terminandi non vt actu exiſtentem ſed vt fundamentaliter & in potentia proxima ipſius fundamēti.

Impugna. Sed hi vim potius argumenti augent, hoc enim nihil aliud eſt quàm ad abſolutum terminari, cū ens rationis in potētia termini nihil aliud ſit quàm entitas abſoluta termini, quæ intellectui cauſam præbet, vt talem in illo fingat relationem, ſicut in Deo potētia actu in creaturam influens.

III. Soluti Propterea via quædam à nonnullis recentioribus denuo ad inuenta eſt, aſſerēs rationem terminandi eſſe relationem rationis non quidem actu exiſtentem ſed actu conuenientem, quia relatio ſcibilis in ſcientia, & Domini aut creatoris in Deo dantur in re quoad couenientiam & denominationem cum in re denominent ſcibile, dominum cratorem &c. ſecluſa mentis ope, licet non exiſtant ante illam.

Impugna Merito tamen via hæc vt invia & inacceſſa præcluditur à plerisque, quia prædicata omnia contingentia quæ conueniunt rei ex tempore concernunt exiſtentiam in quo diſtinguūtur à propoſitionibus æternæ veritatis, in quibus verbum eſt, abſoluitur à tempore, vnde omnis propoſitio affirmatiua de prædicato contingenti & ex tempore ſubiecto conueniēti conſtantiam ſubiecti exiſtentis concernit, & cum connexio extremorum ſit cōtingens, nequit per propoſitionem à tempore & exiſtētia abſtrahētem ſignificari, vt hæc propoſitio Petrus eſt albus tandiu vera eſt, quandiu Petrus actu afficitur albedine in ſe exiſtēte, & ea non exiſtente eſt falſa, ergo omnis formalizatio conuenentia & denominatio actualis à forma accidentali & contingenti ſiue realis ſiue rationis proueniens ſupponit exiſtentiam formæ in ſubiecto vt actus ſecundus ſuo modo ſupponit actum primum, oppoſitum enim non eſt actu ſed in potentia conuenire: nulla ergo relatio rationis ex tempore alicui adueniens, ex eo quòd aliqua relatio realis ex tempore terminetur, poteſt termino conuenire & illum formalizare & denominare, quim actu ſuo modo in ſit, quod habet per intellectum.

Quòd ſi eodem pallio te iterum quaſi obuoluas, aſſerens ſupponi quidem relationem rationis, ſecundū ſuum eſſe eſſentiæ.

Hoc friuolum eſt, quia quod non exiſtit actu ſimpliciter eſt nihil, & tantum in potentia aliquid, alioquim ſi hoc eſſe ſufficeret ad rationem actu termini, idem eſſe etiam ſufficeret in termino relationis mutuæ, vnde Petrus poſſet referri ad filium in potentia.

IIII. *Solut* Hæc nonnullos aſſerere coegerunt, omnino diuerſum eſſe exiſtere fundamentaliter, aut exiſtere in fundamento: primum tātum denotat poſsibilitatem rei, & quòd ſit in virtute & potentia fundamenti, non verò formaliter, ſecundū vero dicit, quòd ſit formaliter in re per exiſtentiam fundamenti, prædictæ ergo relationes rationis. (et idem dicūt de quauis denominatione

extirn-

extrinſeca, priuatione & negatione) exiſtunt in re non ſolum primo modo, ſed ſecundo, extra cauſas ſuo modo ſecluſa quauis operatione intellectus formaliter, nõ per exiſtentiam in ſe, ſed per exiſtentiam fundamenti, cum quo identificantur realiter. ita vt exiſtentia fundamenti ſit magis propria & connaturalis talium entium rationis ratione cuius ſuo modo euuliunt, denominant formalizant, & negotiantur circa ſubiectum, quám exiſtentia obiectiua & extrinſeca quam habent ab intellectu. vnde licet illa exiſtentia dicatur fundamentalis, eſt vtique formalis prædictorum entium, quia eſt illis debita modo poſſibili ſuæ naturæ.

Sed profecto hoc nihil aliud eſt quám ſimpliciter fateri eſſe relationes reales cũ fundamento identificatas & ſolum formaliter diſtinctas, quid enim amplius habent formalitates omnes metaphyſicæ reales, erunt ergo entia realia metaphyſica quæ per vos dicunt ordinem ad exiſtentiam realem in fundamento. Diſcrimen autem quod aſsignatur formalitatem metaphyſicam dicere ordinem ad exiſtentiam realem fundamenti per affinitatem cum illo entia vero rationis per imitationem & æmulationem illius, quis non videat friuolum eſſe & ridiculũ vt in meth. videbitur.

Tum etiam ſi terminare relationem in ſcibili & Deo eſt relatio rationis ratione cuius terminat relationem alterius: ergò & in termino relationis mutuæ terminare erit relatio rationis ratione cuius terminat relationem alterius extremi, terminatur ergò formaliter ad relationem rationis. Tandem quòd terminus non dicitur terminus quòd ſit ad aliud, termini enim non eſt terminus, ſed quòd ad ipſum ſit aliud, & ab alio reſpiciatur, ergo non habet rationem termini per relationem exiſtentem in ipſo. Vnde ait noſter Doctor in 1. d. illa. 30. q. 2. lit. G. *abſolutè igitur dico quòd propter terminationem relationum creaturarum non oportet ponere aliquam relationem in Deo nec nouam nec antiquam, quæ ſit ratio terminandi relationem creaturæ.*

II. Conclu

Secunda concluſio etiam in relationib9 mutuis, ratio formalis terminandi in termino non eſt relatio in ipſo exiſtens, ſed hæc regula generalis eſt obſeruanda vt luculenter adnotat, Sapientiſsimus. D. Soarez quòd res illa ſeu ratio formalis quæ in vno relatiuo mutuo eſt proxima ratio fundandi relationem ad aliud, eſt proxima & formalis ratio terminandi relationem alterius ad ſe, vnde ratio formalis terminãdi ſeu terminus formalis eſt quid abſolutũ aut modum habens abſoluti vt in tertia opinione animaduerſum eſt. vt ſi albedo vt vna eſt ratio formalis fundandi relationẽ ſimilitudinis ad alterum album, eadem vt vna eſt formalis ratio terminandi ſimilitudinem alterius ad ſe, & ſi ſubſtantia Petri genita à Paulo eſt ratio fundandi relationem filiationis ad Paulum, eadem vt ſic erit ratio terminandi paternitatem Pauli ad ſe & in hoc ſenſu relatio ſpecificatur à termino non materialiter ſumpto ſed formaliter, vt ſcilicet eſt ſub ratione formali terminandi, vt ab albedine vt vna aut diuerſa.

Et quidem vtraque concluſio Phyloſophi patrocinio non eſt deſtituta vt aliqui volunt. 5. enim illo metaph. c. 15. docet viſſum & intellectum eſſe quidem ad aliquid cœtèrum nõ referri ad viſsibile neque ad intelligibile vt intelligibile eſt, ſed ad aliquid aliud prius, quia intelligibile ſignificat, quòd eius eſt intellectus, & viſsibile quòd eius eſt viſſus. 1. quia circa illud verſatur viſſus, ſed intellectus non eſt aliud cuius eſt intellectus & idem de viſſu, quia aliàs idem bis diceretur, fieretque nugatoria quædam & inutilis repetitio cum diffinitum in diffinitione ipſa repeteretur. Vnde concludit viſſum referri ad colorẽ aut ad aliquid aliud tale (quod addit, vt lucem quoque comprehendat) ratio autem hæc omnibus relatiuis competit tam mutuis quàm nòn mutuis.

Ex quo probatur primò à noſtro Doctore ratione hac ducta à Phyloſopho, Si terminus formalis eſſet relatio oppoſita in termino exiſtens. inutilis quædam & nugatoria repetitio circuluſque vitioſus cõmitteretur, ſequella patet, ſi enim pater ſecundum formale ſignificatum ponitur in diffinitione filij, cur non loco illius ſubrogari poterit illius diffinitio, vt ait Ariſtot. 2. topi. c. 5. cum diffinitio & diffinitum idẽ prorſus ſint, quòd ſi in obliquo collocatur, poterit quoque in obliquo diffinitio ſubſtitui, ſicut eo ipſo quòd corpus habet albedinẽ, inferre licet corpus habere qualitatem diſgregatiuam viſſus, ergo in diffinitione filij poteſt poni diffinitio patris per filium, vnde idem diffinietur per ſe ipſum: ſicut ergò vt talis nugatio vitetur cõcludit Phyloſophus, intellectum non terminari formaliter ad intelligibile vt rela- *I. Probat.*

tiuum

tiuum eſt formaliter nec in illius diffinitione poni vt correlatiuū formaliter ſed tantum materialiter vt rem abſolutam ſignificat, eandem vim habebit in relatiuis mutuis.

A

Confirma. Confirmatur, aliàs impoſsibile eſſet diſtinctè cognoſcere aliquod relatiuū, quòd eſt abſurdum, ſequella probatur, ſi terminus vt eſt relatiuum formaliter in diffinitione alterius relatiui conſtituitur, ad hoc vt res aliqua diſtinctè cognoſcatur, oportet vt eius diffinitio cognoſcatur, ergò vt pater cognoſcatur, eius diffinitio quæ per vos eſt hæc, pater eſt qui habet filium cognoſci debet, cognoſci ergò oportet, quid ſit habere & quid filius, ſed filius cum ad patrem formaliter terminetur cognoſci nequit niſi per patrem, quem nō dum cognoueramus, manet igitur vtrumque relatiuum ignotum.

II. Probat Secundò probatur. Si relatio mutua ex prōpria & ſpecifica ratione exigit relationem alterius extremi, vt terminum formalem, hac ablata illam auferri neceſſè eſſet, id enim termini formalis rationem habet vt ipſi ex Ariſtot. fateri tenentur, quo poſito etiam ſi cætera auferantur ponitur relatio, & quo ablato etiam ſi reliqua perſiſtant, aufertur relatio, atqui ablata relatione ab vno extremo in mutuis, non aufertur relatio ab alio extremo. non ergò eſt relatio ratio per ſe & formalis terminandi alteram relationem minor probatur, in relationibus primi & ſecundi generis quando vnum extremum tale eſt vt relationis realis ex tempore non ſit capax, ad huc in alio extremo conſurgit relatio realis ad illud, vt patet in Deo terminante relationem primi generis, conueniétiæ ſcilicet ſaltim analogicæ creaturæ ad ſe, & relationem ſecundi generis effectus ad cauſam, ergo etiam ſi tale extremū capax ſit relationis realis, ſi à Deo impediatur fluxus talis relationis, aut per intellectum preſcindatur maneret relatio in alio extremo, relatio ergo oppoſita in termino exiſtens non ſe habet per ſe ſed per accidens, ad rationem terminandi, ergo terminus abſolutè ſumptus eſt ſufficiens & proximé ac formaliter aptus ad terminādam relationem.

B

Confirmat Confirmatur in opinione D. Tho. relatio maternitatis ex propria ratione eſt mutua, atqui non inſurgéte relatione reali filiationis in filio vt in Chriſto Domino, ad huc conſurgit in beata Virgine relatio maternitatis, ergò relatio realis filiationis per accidés ſe habet ad rationem terminandi relationem maternitatis, terminatur ergo per ſe & formaliter ad abſolutum filij cum ablata filiatione ad huc ſit formaliter aptus ad terminandam relationem maternitatis ergo etiam ſi humanitas dimiſſa à verbo denouo acquireret relationem realem filiationis ratione eiuſdem abſoluti terminaret. Dices in Chriſto Domino eſſe relationem rationis filiationis ad beatam Virginem ratione cuius terminat. ergo vel dicendum eſt Chriſtum Dominum eſſe formaliter filium. B. Virginis per operationem intellectus, vel ſi teneas prædictam relationem eſſe rationis reſultare tamen ante opus intellectus ex eo quòd terminat, iam in quouis filio duplex erit relatio filiationis vna realis, alia rationis ex eo quòd terminat, reſultans.

III. Prob. Vltimo tandem ratio fundandi relationem eſt quid abſolutum, ergo & ratio terminandi, patet cōſequentia quia eandem prorſus reddimus cauſā cur relatio reſultet in vno extremo, & cur alterius relationem terminet, quia ſicut ideo in hoc albo reſultat relatio ſimilitudinis ad aliud album quia in hoc eſt albedo ſicut in alio, ita ob id terminat relationem ſimilitudinis alterius ad ſe formaliter, quia in eo eſt albedo ſicut in altero, ergo eadem eſt ratio formalis fundandi relationem ſimilitudinis ad alterum, & terminandi formaliter alterius ſimilitudinem, antecedens probatur, quia ſimilitudo non eſt in ſimilitudine ſed in albedine, verſaturque inter alba vt alba, ſicut nec diſsimilitudo eſt in diſsimilitudine cum potius in illa ſit ſimilitudo inter duas relationes diſsimilitudinis ſed in nigredine.

C

Confirma Confirmatur primò pater refertur ad filium vt eſt effectus primarius à ſe productus, ſed ipſa ſubſtantia filij eſt effectus patris & non filiatio, hæc enim ſecundariò conſequitur.

II. Confir. Confirmatur Secundò expoſitione fundaméti & termini reſultat relatio, reſultare autem denotat apertè id ex quo aliud reſultat ordine naturæ ſupponi vt rationē illius. Sed ſupponitur fundamentum formaliter ſumptum, ergo & terminus formaliter ſumptus, quia nō eſt minus requiſitum ad reſultantiam relationis fundamentum formale quā terminus formalis.

Ex quibus deducitur, diſtinctum eſſe, terminum eſſe & correlatiuum, eſſe enim

corre

correlatiuum dicit reſpicere aliud à quo etiam reſpicitur, non determinando ſub qua ratione, eſſe verò terminum actu tantum dicit reſpici ab alio nō verò reſpicere aliud. et in diffinitione relatiui, non conſtitui alterum relatiuum vt ſic, ſed abſolutè ſumptum ſi enim terminat vt abſolutum ergo vt ſic ponitur, cū ideo ponatur in diffinitione relationis quia illam terminat, & aliàs non poſſemus in alterius cognitionē deuenire, & ſic illæ diffinitiones, pater eſt alij pater & filius eſt patris filius, non ſunt diffinitiones ſed tantum illis denotatur mutua conuertentia relatiuorum vt relatiua ſunt, quæ art. ſeq. explicabitur ob id idem Angelicus Doctor, 1.p. q. 27. art.2. non diffinit patrē per filium relatiuè ſumptum, ſed abſolutè, ſic pater eſt qui generat alium participantem eandem naturam à principio coniuncto. & filius eſt qui ab alio ſibi ſimili in natura genitus eſt, & Matematici non diffiniunt, dimidium eſſe dupli dimidium, ſic etenim vtrumque maneret ignotum, ſed dicunt dimidiū eſſe quod bis ſumptum reddit totum, ſic etiam videmus apud Ariſtot. ſæpe diffiniri relatiua nulla facta mētione correlatiuorum in eorum diffinitionibus, vt cum. 5. meth. diffinit eadem, (dicens) eſſe, quorum vna eſt ſubſtantia, ſimilia quorum vna eſt qualitas æqualia quorum vna eſt quantitas, & in 1. politi. c. 3. ſeruum ſic diffinit, hominem eſſe qui ſui non eſt, hoc eſt ſui iuris ſed alterius.

Ad Arg. I. Opinio. Reliquum eſt vt Argutis in oppoſitum adductis occurramus.

Ad. I. Ar Ad. Primum primæ opinionis dicendū eſt. per li (ad aliud) formalē terminum ad quem relatio terminatur ſignificari, non autem correlatiuum formaliter.

Ad id autem quod ſubiungitur, mentē Phyloſophi eſſe, aſsignare terminum adæquatū relationis ſub formali ratione qua terminat, qui ſi nomen habeat proprium & accommodatum quo ſignificetur, eo vtendum eſt, ſin autem non *interdum nomen facere neceſſe eſt, ſi oppoſitum nomen ad quod acommodata fuerit aſsignatio non ſit*. propter nominum ergò indigentiam, explicamus terminum per relationem ſibi adiunctam, vel per relationem à ratione confictam vt accommodata fiat termini adæquati aſsignatio, vt ſeruus per ſe dicitur ad dominum, non relatiue ſed abſolutè ſumptum, vt conſtat in relatione ſeruitus ad Deum, quia tamen potentiam coercendi & diſponendi de ſeruo concipimus relatiue A ideo dixit Ariſtot. ſeruum dici per ſe ad herum & ſic de alijs. Cum autem Porphi. dixit, vnum relatiuum neceſſariò poni in alterius diffinitione, accipit relatiuum vt abſolutum eſt, & non formaliter vt relatiuum.

Ad Primam & Secundam confirmationem. art. ſequenti vbi de proprietatibus relatiuorum. *Ad. I. & II. Confir,*

Ad Secundum Argum. diſtinguatur antecedens, ſi ratio ſumatur pro ea qua formaliter conſtituitur in eſſe reſpicientis cōcedo, ſi verò pro cauſa proxima ob quam talis res relationem habet ad aliud, nego, hæc enim eſt ratio fundandi qua formaliter in eſſe proximē inductiui conſtituitur & ſic conſequutio eſt neganda, quia ratio etiam terminandi eſt illa per quam res fit proxima cauſa vt ad ipſam relatio referatur, vnde ſupponitur ad relationem, & re B latio nō quidem reſpcit, ſed eſt qua ſubiectum reſpicit aliud, non vt conuenientiam habet cum ipſa relatione qua reſpicit, ſed cum fundamento in quo conuenit. *Ad. II. Argumē.*

Ad. 1. confirma, conceſſo antecedenti, negatur cōſequutio, cuius probationis aſſumptum negatur, terminare enim aliud, non eſt aliud reſpicere ſed potius ab alio reſpici, licet voces videantur diuerſæ. Dices denominatio termini prouenit à forma relatiua, ergo eſt denominatio relatiua. Diſtinguitur conſequutio, eſt denominatio intrinſeca nego, hanc enim tribuit relatio afficiendo ſubiectum, atque adeo ad aliud referēdo, eſt denominatio extrinſeca cōcedo, quam relatio confert, prout terminum extrinſecè reſpicit. *Ad. I Con*

Ad. Secunda Confirm. verum quidem eſſe non poſſe cognoſci relationem, quin C prius cognaſcatur in termino ratio aliqua abſoluta, non tamen neceſſè eſt vt illa ex actè & prout in ſe eſt cognoſcatur, ſet ſat eſt confusè & abſtractiuè cognoſci. *Ad. II. Confirma.*

Tertium Argumentum ſi quid roboris haberet, ſicut ex eo probare contendit rationem terminandi non eſſe abſolutam, ita nec rationem fundandi, ab vtraque enim relatio eſſentialem ſpecificationem deſumit. quia ergo determino in communi relationis agit, ſtatim de eo. *Ad. III. Argumē.*

Ad. Primum Secundæ opinionis, negandā eſt minor. ad probationem negatur antecedens, art. ſequ. explicabitur in quo cōſiſtat opoſitio relatiua. *Ad. I. II. Opini.*

Ad Secundum cum confirma. dicēdum eſt, aut *Ad. II.*

eſt, aut loquimur de relationibus non cõſtituentibus, ſed quaſi aduenientibus; perſonis conſtitutis, vt de ſpiratione actiua, relatione identitatis, æqualitatis ſimilitudinis inter perſonas diuinas, & in his quia fundamentum ſeu quaſi ſubiectum cui intelliguntur aduenire eſt diſtinctum formaliter ab illis, terminus etiam eſt diſtinctus habens modum abſoluti ſpiratio enim paſsiua non terminatur ad ſpirationem actiuam ſibi relatiue oppoſitam vt ad terminum formalẽ, ſed ad perſonã Patris & Filij vt ſunt vnum principiũ Spiritus ſancti. & ſimiliter æqualitas patris terminatur ad perſonam filij vt habentem eãdem numero naturam cum patre & vice verſa æqualitas filij & ſic de alijs ſimilibus.

Aut ſermo inſtituitur de relationibus conſtituentibus perſonas, vt de Paternitate, filiatione, & ſpiratione paſsiua, quæ nõ habent fundamentũ præter ſe ipſas, vnde in his relatio & fundamentũ coincidunt. hinc fit, quod eo ipſo quòd vna relatio terminatur ad fundamentum alterius terminatur ad ipſam relationem, ſeu ad correlatiuum, vt pater ad filium. verum quia ſaltim ratione diſtinguimus præfatas relationes in ratione fundamenti & relationis, ſub ratione fundamenti habent rationem terminandi, & ſub ratione relationis rationem referendi. & ſic à nobis diffiniũtur per terminos vt habent rationem fundamenti, non vt aliud reſpicientis, ſed vt apti vt reſpiciatur ſed. Theologa hæc ſunt ac Theologis relinquenda.

QVÆSTIO III. NVM

Terminus Relationis realis neceſſario debeat eſſe actu exiſtens & realiter diſtinctus.

SVBTILIS Doctor. tam in 1. d. 31. q. 1. quàm in quotli. q. 6. Tres condiciones ad relationem realem neceſſariò requiſitas profert; prima eſt quòd fundamentum ſit reale & actu exiſtens, quod & de ratione fundandi intelligendum eſſe oſtenſum eſt, et terminus etiam ſit realis actu exiſtens. Secunda quòd ſit realis extremorum diſtinctio, Tertia quòd ex natura extremorum fundamenti ſcilicet & termini ſequatur relatio, abſque opere alterius potentiæ vnum extremum alteri comparantis, & quidem ſupra de condicionibus requiſitis ex parte fundamenti rationis fundandi ac ſubiecti. Superſt vt condiciones ex parte termini neceſſarias inſpiciamus, inquirimus ergo num vt relatio realis ſit ſicut exigitur ſubiectũ actu exiſtens, ita & terminus debeat eſſe actu exiſtens ita vt ſi non ſit, nequeat relatio realis ad illum terminari, vel an ſaltim per diuinam potentiam poſsit conſeruari relatio realis ſine termino actu exiſtẽte. In qua re tres verſantur ſententiæ.

Prima de quauis relatione ſiue mutua vt primi & ſecundi generis ſiue non mutua promiſcuè affirmat non exigere neceſſariò terminum actu exiſtẽtem, ſed poſſe ſine illo conſeruari. Probatur. *I. Opinio Greg in 1 d.28.q.2.*

Primò terminus eſt ita realiter diſtinctus à relatione, vt neque illam intrinſecé componat neq; realem influxum aut cauſalitatem habeat in illam, neque ab illo relatio ſuam accipiat realitatem, ſed à fundamento, ad rationem ergo termini quæ purè conſiſtit in terminare extrinſecè nulla requiritur realis actualitas & exiſtentia cum terminare nihil intrinſecum ſit in termino, nec relatio omnis à termino dependeat vti ſupra eſt ſancitum. *I. Argum*

Secundo in doctrina D. Tho. Pater habens vnum filium, in potentia refertur ad omnes quos poteſt habere, quòd ſi actu ad illos non refertur eſt quia illi actu non ſunt ex quo ſic deducitur, naturaliter datur in re relatio referens ſubiectum non actu ſed aptitudine, ad plores terminos, ergo poterit dari de potentia abſoluta relatio quæ ſubiectum referat non actu ſed aptitudine ad vnicum terminum. *II. Argũ.*

Tertiò poteſt Deus conſeruare notitiã intuitiuam etiam ſi obiectum non exiſtat, ergò & relationem ſine termino exiſtente quia non minus illa pendet ab exiſtentia obiecti, quàm hæc ab exiſtentia termini. *III. Arg.*

Secunda ſententia diſtinctione vtitur in relatione tertij generis conuenit cum præcedenti, ad non ens ſeu ad ens in potẽtia & ad ens rationis terminari poſſe, de relatione vero primi & ſecundi generis terminum actu exiſtentem exigere affirmat. *II. Opinio*

Probat primo partem primam, relatio realis menſurabilitatis fundatur in attingentia & commenſuratione adæquationis vnius ad aliud vt ſcientiæ ad ſcibile, ſed talem cõmenſurationem & adæquationem poteſt ſcientia naturaliter habere ad ens in potentia aut ad ens rationis: ergo & relationem realem ad non ens actu. minor probatur quia ſcientia de obiecto nõ exiſtenti aut de ente rationis ex propria natura adæquatur ei in veritate, & extenſione

ad tot-

ad tot concluſiones & veritates de obiecto demonſtratas & non plures nec pauciores, ſicut ergò obiectum non exiſtens poteſt hoc pacto menſurare ſcientiam, poterit habere rationem termini reſpectu relationis realis ſcientiæ ad ſe terminatæ ratio enim menſuræ in pura ratione termini conſiſtit.

II. Argu. Secundò probatur in imagine & ſpecie, & alijs ſimilibus æquè repreſentantibus rē exiſtentem & non exiſtentem, repreſentare & eſſe ſignum naturale eſt relatio realis, in cognitione cogitatione volitione, & in ſcientia reali vt logica cuius obiectum eſt ens rationis, eſt habitudo realis ad obiectum ſeu terminum.

III. Opin. Tertia tamen ſententia è regione primæ, aduerſa proculdubio verior eſt, & ſequentibus aſſertionibus explicatur.

I. Conclu. *Scotus.* *S. Thom.* *Cum communi vtriuſque ſchola* Prima concluſio. abſolute dicēdum eſt omnem relationem iſtius prædicamenti ſiue primi & ſecūdi generis ſiue tertij per ſe & eſſentialiter terminum actu exiſtentem expoſtulare, vnde nulla potentia etiam abſoluta Dei poteſt eſſe ſine illo, hāc docet noſter Doctor 5. metaph. q 11. in 1 d. 31 q. 1. in quotlib. q. 12. & cum eo omnes Scotiſtæ

I. Probat. Probatur primò de relationibus mutuis, idem quod eſt fundamentum aut ſubiectum relationis ad aliud, eſt terminus relationis alterius ad ſe, vnde in his relatio conſurgit ex co exiſtentia fundamenti & termini, ergo vtrumque extremum requiritur exiſtens.

Confirmatur in relationibus primi generis, quis non videat actualem relationem ſimilitudinis vnius albi, tendere in aliud actu album, alioquim in eodem albo eſſent infinitæ relationes ſimilitudinis ad infinita alba in potentia, & in relationibus generis ſecundi, quæ inter cauſam & effectum intercedit, conſurgit ex vi actionis realis illius qua effectus ponitur in rerum natura.

II. Probat Secundò probatur vniuerſè de omni relatione ratione ex propria relationis natura deprompta. in effectu formali relationis iſtius prædicamenti, inuoluitur vtrumque extremum actu exiſtens, nempe ſubiectum & terminus, atqui talis relatio nequit eſſe ſine tali effectu ergo nec ſine vtroque extremo actu exiſtenti, mai. pro. quia effectus formalis relationis conſiſtit in actualiter reſpicere, ſeu in actuali habitudine referentia & via ſubiecti actualis ad terminū actualem, inuoluit ergò vtrumque extremum actu exiſtens, patet conſe- A quentia ideo in effectu formali motus & actionis inuoluitur tam ſubiectum quàm terminus actu exiſtens, quia conſiſtunt in actuali via aut fieri termini.

Confirmat. Confirmatur relatio ex propria natura & eſſentia non habet alium modum eſſendi quàm puri reſpectus ſubiecti ad terminum, ergò ex propria natura & eſſentia nullum alium modum productionis habet quàm merè reſultantis expoſitione & coexiſtentia fundamenti & termini cum non ſit res per ſe intenta à natura ſed ſecūdariò ſubſequuta.

II. Conc. Secunda concluſio. non ſolū id de termino materiali ſed et de ratione formali terminandi aſſerendum eſt, debere eſſe quid reale poſitiuum in termino exiſtens. Et Probatur, res non terminat niſi vt ſtat ſub ratione terminandi, ſi ergò talis relatio B non eſt realis, nec terminus vt probatum eſt debet eſſe realiter exiſtens, ergo in re debet eſſe aptus ad terminādum, atque in eo debet eſſe exiſtens ratio formalis ſeu aptitudo qua ſit aptus, alioquim enim nec actu nec aptitudine terminus erit.

III. Conc. Tertia cōcluſio. ad relationem realem etiam requiritur vt terminus ſit realiter diſtinctus ab extremo cuius relationem terminat. vnde extrema relationis realis debent eſſe realiter diſtincta. Sic noſter Doctor locis citatis, & in 1. d. 26 q. 1. Et probatur quia relatiua realia ſunt realiter oppoſita, idem autem ſibi ipſi non opponitur, vnde in diffinitione relatiuorum dicitur totū eſſe illorum eſſe ad aliud, quod adeo verum eſt, vt ſuperius ſancitum reliquimus, etiam ſi fundamentum ſit idem C numero in extremis, dum tamē extrema quæ referūtur ſint realia realiter diſtincta relatio erit realis Si enim & ſi ſubiectum ſit idem numero (vt contrarij fatentur) dum tamen extrema quæ referuntur diſtinguantur realiter, relatio inter illa eſt realis, vt ſi in eodem Petro ſit grāmatica & Muſica, licet idem Petrus à ſe ipſo realiter non differat, vt tamen Grammaticus eſt differt à ſeipſo realiter vt muſico, quia Grammatica & Muſica differunt inter ſe realiter, quæ ſunt extrema per ſe & immediata talis relationis diſtinctionis realis, vnde etiam admittit noſter Doctor, in. 1. d. 26. & in 2. d. 25. voluntatis vt mouentis ad ſe ipſam vt motam eſſe relationem realem prædicamentalē (de ea enim ibi loquitur vt patet) quia relatio ineſt ratione tertij

tertij ab extremis realiter diſtincti, nempe ratione motiui realiter à voluntate diſtincti, ergò ſimiliter & ſi fundamẽtum ſit idem numero dum tamen extrema quæ per ſe & immediate referũtur realiter diſtinguantur, relatio erit realis.

Obiectio. Quod ſi dixeris in caſu quo eadem numero albedo eſſet in Petro & Paulo, illa ſimilitudo qua Petrus eſſet ſimilis Paulo non eſſet in ſubſtantia Pauli ſed in albedine, ergo ad illam formaliter terminatur vt eſt vna & ea dẽ numero ſibi, atque adeo idẽ erit terminus formalis ſui ipſius, quod naturæ relationis repugnat quæ terminũ expoſcit per ſe formalem realiter diſtinctum, aliàs eadem eſſet ratio formalis terminandi relationem ſui ipſius ad ſe.

Solutio. Reſpondendum eſt quòd licet terminus quo (nempe albedo) ſit idem, terminus tamen quod qui nempe ex formali & materiali coaleſcit (nempe album) eſt realiter diſtinctus, quod ſufficit ad relationem realem, vt in diuinis paternitas & filiatio relationes vtique ſunt reales, quia termini quod pater nempe & filius diſtinguuntur realiter, licet fundamẽtum ſit idem numero nempe eſſentia diuina.

Obiectio. Vrges iterum, ergo quando in eodem ſuppoſito ſunt duæ formæ accidentales vt Grammatica & Muſica abſolutè erit vnum concretum adiectiuum, quia & ſi formæ multiplicentur, non multiplicãtur effectus formales, quia ſuppoſita non multiplicantur, ergo relatio erit eiuſdem ad ſe ipſum atque adeo rationis.

Solutio Reſpondeo, quòd extrema quæ primo & per ſe & immediatè referuntur relatione diſtinctionis realis ſunt ipſæ formæ accidentales quæ realiter diſtinguuntur ſubiectum verò nõ niſi per accidens ratione illarum in hoc caſu.

Corollari. Ex quibus deducitur relationem identitatis numericæ eiuſdem ad ſeipſum rationis eſſe, cum extrema illius ſolum ſint ratione vt diſtincta concepta, quia idem à ſeipſo ſola ratione diſtinguitur. Si verò identitas numerica pro ipſa vnitate numerica ſumatur, ſic realis eſt & abſoluta ab ea que vt a fundamento idem realiter numero dicitur, & vt à nobis concipitur relatiuè, in ea fundatur relatio rationis identitatis. Sicut Deus dicitur realiter Dominus non ab aliquâ relatione reali, ſed à fũdamento reali poteſtate nempe coercendi ſubditos, hæc tamen concipitur à nobis comparatiuè in ordine ad ſubditos, ſic que reſultat relatio rationis.

A *Obſerua.* Apprimè autem obſeruare oportet cũ noſtro Baſſolii in 1. d. 22. q. 4. art. 2. & Rada in 1. controu. 4. realem hãc diſtinctionem extremorum debere eſſe ſtrictam rei ad rem, ac proin non ſufficere diſtinctionem formalem, cum extrema relationis realis eſſe debeãt phyſica & realia quæ abſolutè diſtincta dicuntur, rationes verò formales aut formalitates metaphyſicæ ſimpliciter abſolutè ſunt eadem entitas & realiter idem. Num autem diſtinctio illa realis ſtricta debeat eſſe ea quæ intercedit inter extrema quorum vnum nõ includit aliud, quo pacto ſe habẽt Petrus & Paulus, materia & forma, an verò ſufficiat realis diſtinctio includentis & incluſi, quo pacto totum à qualibet parte diſtinguitur. Quidam affirmant, quia illa diſtinctio eſt ſimpliciter vera, & maior quàm B formalis & modalis. Sicut ergo cauſa materialis & formalis ad ipſum totum compoſitum vt ad proprium effectum relatione reali referuntur, ipſum etiam totum ad eaſdem viciſsim referri debet, relatione effectus ad cauſas, à quibus intrinſecẽ dependet.

Alij verò negant ea ratione ducti quod idem ad ſe ipſum realiter nequit referri, atqui quæuis pars conſtituens eſt aliquid totius, ergo eadem per ſe ſumpta refertur ad ſe ipſam cum alijs partibus acceptam, vterque modus dicendi probabilis eſt; primus eſt noſtro Doctori congruentior. conueniũt autem omnes inter ipſas partes ſiue eſſentiales ſiue integrales relationem realem ac mutuam intercedere.

IIII. Con. Quarta concluſio. Vltima tandem cõdicio ad relationem realem iſtius prædicamenti neceſſaria eſt ſecundum Doctorem, C quòd ex natura ipſa extremorum fundamenti ſcilicet & termini illico ſequatur relatio, nulla ſpectata operatione intellectus aut alterius potẽtiæ vnum cum altero conferentis, et probatur, quia interdum extrema ſunt realia in rerum natura exiſtentia ac realiter diſtincta, in aliquo tamen extremo nõ conſurgit relatio quia ex propria ratione illius incapax eſt vt in Deo reſpectu creaturarum, vnde requiritur comparatio illius, & in relationibus tertij generis, licet ex parte vnius extremi ſtatim inſurgat relatio realis, non tamẽ ex parte alterius, niſi adhibita comparatione intellectus ob idque talis relatio nõ realis ſed rationis eſt.

Ad Ar-

Ad Argũ. I. Opinio. Ad Argumenta Primæ opinionis.

Ad. I. Ad primum neganda eſt conſequutio licèt enim terminare actu nihil intrinſecum ponat in termino, ſupponit tamen neceſſariò exiſtentiam termini vt inſurgat & exerceri poſsit ſecundum exiſtentiam.

II. Argũ. Secundum Argu in noſtra doctrina facilè diluitur.

Ad. III. Ad Tertium, pronunc negabis antecedens, in hoc enim intuitiua cognitio ab abſtractiua eſſentialiter ſecernitur, quòd illa eſt rei exiſtentis ac præſentis, iſta vero abſentis, implicat ergò intuitiuam notitiam ſine obiecto exiſtenti ac præſenti conſeruari, eſſet vtiq; ſimul & nõ eſſet intuitiua.

Ad I. II. Opini. Ad I. Secundæ opinionis, diſtingue mino. ſi terminus cui adæquatur & commenſuratur exiſtat in re concedo, ſi nõ exiſtat nego. licèt enim exiſtentia obiecti non ſit neceſſaria vt eo pacto méſuret ſcientiam, eſt quippe neceſſaria vt relationem realẽ B terminet actualis ac formalis cõmenſurationis & adæquationis, propter ſuperius dicta, hæc ergo relatio vt conſurgat duo ſunt neceſſaria & poſitio fundamenti, fundamentalis nempe adæquationis & cõmẽſurationis, & poſitio termini exiſtentis etiam, & quouis defficiente ſeu actu non exiſtente, relatio etiam realis defficiet. ſufficit autem vt obiectum quod vniuerſale eſt in ſingularibus exiſtat. Relatio vero hæc menſurabilitas appellatur, non quia non ſit actualis, terminum actualem expoſcens, ſed quia fundatur in potentia antequam ſit ad actum redacta, vnde comparatione ad actum potentiæ & aptitudinis rationem induit.

Ad. II. Ad 2, cum noſtro Franciſco Mayro in 1 d.29.q.6.& 8.& Tatareto hic dub.1. quòd cum obiecta rerum quæ in argumento re- C cenſentur, vt ſpeciei, imaginis cognitionis cogitationis, ſcientiæ &c. non exiſtunt, nõ referuntur ad illa relatione formali & actuali iſtius generis, ſed tantum fundamentali ſeu aptitudinali, quæ ab alijs tranſcendẽtalis appellatur, quaſi in actũ primo cõſiſtens, reduciturq; vt ad actum ſecundum per relationem iſtius generis. illa ergo cũ actu ſit abſoluta, exiſtere poteſt, etiam ſi alterum nõ exiſtat, nec reſultat expoſitione exiſtẽtiæ alterius, dicitur autem relatio fundamentalis, quia talis eſt condicionis vt conſequẽter inferat relationem poſito termino, vnde illá conſequenter importat obidq; relatiuum ſecũdũ dici appellatur. illam tamen in Deo negamus, in quo cũ omnibus alijs Scotiſtis á Mayrone diſſẽtimur A cum enim non ſit capax relationis realis ad creaturas, in eo fundamentũ & aptitudo ad illam reperiri nequit, videatur noſt. Herrera in 1. diſputa. 8. q. 2.

QVÆSTIO IIII. QVO PACto conſtitui debeat iſtius Prædicamenti ſub vno ſupremo capite coordinatio.

DIFFICILE porrò apparet ſupremum iſtius *Prædicamenti* caput aſsignare, quia ex illius cõſtitutione multæ videntur inuolui contradictiones.

Prima eſt, quòd haberet terminũ & nõ haberet terminum. I. pars oſtenditur, quia eſſet verè & eſſentialiter relatiuum cuius totum eſſe eſt ad aliud, hoc quidem aliud eſt terminus. Secunda etiam pars patet, quia terminus debet eſſe realiter B diſtinctus, ſed relatiuum in cõmuni cum vniuocum conceptum importet omnibus relationibus inferioribus communem, nõ habet alium communẽ conceptum à quo diſtinguatur. *I Argum.*

Secunda quod eſſet vnum genus & non eſſet vnum genus, pars negatiua prius probatur quia terminus talis generis ſupremi correlatiuum deberet eſſe, ſicut enim terminare potentiam viſiuã reperiri nequit niſi in ratione formali obiecti potẽtiæ viſiuæ, quæ eſt color, quo in eſſe obiecti illi9 formaliter conſtituitur, ſine quo nec actu nec in potẽtia proxime poteſt terminare ita nec terminare relationem reperiri poteſt niſi in formali ratione terminãdi, qua in eſſe termini formaliter conſtituitur, Si ergo hæc relatio eſt neceſſaria, in termino relatiui ſupremi reperiri debet, & cum illa C nequeat eſſe eadẽmet relatio in cõmuni, cum relatio in ſua ratione diſtinctionem realem importet à termino, quia totum ſuum eſſe eſt ad aliud, & illud aliud correlatiuum, neceſſum eſt vt diſtinctum ſit. nec ſuperior nec inferior, quia non eſſent ſimul natura, cum ſuperius ſit prius natura inferiori, ergo erit æqualis, cumq; finita ſit, completa, vniuoca ac realis erit prædicamentalis, atque adeo duo erunt genera ſuprema in hoc prædicamento. *2. Argu.*

Pars vero affirmatiua probatur. quia inter iſta duo genera conuenientia eſſentialis in ratione eſſendi ad aliud reperitur, præſcindi ergo poteſt ab eis conceptus vniuocus & eſſentialis vtrique communis. vel ſi eandem habent diffinitionem

eſſentialem, eſſe totum ad aliud & eadem inferiora de quibus prædicātur, erunt idẽ eſſentialiter, & non duo genera ſuprema ſed vnum.

Præfata arguta rem hanc non mediocriter ambiguam fecerunt, opinanteſq; in varias partes diſtraxere. quibuſdã enim placuit, duo ſuprema genera in hoc prædicamento cõſtituere, nec defficit modernus quidã, qui noſt. Doct. etiã inuitũ ac renuẽtẽ prorſus ad hoc placitum vt primũ illius auctorem adducere cõtendat, quibuſdam teſtimonijs ex ſuo cerebro de promptis, ſed vt bona illius pace dixerim (nec enim poſſum in illũ ñ ſuccenſere) *nõ erant conuẽnientia teſtimonia* vt ſtatim patefiet.

Maſius. Murcia

Variæ opinione de termino.

Nec omnes qui vnum ſupremum genus fatentur de eo vño modo ſentiunt. Quidã enim aſſerunt, nullum habere terminum adæquatum cõmunem nec explicetè nec implicitè nec in actu ſignato nec exercito, ſed ſicut ñ refertur immediatè & per ſe ad terminũ ſed mediatè & per ſua inferiora ita in illis dũtaxat habet terminũ, complures ſunt & graues iſtius placiti aſſertores, & quidẽ D. Aug. id expreſsiſſe videtur in lib. catego. c. 11. his verbis *vt hæc categoria manifeſtius deducatur, hæc via eſt ꝙ debemꝰ aduertere non rectè dici ad aliquid, niſi cũ ſingulare ad ſingularè refertur* & Ariſt. 4. top. c. 4 loco. 50. *rurſus ſi nõ ad idẽ dicitur genꝰ & ſecundũ ſe & ſecundũ ſpeciẽ* ideſt genus & ſpecies relatiuorũ eundẽ terminũ habere. quod etiam expreſsiſſe videtur Do. vt iſtatim. Fundamentum eſt. quòd licet relatio abſtractiſsimè accepta per eſſe ad aliud diffinitur, non tamen exercet habitudinem illam in tota illa cõmunitate niſi in determinatis relationibus, ſed tantũ deſignat id, in quo conſiſtit eſſe ad aliud.

D. Auguſ

Ariſtote.

Aliorum Opinione.

Placitum autem huic extremè oppoſitũ alijs placuit, à relatione nempe in cõmuni actum exercitum non excludi, ac proinde non ſecus ac ſingularem, immediatè & in actu exercito ad terminũ vniuerſaliſsimũ ſiue ſit abſolutꝰ ſiue reſpectiuus, vt ad terminum adæquatum referri. Fundamẽtum eſt non leue, quòd exercitium relationis ex ſuperius præiactis nihil aliud eſt quàm naturalis & intrinſeca ordinatiõ vnius extremi ad aliud per veram & actualem relationem, idq; eſt quod exprimit nomen hoc ad aliquid, atqui ſupremũ iſtius cathegoriæ genus vere & ꝓpriè nomine hoc ad aliquid deſignatur, verãq; & actualẽ relationem in cõmuni ſumptam præſefert per

Fundamẽ

A illam ergo vt per formam realẽ intrinſecè in hærentem actu formaliter ad terminũ in communi refertur.

Dixerunt Tandẽ alij, relationem in communi habere quidem immediatè terminũ in communi non in actu exercito ſed ſignato & eſſe concepto, ſeu vt alij in confuſo, aut ñ concretè ſed abſtractè, atq; adeo ñ relatum ſed relatiuum eſſe dicendum, cũ non referatur ſed ſit ratio referenid.

Aliorum Opinio. 3

Et quidem in hac re Doct. noſtr. ſibi aduerſum habere videmur. in præſ. n. q. 25.

Ad tertium Arg. aſſerit per ſe referri ad terminũ in 1. ſent. d. 21. q. 1. oppoſitum iterum videtur amplexus. ſic aſſerens *ita hic ſimilitudo benè eſt ratio alicui referendi vel terminãdi relationem, ſed nec refetur nec terminat niſi accipiatur pro diſtincto* (ſcilicet ſingulari) *in quo ſit*, imò & in præſenti q. dicta ſic prius ait.

B *Ad alias rationes dicitur, quòd neque ſecundum generaliſsimum relationis aliquid refertur neque ſecundum primas eius ſpecies, ſed ſolum modo ſecundum eius ſpecies inferiores*, & paucis interiectis, *conceditur ſecundum ipſum genus vt eſt inferioribus, non in ſe*, vnde ex grauioribus Scotiſtis hanc partem tuẽtur Lichetus Tataretus ibi & in pſeſ. c.

In memoriam redigere iuuabit, aliud eſſe loqui dè termino vt præciſè habet rationẽ terminandi, aut prout etiam habet rationem correlatiui, & relationes æquiparantiæ eas eſſe quæ in extremis ſunt eiuſdem ſpeciei ac denominationis vt relationes ſimilitudinis aut diſsimilitudinis, diſquiparãtiæ verò quæ ſunt diuerſæ ſpecies ac denominationis, vt paternitas & filiatio quæ aut poſſunt ſumi in indiuiduo, aut in communi vt in ſpecie & genere.

Notabile

Prima concluſio. omnium ferme Phylo C ſophorum firmata conſenſu, vnicum eſt iſtius prædicamẽti ſupremum genus; ſic noſter Doct. hic q. 25. vbi ſic *dicendũ ꝙ generaliſsimum in genere relationis eſt vnum* & probat, *quia ſecundum vnã rationem dicitur de omnibus ſuis inferioribus, quæ ratio eſt habitudo vnius ad aliud, & quia omnes relationes habent eundẽ modũ denominandi ſubſtantiã videlicet cõparatione ad aliud, & accidentia quæ eodẽ modo denominat ſubſtãtiã ſũt vnigꝰ generis* & poſtea Do. rationes quæ duplex genus inducere cõtendunt, ſoluit. & vbiq; paſsim docet, terminũ relationis eſſe abſolutũ, & d. illa 1. docet relationem æquiparãtiæ in ſpecie & relationẽ in cõmuni, non habere correlatiuũ per ſe & immediatè. quo

1. Conclu.

pacto

pacto ergò alterum genus relatiuũ æquale poterit admittere. A

Secunda cõcluſio. genus hoc tam in abſtracto quàm in cõcreto ſignificari poteſt ſic noſter Docto. locis citatis & probatur, quia ex vno alterũ neceſſariò infertur, ſi enim datur relatiuũ in cõmuni, ergo & relatio in cõmuni, qua cõcretũ hoc cõſtituitur & vice verſa ſi datur relatio in cõmuni: ergò relatiuũ in cõmuni, cũ omni formæ abſtractæ ſuũ cõcretum adæquatum vt pote ab illa conſtitutum correſpõdeat. cur autem in concreto ſolum, relatiua diffinierit Ariſto. & non in abſtracto diximus ſupra cum Docto.

III. Concl. Tertia conc. de eſſentia relatiui æquiparantiæ in cõmuni & ſpecie nõ eſt quòd reſpiciat terminũ qui ſit adæquatũ correlatiuum illius, ſed id tantum habet mediatè in ſuis ſingularibus, eſt tamen de ratione relatiui diſquiparãtiæ. Prima pars patet, quia relatio æquiparantiæ in ſpeciẽ concepta abſtrahit ab omni relatione oppoſita vnde cõtinet in ſe relationes vtriuſq; extremi ſecundũ ſpeciẽ in qua omnes concipiũtur per modũ vnius: ergò vt ſic nequit habere aliã relationẽ in ſpecie ſibi oppoſitã, & adæquatã cum ab illis vna ſola ſpecies abſtrahi poſſit, in quã conueniunt. Secũda B pars ex prima facilè deducitur relationes vtriuſq; extremi ſunt diuerſæ ſpeciei, vt paternitas & filiatio, ergo nequit ab illis abſtrahi vna ratio ſpecifica exhauriens, & continens vtriuſq; rationem, ſed neceſſariò debent eſſe duæ ſpecies oppoſitæ ſibi adæquatæ, quarum quæuis correlatiuũ immediatum & adæquatum conſtituit.

Hoc eſt quod expreſſe intẽdit & docuit noſter Doct. d. illa 21. his verbis, *Respondeo quòd in omnibus relatiuis æquiparantiæ commune ſecundum ſe ſumptum vt cõmune eſt, nõ refertur*, ad terminũ ſcilicet qui ſit adæquatũ correlatiuum quod magis explicat C ſubdẽs, *quia ex quo vt cõmune ẽ, abſtrahitur ab omnibus relatiuis ſiue terminis relationum quia relatio realis eſt diſtincti ad diſtinctum* ideſt oppoſitio realis relatiua & mutua reſpicientia & reciprocatio relatiuorũ realis, eſt inter correlatiua realiter diſtincta ꝙ autem de illa loquatur conſtat ex ſubiunctis; *Sed ſi vniuerſale vt ſic referretur, oporteret ibi dare terminũ; ſibi relatum diſtinctum & ideo nõ refertur ad aliquid eiuſdẽ rationis cum relato, ſed refertur ad aliquid alterius rationis iſtius tale relatiuũ tãtum ꝑ ſuo inferiori, ſicut ſimile nõ refertur pro ſimili in communi ad ſimile, in ſenſu ſcilicet dicto, ſed ꝑ aliquo inferiori quod poteſt diſtingui à ſimili ad quod refertur* & poſtea obijcit *& ſi obycias ꝙ relatiuũ dat primò intelligere ſuum correlatiuum. Reſp. non eſt tale correlatiuum eius vt cõmune eſt* ecce quomodò ſe declarat loqui de termino vt correlatiuũ eſt *niſi ipſũ vt ſumptum ꝑ aliquo inferiori ꝑ quo diſtingui poteſt à correlatiuo* & probat ratione à nobis propoſita *quia ſi tota natura ignis eſſet in vno indiuiduo illud indiuiduum nõ poſſet generare, quia ſi ſic tunc generaret alium ignẽ in quo eſſet tota natura ignis, eſſent quaſi duæ ſpecies ignis quod eſt impoſſibile* Et in hoc ſenſu etiã loquitur. D. Aug. loco citato in 1. opinione de Ariſt. verò 4. top. cõne ſequenti videbitur.

4. Concl. idem dicendum eſt de relatiuo in cõmuni vt eſt ſupremũ genus iſtius prædicamenti, conſtat ex Doct. quia cum ſimpliciter abſtrahat ab omnibus relatiuis exhaurit & præ continet in ſe per modum vnius rationes omniũ relatiuorum: ergo nequit habere oppoſitũ correlatiũ à ſe diſtinctum ſibi adæquatũ, cum abſtrahat ab omni ratione oppoſitæ relationis, non ergo hoc eſt de eſſentia illiꝰ vt ſic cõcepti, quia alias etiã eſſet de eſſentia cuiuſq; relatiui inferioris, cũ tamen nõ ſit, vt videre eſt in non mutuis, quibꝰ nõ correſpõdet relatio realis oppoſita in alio extremo, nec in omnibus mutuis ſecundũ ſpeciẽ ſumptis, vt viſum eſt de relatiuis æquiparantiæ in cõmuni, id ergo tantum habet in aliquibus inferioribus mediatè, vnde ly. aliud in diffinitione relatiui in cõmuni cõſtitutũ nõ ſumitur ꝑ correlatiuo, cũ non ſit ei eſſentiale illud habere. IIII. Conc.

5. concluſ. ſupremum genus relationis (et idem de quauis alia ratione communi generica aut ſpecifica relationis) terminũ habet ſibi adæquatũ ad quem per ſe & immediatè refertur, expreſſit hanc Doct. q. hac 25. prædi. vbi propoſita aliorum opinione inferente quòd ſi generaliſſimũ ad aliud correlatiuum æquale diceretur, duplex eſſet genus, eam impugnat & ſic reſpondet ſecundum propriam mentem. V. Concl.

Ad Tertiam igitur rationem principalem dicendum, quod generaliſſimum in genere relationis eſt principium referendi ad aliud vtamur ergò in iſtius aſſerti probatione eiſdem docto. fundamentis.

Primum eſt, *in compoſſibilia includ[illegible], quòd generaliſſimum ſit relatio ſiue [illegible] modo ad aliud, & quod informando ſubiectum, non*

tum non facit illud ſe habens ad aliud. Si dixeris quòd generaliſsimum non informat ſubiectũ niſi in ſuis inferioribus, quia non informat ſubiectũ niſi in quantũ eſt ens partici-pialiter ideſt, exiſtens, *nõ eſt autẽ ens niſi in ſuis inferioribus.* Impugnat ſic *ſaltim poteſt cõcipi ab intellectu relationem informare ſubiectũ, non concipiẽdo aliquã inferiorẽ relationem informare ſubiectũ quia poteſt prius concipi ab intellectu, nõ concipiẽdo poſterius: ergo cõceduntur oppoſita; ſcilicet generaliſſimũ informare ſubiectum, & tamen nõ eſſe relatiuũ relatum per ipſum quod eſt impoſsibile.*

II. Probat
Secundũ etiã proponitur proprijs verbi Doct. *conceditur* ꝙ *ſecundũ omnes relationes inferiores ad aliquid refertur, igitur ſecundũ generaliſsimum, dices* ꝙ *ſecundum ipſum genus vt eſt in inferioribꝰ nõ in ſe.* Impugnat

Ex Ariſt
Doct. *Tũ ex Ariſt. in 4. to. ſpecies ſi ſit ad aliquid & genus erit ad aliquid,* ecce mẽs Phyloſ. in hoc loco *igitur ſi ſpecies ſit principiũ referẽdi ad aliquid & genus erit principium referendi ad aliquid.*

Et ratione
Tũ ratione *ſecundum omnia indiuidua refertur ad terminum adæquatũ: ergo ſecundũ aliquid vniuocum, illa ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ. ſecundum omnes ſpecies ſpecialiſsimas ad terminum refertur, igitur per aliquid vniuocũ, illa ſunt genera intermedia. Secundum omnia illa genera ad terminũ refertur, igitur per aliquid vniuocũ eis, quòd genus vniuocũ eſt ſuperius eis, & ita ſemper aſcendendo ad generaliſsimum. Tandem oportet concedere quòd ſecundum generaliſsimum ad terminũ refertur, nec ſolum modo ſecundum eſſe quod habet in inferioribus, quia ſic non eſt aliud à ſuis inferioribus & per conſequens non vniuocum illis.*

Confirma.
Confir. ex eodẽ. *Si generaliſsimum in abſtracto ſit relatio, aliquid ſecundum eam dicitur relatiuè ad aliud, probatio huius. Tũ quia ſecundum qualitatẽ ſecundum quòd eſt generaliſsimũ dicimur quales ſecundum Ariſto. quia ſignificat qualitatẽ, ergo ſecundum relationẽ vt eſt generaliſsimum dicuntur aliqua relatiua. Tum quia ſecundũ relationes inferiores in genere relationis dicuntur aliqua relatiua, omne autẽ inhærens per ſe primò cuilibet ſpeciei, vniuocè inhæret per naturam generis & ita generi primo: igitur ſecundũ generaliſsimum dicitur aliquid relatiuè.*

Impugna Sanchez.
Ex quo ruit ſolutio Sanchez aſſerens habere terminum adæquatũ prædicatum eſſe eſſentiale inferiorum relatiuorum, vt ſunt relationes particulares, obidque non poſſe eſſe prædicatum generaliſsimi quod abſtrahit à particularibus relationibus.

A Hoc enim prædicatum eſt per ſe primò eſſentiale omnibus relationibus particularibus in quo vniuoce conueniunt, ergo cõuenit illis per ſe primò ſecũdũ rationẽ vniuocã in qua cõueniunt, et ſi enim prædicatũ contingens primò conueniat ſingularibus, ſecus eſt de prædicato eſſentiali.

Item licet relatio in cõmuni abſtrahatur à relationibus in particulari, non tamẽ ab eo quod intrinſecum eſt relationi, imo ideſt quod abſtrahitur. Inſuper quod relationes ſpecificãtur à termino adæquato: ergo ſecundum ſuum eſſe ſpecificum reſpiciunt terminum adæquatum. *II. impug*

Iſtæ autem communes rationes aut poſſunt ſumi vt abſtrahunt à ſingularibus & ab omni exiſtentia, & in eſſe eſſentiæ duntaxat ſumuntur, ſic reſpiciunt terminũ in actu ſignato, quia exercitium relationis *De relatio in cõmuni*
B extrema exercita depoſcit, ſeu exiſtentiã ac realem diſtinctionem extremorum, atque exiſtentiam relationum. Relationes autem ſic conceptæ non ſunt inhærentes aut exiſtentes; & in hoc ſenſu intelligendas eſſe diximus lib. 1. diffinitiones relatiuorum rationis in communi vt vniuerſalis, generis &c. Si verò vt exiſtunt in ſingularibus formaliter tamen ab illis diſtinctæ, ſic in actu exercito reſpiciunt ſibi adæquatum & proporcionatum terminum vt pater in quantum hic pater reſpicit hũc filium, in quantum pater, ſecundum ſpeciem reſpicit filium, in quo ſenſu dixit Philoſophus generi ſpeciei & indiuiduo relationis eundem terminum reſpondere ſecundum rem, diuerſum tamen ſecundum rationem communem vel particularem.

Si inquiras, quo pacto terminus eſt communis, *De Term. communi.*
C Quidam dicũt eſſe vnũ tantum collectiuè 1. quod relationi in cõmuni omniũ terminorũ collectio reſpondet, & hoc ſiue dicatur ad abſolutum ſiue ad reſpectiuũ terminari. quia à rebus diuerſorum generum nequit abſtrahi ratio cõmunis præter rationem entis aut accidentis; cum ratio termini aut fundamenti nõ ſit aliquid diſtinctũ ab ipſis rebus; ſed ipſa entitas cuiuſque rei vt apta eſt fundare aut terminare, terminus autem aut fundamentũ relationis in communi, non eſt ens aut accidens.

Alij autem dicunt quòd ſicut à cunctis relatiuis cõmunis ratio relatiui abſtrahitur, ſic à cunctis relationum terminis communis conceptus termini abſtrahitur relatiuo in cõmuni correſpõdẽs (& idẽ de fundamento

damento

damento) quæ cōmunis ratio analoga eſt & quaſi tranſcendentalis quæ per omnia prædicamenta vagatur, vnde reductiuè tātum vt quid additum ad prædicamentum relationis ſpectat, aut vt fundamētū. verūque probabiliter dici poteſt, ſed hoc ſecundum michi magis placuit.

Vlt. Conc. Vltima concluſio, ſub hoc genere ſupremo omnia inter media ac ſubalterna genera ſpecies infimæ ac illarū indiuidua diſponūtur. Tametſi autē prima diuiſio iſtius generis ab Ariſt. videatur in illa tria genera iuxta triplex fundamentum diſtincta, poteſt tamen ſic ordinari, vt prima diuiſio bimembris ſit in relationem mutuam & nō mutua ex proprio genere & fundamento vt in duo genera immediata ſub alterna. vnde ſicut relatio in cōmuni abſtrahit à relatione mutua & ñ mutua, ita & terminus in cōmuni ſupremo generi correſpondens præciſè dicit rationē terminādi abſtrahēdo ab hoc quod eſt eſſe fundamentū alterius relationis oppoſitæ, aut nō eſſe fundamētū. relatio nō mutua cōſtituit. 3. genus relationis in menſura fundatū, quod ſecundū diuerſas menſurarū & menſurabilium proporciones ſub diuiditur.

Relatio mutua in relationem 1. & 2. generis partitur. relatio primi generis in eā quæ in vnitate & in eam quæ in multitudine & diuerſitate fundatur, quæ in vnitate ſub diuiditur iuxa varios modos vnitatis, & quæ in multitudine iuxta varios modos multitudinis. Relatio ſecūdi generis in eā quæ intercedit inter cauſam & effectum, & in eam quæ inter potentiam actiuam & paſsiuam, quarū quæuis iuxta varios modos cauſæ & potentiæ.

Arguta in vtramuis partem iactata facilè ex dictis refelluntur.

Ad primum dicendum eſt, primam partem eſſe veram, Secundam verò falſam, extrema enim iuxta relationum exigentiam diſtinguuntur realiter aut ſecundum exiſtentiam actualem, aut ſecundum diuerſos cōceptus communes reales, ſeu extrema realia vt exercita aut vt concepta.

Ad. Secundā partem, affirmatiuā eſſe veram, quòd eſt vnū genus ſupremū, cui correſpondet terminus adæquatus nō tamen correlatiuū æquale, quia ab hoc abſtrahit non tamen ab illo, quia habere terminum adæquatum abſolutum in ratione terminandi eſt eſſentiale relationi vt ſic, non verò habere correlatiuum.

Si dixeris relatio vt præciſa reſpicit terminum in actu ſignato, ergo in actu exercito non indiget in illo. dicendum eſt. & ſi in actu exercito non referatur ad terminū in actu tamē ſignato illo indiget, quia ſine illo nequit diffiniri, vt licet potentia viſsiua in communi non exerceat actum vidēdi, habet tamē vt ſic obiectū adæquatū, & paternitas in cōmuni filiūm in cōmuni &c.

Noſter autē Doct. per cōcluſiones præiactas manet à contradictione liberatus. in illo enim. 1. d. 21. tantum negat correlatiuum adæquatum in communi atque adeo reciprocationē relatiuā qua mutuo ſe reſpiciunt. in hac vero q. 25. prædicam. terminum adæquatum cōcedit, quia & ſi relatiuum in communi ab omnibus relatiuis abſtrahat atque adeo à terminis vt habent rationē correlatiui, ſicq; omnem rationē relatiuorum vnitè cōtineat & exhauriat, nō tamen à terminis vt habent rationē termini, cum hæc abſoluta ſit ſecūdum Doct. in. 1. d. 26. q. 1. & d. 30. q. 2. (quia ſenſus vnius loci ex alio hauriendus eſt) abſtrahens ab hoc quòd eſt fundare relationem oppoſitam vt in mutuis, vel non, vt in non mutuis.

ART. IIII. DE PROPRIETATIBVS RELATIVORVM.

DIScuſsis iam his quæ ad eſſentiam relationis ſpectant in tribus præcedentibus art. ſuper eſt vt illius proprietates expendamus, eas autem quatuor enumerat Ariſt 1. eſt habere contrarium. 2. ſuſcipere magis & minus. 3. dici ad conuertentiā. 4. eſſe ſimul natura.

QVÆSTIO I. DE CONTRArietate & oppoſitione relatiuorum.

POTISſimam ambigendi rationē offert Ariſt. qui in c. de. quātitate negat ea quæ ſunt ad aliquid habere contrarium in præſenti verò affirmare videtur. confir. ſimilitudo & diſsimilitudo ſunt formæ oppoſitæ, nō relatiuè: ergò contrariè, cū mutuò ſe expellant ab eodem ſubiecto vt ab vno albo reſpectu alterius albi.

Inter quatuor oppoſitionis in cōmuni ſpecies vt d. vlt. videbimus, vna eſt oppoſitio relatiua, alia verò contraria, vnde nō quæuis oppoſitio eſt cōtrarietas (niſi illam fuſè pro quauis oppoſitione vſurpes, quæ acceptio nihil ad rem) licèt quæuis contrarietas ſit oppoſitio.

Prima concluſio relationibus ſeu relatiuis per ſe & formaliter ſumptis non ineſt propria contrarietas. Sic Ariſt. in c. de quãtitate vbi aſſerit magnum & paruũ non eſſe contraria, eo quòd ſint ad aliquid, & cũ eo cuncti interpretes, & probatur quia ſi quæ eſſent cõtrariæ maximè ſimilitudo & diſsimilitudo, æqualitas & inæqualitas, ſed hæ nõ, quia cum nõ ſint formæ abſolutæ ſed reſpectiuæ reſpectu diuerſorũ in eodẽ ſubiecto eſſe poſſũt ſimul, vt iddẽ albũ quod alteri albo eſt ſimile, nigro eſt diſsimile. Dices ſaltim eſſe propriè contrarias reſpectu eiuſdẽ termini, vt album quod alteri albo eſt ſimile, nequit eidem eſſe diſsimile. Sed hoc facile euertitur, quia ſi hæc ſimilitudo & hæc diſsimilitudo reſpectu eiuſdem albi ſunt cõtrariæ, ergo & quæuis ſimilitudo cuilibet diſsimilitudini eſſet ꝓpriè cnntraria. Inſuper quòd iſta incompoſsibilitas prouenit ex implicatione contradictionis in fundamentis, vt quòd conueniẽtia duorũ extremorũ ſit etiam diuerſitas eorundem ſecundum eandem rationem, vt quòd eadem albedo vt eadem, ſit non eadem cum alia eadem albedine.

II. Conclu Secunda concl. ratione fundamentorũ poſſunt dici contraria quando fundamenta ſũt cõtraria, vt ſimilitudo albedinis & diſsimilitudo nigredinis, ſed hic loquendi modus eſt valde imꝓprius vt ait N. Do. q. 26. præd. in fine, vbi ait *ꝓpter hoc videtur dicendum quod illæ proprietates per accidens inſunt relatiuis.*

III. Conc. Tertia cõcluſio, oppoſitio relatiua, nihil aliud eſt, quàm oppoſitio relationũ oppoſitas habentium rationes. vnde oppoſitio hæc non conſiſtit in hoc, quòd vna relatio alteram reſpiciat vt terminum, ſed in hoc quòd vtraq; mutuò referat ſubiectum ſuum ad alterius ſubiectũ, & ſubiectũ vnius ſit terminus alterius. ex quo prouenit, ꝙ cum eadẽ res reſpectu eiuſdem relationis realis nequeat eſſe ſimul fundamẽtũ & terminus. quòd talem habent repugnantiam relationes vtriuſq; extremi vt in eodem ſubiecto eſſe ſimul nequeant.

IIII. *Conc* Quarta cõcluſio. Oppoſitio hæc nõ conuenit relationi in communi, cum non conueniat omnibus relationibus, ſed tantum mutuis. relationibus quidem æquiparantiæ in indiuiduo, cum in ſpecie conueniant & in eſſe indiuiduali habitudines habeant ita repugnantes vt in eodẽ eſſe nequeant. in relationibus verò diſquiparãtiæ etiam ſecũdum ſpeciem, vt paternitas & filiatio

Obſerua autem cum noſtro Doct. in 1. d. 11. q. 2. & Rada in 1. contr. 13. & alijs Scotiſtis, A quòd tametſi relationi vt ſic qua relatio eſt alteri relationi incompoſsibilem eſſe non cõpetat in eodem ſubiecto & ſuppoſito, alioquim enim id omni cõpeteret relationi, ſicq; relatio quæuis alteri relationi eſſet incompoſsibilis, aliquibus tamẽ relationibus ſecundum proprias rationes formales, vt nẽpe tales ſunt, incompoſsibiles eſſe cõuenit in eodẽ ſubiecto vt relatio creati propria creatione & geniti eidẽ in eſſe nequeũt, cũ idẽ bis ꝓduci nequeat duplici productione totali, qua ratione aſſerit Doct. relationẽ filiationis in diuinis & ſpirationis paſsiuæ, in eadẽ perſona reperiri ñ poſſe, quia implicat eandẽ bis produci totaliter & ſimpliciter, per generationẽ & ꝑ ſpirationẽ d̃ quo in Theologia.

Ad rationem dubij. Reſpondet Doctor præfata, q. proprietatem illam habendi cõ- B trarium non fuiſſe à Phyloſopho ex propria mente aſsignatam, quia nihil videtur (ait Doctor) ſecundum propriam opinionem determinare de relatiuis, ante illam partem vbi incipit improbare primam notificationem relatiuorum. aut intelligendũ eſſe de relatiuis ſecundum dici vt virtute & vitio ratione naturæ abſolutæ.

Ad confirma. illas non eſſe propriè oppoſitas ſed tantum ſub eodem genere diuerſas, ſicut Leo & Homo, cum in ſummè poſint eſſe ſimul, vt iddem albũ ſummè ſimile alteri albo & ſummè diſsimile nigro *Ad. Conf*

QVÆSTIO II. NVM PROprium ſit relationum ſuſcipere Magis & Minus

PLERIQVE ſunt qui partem aſſertoriam tueantur, relationem nimirum C in ſe & formaliter magis aut minus ſuſcipere verè ac propriè per additionem aut deperditionem nouæ partis in ordine ad eundem terminum, licet id non ſit de omni relatione dicendum.

Primò ex Ariſtot. probatur qui in hoc c. proprium eſſe aſſerit Relationis ſuſcipere magis & minus, producitque in exemplum ſimile & diſsimile, æquale & inæquale.

Secundò. id quod in proprio genere latitudinẽ habet ſecundũ quam dicitur magis. l. minus, tale ſuſcipit magis & minus, atqui relatio intra eſſentiã relationis latitudinem habet ſecundũ quam dicitur magis vel minus relatio vt patet de relatione ſimili-

ſimilitudinis vnius albi ad aliud, ſecũdum quam dicitur magis vel minus ſimile illi, quod & cõmunis loquentiũ vox cõfirmat. item quòd vnus homo iuſtus magis Deo ſimilis dicitur quàm alius, quia magis participat de gratia ac amicitia Dei.

III. Arg. Tertiò quòd ſaltim in diſsimilitudine & inæqualitate nullus eſt tergiuerſationi locus, quarũ fundamenta latitudinẽ habẽt ac variari poſſunt ſecundũ maiorẽ l. minorẽ diuerſitatẽ, vnde ex quo magis aut minus vnũ extremũ ab alio diſtat, eo magis æquale aut diſsimile dicitur, ſicq; tritici granũ inæqualius eſt mõti quã arbor procera

Pro noſtri tamen Doct. ſententia ſtabilienda quæ proculdubio verior eſt, quam quot quot alicuius sũt momẽti ſcholaſtici ſectantur.

I. Notabi. Obſeruare oportet relationum quaſdam eſſe quarum & ſi fundamenta remota variari poſsint aut ſecundũ magis. l. minus aut maius & minus, proxima tamẽ fundamenta in indiuiſibili conſiſtunt, atq; vniuoco & invariabili modo ſe habent, vt quæ in vnitate ſiue eſſentiæ ſiue quantitatis qualitatis ve fundantur, vnitas etenim ita in indiuiſibili conſiſtit vt ex quouis exceſſu vel deffectu cuiuſque extremi diſſoluatur. in eſſentijs liquet, quocumque enim addito in eſſentia non eadem ſed diuerſa eſſentia eſt, obidq; eas in hoc inſtar numeri eſſe affirmat Ariſt.

De vnitate quæ eſt in quantitate etiam patet, quia quantitates bipedales quauis parte etiam minima ab vno vel alio extremo ablata ſeu addita tollitur vnitas in extenſione atque adeo æqualitas, quæ in hoc conſiſtit quòd duæ quantitates ſibi adinuicem adæquentur in extenſione.

Tandem de vnitate in qualitate quæ ſimilitudinis fundamentũ eſt, in indiuiſibili cõſiſtere ſimili ratione probatur. hæc enim cõſiſtit in hoc quòd duo qualia ſibi adinuicem adæquẽtur in qualitate, nomine autẽ qualitatis vti ſuperius diximus, ñ intelligitur eſſentia qualitatis, ſed perfectio intenſiua qualitatis ſecundum gradus ſuperadditos qualitatis eſſentiæ ita vt qualitas æquè intenſa ſit in vna ac in alia, ergo quouis gradu ſuperaddito aut ablato à quouis extremo, tollitur vnitas in qualitate atq; adeo ſimilitudo. et idem dicẽdum de duplo triplo &c. quorum fundamenta in hoc cõſiſtunt quòd vna quantitas alteram bis aut ter adæquatè contineat, & de relatione paternitatis & filiationis.

Aliæ ſunt relationes quarum fundamẽta **A** etiam proxima latitudinem habent, ſecundum qua poſſũt mutari, & variari, vt quæ in exceſſu aut deffectu ſiue diuerſitate fundantur, vt diſsimilitudo & inæqualitas, quia ab indiuiſibili vnitate deffecere latitudinem habet, ſecũdum quam magis vnum diſcrepat ab alio quàm alterum & magis ad vnitatem accedũt vel ab ea recedunt.

II. Notab. Obſerua præterea, Suſcipere magis & minus aut proprie ſumi pro eo ꝙ eſt intendi aut remitti eandẽ numero formam ſecũdum gradualem intẽſionem, quo pacto reperitur in qualitate, aut impropriè pro quauis variatione, ſecundũ maiorẽ vel minorem exceſſũ ſecundum ordinem aut loci aut perfectionis, ſeu ſecundum quòd magis vel minus diſtat ab alio aut ſecundum locum aut vt à perfectiſsimo ſui generis.

I. Conclu. Prima concluſio ſit, nulla relatio in ſe & **B** formaliter loquendo ſuſcipit propriè magis aut minus, nec propriè intenditur aut remittitur ſic Doct. q. 26. vniuerſal. Tataret, in hoc c. & alij Scotiſtæ, *Scotus. Tataret.*

I. Probat. Probatur I. à noſt. Doct. ſi prædicto modo ſuſciperet magis & min9, poſſet eſſe verus motus phyſicus in genere relationis contra Phyloſophum. 5. phyſi. c. 4. quia eſſet vera acquiſitio realis partis poſt partẽ alicui9 formæ in genere relationis in qua conſiſtit vera ratio motus.

II. Probat. Secundò probat, quia ſi inſorma relationis eſſet ſuſcipere magis & minus, relatiuum dictum ſecundũ magis per ſe referretur ad duo. ſ. ad aliquid dictum ſecundum minus ſecundũ eandem formã, & præter hoc, ad ilud ad quod tale relatiuum abſolutè dicitur, v. g. ſimilius diceretur per ſe ad minus ſimile, & præter hoc ad aliud ad quod ſuum poſitiuum refertur. ſ. ſimile **C** atq; adeo idem bis referetur, ideſt ad duo contra Ariſt. 5. metaph. cont. 20.

III. Prob. Tertio probatur relatio in ſe & in proprio genere relationis non habet latitudinem gradnũ intenſiuam, ergo in ſe non poteſt propriè magis & minus ſuſcipere. antecedens probatur, quia inter gradus intẽſionis eſt per ſe ſubordinatio & propria compoſitio & vnio per propria indiuiſibilia, ſed hæc non reperitur in relatione vt ſupra ꝓbatum eſt quia vna non per ſe ſupponit alteram, vel ab illa pẽdet, nec omnes ſunt eiuſdẽ rationis vt in gradib9 intenſionis reperitur, nec effectum formalem eiuſdem omnino rationis habent, diuerſum enim effectũ formalem habẽt diſsimilitudo inter

album vt quatuor & vt octo & diſsimilitudo inter album vt quinque & vt octo.

Confirma. Cõfirmatur relatio quæuis in ſe & ex ꝓpria ratione relationis in indiuiſibili conſiſtit in ordine ad ſuum terminum ergo ex ſe non habet latitudinem intenſiuam, antecedens probatur, de relatione quidem identitatis ſimilitudinis & æqualitatis patet per I. Notab. quia vnitates in qua fundantur conſiſtunt in indiuiſibili, ita vt ſi quantitas non ſit tam extenſa in vno ac in alio, & qualitas tam intenſa in vno ac in alio ſubiecto iam talia ſubiecta non habunt vnitatem in quãtitate aut qualitate ſed diuerſitatem: ergo nec relationem æqualitatis aut ſimilitudinis ſed in æqualitatis aut diſſimilitudinis, quia variatur fundamentum & terminus formalis nempe vnitas in diuerſitatem ex parte vtriuſque extremi fũdamenti ſcilicet & termini.

II.Confir. Confir. ſecundò de diſsimilitudine & in B æqualitate, relatio pendet intrinſecè à fundamento & termino, ergo deſtructò fundamento proximo & termino formali deſtruitur relatio, ſicut vt ſupra multiplicato termino multiplicatur relatio, ſed quoties vna qualitas aut quãtitas ſit maior aut minor, non eſt eadem diuerſitas ſed maior aut minor, ergò nõ manet idem fundamẽtum & terminus, diuerſitas enim quæ in vno extremo eſt fundamentum, in alio eſt terminus formalis vt dictũ eſt de vnitate. Vel ſic proximum fundamẽtum in æqualitatis eſt abſoluta proporcio inter ipſas quantitates, vt interpedalem & bipedalẽ, ſed eo ipſo quòd quãtitas bipedalis tripedalis efficitur proporcio præexiſtens euertitur, & eſt alia de nouo, perit etiam terminus formalis, quia terminus in æqualitatis inter pedalem & bipedalem erat quan C titas bipedalis vt tanta, ideſt vt negationẽ maioris exceſſus includebat. Item ſi pedalis bipedalis efficiatur, in æqualitas præ exiſtens corrumpitur, & reſultat æqualitas non ergò illa intenditur.

II. Conclu Secunda concluſio, relationes quarum fundamenta proxima in indiuiſibili conſiſtunt nec ratione fundamenti poſſunt magis aut minus ſuſcipere atque adeo nullo pacto tales ſunt relationes idẽticatis ſimilitudinis æqualitatis dupli ſubdupli &c. paternitatis & filiationis, hæc patet ex dictis quia fundamento & termino inuariabiliter ſe habentibus nequit intelligi variatio in relatione ex parte illorum.

III.Conc. Tertia concluſio. Relationes quarum fũdamenta proxima latitudinem habẽt iux A ta id quod in 1. notab. dictum eſt, poſſunt ſuſcipere magis & minus ratione fundamenti ſed in propriè Sic noſter Doctor loco citato. Tataret. vbi & alij Scotiſtæ.

I. Pars. Probatur Prima pars explicatur prius, & probatur ſic. dupliciter intelligi poteſt, primò quod tantum intenditur cum fundamentum intenditur, & remittitur cum remittitur, & hic ſenſus prorſus eſt falſus; tum cum fundamentum eſt quantitas quæ non intenditur & tamen dicitur aliquid magis vel minus in æquale. Tum etiam dum fundamentum intenditur, ſit fundamentũ intendi non vero relationẽ nec per ſe nec per accidens nec propriè nec inpropriè, vt dum alba duo vt quatuor fiunt vt octo non eſt maior ſimilitudo quàm quæ erat antea. quim etiam interdum contingit fundamentum intẽdi relationem vero remit B ti, vt cum ex duobus albis vt quatuor alterum intenditur, fiunt minus ſimilia, aut vice verſa fundamentum remitti relationẽ intendi, vt cum ex duobus albis vnum vt quatuor alterum vt ſex hoc fit vt quimq; fiunt magis ſimilia. Secundus ſenſus eſt ex quauis mutatione aut variatione fundamenti relationem etiam variari dicique magis & minus ſuſcipere, & hic eſt verus & probatur, quia ſi fundamentũ quod eſt ab vnitate deficire latitudinem habet & variatur: ergo & relationes quæ in ipſo fũdãtur, vnde ſicut propter maiorem vel minorem acceſſum ad vnitatem eſt maior vel minor diuerſitas, ita propter maiorem vel minorem acceſſum ad æqualitatẽ, poteſt eſſe maior vel minor in æqualitas, et idem de diſsimilitudine.

II. Pars. Probatur. Secũda pars, quòd nimirum hæc ſuſcep C tio magis & minus impropria ſit patet, quia in ea quæ propria eſt, eadem numerò forma manens ſit magis vel minus intenſa & compoſita ex gradibus vt ex partibꝰ ſimul manentibus, in relatione verò longe ſecus res ſe habet, non enim eadem diſsimilitudò quæ erat minor remanet facta maior, ita vt ex pluribus relationibus minoris & maioris diſsimilitudinis coaleſcat, ſed dicitur intendi quia pereunte relatione minoris diſsimilitudinis relatio maioris ſucedit, diciturque remitti & minus ſuſcipere cum ex aduerſo ſe habet.

Ad *Primum* Argumentum dicẽdum eſt de diſsimilitudine & in æqualitate intelligendum eſſe Phyloſophum iuxta tertiam concluſionem. de diſsimilitudide verò & æquali-

æqualitate laté & abuſiuè accepiſſe pro ea quæ nō multum diſtat à propria & per fecta ſimilitudine aut æqualitate.

Ad. II. Argumē. Ad Secundum negabis minorem ex dictis, cum enim communiter dicitur vnam quantitatē alteri eſſe magis æqualem quā aliam vt bipedalem magis æqualem eſſe tripedali quam pedalem, loquutio impropria eſt, cum re vera inter iſtas quantitates nulla detur æqualitas, & propria intenſio aut remiſsio æqualitatis ipſum eſſe æqualitatis præſupponit, quod enim nō eſt intendi aut remitti nequit. Vulgaris ergo loquendi modus ea quæ in æqualia ſunt in extenſione & diſsimilia in graduali intenſione magis vel minus æqualia aut ſimilia appellat, quia magis vel minus a propria æqualitate aut ſimilitudine diſtant.

Ad. III. Argumē. Ad Tertium inter dictas relationes latitudinem eſſe iuxta dicta nō tamen reſpectu eiuſdem relationis, ita vt eadem latitudinem habeat, cum quæuis in æqualitas in ſuo gradu in indiuiſibili conſiſtat, licet enim ſimpliciter loquendo diuerſitas aut defficere ab vnitate latitudinem habeat, proporcio autem diuerſitatis aut deffectus vt tanta quæ fundamentum eſt iſtius in æqualitatis, & terminus vt tantus vt .ſ. negationem maioris exceſſus includit in indiuiſibili conſiſtunt. Vnde cum termini ſunt diuerſi, & fundamēta proxima diuerſa, diuerſæ ſcilicet proporciones, relationes erunt diuerſæ, nec diſsimilitudo aut in æqualitas dicitur minor quàm iſta, quia plus æqualitatis aut ſimilitudinis habeat, ſed quia magis accedit ad æqualitatē aut ſimilitudinem quàm iſta.

QVÆSTIO III, DE SIMVLtate natura cognitionis & diffinitionis relatiuorum ac de eorum conuertentia.

HANC verſat noſter Doct. hic q. 27. Ne quaquam in præſenti comparamus abſolutum vnius extremi ad abſolutum alterius, ſic enim cum vnum poſsit eſſe ſine alio & vnum cauſa alterius nō ſunt ſimul natura nec relatiuum vnius extremi ad abſolutum alterius quod eſt eius terminus, cum prius natura ſit terminus formaliter ſumptus & fundamentum quàm relatio quæ vt diximus ex coexiſtētia fundamenti & termini reſultat, prius ergò ordine naturæ ſupponitur, ſubſtantia patris generans, & ſubſtantia filij genita quàm in illa conſurgat relatio paternitatis & in hac relatio filiationis, quia forma le fundamentum vnius, terminus eſt formalis alterius & è conuerſo. Vnde ſicut prius natura eſt, hic homo vt generans quàm ſit vt pater, ita prius natura eſt hic homo vt genitus quàm ſit vt filius . ſolum ergo comparamus vnum relatiuum formaliter cum correlatiuo formaliter.

Opin. Tho. Dicunt ergo Thomiſtæ hanc relatiuorum ſimultatē naturæ cognitionis, & diffinitionis poſitam eſſe in mutua & formali reſpicientia & terminatione vnius ad aliā & in eſſentiali ac formali depēdentia qua mutuò à ſe inuicem dependent, atqui hoc falſum eſſe ſupra. Ar. 3. q. 2. oſtenſum eſt quia potius ex illa poſitione nō eſſe ſimul natura infertur, ſi enim vna relatio eſt terminus formalis alterius, vna erit altera prior, cum formalis terminus ordine naturæ relationem præcedat, in ſuper quòd dependentia vnius ab alio poſterioritatem naturæ eſſentialiter importat.

Qui omnia relatiua ſiue mutua ſiue non mutua ad relatiuum formaliter terminari tuentur, hanc eſſe aiunt proprietatem relatiui vt ſic. in relatiuis autem nō mutuis procedunt iuxta varios ſentiendi modos de relatione rationis alterius extremi.

I. Conclu. Prima concluſio ſit (vt mentem noſtri Doctoris de hac re aperire incipiamus) relatiua mutua ſunt ſimul natura, & probatur ex Ariſtot. quia poſito vno ponitur & reliquum, & conuerſo, & deſtructo vno deſtruitur reliquum & èconuerſo. Hæc autem ſimultas naturæ in eo conſiſtit, vt egregiè explicat noſter Doctor in 1. d. 28. q. 3 *§. ad. q. iſtam* quòd cum relatio poſito fundamēto & termino formali neceſſario ſtatim conſurgat, poſitis fundamento & termino vnius relationis ſimul ponūtur neceſſariò fundamentum & terminus relationis oppoſitæ: ergo cum vna reſultat in vno extremo, ſimul natura & alia in altero extremo conſurgit. ex illa ergo connexione neceſſaria quam vna relatio habet à fundamento alterius vt à termino & èconuerſo, ſequitur inter illas concomitancia ſimultanea adeo neceſſaria vt vna ſine alia eſſe nequeat, & quòd dici poſsit à ſe inuicem dependere concomitāter. Sicque ſoluta manet confirmatio quædam q. citatæ pro prima opinione, nō enim Petrus eſt prius natura formaliter pater, quàm Paulus ſit formaliter filius, vnde in nullo ſigno priori reſpicit Paulum in quo Paulus non ſit filius, in primo enim

(vt ſic loquar) ſigno ſupponitur coexiſtentia fundamenti & termini in Secũdo vtraque ſimul conſurgit relatio.

Quòd ſi dixeris vna relatio eſt perfectior in ſua natura & eſſentia quàm alia, in relatiuis diſquiparãtiæ vbi relationes ſunt diuerſæ ſpeciei, duæ autem ſpecies neque ſunt eſſe æquales ſicut nec differentiæ quibus conſtituuntur vt probatur. 8. meth. ergo prior natura. Reſpondendum cum Doct. ibi quòd ſicut cum ſimultate temporis ſtat prioritas naturæ, & cum ſimultate naturæ ſtat proritas originis, ita & perfectionis. duæ enim relationes quarum vna eſt perfectior alia, ſic ſe poſſunt habere, vt vna nequeat eſſe ſine alia.

Si ſecundo obijcias, prius & poſterius formaliter ſunt correlatiua, & tamne non ſunt ſimul natura, alioquim prius in quantum prius eſſet poſterius, quia quod eſt ſimul cum poſteriori in quantum poſterius eſt poſterius. Reſpondendum cum eodem Doct. tam ibi quàm in præſenti q. 28. §. ad. 5. *dico.* rem quæ prior dicitur antecedere poſteriorem, licet relationes ipſæ prioris & poſterioris ſint ſimul natura. vnde vt ſic in actu exercito ſimul ſunt natura, in actu verò ſignato ſeu vt quo habẽt rationem prioris & poſterioris.

II. Conclu. Secunda concluſio, in relatiuis non mutuis non datur hæc ſimultas naturæ atque adeo non eſt proprietas hæc relationi in communi conueniens. ſic noſter Doctor cum Ariſt. in hoc c. 1, pars patet quia talia relatiua non ſunt ſimul duratione, cum enim relatio in alio extremo reperta tantum ſit rationis, non eſt niſi cum ab intellectu fit, vt ſupra copioſè oſtenſum eſt. nõ ergo ſunt ſimul natura.

III. Conc. Tertia cõcluſio, relatiua ſunt ſimul cognitione, quæ ſimultas in hoc cõſiſtit, quod vt relatio aliqua cognoſcatur illius terminus cognoſci debet, non quidem vt formaliter correlatiui rationem induit, quod cõmune eſt omni relationi tam mutuæ quã non mutuæ nec ſecũdum totam naturam termini omnes vel illius proprietates & attributa, ſed præciſſé ſub formali ratione qua terminat, ſicut relatio ſeruitutis creaturæ ad Deũ vt eſſentialiter cognoſci poſſit, & Deus cognoſci debet, non vt formaliter dominus eſt per relationem rationis dominij, nec abſolutè ſecundum totam illius naturam, aut quoduis attributum, ſed ſub formali ratione qua terminat, quæ in eo eſt poteſtas coercendi ſubditos, nec ra-

tionem hanc exactè cognoſci oportet, A ſed ſufficit abſtractiuè & ex effectib9 ſub aliqua ratione confuſſa.

Ex hoc autem ſequitur quòd cum terminus relationis mutuæ relationem tã mutuam habeat ex cõſequenti illa cognoſcator, obid relationes mutuæ ſimul etiam cognitione dicuntur, quia tunc aliquam relationem cognoſcimus, cum illius fundamentum & terminum cognoſcimus, fundamentum autem & terminus vnius relationis vice verſa fundamentum eſt & terminus alterius cum ergò cognoſcitur vnũ relatiuum, ſimul & aliud cognoſcitur.

Quarta concluſio relatiua etiam dicuntur ſimul diffinitione, quæ ſimultas proporcionaliter intelligenda eſt ac cognitionis, cum relationis diffinitio quædam ſit illius cognitio, quod vnum relatiuum, per habitudinem ad ſuum terminum vt termini rationem habet non vt correlatiui B diffinitur tamen in relatiuis mutuis qua ratione concomitanter ſimul dicuntur cognitione ita & diffinitione, quod intendit Phyloſophus aſtruẽs qui diffinitè cognoſcit vnum, diffinitè cognoſcit & alterum quod ſcilicet cum diffinitio vnius traddi debeat per fundamentum & terminum, quæ vice verſa vtriſque conueniunt, ſubinde fit quòd qui diffinitè vnum cognoſcit, alterum quoque diffinitè cognoſcat. Vel vt alij dicũt ibi diffinite ꝓ determinatè & in particulari vſurpatur, ita vt ſit ſenſus quòd ſi determinatè & in particulari vnum relatiuum cognoſcitur, & alterum determinate cognoſci oportet ſed non quiditatiuè, id enim quod vt additamentũ ponitur in diffinitione alterius non neceſſum eſt vt quiditatiuè percipiatur, ſed ſufficit quòd aliquo pacto. *IIII. Conc.*

Ult. Conc. Vltima concluſio, relatiua etiam dicun C tur ad conuertentiam, quæ conuertentia vt optime aduertit noſter Orbellus, non eſt mutua duorum terminorum æqualiũ verificatio, in qua vnum infert aliud, & infertur ab illo, quo pacto inferuntur eſſentia & propria paſſio, eſt homo ergo & riſibilis & èecontra, quæ cõuertibilitas appellatur, nec per mutatio ſubiecti in prædicatum & éeontra quæ in propoſitionibus reperitur, hæc enim propoſitionum conuerſio appellatur, vt diximus in ſummulis, ſed eſt qua ordo & habitudo relatiui ad terminum explicatur, per repetitionem ſui cũ termino ſuo relato, & ſic in oratione poſitum dicitur eſſe alterius, vt cum dicimus

pater

pater eſt filij pater, & filius eſt patris filius non tamen per ſimilem conuertentiam & reciprocationem diſtinctè & perfectè explicatur natura relatiui, quia non explicatur terminus ſub propria ratione termini atque adeo prædicta cõuertentia non eſt propria diffinitio relatiuorum per proprias cauſas illorum naturam explanans, aliàs enim in circulũ incideremus, qui ab omni diffinitione omnino relegandus eſt teſte Phyloſopho. 5. meth. c. 15 atq; adeo iam idem bis diceretur, hoc eſt inutilis fieret repetitio vt egregiè explicat noſter Doctor quotli. 13. cum diffinitum in ipſa repeteretur diffinitione, vt ſi intellectus (vt exemplo Ariſt. vtamur) ad intelligibile formaliter referretur, cum vt ſic diffiniatur, intelligibile eſt cuius eſt intellectus, diceretur intellectus referri ad id cuius eſt intellectus, ecce nugatoria repetitio. Vnde concludit de viſu aſſerens *viſus dicitur ad aliquid non ad id cuius eſt viſus*, ideſt viſus non dicitur ad viſibile vt viſibile, quo pacto eſt id cuius eſt viſus, vt ſupra Ad. 3. q. 2. ſancitum eſt ſed ad aliquid abſolutum ſcilicet *ad calorẽ vel quid aliud* ſcilicet lucem.

Pater ergò dicitur filij pater eo quòd eſt ad ſubſtantiam *Petri*, qui filius dicitur à relatione filiationis, non tamen ad filium formaliter refertur vt oſtenſum eſt, ac pro in, non rectè per filium formaliter diffinitur. Vnde proprietas hæc vt rectè. D. Soarez animaduertit, magis ad loquendi modum de relationibus (habentẽ tamen fundamentum in re) ſpectat quàm ad rem. & hæc de præſenti diſputatione.

DISTINCTIO VI. De ordine Quarti Prædica. Qualitatis.

PRÆDICAMENTVM hoc quod de qualitate & quali Phyloſophus inſcriptum reliquit, vt tam in cõcreto quàm in abſtracto cõſtitui doceret, ſicut ſupra. d. 2. q. 3. ſancitum eſt de quouis prædicamento id dicendum eſſe. 5. meth. c. 14. prædicamento relationis perfectionis ordinem ſectatus præpoſuit cum qualitas relationem longè ſuperet in perfectione, in præſenti vero poſt poſuit prius de relatione quam de qualitate diſſerens, quia ſecundum ordinem afficiendi ſubſtantiam quem hic conſiderat relatio quantitatem conſequitur, ob id poſt iſtius diſolutionem, de relatione ſermonem inſtituit, cuius litera ſequentibus concluſionibus perſtingitur.

LITERA ARISTOTELIS

CAPITE octauo Prædicamentorum de qualitate aut quali hoc docuit Ariſtoteles.

Prima concluſio. *Qualitas eſt ſecundum quam quales eſſe dicimur* intellige, propriè & ſimpliciter, *dicitur autem qualitas multis modis.* I. Conclu

Secunda concluſio. *Vna qualitatis ſpecies eſt habitus & diſpoſitio, dicitur habitus qualitas quæ difficilè mobilis eſt à ſubiecto, quæ verò facilè mobilis diſpoſitio.* II. Concl.

Tertia concluſio. *Alia ſpecies qualitatis eſt potentia naturalis vel impotentia, illa ad agendum vel reſiſtendum facile, vt habilitas ad curſum luctam ve. item durum ad facile & fortiter reſiſtendum. iſta verò ad difficilé ægraque agendum vel reſiſtendum vt molle.* III. Conc.

Quarta concluſio. *Tertia Qualitatis ſpecies eſt qualitas paſſiua quæ ideò ſic dicitur vel quia eſt cauſa paſſionis in alio ſubiecto, vt dulcedo in guſtu, calor in tactu, vel eſt effectus paſſionis vt albedo & nigredo ac alij colores qui per paſſionem fiunt. qualitas autem iſtius ſpeciei ſi diuturna ſit in ſubiecto, qualitas paſſibilis dicitur, vt rubedo à propria natura & complexione proueniens, quæ vero citò tranſit, paſſio dicitur vt rubedo ex verecundia.* IIII. Con

Quinta concluſio. *Quarta qualitatis ſpecies eſt figura aut forma, vt rectitudo curbitas & ſimilia, figura trianguli aut quadranguli, per illas enim quales eſſe dicimur & licet fortaſsis aliæ ſint ſpecies qualitates, iſtæ tamen ſunt notæ ac vſitatæ.* V. Conc

VI Concluſio. *Qualitatis concretum ac denominatiuum eſt quale, quale autem eſt quod à qualitate tale denominatur ſimpliciter.* VI Con.

Septima Concluſio. *Qualitatis tres ſunt proprietates. 1. ſuſcipere magis & minus. 2. habere contrarium. 3. quòd ſit fundamentum ſimilitudinis vel diſsimilitudinis.* VII. Con

VIII. Concluſio. *Secundum diuerſas rationis* VIII. Cõ

tiones ſcientia ponitur in hoc prædicamento, & in prædicamento relationis, vt habitus eſt ponitur in hoc, vt verò relatiuus in illo.

LITTERA DOCTORIS.

SEPTEM de hoc quarto prædicamẽto qualitatis Quæſtiones verſat noſter Doct. a 30. incluſiuè vſque ad. 36.

Q. 30. D. QVÆSTIO I. V. ſpecies qualitatis conuenienter aſsignentur.

I. Conclu Prima concluſio. *Poteſt dici quòd Ariſt. non aſsignat ſpecies Qualitatis ſed aſsignat modos eius vt patet per litteram eius.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Si teneatur Ariſto. numeraſſe ſpecies Qualitatis, poteſt dici, prædictas ſpecies fuiſſe ab Ariſt. explicatas per modos aut differentias accidentales, vt per facile vel difficulter mobile, inferre paſsionem ſẽſui &c. quia differentiæ eſſentiales ſunt ignotæ §.* ad omnes iſtas quinque quæſtiones.

Q. 31. D. QVÆSTIO II. An I. ſpecies qualitatis ſit habitus & diſpoſitio.

I. Conclu Prima concluſio. *Poteſt dici habitum & diſpoſitionem eſſe primũ qualitatis modum.*

II. Concl Secunda concluſio. *Si verò teneatur eſſe ſpeciem dicendum eſt quòd facile vel difficile mobile ſunt differentiæ accidẽtales atque adeo per illas habitus & diſpoſitio differũt accidentaliter* eodem *§.*

Q. 32. D. QVÆSTIO 3. An 2. ſpecies Qualitatis ſit naturalis potentia vel impotentia.

I. Conclu Prima concl. *Sit. vtrumque etiam de illa poteſt dici, aut eſſe modum aut ſpeciẽ.*

II. Concl Secunda concluſio. *Naturalis potentia eſt principium faciliter agendi vel patiendi, impotentia verò difficulter agendi vel reſiſtendi.*

Q. 33. D. QVÆSTIO 4. An 3. ſpecies Qualitatis ſit paſsibilis Qualitas.

I. Conclu Prima concluſio. *Etiam poteſt dici eſſe tertium modum Qualitatis, vel cauſam paſſionis in ſenſu, aut effectum paſsionis, aut eſſe veram ſpeciem per modum accidentalem ſignificatam.*

II. Concl. Secunda concluſio. *Paſsio & Paſsibilis qualitas præcisè ſumptæ, diſtinguuntur accidentaliter per eſſe permanens, aut cito tranſiens.*

Q. 34. D QVÆSTIO V. An forma & figura ſit Quarta ſpecies qualitatis.

Concluſio affirmatiua *Secundum vtramque viã, figura enim vt dicit ipſam terminationem vel clauſionem ſuperficiei per ſe pertinent ad genus Qualitatis.*

A QVÆSTIO VI. An iſtæ quatuor ſpecies conuenienter ordinentur. Q. 35. D.

Concluſio *Tenendo has veras eſſe qualitatis ſpecies dicendum eſt: illas non ordinari ab Ariſtot. ſecũdum hoc quod eſt immediatius conſequi ſubſtantiam vel quantitatem ſed ſecundum maiorem communitatem in genere qualitatis, qui ordo ſic poteſt ſaluari, quòd illa ſpecies quæ eſt communior in genere qualitatis. 1. minus addens ſuper rationem qualitatis abſolutè licet non ſit à natura ponitur prior ſpecies altera quæ non eſt ita communis vnde prima ſpecies eſt communiſsima, quæcũque enim qualitas non habens aliquam differentiam alicuius aliarum ſpecierum poteſt poni in hac prima ſpecie: poſt hãc ſecũda prior eſt aliis, quia conſequitur naturam rei tam quam ſuam cauſam, & 3. poſt hanc eſt communis, diſponit ſubiectum in profundo & in ſuperficie, quarta eſt vltima per priuationẽ* B *omnium iſtarum, ſeu quia diſponit ſecundũ quantitatem tantum.*

QVÆSTIO VII. An ſpecies qualitatis ſufficienter enumerentur. Q. 36. D.

Prima concluſio. *Poteſt dici, quòd non enumerauit hic Ariſt. omnes ſpecies qualitatis, ſicut videtur dicere in litera, ſed ſpecies magis famoſas.* I. Conclu

Secunda concluſio. *Suſtinendo tamen quòd ſufficienter numerantur, dicendum illarum ſufficientiam ſic colligi, quòd cum qualitas diſpoſitio ſit quædam ſubſtantiæ, alia eſt diſpoſitio interior, alia exterior; exterior non primò ſenſibilis & ſic eſt figura quarta ſpecies, aut primò ſenſibilis & ſic eſt tertia ſpecies. Si interior diſpoſitio aũt eſt innatum principium operandi, & ſic ſecunda ſpecies, aut nõ innatum principium operandi & ſic prima ſpecies.* II. Concl.

Tertia concluſio. *Nulla qualitas eadem* C *eſt in vna ſpecie & in alia, nec etiam aliquæ differentiæ duarum ſpecierum dicuntur de eadem qualitate.* III. Conc

Tandem Doctor determinat de raro & denſo, & explicat tres proprietates qualitatis ſecundum literam Ariſtot. de quibus nos in quæſtionibus agemus.

COMMENTARIVM.

PRÆDICAMENTVM hoc quod geminatam inſcriptionem ſortitur merito ſex vltimis prædicamẽtis ante

tis āteponitur. Tū quia illa magis eſt ſubſtantiæ coniuncta, hæc vero ſunt magis elōgata. Tum etiam quòd Qualitas principium eſt actionis, principium autem illi cuius eſt præ intelligitur. quæ ergo circa illam difficultatem ingerunt, his controuerſijs illuſtrantur.

QVÆSTIO I. EX ACTE ne ſit qualitas quæ hoc prædicamentum conſtituit ab Ariſt. diffinita.

QVALITATEM ſic Phyloſophus deſcribit, *qualitas eſt qua quales eſſe dicimur.* ſtatim tamen occurruut multa quæ præfatam deſcriptionem labefactare videntur.

I. *Argum* Primum eſt quòd hoc quod eſt ſubſtantiam qualem reddere omni accidenti cōmune eſt, obid que Porphy. c. de genere aſſeruit omnia accidentia in quale enunciari, nec enim Phyloſophus in hac deſcriptione ſpecialem aliquam qualificandi rationem expreſsit, cùm abſolutè dicat per quam quales reddimur, diminutè ergò proceſsit.

II. *Argũ.* Secundum; quòd Ariſt. Qualitatem per quale, rurſus quale per qualitatem diffiniens ſibi ipſi aduerſatur. 6. topic. c. 3. aſſerenti in rebus diffiniendis circulum eſſe maximè cauendum, quem tamen in præſenti committit.

3. *Argu.* Tertium, quòd æquè obſcura nobis manet propria ratio qualitatis ac ſi diffinita non eſſet, ob id enim cætera prædicamenta per ſuos effectus formales ſeu ſua concreta non diffiniuntur Qualitas per dare eſſe quantum, relatio per dare eſſe relatū quia ignorata forma, ignoratur etiam effectus formales prædictam formam inclu dens. Hoc ergo ipſum eſt quod inquirimus, quid eſt hoc eſſe quale, ſicut quid eſt eſſe quantum.

I. *Notabi.* Ad notare tamen oportet vt notificatio qualitas ab Ariſt. præfixa ab his ac alijs ſimilibus calumnijs vindicetur, Qualitatis nomen multiplex eſſe in ſua ſignificatione, primò enim generatim ſumpta, ſignificat determinationem aut actum aliquem perficientem, & in hac acceptione id omne quod aliquo modo forma eſt aliudque modificat & determinat cōtrahit ve gradum ſuperiorem, qualitas dicitur, ſic forma ſubſtantialis ab Ariſt. 4. meth. c. 5. Qualitas appellatur, & ſecundam ſubſtantiam in c. de ſubſtantia aſſerit eſſe qualitatem A reſpectu primæ, quia ſe habet vt forma reſpectu illius, & differētiam eſſentialem 5. metaph. c. 14. qualitatem eſſentialem appellat, & Porp. prædicari in qualequid & forma quæuis accidentaria qualitas dicitur, quia quod piam accidens ſuo modo ſubſtantiam afficit ac determinat. in his autem acceptionibus non ſumitur qualitas in præſenti, ſed prout peculiarem modum importat qualificandi ſubſtantiam, à cæteris omnibus diſtinctum, & ſolius qualitatis proprium. de hoc ergò inquirimus quid ſit, quia res eſt difficilis explicatu.

Aſſerunt plerique hanc ſpecialem rationem in eo conſiſtere quòd ſit modus aut diſpoſitio ſubſtantiæ determinans illius potentiam ſeu in differentiam ad peculiare eſſe accidentale. cum enim ſubſtantia B ſit indifferens ad plura per qualitatem vt per differentiam accidentalem determinatur, vt in ſe ipſa ſit diſpoſita. I. *Modus Dicenas. Thomiſt.*

Impugna Sed ad huc non videtur res explicata; cùm enim quodlibet accidens forma ſit capacitatem ſubiecti ſecundum eſſe accidentale determinans, vt de quantitate relatione paſsione vbi &c. cōſtat, vnde dixit Phyloſophus. 7. meth. accidens eſſe diſpoſitionem entis. 1. ſubſtantiæ, quodlibet erit qualitas. quòd ſi id limitatè eſſe intelligendùm aſſeras? id tibi explicandùm reſtat, quæ ſit illa ratio determinationis ac diſpoſitionis ſoli qualitati propria; differentia enim accidētalis etiam ex actione velpaſſione ſumi poteſt.

II. *Mod* Alij dicunt, quòd cùm omnia accidentia ſint vt ſubſtantiam perficiant & cōpleant id peculiare habet qualitas, quod ſit ad ornandam & perficiendam ſubſtantiam inſ C tituta, vt conuenienter ſit tam in exiſtēdo quàm in agendo affecta. Hic tamen explicandi modus ab alijs ſic exploditur, quod multæ ſunt qualitates quæ nō ornant aut cōplent ſubſtātiā ſed potius deſtruūt & vitiāt vt habitus vitiorum error & aliæ ſimiles. tū etiam quòd ratio generica per illius ſpecies explicatur, vt per primā quę diſponit ſubiectum in ſuo eſſe naturæ, & per ſecundam quæ diſponit ad agendum. *Impugna*

Id circo dicunt alij rationem Qualitatis adeo eſſe abſconditam & abſtruſam, vt à nobis attingi non poſſit, nec ab Ariſtotele fuiſſe explicatam fatentur multi.

II. *Notab.* Adnotandum eſt, quòd ſicut proprius effectus quantitatis per quem diffinitur eſt red-

eſt reddere ſubſtantiam extenſam, & relationis conſtituere ad aliud relatam, ita & proprius qualitatis effectus eſt ille qui hoc nomine propriè & ſtrictè ſumpto ſignificatur, quia illa ſola eſt quæ tribuit ſubſtantiæ eſſe quale ſimpliciter abſolutè, cuius rei euidens indicium eſt, quòd ad interrogationem factam per quale ſtrictè ſumptum per ſolam qualitatem reſpondemus, vt per contanti qualis eſt Petrus, album eſſe dicimus aut doctum, non vero magnum, vel ad aliud relatum, á ſex autem vltimis prædicamentis non qualia dicuntur ſubiecta, ſed aliqualiter ſe habētia. verum eſt quòd talis effectus qualificandi vt ab alijs diſtinctus nō ita diſtinctè capitur ac explicatur, quem Doctores pro ſuo captu exprimere conantur.

I. Conclu. Prima concluſio Qualitatis eſſentia per hanc diffinitionem Ariſtotelis conuenienti ori modo quo exprimi poteſt explicatur, ita omnes communiter cum noſtro Doct. proba. Sicut eſſentia quãtitatis, eſt quãtificare ſeu quãtitatiue ſubſtantiã extẽdere, ita & qualitatis ſpeciali modo qualificare ergo p̃ hãc diffinitionẽ eſſentia qualitatis innoteſcit, licèt enim actu cõferre effectum formalem non ſit de eſſentia formæ, aptitudo tamen ad illum conferendũ ſeu dare aptitudinaliter eſt eſſẽtialis vt in ductione patere poteſt, eſſentia albedinis eſt ſubiectum poſſe album reddere, cũ præciſo omni non eſſentiali, ad huc in illa perſiſtat poſſe efficere album, cum hoc ex viſuæ præciſæ formalitatis præſtet. atqui qualitas hic diffinitur per effectum formalem, quẽ tribuere apta eſt, ergò diffintio hæc aptitudinaliter intellecta eſt eſſentialis, non quidem diffinitio propria, cum genera ſuprema propriã nequeant diffinitionẽ habere, ſed explicatio eſſentiæ & quidditatis illius prædicamenti.

II. Conclu. Secunda conclu. Qualitas præfato modo diffinita tamquam ſupremum genus iſtius prædicamenti, in quatuor modos ſeu ſpecies ſubalternas (hoc poſtea præfinietur) partitur primã appellat Ariſ. habitum aut diſpoſitionem. Alteram potentiam naturalem & impotentiam. 3. paſsionem & paſsibilem qualitatem. 4. formam & figuram, de quibus ſigillatim diſſerendũ eſt.

III. Conc. Tertia concluſio ſub hoc genere non ſolum continentur qualitates naturales, ſed etiam ſupernaturales, Sic Doctor in. 4. d. 6. q. 10. contra Henrricum oppoſitum aſſerentem. Probatur autem concluſio à

A noſtro Doct. ratio ſupernaturalitatis licèt eleuet qualitatem ad ordinem altiorem non tamen extrahit á propria ratione qualitatis: ergo nec á proprio genere qualitatis. Probatur antecedens, quia propria ratio generis qualitatis (vt viſum eſt) eſt ſimpliciter & abſolutè afficere & perficere ſubſtantiam ſed ratio hæc propriè & ſimpliciter conuenit qualitatibus ſupernaturalibus, vt Gratiæ & Charitati Fidei Spei &c. Cum ſimpliciter perficiãt ſubiectum, ergo ratio ſupernaturalis non extrahit illas á propria ratione qualitatis. Si dixeris, licet ratio hæc non omnino extrahat, ita tamen eleuat, vt cauſet analogiam Sed hoc facilè euertitur, eleuatio hæc nõ tollit á qualitate ſupernaturali & naturali vnitatem vniuocam, cum rationem qualitatis ſimpliciter á qualitate naturali non minuat, nec in illa proporcionem aliquam B efficiat habitudinem ve, analogiam conſtituentem. Quis enim dicat actum charitatis non eſſe propriè & vniuocè actum voluntatis?

Obiecta autem contraria ſic diluuntur. Primum ex dictis, in hac diffinitione modũ exprimi qualificandi peculiarem.

Secundũ ſolues ſi dixeris circulum, non eſſe quando duo ſe adinuicem in diuerſo genere cauſæ diffiniunt, Qualitas enim diffinit Quale in genere cauſe forãlis, quia è forma illius, quale vero diffinit qualitatẽ in genere cauſæ materialis, cũ quale ſit materiale qualitatis ſubiectum, Vel vt alij, qualitas diffinitur per quale vt per cauſam finalem, quale enim eſt cauſa finalis qualitatis, quia propter illud intenditur, quale vero per qualitatem vt per cauſam formalem. Vel 3. cum noſtro Docto. ſ. *circa notificationem qualium* quòd cum effectus ad cauſæ cognitionem á poſteriori C conducat, cauſa verò ad cognitionem effectus á priori, circulum non committi cum à cauſa ad effectũ & ab effectu progredimur ad cauſam, prima ergo notificatio eſt per effectum, & per nobis notius, quia concretum accidẽtale ratione ſubiecti magis innoteſcit quàm abſtractum, ſecunda vero notificatio Qualis, eſt per cauſam formalem atque adeo per notius ſimpliciter. 1. á priori & in ſe, *neutra tamen* (ait Doctor) *notificatio eſt diffinitio* intelligẽ propria vt in. 1. conc. diximus.

Ad Tertium Reſpondieb ex dictis Qualitatem per ſuum effectum formalem nominequalis ſpecialiter ſumpti ſignificatũ ne om-

diffiniri, cum ipſa ſola ſit quæ ſubſtantiam ſimpliciter qualem conſtituit, in qua ratione omnes Qualitatis ſpecies vniuocè & eſſentialiter conueniunt. quòd autem iſte effectus qualitatis atque ipſa qualitas nõ aliter explicari poſsit ſicut explicatur natura quantitatis & relationis non mirum, quia difficilè admodum eſt aliter exponere quid qualitas ſit.

QVÆSTIO II. QVO PACTO *habitus & diſpoſitio Primam ſpeciem qualitatis conſtituant.*

TRIA ſunt in hac controuerſia diſpicienda. 1. in quo cõſiſtat eſſentia iſtius ſpeciei generis vt ſubalterni qualitatis. 2. num in habitum & diſpoſitionem vt in duas ſpecies eſſentialiter diſtinctas diuidatur. 3. quæ qualitates ſub his contineantur. quæ vt explorata fiant, titulus explanadus eſt quid nomine habitus & diſpoſitionis ſignificetur.

Habitus exſpoſitio. Nomen habitus ſecundum Doct. in reſponſ. ad q. 31. varias habet ſignificationes 1. enim. ſi vt participium eſt iſtius verbi habere ſumatur, rem habitam ſignificat quoquo modo habeatur, de quo. d. vltima 2. ſumitur vt nomen & ſic, aut ſignificat quancumque formam poſitiuam cui opponitur priuatio, vt infra in oppoſitione priuatiua. 2 ſignificat indumentum quod habitus appellatur. 3. habitudinem illam mediam inter veſtem & rem veſtitam, & ſic eſt prædicamentum habitus. 4. qualitatem radicatam in ſubiecto & difficulter mobilem ſiue benè vel malè aut in ordine ad ſe aut ad operationem ſubiectum afficiat, in qua acceptione diffinit Phyloſoph. 5. metaphy. c. 20. & in ea dixit Phyloſophus ſanitatem eſſe corporis habitum, & naturalis corporis diſpoſitio à medicis bonus vel malus habitus dici ſolet.

Vltimò tãdem ſignificat qualitatem potentiæ ſuperadditam; aut proprijs actibus acquiſitam qua facilis redditur ad operandum, aut ab extrinſeco indita, vt potẽtia compleatur & confortetur vt in operationem prodire poſsit.

Diſpoſitiones expoſi. Diſpoſitio etiam multifariam accipitur 1. teſte pro ordine partium in ordine ad locum, & ſic pertinet ad prædicamentum ſitus. Aut pro ordine partium in toto (nõ quidem relatiuo ſed fundamentali) & ſic pertinet ad prædicamentum quantitais, diffiniturque ab Ariſt. diſpoſitio 5. meth. tex. 24. ordo habentis partes ſiue diuerſarum partium poſitio & ordo in habente partes. 3. ſumitur comparatiuè, prout vna res dicitur ad aliam præparare; quo pacto non ſolum qualitatibus ſed & reb9 aliorum generum competit, vt quantitas dicitur diſpoſitio materiæ ad formam, motus ad ſalutem, operatio ad virtutem, paſſio ad corruptionem &c. 4. ſumitur pro ſpeciali modo qualificandi ordinandi & diſponendi ſubſtantiam aut in ſe ipſa aut in ordine ad operationẽ, & ſic ita generalis eſt ac qualitas, vt ait Doct. Ad 2. queſt. 5. ideo dicendum, determinatur que ad ſuas ſpecies per diuerſum modum diſponendi. 5. ſignificat qualitatem faciliter mobilem a ſubiecto. Vltimo tandem qualitatem quæ hanc primam ſpeciem conſtituit, & in hac ſignificatione aliquando generatim ſumitur, vt complectitur habitũ, & operationem, aliquando ſpeciatim cum præciſione vt diſtinguitur cõtra habitum, vt ſtatim explicabitur.

Thomiſtæ Opinio. Circa Primum ergo communis ferme eſt opinio Thomiſtarum aſſerens, eſſentiam iſtius primæ ſpeciei generis vt ſubalterni qualitatis in eo conſiſtere, quòd ſubiectum benè vel malè diſponat in ordine ad naturam, abſtrahendo ab hoc quod eſt facilè vel difficilè dimoueri poſſe à ſubiecto, & quia ipſa natura eſt finis generationis & motus & per reſpectum ad finem ſumitur ratio boni vel mali ideo in prima ſpecie bonum & malum & facilè & difficilè mobile reperitur, ſi enim ſit modus rei naturæ conueniens habet rationem boni, ſi diſconueniens rationem mali, & quia natura eſt id quod eſt primum in re ideo habitus ponitur prima ſpecies Qualitatis.

Circa ſecũ. Circa ſecundum conſequenter aſſerunt hanc primam ſpeciem quæ diſpoſitio apellatur in genere, in habitum & diſpoſitionem particulariter ſumptam diuidi vt in duas ſpecies eſſentialiter diſtinctas per facilè & difficilè mobile, non quidem ex cauſis extrinſecis vt ex temporis diuturnitate aut ex conditione particulari ſubiecti alia ve ſimili cauſa accidentali deſſumptis quo pacto ſunt differentiæ accidentales & conſtituunt habitum & diſpoſitionem ſecundum modum tantum & nõ ſecundum rem, ſed ex propria natura deſſumptis, ita vt ille ſit habitus ſecundum rem, qui ex natura ſua eſt difficile mobilis, & illa ſit diſpoſitio ſecundum rem, quæ ex natura ſua eſt facile mobilis.

Cuius

Fundam̃m Cuius doctrinæ fundamentum potiſsimum eſt quòd eſſe facilè & difficilè mobile ex propria natura ſunt differẽtiæ eſſentiales, ergò conſtituunt habitum & diſpoſitionem duas ſpecies eſſentialiter diſtinctas ſub diſpoſitione in genere contentas, antecedens oſtenditur, quia procedũt ex intrinſecis ipſius naturæ cauſis & principijs, vt habitus ſcientiarum ex propria natura principia habent euidentia & cauſas ita neceſſarias ac ſtabiles vt intellectum comunicant, & ratione illarum firmiter ipſi adhæreant, vnde dixit Ariſt. ſcientiam eſſe habitum, etiam ſi quis ſit ea mediocriter inſtructus. Et diſpoſitio ex propria natura ita debilis vt facilè poſsit à contrarijs ſuperari, atque adeo facilè à ſubiecto dimoueri. Vnde iſtæ rationes vt ſic ſunt ita oppoſitæ vt eadem ſpecies ex natura ꝓpria eas ſibi nequeat vindicare, alioquim contradictoria eidem in eſſent. nec Ariſt. vmquam dixit abſolutè & ſimpliciter diſpoſitionem habitum fieri temporis diuturnitate. Sed vocari poſſe habitum, ſ. quoad modum, ex quo diſtinctio illa oborta eſt qua habitus & diſpoſitio apud quoſdam diuidi ſolent in habitum & diſpoſitionem, ſecundum rem tantum, ſecundum modũ tantum, aut ſecundum rem & modum. Poteſt enim qualitas quæ natura ſua eſt habitus, quia cauſas habet ſui eſſe permanẽtes diſpoſitionis modum per accidens habere, quia eſt imperfectè in ſubiecto radicata, & obid facilè abijci poteſt & vice verſa quæ ex natura ſua eſt diſpoſitio modum habitus habere, quia ex aliquo accidenti firmiter adhæret, vt calor febrilis temporis diuturnitate in naturam conuerſus.

Circa tert. Circa Tertium, variè etiam procedunt, quidam habitus vitiorum & erroris & opinionis ſub diſpoſitione conſtituunt, quia ex propria natura cauſas habent debiles, licèt ex cauſa extrinſeca interdum firmiter ad hæreſcant, ſecus autem de virtutibus, quæ ex propria natura firmiſsimas habent cauſas, cum rationi ſint ac naturæ hominis valde conſentaneæ, licet per accidens ex imbecillitate ſubiecti & pronitate ad peccandum poſt naturam lapſam, facile deperdantur. Habitus infuſos vt Fidem Spem & Charitatem &c. ad ſecundam ſpeciem reuocant, quia ſimpliciter potentias eſſe arbitrantur, quæ dant ſimpliciter poſſe et idem aſſerunt de ſpeciebus intentionalibus, quia non dantur ad melius vt habitus, ſed ad ſimpliciter operandum, ſine

A ſpeciebus enim intelligibilibus nullatenus poſſumus intelligere, licet de ſpeciebus ſenſibilibus aſſerant ad. 3. ſpeciem pertinere.

Tandem ſub diſpoſitione omnem qualitatem ex propria natura mobilem conſtituunt vt calorem frigiditatem &c. licet ſub alia ratione ad alias pertineant ſpecies, & duplex eſſe habituum genus vnum quo res in ſe ipſa, & in ordine ad propriã naturam diſponitur, vt ſanitas, morbus, pulchritudo, foeditas, aliud quo in ordine ad operationem. quod videtur fundamentum habere in Ariſtotele in hoc c. calidita tem & frigiditatem, ſanitatem & morbum ſub diſpoſitione conſtituente, & 7. phyſic. tex. 17. idem de pulchritudine, quia diſponit ſubiectum vt in ſe bene ſe habeat, & habitus ex eodem 5. meth. c. 20. *eſt diſpoſitio qua ſubiectum bene vel malè af*

B *ficitur aut per ſe ipſum* i. in ſe, *aut ad aliud* i ad operationem, ibique ſanitatem habitum eſſe ait.

Sed vt quid nobis ſecundũ noſtri Doct. mentem ſentiendum ſit, aperiamus, obſeruare oportet, qualitatem eſſe facilè vel difficilè mobilem à ſubiecto prouenire ex maiori vel minori inhærentia & vnione accidentali cum ſubiecto, ſecũdum plures. l. pauciores gradus, ratione quorum magis vel minus perficitur & radicatur in ſubiecto & difficulter ab illo remouetur, & á contrario vincitur. vnde potius ad ſtatum & condicionem indiuidualem pertinet quàm ad eſſentiam, & omnes aliæ cauſæ quæ ad firmitatem accidentis in ſubiecto adducuntur accidentales ſunt. *Notabile*

¶ Prima conc. ſit facilè & difficilè mobile á ſubiecto ñ ſunt differentiæ eſſentiales & ſpecificæ ſed tantum modi aut differẽtiæ *I. Conclu.*

C accidentales, atque adeo per illas habitus & diſpoſitio non ſpecie ſed accidentaliter differunt. Sic. Doctor in præſenti. q. 36. §. *ad omnes has quinque quæſt.* et cum eo omnes Scotiſtæ. & probatur primò ex Ariſtõ. qui hoc. c. ait habitum & diſpoſitionem vnam eſſe ſpeciem Qualitatis, & diſpoſitionem temporis diuturnitate habitum fieri, & ſciẽtiã cum in initio facilè amitti poteſt ñ habitũ ſed diſpoſitionem dici, ſi verò acquiſita ſit vel mediocriter, aliqua ſcilicet actuũ frequentatione, aut ſecũdũ aliquã partem ſcientiæ, habitum reddi, difficilè mobilem vt ait Phyloſophus. 5. metaphy. q. 10. Sic *dicitur quoque habitus, ſi ſit huiuſmodi diſpoſitionis pars, quo fit, vt etiã virtus*

partium

partium habitus ſit quidam ideſt quòd par
tes artium & ſcientiarum dicuntur artes
& ſcientiæ, & ibi ſanitatem habitum eſſe
ait, & in præſenti eſſe diſpoſitionem, quæ
vera eſſe non poſſent, ſi habitus & diſpoſi
tio differrent ſpecie.
II. *Probat* II. quia alias vix diſcerni poſſet, quæ qua
litates ſint habitus, quæ diſpoſitiones, nam
quæ vnius comparatione eſt difficile mo-
bilis ex propria natura, reſpectu alterius
eſt facilè mobilis, vt frigiditas in aqua eſt
facile mobilis, in manu vero facilè.
III. *Pro.* 3. vitia moralia cum ſint rationi natura
li contraria, error fides humana & opinio
cum falſo aut leui innitatur fundamento
habent debiles cauſas intrinſecas ſuæ per-
manentiæ, (actuum enim repetitio cauſa
extrinſeca eſt) & tamen ſunt verè & pro-
priè habitus, eſſe ergo facile mobile non
eſt eſſentialis differentia veri habitus cõſ-
titutiua. min. probatur. tum ex Ariſt. qui
2. top. c. 5. & 7. phyſic. tex. 17. habitus mo
rales diſtinguit in virtutes & vitia, & 1.
poſt c. 26. & 6. etico, opinionem inter habi
tus intellectuales numerat, et idem docet
D. Th, 1ª. q. 51. ar. 3. vbi in rigore loquitur
de habitu (vt aduertit. M. Sanchez. lib. 5.
logicæ q. 43. con. 3.) & q. 53. ar. 1. q. 54. ar.
3. de vitijs idem docet, & etiam patet, quia
ſunt facilitates proprijs actibus acquiſitæ
quibus potẽtia facilis redditur ad operan
dum, ſunt igitur eſſentialiter habitus.
II. Conclu Secunda concluſio eſſentia iſtius gene
ris dupliciter poteſt innoteſcere. primò
per cæterarum ſpecierum negationem vt
ait Doct. q. illa. 36 §. citato, ſic illa quali-
tas quæ nec eſt exterior rei diſpoſitio nec
per ſe immutatiua ſenſus nec innatũ prin-
cipium agendi vel patiendi eſt habitus vel
diſpoſitio. Secundò poſitiuè & ſic poteſt
C ex ipſius doctrina diffiniri eſt qualitas ex
propria natura aduentitia perficiens po-
tentiam ad operandum abſtrahendo ab
hoc quòd perficiat per modum actus pri-
mi aut ſecundi. dicitur ex propria natura
aduentitia, quia omnis qualitas iſtius ge-
neris aut proprijs actibus acquiritur, aut
ab extrinſeco confertur, & non habet or-
tum ab ipſa natura, dicitur perficiens potẽ
tiam in ordine ad operationem, quia non
eſt inſtituta ad perficiendam naturam im
mediatè & in ſe, nec ad ipſum poſſe radi-
cale conferendum ſed eſſentialiter habet
ſupponere primam vim facultatem ac po
tentiam, eamque determinat & complet
ad ſuam operationẽ aut obiectum vt ait
Doct. probatur. cõcluſio, quia nulla alia ra
A tio aſsignatur, quæ propria ſit & ſpecifica
iſtius ſpeciei, nec diſpoſitionis ad illam ſpe
cialiter accommodatę, hoc enim quod eſt
bené vel malé conuenienter vel diſconue
nienter ſubiectum in ordine ad illius natu
ram diſponere, vniuerſis qualitatibus cõ-
mune eſt, cum nulla ſit ſecundum quam
ſubiectum bene vel male nõ ſe habeat, ſi e
nim accidens eſt connaturale, cum illo be
ne & cõuenienter ſe habet, ſi ſit contra ſu-
biecti naturam diſconuenienter & male,
vt aqua cum calore, hoc autẽ quod eſt ad
receptionẽ diſponere, alijs conuenit, vt
quãtitati quæ materiam ad formæ recep-
tionẽ diſponit facilè verò & difficilè mo-
bile modi ſunt accidentales alijs etiã cõue
nientes vt qualitatibus. 3. ſpeciei.
Huic ergo ſpeciei accidit quòd ſit facile
vel difficilè mobilis, & obid duplici nomi
B ne deſignatur, habitus & diſpoſitionis, ſi-
cut homini accidit quòd ſit puer aut vir, il
lius autem eſſentia in eo quòd animal ſit
rationale conſiſtit.
Tertia concluſio, genus hoc ſub diuidi- ***III. Concl.***
tur in eam qualitatem aduentitiam, quæ
potentiam perficit per modum actus pri-
mi, & in eam quæ per modum actus ſecun
di & vltimi ſeu in habitum & operationẽ,
vt in duas alias ſpecies aut genera ſubalter
na eſſentialiter diſtincta. colligitur hæc a
pertè ex noſtro Doct. qui non ſolum aſſe
rit habitos eſſe veras qualitates operati-
uas ad primam ſpeciem pertinentes in. 1.
d. 27. ſed idem fatetur de omnibus opera
tionibus immanentibus, quòd ſint qualita
tes docet in 1. d. 2. q. 4. & d. 3. q. 6. litera. ***Scotus.***
V. q. 7. & d. 6. & 13. in 2. d. 3. q. 10. d. 25. q.
vni. in. 3. d. 1. & d. 26. in. 4. d. 13. q. 1. in quot
li. q. 1. & q. 3. à litera Y. vſq; ad FF, ꝙ autem
ad hanc primam ſpeciem pertineant docet
q. 13. §. de tertio Articulo principali, ſic,
*relinquitur igitur quod illud abſolutũ quod
eſt in operatione ſit aliquid de genere qualita
tis, & ſi quæratur de qua ſpecie, rationabilius
videtur ponẽdum quòd ſit in 1. ſpecie, quia in
nulla alia poteſt poni* & paulo infra *in illa
prima ſpecie videntur poni omnes qualitates
ſpirituales quæ ſunt in eſſe quieto ſicut ſunt ha
bitus, ſiue in fieri ſicut ſunt operationes* & in-
ferius *in fieri non dico ſucceſsiuo quia opera-
tio eſt indiuiſibilis, ſed ſic in fieri, ꝙ in cõtinua
dependentia ad cauſam eandem* & in præſen
ti q. 26. §. ad omnes iſtas quimque ait, ꝙ
*ira & dementia & huiuſmodi ſunt in prima
ſpecie, & forte omnes qualitates animæ.*

Z Pro-

Probatur. Concluſio. Probatur concluſio, & quidem quòd habitus ſint qualitates iſtius generis, res eſt explorata & ab omnibus recepta, de operationibus in quibus diſſentio eſt, probatur quia licet per modum actionis ſignificentur, in re tamen non ſunt de genere actionis, vt intellectio, dilectio, viſio, &c. quia per ipſas nihil fit in obiectis vt ex eo quòd intelligam Petrũ, nihil in eo producitur, nec in ipſa potẽtia, quia illud aut eſt actio & ſic actionis daretur actio in infinitum, aut Qualitas, de illa ergo loquimur, intellectio ergo (& ſic de alijs) eſt qualitas quædam per actionem producta in ipſo intellectu qua in eſſe intelligentis obiectum conſtituitur. Significatur autem per modum actionis & operatio appellatur, quia videtur modum actionis habere cum per illam potentia tendat in obiectum, & vltimo illud attingat vt infra.

Confirma. Confirmatur operatio eſt vltimus actus & vltima perfectio potẽtiæ qua homo redditur qualis ſimpliciter vt amans ſciens, bonus vel malus, ergo eſt qualitas.

Quòd vero ad hanc ſpeciem pertineat, probatur quia omnis operatio creata quęcumque ſit (etiam cognitio angelica) eſt qualitas aduentitia proprio labore acquiſita, & non eſt quartæ ſpeciei vt conſtat, nec ſecundæ quia non eſt innatum principium operandi, ſed ipſa actualis operatio. nec terminus propriæ paſsionis ergo primæ ſpeciei.

Quòd tandem ſint ſpecies eſſentialiter diſtinctæ patet, quia habitus conſiſtit eſſẽtialiter in ratione actus primi ac principij operationis, operatio vero in actu ſecundo qui immediate & ſe ipſo attingit obiectum, ille ex propria natura habet eſſe quiętum, vt ait Doctor. i. permanens, cum adhuc ceſſante omni operatione & actuali potentiæ concurſu perſeueret, iſta verò habet tantum eſſe in fieri. i. ex actuali potentiæ concurſu dependens, vnde tranſacta actione qua fit deſinit eſſe, vt intellectio ſtatim perit, cum ceſſat attentio intellectus

Quòd ſi quis in hoc ſenſu vellet accipere facile & difficile mobile, Quæſtio eſſet denomine dicere differẽtias eſſe eſſentiales ſic enim fatemur, & cũ habitus potẽtiã diſponat ad operationem, qua ratione diffinit Ariſt. habitum eſſe diſpoſitionem perfecti ad optimum. i. ad ſuam operationẽ, quæ vltima rei perfectio eſt, & ob id etiã ei bene vel malè diſponere tribuitur, quia

A cum operationes potentiæ quædam ſint ei conuenientes, diſconuenientes, aliæ, qui ad illas diſponit dicitur bene diſponere, qui verò ad has malè.

Et operatio potentiam etiam diſponat, vt vltima perfectio quà immediate attingitur obiectum, & ad habitum, cum per actus potentia ad habitum diſponatur. Dici poteſt conuenire quidem in hac ratione diſpoſitionis genericè ſumpta, quæ primã hanc ſpeciem conſtituit ſub nomine diſpoſitionis, eamque diuidi in habitum & operationem quæ generis nomen ſibi retinẽs diſpoſitio appellatur, ſicque habitum & diſpoſitionem eſſentialiter diſtingui, nec illum in hanc nec è conuerſo tranſire poſſe quod noſter Doctor q. 26. §. ad 2. quæſt. exemplo quodam exponit, ex Porphyrio petito, qui differentiam in communi diffinit, eſſe quæ alteratum facit, & poſtea eã

B diuidit in differentiam facientem aliud, & in facientem alteratum.

Quarta conclu. rurſus duæ iſtæ ſpecies ſub prima contentæ ſpecies ſunt aut genera ſub alterna multas ſub ſe habentia ſpecies in quas ſub diuiduntur. *IIII. Con.* Vnde cum de ratione habitus vt ſic vt immediatè ſub hac prima ſpecie contenti tantum ſit quòd potentiam determinet ad operationem in ratione actus primi, abſtrahẽdo ab hoc quòd determinet potentiam illam dumtaxat facilem reddendo, aut vim ſimpliciter neceſſariam ſuperaddendo, iſtæ enim ſunt differentiæ ad ſpecificam differentiã vlteriorem habituũ deſeruientes, ſub habitu continentur, tam habitus acquiſiti & naturales ſiue corporis, vt habitus ſaltandi luctandi &c. ſiue animæ, & hi tam intellectuales, vt ars, & omnes artes ſub illa cõtentæ, ſcientia ſub qua omnes ſcientiæ, ſa-

C pientia, fides humana, opinio & error, ſiue Morales vt virtutes & vitia illis oppoſita Item habitus ſupernaturales à ſolo Deo infuſi ſiue ad intellectum ſiue ad voluntatem pertinentes vt fides, lumen gloriæ, ſpes, charitas, ſeu gratia (idem enim ſunt) quibus eleuantur ad operationes ſupernaturales elliciendas, quia illis porrò habitus vt ſic natura conuenit, ſunt enim qualitates aduentitiæ, potentiam perficiẽtes ad operationem, nec enim adeo ſunt neceſſari æ ſicut potẽtiæ quin ſine illis ex ſolo auxilio Dei potentiæ poſsint in præfatas operationes prodire vt docet noſter Doctor in 4. d. 49. q. 11. De caractere autem infra.

Conti-

Sub habit Continétur etiam ſub habitu omnes ſpecies intentionales ſiue ſenſibiles ſiue intelligibiles, licèt enim ſimpliciter neceſſariæ ſint ad operationem in ſuo ordine, hoc nō tollit ab eis rationem habitus, ſed ſpecialem potius rationem addit ſupra genericā illam aſsignatam, ſunt enim omnes ab extrinſeco acquiſitæ, ſiue proprio actu ab obiecto aut a Deo impreſſæ vt in Angelis ac beatis, dicūtur autem ſpecies Angelorum eis connaturales, non quia ortum habent ab Angelorum natura, ſed quia à principio condicionis naturæ ac creationis à Deo fuere impreſſæ, licet gratuitò, vnde ſpecies habitus appellantur, non quidem iudicatiui, tenentes ſe ex parte potentiæ ſed aprehenſiui, tenentes ſe ex parte obiecti Sic noſter Doctor. in. 1. d. 3. q. 6. §. *Ad rationes alterius opinionis* inquit, *vnde in cognitione ſpecies in qua relucet quidditas dicitur ſcientia, non tantum virtualiter quia totam continet, ſed formaliter poteſt dici habitus cognitiuus, quia eſt qualitas māſiua in intellectu diſponens ipſum ad actum.*

Sub opera Sub operatione in communi ſunt multæ aliæ operationum ſpecies, omnium potentiarum immanenter operantium, tam ſpiritualium, vt omnes actus intellectus ac voluntatis, ſiue naturales ſiue ſuper naturales, quám corperearum vt omnes actus potentiarum ſenſitiuarum, tam externarum vt viſsio, auditio, odoratio, guſtatio, tactio, quàm internarum vt imaginatio cogitatio Phantaſiatio &c. ac omnes actus appetitus ſenſitiui tam concupiſcibilis quàm iraſcibilis, vt amor ſenſitiuus, actus gaudij, iræ, timoris, triſtitiæ, gaudij, ſpei &c.

Obiectio. Quòd ſi obijeceris has operationes nomine paſsionum collocari ab Ariſt. in 3. ſpecie. *Reſpond.* Reſpondendum prædictos actus non pertinere per ſe ipſos ad tertiam ſpeciem, ſed per qualitates adiunctas quæ ſenſibus patent, & per quas cognoſcuntur de quibus q. 4. Sed licèt hoc verum ſit de qualitatibus adiunctis. Sed quia Ariſto. videtur innuere prædictos actus ſecundū proprias denominationes ad tertiam ſpeciem pertinere, aſſerens quales dici homines ab eis vt iracundi amentes &c. ideo melius Reſpondet noſter Doctor dicens. q. illa 26. §. *ad omnes iſtas quinque* prope finem, *Dico quòd paſsio vel paſsibilis qualitas differunt pœnas has differentias accidentales facile vel difficulter mobile, poenas quas etiam differunt habitus & diſpoſitio* A *ideo quæ ſunt in prima ſpecie poſſūt numerari in tertia, quia participant illam differētiam quæ nō eſt ꝓpria tertiæ ſicut ē conuerſo in prima ſpecie ennumerantur calor & frigus, quæ tamen verè ſunt in 3. ſpecie, vt per hanc mutuam enumeratoinē ſpeeierum, inſinuaret Ariſto. has differentias faciliter vel difficulter mobile, non tantum nō eſſe eſſentiales, ſed nec eſſe proprias alteri aliarum, ſed accidentaliter diſtinguere paſsionem à paſsibili qualitate, & diſpoſitionem ab habitu.*

Corollari Ex dictis infertur nullas alias qualitates præter recenſitas ad hanc primam ſpeciem pertinere, quòd ſi Ariſto. calorem & frigus ſanitatē ac morbū inter diſpoſitiones numerauit, non quia veras eſſe iſtius ſpeciei qualitates eſt arbitratus, ſed quia modū habent diſpoſitionis, qua etiā ratione habitus vocari poſſe ait ob temporis di- B uturnitatē, vnde non abſolutè ſed aliquo modo habitus & diſpoſitiones appellat.

Ad Arg. II. Part. Ad Achilem aduerſariorum circa primam partem ex dictis Reſpondebis non eſſe idem, ſcientiam habere cauſas firmas & immobiles ſuæ veritatis & certitudinis aut eſſe immobilem á ſubiecto, hoc enim ſecundum non habet ex natura ſua, ſed ex maiori intenſione & radicatione in ſubiecto; & ſine primo eſſe poteſt aut ē contra. nisi per difficile mobile intelligas habere eſſe quietum, per facile vero habere eſſe non quietum & permanens, ſed in fieri.

Ad fund. Circa. 3. Ad fund circa Tertium, præfatas qualitates à Phyloſopho fuiſſe in exemplum ꝓductas, ſolum vt per illas ad veri habitus & diſpoſitionis cognitionem nos manuduceret, diffinit autem in illo. 5. metaph. c. 20. habitum late ſumptum vt in principio C controuerſiæ diximus, vt comprehendit qualitatem quæ non propriè habitus eſt, ſed tantum propter modum & imitationē quandam. verus enim habitus eſſentialiter eſt qualitas operatiua.

QVÆSTIO III. QVID SIT *Potentia et impotentia quæ 2. ſpeciem conſtituit & quo pacto differant inter ſe.*

NOMEN potentiæ multiplex eſt in ſua ſignificatione, primò ſignificat poſsibilitatē rei vt ait Doct in. 1. d. 2. q. 5, in ſolut. d. 5. q. 2. d. 7. q. 1. d. 36. in fine d. 43. q. 1. in 2. d. 1. q. 2. & hæc duplex eſt vna lo-

Potentia mulliplex vna logica quę tantum ſignificat extremo
rum non repugnantiam, ex rationibus for
malibus illorum, ſiue ſit aliqua potētia ac
tiua quę poſsit talia extrema inter ſe con
iungere, ſiue ñ, vt iſta duo extrema homo
albus, nullam habent inter ſe repugnantiã
vt coniungi poſsint, (etiam ſi nulla eſſet
potentia actiua quæ illa poſſet coniunge-
rę) qualis reperitur inter hæc duo extre-
mo, homo & Aſinus, talis ergò poſsibili-
tas potentia logica dicitur, ratione cuius
poteſt intellectus vnũ cum alio cōponere
in ꝓpoſitione vera, quæ ad logicũ ſpectat.

Alia eſt quæ vltra præfatam non repug-
nantiam addit ordinem ad potentiam ali-
quam realem duo illa extrema coniunge-
re potentē actu, & talis vocatur potentia
obiectiua, eſt que potentiæ productiuæ o
biectum, & ſi nulla eſſet potentia produc-
tiua, nec obiectiua eſſet, & in vtraque ac-
ceptione certum eſt non pertinere per ſe B
ad aliquod eſpeciale prædicamentum.

Secundò ſignificat realem, ac phyſicam
potentiam, & ſic, vel latè pro quauis vi agē
di, aut recipiendi, ſiue proxima ſiue remo
ta, aut ſtrictè, pro proximo agendi patiēdi
ve principio, creato agenti cōnaturali, vt
viſus eſt potentia audiendi, & ſic de alijs.
3. tandem ſignificat qualitatem poſitiuam
innatam ad aliquid agendum.

Impotent. Impotentia etiam, aut negationem po-
tentiæ ſignificat, quo pacto impotens dici
tur, qui potētiam ñ habet, & ſic certum eſt
nullius eſſe prædicamenti, quia negatio ñ
eſt ſpecies, ſed potius ſpeciem tollit, impo
tentia verò ponitur ſpecies qualitatis, aut
qualitatem poſitiuã innatã ad aliquid diffi
cilè agēdũ, reſiſtēdũ ve, de qua in præſenti.

Tria itidem ſunt in hac controuerſia diſ
piciēda. In quo conſiſtat eſſentia iſtius ſpe
ciei nomine potentiæ ſignificata. Quo pac C
to naturalis potentia, & impotentia diſtin
guãtur. Quæ qualitates ad hanc ſpectent.

Opin. Tho Communis ergo Thomiſtarum ſenten-
tia fatetur, eſſentiam iſtius ſpeciei eſſe po
tentiam generatim ſumptam vt principiũ
proximũ & formale agēdi, recipiendi vē
ſignificat, ac ꝓinde ſub hac ſpecie cōprehē
di, omnia principia ꝓxima cuius vis actio-
nis, & omnes rerũ propriæ paſsiones, ac tã
dem quamcumque aliam qualitatem, ta-
metſi ſub alijs rationibus ad alias ſpecies
pertineat, vt tamen virtus eſt agendi ad
hanc ſpectare, vt calor frigus &c. Innitun
tur autem eo fundamento alibi expenden
do, qualitates duntaxat eſſe in rebus crea

tis proxima agendi principia, ſubſtantiam
A que rei per ſe ipſam ac immediatè non o-
perari.

De diſtinctione autem inter naturalem *Circa Op.*
potentiam, & impotentiam nonnulli aſſe
runt eſſentialiter diſtingui, quam ſenten
tiam ſequutus eſt noſter Titelmanus. Fun *Titelman*
damentum eſt, quòd ſub his, qualitates eſ
ſentialiter diſtinctæ conſtituuntur, vt ſub
naturali potentia conſtituit Phyloſophus
duriciem, & ſub naturali potentia molli-
ciem, ſiue mollitudinem, ſub illa ponitur
calor, qui eſt naturalis potentia ad facilè a
gendum, ſub hac ſiccitas, quæ eſt naturalis
impotentia ad agendum, conſtat autem
duriciem & molliciem, calorem & ſiccita
tem ſpecie differre, ergò & naturalis potē
tia & impotentia. Tum etiam quòd facili
ter agere, & reſiſtere ex propria natura, &
difficultèr ex ꝓpria natura differētiæ ſunt
eſſentiales. In ſuper quòd ſi potentia fa-
cultatem confert operandi, impotentia
autē aut impedit illam, aut ad oppoſitũ
actum tribuit. Imo quòd priuatiue opponi
videntur.

Sed vt res hæc (iuxta mētem noſtri Doc
toris) dirimatur, ſequentes aſſertiones ſta-
tuimus.

Prima conc. nomine potentiæ quę hanc *I. Conclu.*
ſecundam ſpeciem qualitatis conſtituit: *Scotus.*
non intelligitur proxima ipſa, ac formalis *Omnes*
potentia operandi, ſeu recipiēdi, propria *Scotiſta.*
ve paſsio rei, vt intellectus, voluntas, potē
tia generãdi, riſibilitas &c. Sic noſter Doc
tor. in. 1. d. 26. q. 1. §. ad Argumenta princi
palia ſic *ad primum dico, quòd in ſubſtantia
creata, potentia ſiue illud quod eſt principium
ꝓpriæ operationis conuenientis tali natura, nō
eſt aliquid pertinens ad genus qualitatis, ſed
.l. eſt merè ipſa ſubſtãtia cui cōpetit operatio
vel eſt aliqua perfectio identicè contenta in* C
*ſubſtantia, & hæc pertinēs ad ipſam ſubſtan
tiã vt ſubſtãtia eſt nō autē quaſi quędã quali
tas circunſtãs ipſam ſubſtantiã.* ſic cōmunis
Scotiſtarũ Schola. pro nũc autē probatur
proxima operãdi potentia propria ve paſ
ſio non eſt realiter diſtincta ab ipſa re cu-
ius eſt, & vt quid incompletum ad illius
complementum ſubſtantiale ſeu entitatiu
ũm ſpectans, vnde formalis operandi po-
tentia ſubſtantiæ ſubſtantia eſt, accidentis
accidens, non ergò per ſe ad ſpeciem alicu
ius prædicamēti ſpectat, ſed reductiuè po
nitur vbi res cuius eſt operãdi vis aut paſ-
ſio & idem de potentia paſsiua quæ nō eſt
aliud quàm ipſa res.

Secunda

II, Conc. Secunda concl. qualitas que hanc ſecundam ſpeciem conſtituit eſt à natura indita in ipſis potentijs qua faciles redduntur ad agendũ vel reſiſtendũ, vnde ſic eam diffinit Ariſtot. naturalem potentiam eſſe, *vt facilem quippiam aut faciat aut nõ patiatur*, ideſt reſiſtat, vbi non diffinit per hoc quod eſt tribuere poſſe ſimpliciter, ſed tantum facilitatem, obidque à noſtro Docto. habilitas ſeu facilitas appellatur, diſtinguitur autem a. 1. ſpecie quòd illa eſt aduentitia ab extrinſeco proueniens, hæc vero à natura ineſt. Sic Doct. in 2. d. 6. in reſpon. Argum. §. ad auctoritates in oppoſitum. *Ad primam dico quòd potentia naturalis abſolutè non eſt in ſecunda ſpecie qualitatis, ſed facilitas ad vtendum illa potentia, vnde poſſe leuare feſtucam vel baculum non eſt in ſecunda ſpecie, ſed facilitas leuandi, vnde huiuſmodi agilitas dicitur hic potentia naturalis, & patet hoc per eius exempla de pugillatore & curſore, & ideo eius potentia currẽdi abſolutè non eſt in ſecunda ſpecie ſed agilitas illius potentiæ ſiue in vtendo illa potentia, ſiue potentia quoad illam agilitatem.*

Quod hoc exemplo dilucidatur, homo potẽtiam habet ratiocinãdi, & per actum proprium acquirit habitum ſcientiæ, quo facilis redditur ſcientificè diſcurrendi, fit autem inſuper quòd aliquis homo ſit ita naturaliter diſpoſitus ad ſcientias per naturale ingenij acumen, alius verò ſit hebes ingenij & tardus, etiam ſi ſcientiarum habitũ acquiſierit, ecce in primis propria paſſio potentia. ſ. diſcurſiua, quæ in quouis homine invariabilis eſt, cuipiam homini ex eo quòd homo eſt ex æquo cõueniens, itẽ apparet habitus per actũ proprium acquiſitus, inſuper & habilitas quæ maior vel minor in diuerſis reperitur. hæc concluſio ex prima deducitur, dari enim prædictas facilitates à natura experimẽtum oſtẽdit, eas autem eſſe qualitates patet, cum habeant ſimpliciter qualificare ſubiectum; cumque ſint principia operãdi innata hãc ſpeciem conſtituent.

III, Con. Tertia conc. naturalis potentiæ & impotentia nõ ſunt duæ ſpecies eſſentialiter diſtinctæ, ſed eadem ſecunda hæc ſpecies prædicta duo nomina ſecundum diuerſos ſtatus naturalis potentiæ & impotentiæ ſortita eſt, cum enim illius eſſentia in hoc conſiſtat, quòd habilitas ſit natiua ad operandum vel reſiſtendum, ſi ita fortis ſit, vt facilè agat aut reſiſtat, naturalis potentia vocatur, ſi verò ita debilis vt difficulter agat aut reſiſtat, naturalis impo- A tẽtia appellatur. Probatur Sic concluſio quia facile vel difficulter agere ſunt differentiæ accidentales quæ ñ poſſunt naturalem potẽtiam ab actu proprio extrahere à quo ſpeciem capiunt. Tum quòd difficultas & impotentia tantũ addunt imperfectionem aliquam & imbecillitatem ſupra potentiam, vnde ſolum in gradibus diſtinguuntur, magis autem & minus perfectũ intra eandem ſpeciem illam non variat. *Probatur*

Impotẽtia Quid. Impotentia ergo non importat repugnantiam omnimodam & ineptitudinem ad agendum aut reſiſtendum, ſed tantum debilitatem, nec potentiæ naturali opponitur priuatiuè ex omni parte, ſed eo pacto duntaxat quo perfectum & imperfectũ in quouis rerum genere diſtinguuntur, vnde vtraque poteſt potentia abſolutè appellari, quia nõ importat totius perfectionis B priuationem, ſed alicuius, retenta etiã aliqua perfectione.

IIII. Con. Quarta concluſio ad hanc ſpeciem pertinent omnes prædictæ facilitates non ſolum ad agendum ſed et ad reſiſtendum ordinatæ, vnde ſub illa continentur duricies & mollitudo (quid quid alij vellint) cum Ariſt. hic dicat *eiuſdẽ generis eſt durum ac molle* grauitas etiam & leuitas naturaliter inditæ, ad motum primariò inſtitutæ, nec oppoſitũ aſſerit. 5. meth. c. 14. in diſtinctè enim ibi omnes qualitates numerat quæ aut per paſſionem efficiũtur, aut illam efficiunt. & eodem pacto c. 21. c. vero. 13 inter quãtitates numerat, ñ ex propria ſentẽtia ſed eorum qui grauitatis & leuitatis cauſam eſſe putabant ſuperficierum multitudinem aut paucitatẽ. De impulſu verò rei proiectæ à proijciẽte impreſſo cum ſit aduentitia qualitas & ab extrinſeco impreſſa, nequit ad hanc ſpeciem pertinere ſed C ad primam.

Ad. Oppo. Ad oppoſitum tandem negandum eſt duriciem & mollitudinẽ eſſẽtialiter diſtingui, cum tãtum ſe habeãt vt albedo magis vel minus intenſa, molle enim eſt parũ durum vt ait Doct. q. 32, §. ad 2. *illa etiã qualitas quæ ſub eſt impotẽtiæ vt hic ſumitur eſt forma poſitiua ſicut mollities* calor autem & ſiccitas non pertinent ad hanc ſpeciem. quòd ſi naturalis potentia & impotentia ad diuerſos actus ordinata eſſentialiter differunt, nõ quidem pœnes facile vel difficilè agere aut reſiſtere, ſed pœnes ordinem ad diuerſos actus, aut quia vna ad agendum & alia ad reſiſtendum.

QVÆSTIO IIII. QVO PACto paſſio & paſſibilis Qualitas 3. hanc ſpeciem conſtituant, & differant inter ſe.

VARIAS etiam iſtarum vocum ſignificationes euoluere oportet vt accuratè rem hanc aperiamus.

Acceptio paſſionis. Primo ſignificat paſſio rei proprietatẽ ſicq; riſibilitatem hominis eſſe paſſionem dicitamus, 2. actus apetitus ſenſitiui ſiue concupiſcibilis ſiue iraſcibilis, vt actum iræ, gaudij, timoris, amoris, odij, verecundiæ ſpei, qui paſſiones animæ dicuntur, tum quia ſubito in nobis inſurgunt, illoſq; homo patitur inuitus, vel quia cum actus ſint potentiæ corporeæ, à toto compoſito vt á proximo principio procedentes, ſemper fiunt cum aliqua corporis alteratione vt actus iræ cum aſcenſione ſanguinis ad cor, actus verecundiæ cum rubefactione, alia ve ſimili, vt calefactione aut frigidatione, quæ quia ſaltim aliqua ex parte ꝓpter exceſſum aut defectum, corporis complexionem lædit paſſio dicitur, ab eaque actus animæ quibus coniunguntur paſſiones vocantur. 3. ſignificat quã cumq; receptionem cuiuſque. ſ. formæ in ſubiecto, ſiue conuenientis et perficientis ſubiectum vt receptio ſpeciei intelligibilis aut intellectionis in intellectu, ſiue diſconuenientis, & ad corruptionem diſponentis vt receptio caloris in aqua, vnde illa receptio paſſio dicitur perfectiua, hæc vero corruptiua, & in hac acceptione prædicamẽtum paſſionis conſtituit, 4. ſumitur preſſius pro hac ſolum receptione corruptiua, quæ propriè paſſio appellatur, quia nocumentum infert ſubiecto, potiſſimè, cum non modo lædit, ſed etiam moleſtia afficit & dolore. 5. terminum talium paſſionũ vt calorem frigiditatem &c. qui ſi cito trãſeat paſſio dicitur, ſi vero diu perſeuerat in ſubiecto paſibilis qualitas.

Opinio. Dixerunt Multi eſſentiam iſtius ſpeciei in eo ſitam eſſe quòd ſit modus ſubſtantiæ in ordine ad actionem vt terminus paſſionis. Sed ſtatim ſe ſe oferunt obiecta non contemnenda, quibus hic ſentiendi modus ab alijs refellitur. videtur enim Phyloſopho aduerſari aſſerenti iſtius ſpeciei qualitates, quaſdam conſtitui ex eo ꝙ ſunt paſſionum termini, aliæ ex eo quòd principia paſſionum, Tum etiam quòd ſi qualitatem eſſe per motum acquiſibilem rationem qualitatis ſpecificam conſtituit, quantitatem eſſe per augmentationem acquiſibilem, rationem conſtitueret ſpecificam A quantitatis, & ſi paſſio in tota ſua latitudine ſumatur, vt perfectiuam & corruptiuam comprehendit, nulla erit qualitas quæ ad hanc ſpeciem non pertineat, cum nulla ſit, quæ effectus et terminus non ſit paſſionis in hac acceptione, ſi verò ſolum pro corruptiua, multæ ſunt qualitates iſtius ſpeciei, quæ nec ſequuntur ex paſſione nec cauſant paſſionem in ſenſibus, vt lumen & ſonus, per quorum receptionem ſubiectum non diſponitur ad corruptionem ſed perficitur.

Eſſentialis autem diſtinctio inter paſſionem & paſſibilem qualitatẽ fautores habet, qui eodem fundamento eam ſudere nituntur quo & habitum & diſpoſitionem, per facile & difficile mobile ex propria natura, diſtingui ſic quę eſſencialiter differre palorem ex timore prouenientem, & B inſitum naturaliter, ille enim non vere color eſt, ſed ſolum habet coloris apparentiã, vt ex fuga ſanguinis ad cor, apparet in facie albeſcẽtia illa quæ paloris ſimilitudinem reddit, & lux ſolis quæ diuturna eſt ex propria natura eſſentialiter diſtinguitur à lumine cauſato in aere & cito tranſeunti. *II. Opini.*

Sed vt noſtram proferamus mentem ad notare oportet, frequẽter aliud eſſe à quo nomen imponitur, aliud ad quod ſignificãdum imponitur, interdum enim nomen alicui imponitur ab aliquo effectu ſeu accidenti nobis noto, & tamen nomen ñ ad illum effectum accidens ve ſignificandum uſurpatur, ſed cauſæ aut ſubiecti naturã dũtaxat, ſiue effectus ille accidens ve à quo nominis impoſitio originem duxit, aut alijs etiam rebus commune ſit, aut non conueniat omni contento ſub natura ſignificata. C vt nomen lapidis ad naturam lapidis ſignificandam vſurpatur, cum tamen ſit impoſitum ab ambulantium pede lædendo, quod multis etiam alijs offẽdiculis cõmune eſt. Sic ergo in præſenti aliud eſt á quo nomen hoc paſſio vel paſſibilis qualitas fuit impoſitum, aliud verò ad quod ſignificandum eſt impoſitum, licèt enim ſit impoſitum ab hoc quòd eſt paſſionem proprie ſumptã efficere, aut effici per paſſionem vt à modo extrinſeco & accidentali, effectu ve nobis notiori, ñ quidem in omnibus qualitatibꝰ iſtius ſpeciei reperto, ſed tantum in ſenſibilibus quæ nobis magis patent, iam tamen, ad naturam iſtius ſpeciei ſignificandam vſurpatur.

I. Conclu. Prima concluſio, eſſentia. 3. ſpeciei Qualitatis conſiſtit in hoc quòd ex primaria ſua ratione ordinatur ad formaliter perficiendam ſubſtātiam ratione ſui eſſe, quam explicuit Ariſto. tam in preſenti quam 5. meth. c. 14. per paſsionem antecedentē à qua cauſatur, vt terminus illius, aut ſubſequentem quam cauſat, vt per aliquid extrinſecū nobis magis notum, vnde ibi non tam iſtius ſpeciei eſſentiam tradit, quàm nominis ethimologiam ac impoſitionis originem, noſter autem Doct. per hoc ꝙ eſt eſſe immutatiuum ſenſus, ac ſi dicant ex eo ſic eſſe appellatas iſtius qualitatis ſpecies, quòd ex aliqua paſsione propriè dicta oriantur, aut eam inferant in ſenſibus, quamquam id non omnibus conueniat iſtius ſpeciei. vnde ait Doct. q. 36. §. *Ad. 4. quæſt.* in fine *Notandum iuxta hoc quòd inferre paſsionem ſenſui non eſt de eſſentia Qualitatis, ſecundum quòd habetur in. 2. de anima. de viſibili in principio, quod eſſe viſibile nō eſt de eſſentia coloris ſed paſsio eius. igitur paſsio vel paſsibilis qualitas quæ deminat qualitatem in quantum infert paſsionem ſenſui, non nominat eſſentiam vel ſpeciem qualitatis ſed modum.*

Probatur. Concluſio. Probatur autem concluſio, quia in quauis re duo hæc ſolū inueniri poſſunt, eſſe & operatio ſeu natura & potentia: ergò & qualitates quæ non determināt quantitatē, ad vtriuſq; perfectionem ordināur ſed ſub 1 & 2. ſpecie collocantur qualitates ſubſtantiæ potius inordine ad operationē perficiētes, ergò quæ afficiūt primò & p ſe ratione ſui ad hāc ſpeciē pertinere debēt.

II. Conc. Secunda concluſio quia qualitas iſtius ſpeciei duplicem habet eſſendi modum accidentalem brebi aut diu permanendi, ideo duplici modo denominatur, ſi ſit cito tranſiens paſsio, ſi diu durās paſsibilis qualitas Sic noſter Doctor eamque ſatis apertè inſinuat Phyloſophus aſſerens, *quæ namque dum pudet diſpoſitio circa corpus emerſit, eadem & in naturali conſtitutione diſpoſitio fieri poteſt.* Vnde paſsio & paſsibilis qualitas non ſunt duæ ſpecies eſſentialiter diſtinctæ, ſed ſolum modi eſſendi accidentales eiuſdem qualitatis.

Probatur quia brebi aut diu durare non ſumuntur ex ipſa natura rei, ſed ex duratione exiſtentiæ, atqui duratio rei extra ipſius eſſentiam vagatur, ergo & diu aut brebi durare. vnde in nulla re illius eſſentiam variant, ſed intra eundem modū ſpecificum in eadem qualitate reperiūtur, vt in eodem pallore ex timore emergēte, aut in ſito à natiuitate. et idem calor qui in vno ſubiecto cito trāſit, diu in alio perſeuerat.

In ſuper quòd licet inter qualitates iſtius ſpeciei quædam ſint quæ à ſuis cauſis ſolū pendent in fieri, vt calor, albedo &c. aliæ verò quæ in fieri & conſeruari vt lumen, ſonus, in quauis iſtarum vtraque denominatio reperiri poteſt, vt lux eadem paſsio dicitur ſi cito tranſeat, paſsibilis verò qualitas ſi diu perſiſtat.

Sciſcitabitur quis, cur Phyloſophus dixit, à paſsione non dici hominem ſimpliciter qualem, ſicut à paſsibili qualitate, arbitratur ergò eam nō eſſe ſimpliciter qualitatem. Reſpondet dupliciter noſter Doctor q. 33. §. *ad quartam quæſt.* in cōmuni loquendi conſuetudine à paſsione non cōſtitui illud denominatiuum quod à paſsibili qualitate quæ denominat ſubiectū per modum ſtantis, vt à rubore cauſato per verecundiam non dicitur aliquis rubicundus, quia hoc denominatiuum permanentiam huius formæ cum ſubiecto denotat, pro tempore autem pro quo in eſt ille rubor, poteſt dici rubeus vel rubens, quia hæc denominatio notat abſoluté talē formam in eſſe ſubiecto. Vel dictum Ariſt. ſic eſſe intelligendū, quòd nō dicimur quales à paſsionibus, quia ab illis nō ſumuntur cōmuniter denominatiua, ſed ſi ſumerentur habēs paſsionē poſſet ab illa denominari paſsiones ergò ſecundum eſſentiam ſunt verè qualitates, licèt quoadmodum & cōmunē modū loquendi ñ qualitates ſed paſſiones dicantur, quia cito tranſeunt.

Tertia concluſio. ſub hac ſpecie continentur omnia obiecta ſenſuum, obiectum tactus vt tāgibile, ſub quo quatuor primæ qualitates, vt calor, frigiditas, humiditas, ſiccitas. obiectum viſus. ſub quo omnes colores, albedo nigredo, viride, ceruleum &c. obiectū auditus, audibile ſub quo omnes ſoni, voces, ſtrepitus. Obiectū guſtus guſtabile ſub quo omnes ſapores, dulce amarum, ſalſum, acre &c. obiectum odoratus ſub quo omnes odores. *III. Concl.*

Sub hac, etiam continentur lux & ſanitas ſi teneatur qualitatem eſſe ex debita humorum proporcione reſultantem, quia per eam benè ſe habet ſubiectum in ſe; ſilicèt vt diximus propter modum & ſimilitudinem aliquam in prima ſpecie referat Ariſt. ſicut duriciem & mollitudinem. 2. de genera c. 3. grauitatē & leuitatē 5. meth. c. 14. & 21 in hac 3. refert, in ſpecta nominis ethi-

ethimologia vt à paſsione originem trahit.

In hac ſpecie non ſolum collocantur qualitates à natura inſitæ ſed etiam ab extrinſeco aduentitiæ quæ primò & per ſe ordinantur ad perficiendum ſubiectum in ſe, cũ in hac ratione vniuocè conueniant. Vnde licet noſter Doctor in. 4. d. 6. q. 10. rationes quibus. D. Thomas characterem oſtendit eſſe formam abſolutam, improbet, facileque ſolui poſſe aſſerat, ſi teneatur, relationem eſſe extrinſecus aduenientem, neutrumque ratione naturali oſtendi poſſe. Verumque tamen ſub dubio relinquit. tenendo ergò formam eſſe abſolutã, videtur ex hucvſque præfixis, nõ pertinere ad primam ſpeciem, cum non ſit qualitas eſſentialiter operatiua, nec propriè ſit operatio, nec ſpecialẽ alium modũ diſponendi habeat ex propria natura, ſed valde generalem cõuenientem afficiendi ſubiectũ, cuilibet qualitati communem. nec ad ſecundam cum non ſit à natura inſita ſed ab extrinſeco, cum tamen ſecundum Docto. Qualitas iſtius ſpeciei innatum principium debeat eſſe, nec ſit propriè potentia phyſica actiua vel paſsiua, ſed tantum metaphoricè, vt ibi probat Doct. nihil autẽ ponitur in genere per proprietates metaphoricas, qua ratione probat Doct. non collocari in ſpecie figuræ, quia tantum metaphoricè figura eſt.

De Chara.

Dici poteſt in hac. 3. ſpecie collocari cum qualitas ſit eſſentialiter ordinata vt ſubiectum afficiat in ſuo eſſe, cum autem Doctor ait ad. 1. vel 2. ſpeciem pertinere non diffiniendo ſed ſub dubio loquitur, vt verba indicant poteſt poni in. 2. ſpecie, vel in. 1. imo ipſe Doct. ait ad primam ſpeciẽ pertinere ſolum quoadmodum immobiliter permanendi, non tamen eſſentialiter. quo pacto Ariſto. dixit calorem eſſe habitum aut diſpoſitionem, cum tamẽ re vera eſſentialiter ad Tertiam ſpectet.

QVÆSTIO V. QVO PACto forma & figura Quartam ſpeciem Qualitatis conſtituunt.

CVM multiplex ſit formæ acceptio, certum eſt non ſumi in præſenti tranſcendentaliter, pro quouis actu quo quo modo rem aliam actuante & perficiẽte, quo pacto quodpiam accidens forma accidentalis dicitur, & pars illa ſubſtantię materiam actuans forma ſubſtantialis, & differentia forma methaphyſica, ſed pro illa forma ex coadunatione partium quãtitatis reſultante, illamque determinante in qua etiam acceptione ſumitur figura, non pro ſtilo orationis aut dignitate ornatu ve.

Prima concluſio eſſentia iſtius Quartæ ſpeciei conſiſtit in hoc, quòd ſit forma ſeu quidam modus ex quãtitatis partium diſpoſitione reſultans. Sic Doctor in præſenti, & hic ſolet apellari compoſitio quia plurium partium Quantitatis coadvnationem ſequitur. dicitur terminus, ſeu terminatio clauſio ve quãtitatis, quia per illum res quanta clauditur & terminatur, non quidẽ terminatio intrinſeca, hæc enim ad quantitatem ſpectat, quæ habet terminos ſui generis, quibus intrinſecè clauditur & terminatur, vt ſuperficies eſt terminus intrinſecus corporis, linea ſuperficiei, & pũctum lineæ, ſed extrinſeca, quæ in corpore reſultat. Vnde in qualibet re figurata tria poſſunt expendi, videlicet, ipſa res ſi figurata vt lignum, & ſic pertinet ad ſubſtantiæ genus, aut Quantitas terminata linealiter & ſuperficialiter ſeu terminatio aut diſpoſitio ipſa partium intrinſeca Quãtitatis & ſic pertinet ad genus Quantitatis aut forma quædam reſultans ex prædicta diſpoſitione, & hæc pertinet ad hanc Qualitatis ſpeciem. quòd enim Qualitas ſit patet, quia ab ea res quales eſſe dicuntur, & in ratione qualificandi cum alijs qualitatibus conueniat vniuocè. *I. Concl.*

Num autem res ſit dicenda aut modus Quæſtio eſt de nomine, ſi enim res generatim ſumatur, pro omni eo quod eſſentiam habet prædicamentalem res dici poteſt, ſi verò pro illa entitate quæ ſaltim diuina vi ſeparata conſiſtere poteſt, nequaquam, cũ implicet figuram dari extra quantitatem.

Secunda concluſio talis modus, communiter duplice nomine appellari ſolet, vt pote forma & figura, ſi enim ſumatur præ eſſe pro illa terminatione extrinſeca Quãtitatis, dicitur figura vt vero eſt coloribus ornata forma appellatur, & à noſtro Doctore decens lineatio rei quantæ, vnde forma & figura ſolum habent accidentarium diſcrimen. *II. Concl.*

Quòd ſi dixeris, forma natura ſua ad ſui ad hæſionẽ etereogenea corpora depoſcit, figura vero homogenea, atqui accidentia quæ ex vi propriæ naturæ petunt ſubiecta diuerſa in quantum diuerſa, ſpecie differunt. *Obiectio.*

vunt. hoc arguto plerique conuincuntur, vt formã & figuram duas eſſe ſpecies ſub hoc genere contentas affirment. Sed dicẽdum eſt antecedens eſſe falſum, indiſcriminatim enim extrinſecam corporis quãti terminationem nunc figuram nunc formam appellamus.

III. *Concl.* Tertia concluſio, ſub hac ſpecie continẽtur omnes in vniuerſum figuræ ſiue naturales, vt forma aut figura exterior hominis, aut equi, quæ rerum ſpecies indicant, & artificiatæ, quæ nimirum artefactis eſſe dãt ſpecificum, vt forma domus, forma cathedræ. omnes figuræ tandem vt triangulus quadrangulus &c. In hac enim Tertia & Quarta ſpecie vt ait D. Tho. etiam reperiuntur qualitates aduentitiæ, quæ vniuocè conueniunt in illa ratione.

Sub hac collocantur omnes qualitates aut modi quantitatem conſequentes, atq; adeo raritas & dẽſitas aſperitas & lenitas licèt enim in præſenti eas à genere qualitatis Ariſt. depellat. 7. tamen phyſica. c. 2. tex. 11 inter qualitates numerat, quia vt ad notat noſter Doct. q. 26. §. *Notandum quòd rarum & denſum*, bifariam capi poſſunt. aut pro extenſione partium quantitatiuarum certaque poſitione, ratione cuius corpus eſt magis vel minus compreſſum, ita vt rarum dicatur cuiꝰ partes ſunt magis poroſæ, & inter ſe longius diſtant ita vt inter eas corpus aliud admitti poſsit vt in ſpongia, dẽſum cuius partes ita ſunt compreſſæ, vt inter illas aliud corpus admitti nequeat, vt ferrum plumbum. aſperum cuius partes ſunt inter ſe inæquales, ita vt aliæ emineant, aliæ vero deprimantur. lene cuius partes ſũt inter ſe ita æquales vt nulla emineat nec d̃primatur, & ſic ab hoc genere qualitatis releganttur, & ad prædicamentum ſitus ſpectant. ſi verò ſumantur vt modi ex partium quantitatis poſitione æquali vel inæquale reſultantes pertinẽnt ad genus qualitatis, cumque eis eſſentia iſtius ſpeciei conueniat, eſſe ſcilicet modum quantitatis ſub illa continentur.

De pulchritudine ſi teneatur, eſſe qualitatem ſimplicem ait noſter Doctor ſub hac quarta ſpecie collocari, cum ſit modus ex debita partium corporis coaptatione reſultans, quòd enim ſubiectum diſponat vt bene ſe habeat in ſe non eſt propria ratio primæ ſpeciei vt viſum eſt. ſed cõmunis tertiæ & quartæ, vt videbimus ſequenti cõtrou.

Obiectio. Quòd ſi dixeris qualitates quarte ſpeciei non ſuſcipere magis & minus.

A *Respond.* Reſpondet Doctor q. 36 in fine. *Dico quòd non ab omnibus qualitatibus. 4. ſpeciei negat Ariſtot. ſuſcipere magis & minus ſed à quibuſdam, vt à qualitatibus matematicarum, quia illæ ſunt priores motu, & magis & minus non habet fieri niſi vbi eſt motus* licèt ergò ſuſcipere magis & minus, non in ſic omni qualitatì iſtius ſpeciei, aliquibus tamen in eſt. Si autem teneatur non eſſe qualitatem ſimplicem, ſed quoddam aggregatum quod probabile reput Doctor. in. 1. d. 17. q. 3. §. *quãtum ad iſtum articulum* vbi ſic *Dici poteſt quòd ſicut pulchritudo nõ eſt aliqua qualitas abſoluta in corpore pulchro, ſed eſt aggregatio omnium conuenientium tali corpori, puta magnitudinis figuræ & coloris, & aggregatio omnium reſpectuũ qui ſunt iſtorũ ad corpus & ad ſe inuicem &c.* à prædicamentis excluditur.

B *Inquirit.* Interrogat quis nũ figura etiam in quantitate diſcreta vt in numeris reperiatur, affirmant quidam, idque videtur docere Ariſtot. 5. methaph. c. 14 in numeris compoſitis qui ex alijs numeris componuntur vt ſenarius ex duobꝰ ternarijs. Melius tamen conſequenter ad ſuperius tradita de numeris, in illis non propriè figuram reperiri, ſed tantum metaphoricé vnde non concedit abſolutè Ariſtot. in illis eſſe veras figuras, ſed per quãdam ſimilitudinem & imitationem ad figuras magnitudinum, ad planum & ſolidum.

IIII. *Con.* Quarta concluſio. Figura realiter à quãtitate diſtinguitur Sic Doctor. quæ ex illo principio á nobis ſuperius præfixo realem diſtinctionem inferendi ſatis conſtat, quantitas enim, & ſi nequeat eſſe in re ſine aliqua figura, poteſt tamen ſine hac & illa, cum hanc habere & illam perdere poſſit. C quòd ſi reſpõdeas, vt regula illa vera ſit mutuam debere eſſe ſeparationem quando. ſ. vnum ſine alio poteſt eſſe & ècõtra, licèt autem quantitas poſsit eſſe ſine hac figura, non tamen è contra. Sed hoc friuolum eſt, tum quia Ariſtot. vniuerſè affirmat. 7. topic. tex. 6. quòd duo ſic ſe habent quòd vnum alteri accidit, quod ſine illo inuenitur, realiter diſtinguntur. impoſsibile enim idẽ eſt realiter à ſe ipſo ſeparari, & ſine ipſo eſſe poſſ. eex qua uis ergò ſeparatione etiã nõ mutua realis diſtinctio inferetur, non quidem rei à re, hoc enim tantum ex ſeparatione mutua, benè tamen modi à re, alioquim enim, vbi non deſtingueretur realiter à re vbicata

 & idem

et idem de alijs modis, qui extra ſubiectum conſeruari nequeunt.

QVÆSTIO VI. NVM DIuiſio præfata Qualitatis vniuoca ſit generis in ſpecies realiter diſtinctas & ſufficiens.

CONTROVERSIÆ titulus tria proponit diſcutiēda. quæ modo ex præiactis facilè poſſunt expediri, cognitis iam qualitatum naturis, ideo eam hùc remiſsimus. I. eſt num, qualitas verùm ſit genus in habitum potentiã. &c. vt in veras ſpecies diuiſum. 2. nũ præfatæ ſpecies realiter diſtinguantur, an verò ſola ratione ita vt in eadem qualitate reperiri poſsint. 3. num diuiſio illa ſufficiens ſit & adæquata, ita vt nulla ſit qualitas quæ ſub his non contineatur.

Circa. I.

Circa primum, refertur opinio abſolutè affirmans qualitatem in communi vniuocam non eſſe reſpectu particularium, ſed Analogam. atque adeo non eſſe genus & huic aſſerunt Thomiſtæ, Scotum ſubſcripſiſſe, miraturque Rubio quod eam vt probabilem admiſſerit. ſed profectò noſt. Doctor numquam hanc admittit ſic explicatam, ſed duplicem opinandi modum de re hac profert in præſenti q. 36. §. *ad omnes iſtas quinque* & vtrumque aſſerit in eo conuenire quòd diuiſio præfata nō ſit tradita per veras eſſentiales differentias, ſed per eas quæ loco verarum ſubſtituũtur, differunt autem in hoc duntaxat (ait Doct.) quòd primus modus aſſerit prædictas differentias accidentarias eſſe modos ita accidentales, quòd non per ſe conſequantur diſtinctas ſpecies qualitatis per modũ propriæ paſsionis, ſed ita communes, vt poſsint in diſtinctis ſpeciebus reperiri, vt facilè & difficilè mobile in. 1. & 3. & plures poſsint eidem Qualitati ſecundum ſpeciem ineſſe.

Secundus vero modus, prædictas differentias nō ita eſſe accidētales affirmat ſed propriarũ paſsionũ inſtar ita eſſe proprias quatuor diſtinctis ſpeciebus Qualitatis quod (verba ſunt expreſſa Doctoris) ſicut illarum ſpecierum vna non dicitur de alia, neque ambæ de aliquo eodem, ita & iſtarum differentiarum nulla dicatur de alia, neq; duæ de aliquo eodem, quia propriũ omni & ſolum & ſemper conuenit ei cuius eſt proprium. Vnde vterque modus veras dari ſpecies qualitatis admittit, ita diſtinctas vt neutra de alia affirmari poſſit, explicari tamē ab Ariſt. per prædictos modos ſic vel ſic explicatos. Prima opinio ſic procedit, quia reputat inconueniens in eadem qualitate plures eſſentias & quiditas reperiri poſſe. cum ergo plures ex præfatis differētijs in pluribus ſpeciebus cōmemoratis reperiantur, non poterunt eſſe differentiæ eſſentiales nec proprietates, ſed modi omnino accidentales. Secũda vero non reputat id eſſe inconueniēs, ſed in eadem qualitate dari poſſe plures proprietates conſequentes plures ſpecies diſtinctas ſi cum præciſione ſumantur.

Quis modo non videat meritò vtrumquè modum à Doctore ſic explicatum probabilem reputari, habereque patronos etiam ex modernis graues & rationes non leues; & in primum vt á Doctore illuſtratur in probabiliorem inclinari in 4. d. 6. q. 10. vt magis explicabitur.

Circa. II.

Circa ſecundum communis ferme eſt opinio Thomiſtarum, qui Secundam viam modo traditam amplectentes, aſſerunt, plures ex his ſpeciebus ſola ratione diſtingui, cum in Qualitate eadem materialiter reperiri poſsint, ita vt ea quæ magis intimè cōuenit intelligatur prius in eſſe, aliæ verò ſuo ordine. Vel ex æquo conuenientes vt idē calor multas habet ſpecies hoc nomine caloris ſignificatas, ſicut motus multas habet rationes ad diuerſa prædicamenta ſpectantes inter ſe connexas. Tunc autem ſi calor ſecundum rationem vnam ſumatur eſt ens per ſe, vt vero omnes rationes ſignificat erit ens per accidens.

Fundam.

Fundamentum eſt, quód eadem res ad diuerſa prædicamenta pertinere poteſt, vt idem motus ſecundum Ariſto. ad actionē & paſsionem, cur non & eadem res ad diuerſas ſpecies? Si ergo ſola diſtinctio rationis aut formalis ſufficit in eadē re ad diſtinguenda eaq; primò ſunt diuerſa, vt ſupra diximus, ſufficiet ad diſtinguendas ſpecies quæ magis conueniunt, ad quas ſufficit formalis incompoſibilitas,

Confirma.

Confirmatur ex Ariſtotele, qui durum, & molle tam in. 2. quàm in 3. ſpecie conſtituit, ſalubre in. 1. & 2. ſpecie. pulchritudinem in 1. & 4. ſpecie 7. phyſic. c. 3. tex. 17. calorem & frigus in. 1. vt ſunt diſpoſitiones. in 2. vt ſunt virtutes agendi. in. 3. vt ſunt termini paſsionum, aut ſi grauitas & leuitas in 2. ſpecie à nobis conſtituuntur. ab Ariſto. in 3. ſpecie 5. methaphy. c. 14. &

21. cur

21. cur non idem de calore, cum de ratione potentiæ non ſit, vt ad alia munia nequeat ordinari, grauitas enim & leuitas non ſolũ ſunt inditæ à natura vt moueant graue & leue, ſed etiam vt afficiant naturam in ſe, cũ ſine illis naturaliter nequeant conſeruari, imo ad hoc primò, cum in quauis re eſſe ſupponatur ad operari. Quod ſi ad huc proteruias, grauitatem primò ad motum ordinari & ideo in 2. ſpecie conſtitui, idem dicam de calore primò ordinari & ab igni intendi vt per natiuam vim paſſum à contrarijs qualitatibus expurget, certè nulla qualitas operatiua eſt quæ nõ ſit primò á natura conceſſa vt ſubiectum in ſuo eſſe conſeruet, ſecundariò verò in ordine ad aliud.

Notabile. Vt autem noſtri Docto. mentem à calumnijs contrariorum vindicatam tueamur, eum eodem obſeruare oportet in quauis qualitate duo poſſe conſiderari, primũ quod eſt ſibi eſſentiale, alterum quod proprij modi ve accidẽtalis rationem induit, id enim quod in vna quaq; re primum eſt eſt illius eſſentia, cætera autem aut proprietates ſunt, ab eſſentia vt à prima radice adæquata emergentes, atque adeo illi ſoli conuenientes aut affectiones accidentales alijs etiam communes. vt primæ ſpeciei eſſentiam eſſe diximus, qualitatem eſſe aduentitiam potentiam ad operandum perficientem, eſſe verò facile aut difficile mobile modum accidentalem, cum etiam alteri qualitati habenti aliam differentiam alterius ſpeciei, conueniat qualis eſt 3. ſpecies. Eſſentiam 2. ſpeciei diximus eſſe habilitatem á natura inditam vt facile operari poſsit aut reſiſtere. quòd verò fortius vel debilius agat aut reſiſtat modus accidentalis, qui in qualitate alterius ſpeciei reperiri poteſt, vt calor qui 3 ſpeciei eſt, fortius agit & reſiſtit contrarijs dum intenſior eſt, debilius, cum remiſsior Eſſentiam 3. ſpeciei quòd ex primaria ratione ſubiectum afficiat in ſuo eſſe, quòd verò operatiua ſit; aut ſenſum inmutando aut paſsionem in ſubiecto cauſando, vel illam terminando proprietas, ſaltim aliquarum qualitatum iſtius ſpeciei, quòd vero diu aut brebi duret modi ſunt, accidentales, Diximus tandem eſſentiam 4. ſpeciei eſſe, vt modus ſit quantitatis illam terminans extrinſecè, quòd verò ſit diſpoſitio exterior, aut quòd ſit in rebus animatis, l. inanimatis, ꝙ ſit à materia abſtracta vel illã concernat, modi ſunt accidentales

A Prima concluſio ipſa natura rei ſpectata Qualitas eſt verum genus habens ſub ſe plures ſpecies eſtencialiter diſtinctas atq; adeo conſtituit verum prædicamentum ex coordinatione prædicatorum eſſentialium à ſupremo genere vſque ad indiuidua conſtitutum, hoc aperte colligitur ex noſtro Docto ipſe enim concedit decem prædicamenta eſſe vera genera veras ſpecies ſub ſe habentia. Tum etiam ipſe concedit plures Qualitates eſſentialiter diſtingui, vt habitum ſcientiæ, à cumen ingenij, calorem & figuram, & inter quaſdam qualitates plura prædicata eſſentialia conuenientiæ intercedere, quàm inter alias. ergo neceſſariò fatetur qualitatem eſſe verũ genus ſub quo coordinatio reperitur generum ſubalternorum vſque ad ſpecies athomas & indiuidua, atque adeo ſub ſe habere veras ſpecies per proprias differentias eſſentialiter conſtitutas, quibus inter B ſe differunt eſſentialiter ſub eodem genere. *I. Conclu.*

Secũda cõcluſio prædictæ ſpecies Qualitatis ſunt inter ſe realiter impermixtæ, vnde in eadem qualitate nequeunt plures ſpecies reperiri, Sic noſter Doctor in præſenti, & in. 4. d. 6 q. 10. vbi aſſerit quòd eadem qualitas *non poteſt eſſe in ſe tot quidditatiuè, non enim eſt in ſe niſi vna quidditas ſimpliciter ergò tantum erit in vna ſpecie* Vnde ſic omnes Scotiſtæ. & egregiè docet Doct. Soarez in methaph. diſp. 42. ſect. 4. & probatur hoc eodem fundamento Doct. vnica res vnican tantum eſſentiam habet, illud nempe quod vt primum in ea concipitur, nec enim plures rationes quidditatiuæ & plures differentiæ athomæ eidem qualitati conueniũt, ergo vna quali- C tas ſub vnica tantũ ſpecie conſtitui debet. *II. Conc.* *Probatur*

Confirmatur. Si in eadem Qualitate vt in eodem calore plures rationes formales reperiuntur. vel vna illarum prius illi conuenit & illa erit eſſentia cætera verò affectiones ab illa ꝓpagatæ, aut ex æquo conueniunt ergo eandem entitas caloris plures habet eſſentias & plures diffrẽtias & plures eſſentiales conſtitutiones, & ſic nulla eſſet qualitas ita ſimplex quæ ñ haberet in ſe plures Qualitatis ſpecies

Tertia concluſio ſi diuiſio qualitatis attendatur quo pacto eſt ab Ariſt. trraddita non eſt data impropriaſ ſpecies qualitatis per veras differentias eſſentiales, ſed tantum per quoſdam modos accidentales, quibus vt nobis notioribus vſſus eſt Ariſt. *III. Conl*

ad ſpe-

ad ſpecies qualitatis percipiendas. quippe hoc eſt quod noſter Doct. docet & probabilius eſſe arbitratur quàm aſſerere pdictos modos eſſe veras differentias eſſentiales harum ſpecierum, Sic noſter Doct. in preſenti & in. 4. d. 6. q. 10. vbi ſic, *quia ſecundum veritatem illa diuiſio Qualitatis in quatuor ſpecies non eſt propriè generis in ſpecies, ſed eſt tantum ſecundum quoſdam modos diuerſos conuenientes diuerſis qualitatibus, & forte eidem qualitati in ſe ſecundum eſſentiam poſſent competere plures modi qui ponūtur* vbi loquitur de illa diuiſione tradita à Phyloſopho. vt etiam in præſenti q. 30. ait, poteſt dici quòd Ariſtot. non aſſignat ſpecies Qualitatis. Probatur à Doctore. tum ex ipſo Ariſt. qui expreſſe videtur aſſerere ſuam mentem eſſe qualitatis ſpecies per modos accidētales traddere, vnde ſic ait (Qualitas eſt eorū quæ multipliciter dicūtur) & infra (& fortaſſe quidā alij apparent Qualitatis modi.) Tum etiā quòd vt ex præcedenti manifeſtè deduci videtur, plures ſpecies in eàdem qualitate reperiri poſſe eſt impoſsibile, atque adeò plures differentias eſſentiales & proprietates adæquatè à diuerſis differentijs procedētes. Sed omnes illæ habitudines aut plures in eadem qualitate reperiri poſſibile eſt, vt eadem qualitas eſt eſſentialiter in ſubiecto radicata, & eſt principium naturale faciliter operandi vel non faciliter, & per ſe obiectum ſenſus, ſeu terminus aut cauſa paſsionis. Sunt ergo modi accidentales.

IIII. Con. Quarta concluſio licèt prima diuiſio Qualitatis ab Ariſto. tradita Quadrimimbris ſit. per proprias differentias data, in bimembrem ſic poteſt reduci. quòd Qualitas in communi primo diuidatur adæquata diuiſione, in eam quæ primò & per ſe ſubiectum afficit ratione ſui, & in eam quæ afficit ratione operationis. quæ ratione ſui, ſecundò diuiditur in eam quæ ratione Quantitatis quam conſequitur vt terminꝯ illius, & hæc dicitur figura aut forma & ab Ariſtot. 4. ſpecies numeratur, & in eam quæ ratione formæ ſeu inſtar formæ ſe habet & non ſequuntur quantitatem & hæc appellatur ab Ariſt. paſsibilis qualitas vel paſsio. 3. que aſsignatur. Si ratione operationis, aut in eam quæ vt in natum principium & appellatur naturalis potentia. 2. numerata. aut in eam que vt principium aduentitium potentiam diſponit & perficit, quæ habitus aut diſpoſitio dicitur primo loco ab Ariſtot numerata.

A Ex dictis colligitur diuiſionem hanc ſufficientem eſſe, cum nulla Qualitas ſit quæ ſub his non contineatur cum autem ait Ariſt. alium fortaſſe modum eſſe, modeſta loquutio eſt. De ordine verò ait Doct. in illis recenſendis non obſeruaſſe Phyloſophum ordinem immediatius conſequēdi ſubſtantiam aut quantitatem, ſed ſecundum alias rationes, vt ſecūdum maiorem communitatem in genere Qualitatis, & ſecundum naturaliter in eſſe. aut forte non eſt multum de ordine contendendum nec enim in omnibus miſterium eſſe debet.

Ad fundamentum contrariorum, negādum eſt antecedens vt ex dictis & dicendis conſtabit, nos autem ibi tantum docuimus non ſufficere rationis diſtinctionem ad prædicamenta diſtinguenda, ſed realē requiri ad minus formalem. Ad fund.

B Ad confirma. vt ſupra cum Doct. quòd cum præfatam diuiſionem tradiderit phyloſophus per modos accidentales cōmunes hinc effectum eſt, quòd qui ſūt in vna ſpecie numerentur in alia vt quæ ſunt in. 3. ſpecie numerentur in prima & vice verſa, quia modus vnius vt facilé vel difficulter dimoueri in alio reperitur. vnde ait Doctor in præſenti. §. ad omnes iſtas quinque reſpondeo ad primam obiectionem, *quod calor ignis eſt in 3. ſpecie quia paſsio ſenſibilis eſt, non in ſecunda quia non eſt tantum innatum principium operandi* & in fine q. *in 1. ſpecie enumerantur calor & frigus* quia ſi licet habēt modum illius, *quæ tamen ſunt verè in 3. ſpecie.* vt ergo qualitas aliqua in 2. ſpecie conſtituatur, opus eſt vt primus illius conceptus ſit eſſe principium operādi. 1 primò & per ſe ad hoc inſtituta à natura, vt grauitas & leuitas ad motū, quòd C ſi id ſecundariò habuerit non erit illius eſſentia ſed proprietas, quæ non per ſe ponitur in prædicamento, ſed reductiuè vbi id cuius eſt vnde de eſſentia caloris eſt ſubiectum in ſe afficire & conſeruare ob id in 3. ſpecie collocatur, cuius propria paſſio eſt, quod calefaciendi ſit principium, quæ reductiuè ponitur vbi calor. Ad. Conſi

---

QVÆSTIO VII. QVÆ ET quot ſint Qualitatis proprietates.

HANC controuerſiam quibuſdam aſſertionibus illuſtrabimus.

Prima ſit. Habere contrarium pro

prie eſt

prie eſt prima Qualitatis proprietas conueniens ſoli Qualitati, ſed non omni. vnde tantum eſt paſsio primo modo ſed ñ quarto modo. Prima pars probatur, quia calor verè & proprie frigiditati contrariatur. Secunda pars probatur figura & lumen non haben contraria.

Aduertendum tamen cum Doct. Qualitates medias vt colores medios cæruleũ, viride, fuſcum &c. contrariari extremis, ñ ratione ſui ſed ratione alterius extremi in illo incluſi, vt fuſcum albedini, ratione nigredinis quam includit, nigredini autem ratione albedinis, & in hoc ſenſu intelligẽdus eſt Phyloſophus cum docet coloribꝰ medijs nihil eſſe cõtrarium. ſ. ratione ſui, & in phyſicis, extremis contrariari, ratione. ſ. extremorum.

II. Conclu. Secunda concluſio ſuſcipere magis & minus ſeu intendi & remitti eſt ſecunda proprietas qualitatis. ſed non Quarto modo ſed primo. *Prima* pars probatur quia ſola qualitas eſtque partes ſeu gradus intenſionis habet, Secunda pars probatur quia ñ conuenit omni qualitati vt figuræ.

Vbi Aduerte cum Docto. intenſionem hanc nõ fieri in eſſentia, quia eſſentia Qualitatis cuiuſque in indiuiſibili cõſiſtit, ſicut & omnium rerum, ſed ſecundum partes intenſionis, quas habet qualitas in eadem parte ſubiecti, quæ non pertinent ad eſſentiam, cum eſſentia illius eodem modo ſit in quouis gradu quantumuis remiſſo. ſolum ergò qualitates illæ quæ gradus habent ſeu latitudinem gradualem ſecundũ quam remitti poſſunt aut intendi, poſſunt magis & minus habere, cuiuſmodi ſunt habitus ſcientiarum & virtutum & multę aliæ qualitates ad alias ſpecies pertinẽtes num autem proprietas hæc conueniat qualitati etiam in abſtracto, ita vt in ſe intendatur aut remittatur, num verò ſolum in cõcreto & vt eſt tãtũ in ſubiecto, ſuo loco.

Tertia concluſio. Tertia propietas eſt, quòd ſecundum eam res dicantur ſimiles fundamentaliter. Sicut enim quantitas eſt fundamentum æqualitatis, ita & qualitas ſimilitudinis.

DISTINCTIO VII. De Sex Vltimis Prædica.

A PER pauca de his docuit in præſenti Phyloſophus, ſola illorum enumeratione contentus, quia vt ait noſter Doctor ſpecies in quas eſſent diuidẽda, ſecundum quòd ſunt genera non ſunt notæ, nec paſsiones quæ in ſunt eis, ſecundum quòd conſiderantur ratione, de paſſionibus autem quæ ſecũdum eſſe illorum naturale in ſunt eis, diſputant Phyſicus & methaphyſicus, obidque & nos brebiter ea percurremus.

LITTERA ARISTOTELIS.

IN capite nono hæc ſolum tradidit Phyloſophus.

I. Concl. *Actio & Paſsio ſuſcipiunt cõtrarietatem, & magis & minus.* I. Conclu.

II. Concluſio. *Situm eſſe eſt denominatiuum à poſitione proueniens, habere eſt indutũ*
B *eſſe & armatum Vbi vt eſſe in lyceo eſſe in foro; Quando fuiſſe heri eſſe in hoc tempore.* II. Conclu.

Nihil Doctor de his in præſenti, ex his autem quæ alibi docet nonnulla colligemus pro illorum brebi dilucidatione.

QÆVSTIO I. SINT NE ſex vltima Prædicamenta relationes extrinſecus aduenientes.

ANTE quam ad iſtorum ſex generum naturas expendendas progrediamur, non erit abſ re in generali in quo illorũ eſſentia conſiſtit examinare, eſt enim de re hac inter Ariſtotelis interpretes controuerſia non exigua, & quia maior illius pars in euertenda noſtri Doctoris ſententia poſita eſt, ſex vltima
C prædicamenta relationes extrinſecus aduenientes conſtituẽtis, operæ precium duxi illius doctrinam de præfatis relationibus licèt ex varijs locis proprijs tamen verbis fideliter collectam in medium proferre.

Aſſerit ergò Subtilis Doct. in. 2. d. 2. q. 7. in 3. d. 1. q. 1. §. *ad illud* in 4. d. 6. q. 10. §. *hic dicitur*, & d. 12 q. 1. §. *ad quæſtionem* q. 3. &, d. 13. q. 1 litera. B. in quolibet. q. 11. §. de quarto videtur & q. 13. §. *Prima concluſio. Relationes eſſe in duplici diſcrimine quædam ſunt quæ neceſſario conſequuntur ambo extrema in actu poſita, ex natura extremorum, ſeu fundamentum poſito termino & iſta dicuntur intrinſecus aduenientes prædicamen-*

dicamentum ad aliquid conſtituentes, non enim poteſt reſpectus magis intrinſecè aduenire, quàm qui neceſſariò ipſum ſequitur poſito termino, quo ablato non ſequitur, cum relatio neceſſariò terminum expoſcat. Aliæ ſunt quæ non conſequuntur neceſſariò ambo extrema ſimul in actu poſita, ſed contingenter dicũtur aduenire extremo, etiam poſt quàm quodlibet abſolutum in ipſo & in termino fuerit poſitum in eſſe. Sic ſe habet vnio quæuis vt materiæ & formæ, accidentis cum ſubiecto, etiam enim extremis poſitis poſſent in eſſe & non in eſſe, vt ſi materia per ſe eſſet, & forma etiam vt anima per ſe ſeparata, & iſtæ dicuntur relationes extrinſecus aduenientes, non enim poteſt reſpectus magis extrinſecus aduenire quàm qui poſito termino non ſequitur fundamentum neceſſariò. Ad relationem ergò primi generis non eſt motus vt ait Philoſophus 5. phyſic. quia illa non aduenit niſi propter nouitatem alicuius abſoluti in altero extremo. Ad relationem verò extrinſecus aduenientem poteſt eſſe motus, ex quo enim non eſt aliquid abſolutum in fundamento & termino actu poſitis ad quod neceſſariò ſequatur talis relatio poteſt eſſe omnino noua per ſe abſque nouitate fundamenti aut termini, atque adeo ad eius eſſe nouum poteſt eſſe mutatio aliqua imo & verus motus vt ad vbi ex 5. phyſico.

Impugnatur Scotus à Thomiſtis.

Has ergo relationes extrinſecus aduenientes quas Scoticas appellant, vt pote ex proprio Scoti cerebro de promptas, nuſquam ab Ariſt. ſomniatas vt proculdubio cõmentitias conuincentibus (vt aiunt) rationibus ſic Thomiſtæ refellere contendunt.

I. Argum.

Primò, quod vniuerſa illa doctrina de relationibus prædictis maxima deceptione plena eſt; vt inductione quadam euidẽti in exemplis ab ipſo Scoto productis patere poteſt (ait Rubio qui plus omnibus in illa euertenda laborare videtur, ſed fortaſsis non ita fructuosè) Si enim extrema illarum aſſumit Scotus verò nudata fundamento, quid mirum ſi non conſurgant? Porro id etiam in relationibus intrinſecus aduenientibus deprehẽdes. tolle à Petro & Paulo vnius ab alio proceſſionem, vel albedinem, & non erit inter illos relatio paternitatis & filiationis vel ſimilitudinis; ſi ergò non adeſt actio vniens materiam cum forma quæ fundamentum eſt relationis vnionis, nec à proximatio inter locatum & locum, quo pacto poterunt oriri, pone propria fundamenta, & erit impoſsibile relationes non inſurgere naturali ſequella, vt ad partes prout vnitas ſequitur relatio vnionis.

II. Argu.

Secundò. Relatio propinquitatis inter Petrum, & Paulum, & relatio agents ad paſſum ſunt intrinſecus aduenientes, & tamen nõ ſtatim ſequuntur neceſſariò poſitis extremis, ſed oportet adiũgere aliquid aliud extrinſecum actio ve cõtingens, quæ ſit proxima ratio excitandi relationem.

III. Arg.

Tertio ſpecialiter ſi ſex vltima genera purè eſſent relationes extrinſecus aduenientes, cum relationibus intrinſecus aduenientibus in propria eſſentia relationis quę eſt eſſe ad aliud conuenirent & vniuocè, cum nulla poſsit Analogicæ ratio inter illas reperiri, pertinerent ergò ad eãdem cathegoriam. hoc enim aut alio modo ꝑduci accidentarium eſt, aut ſi ſit eſſentiale erit per modum differentiæ vniuocam illam ac eſſentialem relationis conueniẽtiã ad varias ſpecies contrahentis, aut ſaltim ſicut intrinſecus aduenientes vnum prædicamentum conſtituunt, ita & ſex prædicamenta quæ in vna ratione extrinſecus adueniendi conueniunt, vnum prædicamentum efficient, ad quod omnes aliæ pertinebunt, vt vnio, inhærentia &c.

Confirma.

Corroboratur quòd ſi puræ eſſent relationes, ad motum terminandum ineptæ eſſent, atque adeo ad vbi non eſſet motus contra Ariſt. ſequella patet, quia ideo aliæ relationes nequeunt per motum comparari, quia tota earũ ratio in ordine ad aliud conſiſtit, ex cuius noua productione conſurgunt. Imo quo magis ab extrinſeco procedunt facilius ſine ſubiecti mutatione poterunt comparari.

Thomiſt. Opinio.

Cæterum licét Thomiſtæ omnes cõtra noſtrum Doct. conſpirent; variant tamen inter ſe in horum ſex Prædicament. natura explananda.

I. Opinio.

Quidam enim aiunt vt ex diametro noſtræ doctrinæ aduerſi eſſẽtialiter abſoluta eſſe, connotare tamen veras relationes ad aliud illis accidentales quibus à nobis intelliguntur, qui mox ſunt quo ad primam partem impugnandi.

II. Opino.

Alij eſſe denominationes extrinſecas à formis abſolutis prouenientes, ſeu ipſas formas abſolutas vt extrinſecè denominãt res vt vbi locum eſſe ſeu ſuperficiem cõtinentẽ prout ab ea res locata & circũſcripta denominatur. Actionem eſſe formam productam prout ab ea denominatur agens. Hi tamen meritò ab omnibus reijciuntur, quia de paſsione & vbi nul

latenus

latenus ſecundum Ariſtot. id dici poteſt; Tum quòd ad alias extrinſecas denominationes vt eſſe viſum columnam eſſe dextram, alia itidem prædicamenta eſſet conſtituenda,

III. Opin. Alij via media procedentes, ſex vltima prædicamenta affirmant eſſe abſolutum cum reſpectu, ſed neque hi conueniunt, Quidam eſſe quaſdam ex alijs prædicamẽtis cõplicationes, vt vbi ex ſuperficie ambiente & relatione de prædicamento ad aliquid loci ad locatum. Sed hi viam mediam arripiunt à veritate prorſus alienã alioquin enim ſex vltima prædicamenta entia eſſent per accidens.

IIII. Opin. Alij eſſe formas aut modos abſolutus includentes tamen in ſua eſſentia relationes tranſcendentales aut ſecundum dici, quæ cum nõ accidant rebus vt relationes prædicamentales, ſed in ratione intrinſeca ſint eſſentialiter incluſæ vnũ per ſe conſtituunt contra quos ſtatim.

Notabile. Verum tamen pro noſtri Doctoris ſententiæ intelligentia quæ proculdubio vera eſt adnotare oportet, quòd licèt diſcrimẽ illud inter relationes intrinſecus & extrinſecus aduenientes à poſteriori videatur procedere, rationem tamen illius à priori clarè inſinuat Doctor. cum enim eſſentia relationis ab abſoluti eſſentia diſtincta in eſſe ad aliud cõſiſtat, inter relationes quædam ſunt quas relationes propriè dictas appellat Doctor, quia ſunt talis naturæ, vt ad id ſolum ſint eſſentialiter inſtitutæ vt res per illas ex vi alicuius fundamenti realis quod in ipſis ſupponitur, ſeſe purè reſpiciant, atque adeo nullum aliud eſſe dant ſubiectis niſi aliud reſpicere. ex quo fit ſubiectum non moueri primò & per ſe ad prædictas relationes ſed conſequenter ratione fũdamẽti in ipſo præſuppoſiti, quod ſecundario cõſequũtur poſito termino, iſtæ ergo relationis cum non ſint per ſe à natura intentæ, ex propria natura habent, vt numquam per ſe & immediatè produci poſſint, ex vi actionis alicuius agentis primò & per ſe illas producere intendentis, ſed ſecundariò conſequuntur producto aliquo abſoluto in altero extremorum ad rationem extremi pertinente, vel fundamenti vel termini vt bene adnotat Doct. in quotlib. q. 13. §. *Prima concluſio* ſic *relatio propriè dicta non eſt noua ſine nouitate alicuius abſoluti prioris & hoc in ſubiecto vel termino*, & Paulo infra, *relatio propriè dicta neceſſariò ſequitur extrema ſimul poſita, & ita non poteſt eſſe noua ſine nouitate alicuius* A *extremi.*

Quia ergò quaſi intrinſecè & intimè ex terminorum poſitione reſultant naturali ſequella ita vt naturaliter nequeant non reſultare, (imo ſecundum Licheũ quotli. 11., nec de potentia Dei abſoluta impediri neſluant.) ideo eas congruentiſsimè relationes intrinſecus aduenientes appellat vt ipſe apertè docet iſtæ relationes ſunt quæ 3. prædicamentum ad aliquid conſtituunt.

Relationes intrinſecus aduenientis. Aliæ verò ſunt quarum eſſentia non conſiſtit in purè reſpicere, ſed in eo quòd aliquod munus exerceant in extremis aut aliquo ſpeciali modo ſe habeant in illis, vt motus (de quo Doctor. in 4. d. 6. q. 10. §. hic dicitur. *iſtud probatur ex intentione phyloſophi. 5. phyſic. quia licet ibi neget motum eſſe in ad aliquid ad quod pertinent relationes* B *intrinſecus aduenientes, nõ negat motum vel mutationem eſſe in ad aliquid extrinſecus aduenient, ſed concedit, concedit enim in genere vbi eſſe motum propriè & tamen vbi non eſt niſi reſpectus quidam*) reſpicit terminum vt via ad illum qua accipit eſſe, vnio vtrumq; extremum connectit realiter, vnde non habent ex propria natura aliud conſequi ſecundariò quod vt fundamentum ſupponunt, ac naturali ſequella comitantur prò vt in vnione & vbi apertè conſpicitur, non enim naturaliter ſequuntur ex poſitione alicuius abſoluti in extremis, & ob id ait Doctor contingenter aduenire, & relationes extrinſecus aduenientes eſſe, ſed vt ſint per ſe debent fieri vt ſecundum ſe à natura intentæ per actionem aut motum primò & per ſe ad illas ordinatum, vt egregiè docet Doctor quotlib. 11. §. de quarto videtur. *ratio autem differentiæ relationis ab alys reſpectibus in non terminando motum videtur eſſe, quia ex quo relatio conſequitur* C *neceſſariò extrema poſita, numquam poteſt ipſa acquiri per ſe ſed tantum modo per accidens alio ſcilicet abſoluto acquiſito in altero relatorum, talia ergo quæ non acquiruntur niſi per accidens alio acquiſito, negat Phyloſophus in 5. phyſic per ſe terminare motum, relatio autem non neceſſariò conſequens extrema poteſt habere propriam nouitatem abſque nouitate vnius vel alterius extremi, & ideo poteſt habere propriam acquiſitionem.*

Ex quo apertè conſtat relationes non dici intrinſecus aut extrinſecus aduenientes comparatione ad ſubiecta nudè ſumpta, ſic enim reſpectu ſubiecti præcisè omnes re-

nes re-

nes relationes extrinſecus adueniunt, ſicut enim Petro. v. g. albedo aduenit extrinſecè & accidentariè, ſic & relatio ſimilitudinis quæ in ipſa fundatur, vt ſcitè adnotat Doctor in 4.d.6.q.10.§. *hic dicitur* ſic *quia relationes intrinſecæ vt pote ſimilitudo quæ conſequitur albedinem poſſunt extrinſecus aduenire ſubiecto, quia fundamentum de nouo aduenit, erit ergo* (ait *Doctor*) *differentia earum in comparatione ad fundamentum* nec nomine fundamenti intelligit actionem qua ipſa relatio fit quòd, enim poſita actione quâ fiunt neceſſariò ponantur quis hoc negat? (in quo decipiuntur qui Doct. N. exemplis ab eodem adductis ſimulare contendunt) neque enim actio qua immediatè ipſa relatio fit fundamētū à quouis appellatur, alioquim omnes relationes eſſent ſecundi generis in actione fundatæ, cum nulla ſit quæ actione aliqua non fiat. ſed ſi quæ ab aliquibus ponitur ea eſt qua fit terminus ad quem ſequitur relatio effectus & cauſæ.

Quid nomine fundamenti.

Nomine ergò fundamenti intelligimus id quod intrinſece ſe habet ex parte extremorum iuxta ſuperius explicata, dicimus que relationes intrinſecus aduenientes talis eſſe condicionis, quòd cum ex propria natura aliorum ſint conſequiæ, non aliter ſunt ac fiunt, quam per naturalem ſequellam ad fundamentum quod in ſubiecto ſupponitur vt cauſa præciſa & neceſſaria illius poſito termino, vnde in quauis diſtātia ſint, dummodo ſint in re vt poſitis in re producente & producto, aut duobus albis vbicumque ſint, ſequitur naturaliter ex propria extremorū natura relatio producentis & ꝓducti, aut ſimilitudinis, quia preciſe ſe reſpicere in quauis diſtantia exerceri poteſt quod ſecus eſt in relatione extrinſecus adueniēte, cum nō ſit talis cōdicionis ad huc poſito fundamento & termino cum omni ſibi ab intrinſeco conuenienti non ſequitur neceſſariò niſi intercedat aliqua ꝓpriâ et immediata actio, aut motus, aꝓximatio ve. His ſic præiactis.

I. Conclu.

Prima cōcluſio ſex vltima genera ſunt entia realia ac vera accidētia phyſica quæ intrinſecè afficiunt ſubiecta, huic maior Phyloſophorū pars ſuffragatur, ſicut enim ens reale in decem prædicamenta partitur ſic & verum accidens reale ac intrinſecum à ſubſtantia condiſtinctum in nouem genera accidentium, diuiſum autem á membris diuidentibus participari debet, cumque modus eſſendi accidenti debitus ſit per in hærentiam, quod libet ſecundum ꝓpriam rationem in hæret in re & alicui accidit non ſolùm ſecundum mentis conſiderationem vt perperam nonnulli volunt.

II. Conclu.

Secunda concluſio ſex vltima prædicamenta non ſunt modi aut entitates omnino abſolutæ, hanc non ſolùm Scotiſtæ tuētur ſed & ex Thomiſtis plerīq; probatur quia eorum eſſentia inter duo extrema conſiſtit ſine quibus eſſe nec intelligi poſſunt, vt ſingula quæq; perpendenti conſtabit, eorum ergo eſſentia non eſt præcisè ad ſe ſed ad aliud ergo nō ſunt formæ merè abſolutè.

III. Concl.

Tertia cōcluſio nec ſunt formæ partim abſolutæ & partim reſpectiuæ ſeu abſolutæ eſſentialiter includentes reſpectus. Sic noſter Doctor in. 4. d. 12. q. 1. §. ad *Quæſtionem* vbi ſic, *contradictio eſt quòd in per ſe ratione abſoluti includatur aliquis reſpectus*, & infra *dico quod num quam Ariſt. ſenſit quòd forma quæ per ſe eſt in genere abſoluti includat reſpectum aliquem* & in quolib. q. 13. §. *de tertio articulo* id docet & ꝓbat ſic, *quia nec relatio poteſt eſſentialialiter includi in abſoluto, nec abſolutum & relatio poſſunt includi in aliquo per ſe vno vnius generis.*

I. Probat.

Probatur autē à noſtro Doct. forma abſoluta eſt eſſentialiter ad ſe. ideſt ab extrinſeco abſoluta, reſpectus vero eſſentialiter ad aliud, ergò forma abſoluta nequit eſſentialiter reſpectū includere, quia idem eſſet eſſentialiter ad ſe & ab extrinſeco ſolutum, & eſſentialiter ad aliud, atque adeo contradictoria in eadem eſſentia includerentur.

II. Proab

In ſuper probatur ab eodem quia ex ratione abſoluta & relatione nequit vnū per ſe fieri vnius per ſe conceptus, ſex ergo vltima genera eſſent entia per accidēs, antecedens probatur ex diſtinctis vnum per ſe nequit fieri niſi conceptus vnius ſit per ſe potentialis ac determinabilis, alterius vero per ſe actualis & determinans, ſed abſolutum & relatio nequeunt ſic ſe habere quia nihil eſt per ſe determinabile niſi per determinatiuū ſui generis, ſi enim ſit alterius generis, eſt tantum determinabile per accidens, vnde ex rebus diuerſorum generum nequit fieri vnum per ſe, & quidem ratio abſoluta & relatiua diuerſorum ſunt generum & neuter eſt per ſe determinatiuus alterius, ſed vterque ſine altero natus eſt in ꝓpria coordinatione determinatiſsimum conceptum habere.

Nec

Solutio. Nec quid quam efficit aſſerere id verũ eſſe de relatione prædicamentali quæ diuerſi generis eſt,non vero de tranſcendentali quæ quia eſt de eſſentia rei,ad idem genus ſpectat.

Impugna. Ratio relatiua tranſcendentalis eſſentialiter eſt ad aliud extrinſecum ratio autem abſoluta eſt à tali extrinſeco ſoluta & ad ſe, ergò nequeunt inter ſe rationem per ſe determinabilis ac determinantis habere, nihil enim per ſe determinatur per rationem ſibi oppoſitam nec ad idem genus poſſunt pertinere.

III.Concl. Tertia Concluſio ſex iſta genera ſecundum ſuam eſſentiam atque adeo ſecũdum totum ſuum eſſe ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes, ſic noſter Doctor locis adductis(qui ſolus pro mille ſufficit) ſed eum omnes diſcipuli ſequuntur Lichetus Tataretus &alij Antonius Andres in libello de ſex principijs.& Doct.in quotlib. q. 11. §. de *quarto videtur* ſic ait *ſex genera vltima cũ appareat* ꝙ *non importent formas abſolutas,nec ſimul abſolutum & reſpectum vt argutũ eſt conſequens eſt dicere quòd ſunt eſſentialiter reſpectus,nec tamen de genere relationis.* Prima pars ex prædedentibus liquet,ſunt eſſentialiter ad aliud quia eſſentialiter aliud reſpiciunt quoquo modo ſe habeant circa illud:ergò re ipſa eſſentialiter & in eſſendo & non ſolo nomine ſunt relationes,abſolutum enim eſt quod nihil aliud reſpicit. Secunda pars ſpeciatim videbitur,non enim neceſſariò conſequuntur poſitis fundamento & termino,nec vt ſint ſupponunt nouitatem alicuius abſoluti prioris tenentis ſe ex parte extremorum.

Scotus. Lichetus. Mairon. Baſſolis. Orbellus. Niſa. Tataret. Bargius. Paulus Scriptor. Colonia. Pelbartus Andreas. Sarnanus Angles. Herrera. Ouando. Rada.

Ad. I. Argumẽ. Primum Aduerſariorum Argutum facilè ex adnotata doctrina refelli poteſt, actio qua vnio per ſe fit & motus à proximationis quo vbi non ſunt fundamenta.

Ad. II. Secundum Argutum quoad propinquitatis relationem in Prædicamento vbi quoad relationem Agentis ad paſſum in Prædicamento Actionis.

Ad. III. Tertium eſt quod ſibi Doctor objicit in.4.d.13.q.1.§. *Ad ſolutionem huius Quæſtionis* ſic, *Si omnes reſpectus habent vnam rationem communem quidditatiuam reſpectus, non poneretur niſi vnum genus reſpectiuum & ita non niſi quatuor prædicamenta* Reſpondet. *Si ergo debet ſaluari illa famoſa diuiſio prædicament, quia ſecundum Auicen. 3. metahaphyſi. cogimur obſeruare illam diuiſionem prædicamentorum* A *famoſam qua dicuntur eſſe decem generaliſſima, propter Phyloſophorum antiquam autoritatem cui non debet facilè contradici* & odem modo loquitur in quotlib. q. 11. *§. de quarto videtur* vbi apertè indicat, diuiſionem hanc propter antiquorum autoritatem admittendam eſſe, non quia omnem aliam conuenientiam vniuocam excludat,vt ſupra diximus d.2.q.1.& dicemꝰ in metha. ſed maioris diſtinctionis gratia in decem genera per decem generales eſſendi modos diſtributam eſſe,vt in decem vniuerſalibus rerum ſeminarijs vna quæq; res cõſtituta facilius ac diſtinctius cognoſci valeat: ſub modo eſſendi abſolulo & ad ſe tria,conſtituuntur prædicaméta, ſub quibus res omnes abſolutæ continentur, ſub modo afficiendi in ordine ad aliud,ſeptem,& quidem omnes relationes intrinſecus aduenie͂tes quia eũdem modũ eſſendi B habent purè reſpiciendi terminum in quo ab omnibus alijs diſtinguuntur vnam conſtituũt cathegoriam, relationes autem extrinſecus aduenientes ſex genera conſtituunt ſecundum diuiſionẽ munerum ad quæ ordinãtur. Quod ſi importunè contendas vnum ex eis prædicamentũ conſtituere,ſicut ex omnibus intrinſecus aduenie͂tibus vnũ,propter conuenientiã eſſentialem ac vniuocam extrinſecus aduenie͂di,nõ multum in hac re momenti eſſe credo.

Sed maioris diſtinctionis gratia vt res adeo tenues cognituque difficiles facilius capi poſsint in ſex claſes ſunt diſtributæ iuxta ſex modos æfficiendi eſſentialiter diſtinctas,ad generum diuiſionem ſufficientes.

Breuiter tamen animaduertere non omiſſerim,non omnes relationes extrinſecus aduenientes prædicamenta conſtituere, ſed quæ completam rationem impor- C tant,quæ enim in completæ ſunt vel quia rem per ſe complent, vt vnio ſubſtantialis materiæ & formæ, & in hærétia quæ vnio eſt accidentis cum ſubiecto,vel influxu & via cõſiſtunt vt motus omnes, nequaquã completa enim eſſe debent quibus Prædicamentalis dignitas obuenire debet.

QVÆSTIO III. DE QVINTO & Sexto Prædicament. Actionis & Paſsionis.

DVO hæc Prædicamenta ita ſunt inter ſe cõnexa vt mutuò ſeſe inferant nulla e-

nulla enim actio eſt quæ nõ inferat paſsionem, nec paſsio aliqua quæ ab actione nõ inferatur. vnde mutuò ſe ſe iuuant in cognitone obidq; vtriuſque cognitioné in hac eadem controuerſia paramus, brebiter tamẽ quæ dialecticis ſunt neceſſaria ad propoſitiones ac ſylogiſmos componendos, res enim eſt Phyloſophica & metaphyſica

Prætermiſsis quidem varijs opinandi modis adnotare oporret vt horũ notitia haberi poſsit cum N. Ant. Andr. in lib. ſex princip. q. 7. quoties agens aliquod creatũ in aliud agit (notanter creatum ſubiungimus, ſolum enim actio agentis creati in prædicamento conſtituitur, actio vere agẽtis increati minimè vt de creatione optimè docet noſt. Doct. in. 2. d. 1. q. 2. 4. & . 5.) hæc inueniuntur primũ eſt ipſum agens in actu primo per virtutem agendi cõſtitutũ & dicitur actiuum ſeu principiũ vt quod 2. virtus agentis, quæ dicitur principium quo. 3 ſubiectum in quod agens agit. & dicitur paſsiuum ſeu paſſum. 4. forma quæ de nouo educitur ab agente de potẽtia ſubiecti & in illud inducitur, & eſt terminus formalis. tandem totum compoſitum reſultás ex ſubiecto & forma d̃ nouo inducta, quod dicitur terminus totalis. & quia dum agens in ſubiectum agit illud tranſfert & transſmutat ad nouum eſſe formæ quod de nouo acquirit, illud dicitur tranſmutans, paſſum verò tranſmutabile aut tranſmutatum. iſtius rei exemplum ſit. ignis dum lignum calefacit, ignis per caloré in eſſe calefactiui conſtitutus eſt principium quod, calor ignis principium quo, lignum eſt paſſum quod tranſmutatur, calor qui de nouo in ligno producitur, terminus formalis, calidum ex ligno & calore reſultans terminus totalis

Actio ergo eſt actus (teſte Phyloſopho 3. phyſic c. 3.) agentis, ſcilicet ſecundus quo in eſſe actu agentis in paſſum conſtituitur, cumque ſit exercitium & cauſalitas potentiæ actiuæ, quæ ſecundum Ariſt. & Auct. Sex principiorum, eſt principium traſmutandi alterum in quantum alterum idest potentiá paſsiuam, actio congruentiſsimè à noſtro Doctore diffinitur. in. 4. d. 13. q 1 in quotlib. q. 13. § *de tertio articulo* ſic *eſt tranſmutatio* ſcilicet actiua *alterius in quantum alterum* quia agens non dicitur agere niſi paſſum aliquod tranſmutetur ab agente, vt ibi optimè explicat Tataretus, vt actio calefactionis eſt quia ignis agens in lignum tranſmutat illud ad nouũ eſſe caloris, quæ diffinitio in illam recidit
A quam tradit Auctor. 6. princi. *Actio eſt forma*. 1. in actu ſecundo. *Secundũ quam in id quõd ſubijcitur* in paſſum *agere dicimur*.

Cumque paſsio ſit exercitium potentiæ paſsiuæ, ſic etiam diffinitur à Doct. *eſt tranſmutatio* ſcilicet paſsiua, *ab altero in quantum alterũ*, ſeu eſt receptio formæ ab agẽte ad quá tranſmutatur, quæ ſi ſit receptio formæ perficientis ſubiectum paſsio perfectiua dicitur; ſi vero deſtruentis corruptiua paſsio appellatur.

Ex quibus deducitur Actionem eſſe relationem extrinſecus aduenientem agentis ad paſſum, ſeu tranſmutantis ad tranſmutatũ quatenus accipit aliud eſſe. quòd relatio ſit patet, ſi enim forma eſſet abſoluta ad illam poſſet eſſe actio quia ad omnem formam abſolutam poteſt eſſe actio & ſic in infinitum Item ſi eſt forma abſoluta ait Doctor in illo. 4. d. 13. q. 1. vel eſt in
B agente, & ſic iam agens mutaretur ſecundum formam abſolutam ante quam paſſũ mutaretur ab ipſo, quia paſſum non mutatur ab ipſo niſi iam habente actionem. ſi in paſſo, ergo non poteſt paſſum pati ſecundum formam alterius generis vt quantitatis, Qualitatis &c. quim ſimul patiatur ſecundum formam abſolutam alterius generis ſcilicet ſecũdũ actionem *Si ponatur* ait Doctor *actio forma abſoluta coæua agenti in quo eſt, iam tunc eſſe actio & non circa aliquod paſſum, quod eſt contra rationem actionis, quia ſecundum auctorem ſex principiorum actio requirit non ſolum quôd agat ſed in quod agat* in ſuperaddit Doct. *nõ vniformiter eſt actio quando nihil agitur, & quando aliquid agitur, ideſt actio non eſt in agente cum nihil agit in paſſum, quia ſi quando nihil agitur, agens æquè agit ſicut quan-*
C *do aliquid agitur: ergò nõ eſt maior ratio quare illud poſtea ſit quàm modo, nõ enim aliquid fit niſi quia agens agit, & per te nũc ita agit ſicut poſtea quãdo res accipit eſſe. Item ſi quandiu calidũ eſt calidum, manet calefactio, ergò quãdo impeditur à cõtrario æquê agit.* Tandẽ in quauis opinione ſiue dicatur dependentiam eſſe effectus á cauſa ſiue motum eſſe vt dicit ordinem originis ab agente eſſentialiter datur inter duo extrema.

Quòd autem ſit extrinſecus adueniens patet quia poſito fundamento & termino actiuo .ſ. & paſsiuo cum omni ſibi intrinſeco conuenienti non conſequitur neceſſariò actio ex natura extremorũ, cum poſsit impediri vel per diſtantiam vel etiam ſi

ſint apro-

ſint aproximata per contrarium agens,cũ tamen relatio intrinſecus adueniens per prædicta nequeat impediri,quod idem di cẽdum eſt de paſsione relationẽm eſſe extrinſecus aduenientem paſsi ad agens.

Obiectio. Obijciet quis piam relationes potentiæ actiuæ ad paſsiuam & ècontra ad prædicamentum ad aliquid ſub. 2. genere à nobis fuiſſe ex Ariſt.mente relatas.

Reſpond. Reſpondeo id verum eſſe de reſpectibus quaſi potentialibus potentiæ actiuæ & paſsiuæ quæ ex propria extremorũ natura conſequuntur, reſpectus verò actualis agentis ad actuale paſſum non ſic vt vidimo,aut fortaſis predicta actione de hoc prædicamento ſuppoſita & tranſmutatione paſsi ſubſequi relationem de ad aliquid agentis ad paſſum & ècontra verum eſt.

II. Obiect. Si ſecundo objicias reſpectus extrinſecus adueniens poteſt immediatè cauſari propria cauſatione, ſed non ſic actio & paſsio.

Reſpond. Reſpondeo,cum Licheto quotlib. 11.§. Ad inſtantias contra quartum dictum in reſponſione Ad 1. id cum ſuo ſale debere intelligi quòd poteſt eſſe nouus ſine aliqua nouitate alicuius abſoluti pertinentis ſiue ad fundamentum ſiue ad terminum. Imo quòd cum Actio ſit eſſentialiter actio & cauſalitas,nõ ſit per aliam actionem ſed ſe ipſa per ſe ſit & paſsio ſe ipſa recipitur, ſicut exiſtentia ſe ipſa exiſtit, & motus non ſit per alium motum ſed ſe ipſo eſt quia quæ ſunt eſſentialiter talia cum hoc ſit de eorum eſſentia ſeipſis ſunt talia & non indigent alijs formalitatibus per quas ſint talia.

Dicitur etiam quod cum Actio & paſſio intrinſece ſint Accidentia in re & non tantum noſtra conſideratione(ſi enim aliquæ ſubſtantiales dicuntur eſt denominatione extrinſeca à termino producto quia terminus eſt ſubſtantia)re vera alicui accidunt & in hærent paſſo quidem paſsio, Actio verò non paſſo vt nonnulli volunt alioquin ait Docto.paſſum vt paſſum eſt haberet rationem agẽtis formaliter,quia omnino irationabile eſt quòd forma ſit in aliquo formaliter & non denominet ipſum, vel quòd non conſtituat ipſum in formatum ſecundum ipſam,eſt ergo in agente vt actualitas illius qua intrinſecè & formaliter in eſſe agentis conſtituitur. vnde non tantum agentis eſſe dicitur,ſed etiam eſſe in Agente,Has relationes extrinſecus aduenientes quæ prædicamentum

A Actionis & paſsionis conſtituunt, (quod ſecus eſt de cauſalitatibus aliarum cauſarum vt materiæ & formæ quæ quia in completæ ſunt non conſtituunt prædicamentum) comitantur aliæ relationes intrinſecus aduenientes ad prædicamentum Ad aliquid ſpectantes, quia reſultant neceſſario proprio fundamento & termino poſitis.

Actionem quidem comitantur in agente relatio producentis ad terminum totalem productum, & relatio educentis ſiue inducentis ad terminum formalem eductum ſeu inductum,quæ etiam actiones appellantur. Paſsionem vero relatio producti ad producens & educti ad educens, qui omnes reſpectus conſequuntur ad nouitatem prioris abſoluti in termino,qui producitur denouo.

B Actio in communi quæ genus generaliſsimum eſt iſtius Prædicamenti diuiditur in Actionem tranſeuntem & immanentem. Sic Doctor in. 1. d. 2. q. 4. d. 3. q. 7. d. 6. & 13. in. 2. d. 3. q. 10. d. 25. q. 1. in. 3. d. 1. q. 26. in. 4. d. 13. q. 1 in quotlib. q. 1. ar. 3 q. 13. §. de tertio principali. & q. 14. tranſiens eſt quando forma per illam producta eſt extra ipſum agens, in ſubiecto ſcilicet diſtincto vt calefactio ignis cuius termino productus v.g. calor eſt in ligno. inmanẽs eſt quando forma per illam producta eſt in ipſo agente verba ſunt expreſſa Doctoris.illo quotli. 13. vt actio illa qua intellectus producit in ſe ipſo intellectionem ſeu verbum mentis quo intelligit,quia nõn ſolum ait Doctor ad formam inductam per motum in paſſum diſtinctum ab agente eſt actio de genere actionis, ſed etiam ad formam inductam per actionem in ipſo met agente, *Diuiſio Actionis.*

C iſta enim forma abſoluta cum ſit noua,eſt terminus alicuius actionis propriè dictæ per quam accipit eſſe.

Ad notare tamen libet cum Doctore in ibi circa actiones inmanentes,nõ ſolum ipſas actiones de generationis quibus potentiæ immanenter operantes producunt in ſe præfatas formas, ſed & ipſas formas productas actiones immanentes appellari ab Ariſtot. 9. metaphy. vt non ſolum actio qua intellectus intellectionem in ſe producit ſed & ipſa intellectio actus vel intelligendi actio inmanens appellatur et idem de volitione quia licèt prædictæ formæ ſecundum rem ſint veræ qualitates vt ſuperius diximus, quia per illas nihil *Adnotat. de inmanentis.*

producitur tamquam per actiones quibus res fiunt vt per intellectionem nihil producitur in obiecto quod intelligitur, habent tamē modum actionis, eique in duobus aſsimilantur, vt ait Doctor quòd ſicut actiones, ſunt in continuo fieri id eſt in cōtinua dependentia á potentia, & habent, obiectum in quod veluti tranſeunt ſicut in terminum, licèt non accipiat eſſe per ipſas, obid ergo ſignificantur gramaticè per verbum actiuum ſeu nomine actionis vt intellectio, volitio, viſsio, & operationes appellantur, & multoties eodem nomine quo & actiones quibus fiunt, vt tam actio voluntatis quàm qualitas per illam producta volitio dici ſolet. Si ergo actio immanens pro iſtis qualitatibus ſumatur, æquiuocè ſumitur actio vnde diuiſsio illa actionis in inmanentem & tranſeuntem eſt diuiſio æquiuoci in æquiuocata ſi autē ꝑ actione propria qua qualitates illæ fiūt eſt vniuoci in vniuocata, generis in ſpecies, quarum quæuis diuerſas habet ſubſe ſpecies.

Diuiditur rurſus. Diuiditur etiam in eam cuius terminus eſt accidens vt calefactio & in eam cuius terminus productus eſt ſubſtantia, & hæc in eam cuius terminus eſt totalis ſubſtantia & hæc dicitur generatio, & in eam cuius terminus eſt ſubſtantia partialis & dicitur nutritio, vnde licet actio qua fit accidens generatio ſecundum quid dicatur eſt tamē actio ſimpliciter. diuiditur etiam in vitalem cuius principium eſt viuens vt actio intellectus, & in non vitalem cuius principium non eſt viuens, diuiſio autem illa qua in ſucceſsiuam & inſtantaneam diuiditur non eſt generis in ſpecies ſed accidentalis, ratione enim motus cui coniungitur ſucceſsiua dicitur. Has etiam diuiſiones proporcionaliter ſortitur paſſio.

Propriet. Circa proprietates Actionis & paſsionis duas affert Phyloſophus, habere ſcilicet contrarium & ſuſcipere magis & minus, quæ non conueniunt eis ratione ſui, ſed formarum quas producunt. Gilbertus duas, alias addit prima eſt quòd vna aliam inferat vt in principio propoſuimus. Secunda quòd ſunt ſimul cum motu aut mutatione. cum enim Agens creatum non operetur extra ſubiectum ſemper producit formam in ſubiecto quopiam ex eius potētia educit per motum, qui nihil aliud eſt quam tranſitus, tendentia, ſeu via & fluxus formæ de non eſſe ad eſſe, ſiue de eſſe inperfecto ad vlteriorem perfectionem,

A aut ècōtra. Vnde ſi Actioni & Paſsioni de eſt ratio motus, & tranſmutationis, tātum ſuperſt relatio, cum ergo Aduerſarij dicūt actionem eſſe realem productionem quæ eſſe tribuit, hoc admiſſo, vnde nam ꝓbare poſſunt illud eſſe abſolutum quoppiam.

Ex dictis poterit obiter inferri Actionem & paſsionem & motum realiter diſtingui & quidem de actione & paſsione in noſtra doctrina certum eſt cum ſint in diſtinctis ſubiectis & relationes ſint oppoſitæ, de paſsione & motu certum eſt ſaltim diſtingui in re formaliter ex natura rei quia in re motus ſecluſa mentis ope habet rationem viæ in completam, paſsio verò completam, Actio & paſsio habent diſtinctas habitudines reales quas non fingit intellectus & in re vna eſſentialiter non eſt alia & diuerſi mode actuant ſubiectum eiſque diuerſæ correſpondent potentiali-

B tates actio enim non eſt actus patientis vt ſic, aliás in quantum agens pateretur, benè tamen paſsio.

QVÆSTIO III. DE SEPTIMO Prædicamento vbi.

SERIOSA de vbi diſputatio ad Phyloſophos ſpectat, ſed quæ de illo noſter Doct. docet in 2.d.2 q.7.& 9.in.4.d.10 q.1.& in quotl.q.11, brebiter perſtringemꝰ

Notabile Obſeruandū ergo eſt quòd cum omnis motus alicui ſubiecto in hærens intrinſecè in eo terminum aliquem realem productū relinquat, cum motus teſte Phyloſopho. 2.phyſi.c.1. ſit actus entis in potentia prout in potentia, ad aliam ſcilicet formam quæ eſt actus perfectus & terminus illius

C atq; adeo in eodem mobili ſit potentia ad motum & terminum illius, in eodem mobili erit motus & terminus per illum ꝓductus, ita vt ſicut moueri eſt intrinſecum mobili, ita & motum eſſe, vnde neceſſum eſt per motum localem in ipſo mobili quod per illum mouetur, aliquid produci ratione cuius in loco eſſe dicitur.

Vbi non ē locus extr. Accidens quod hoc prædicamentum conſtituit non eſt locus qui extrinſecus & materialis dicitur, de quo ſupra. d.4.q.7 diximus vltimam eſſe ſuperficiem corporis ambientis, quia hic vt ibidem cautum eſt, totaliter ſumptus ens quoddā per accidēs eſt, materialiter autē eſt ſuperficies ad prædicamentum Quantitatis ſpectans.

Tum e

Tum etiam quòd hic ſolum ſe habet extrinſecè reſpectu mobilis ſeu rei locatæ intrinſecè enim eſt in corpore locante vt ſuperficies illius. Nec denominatio extrinſeca à tali loco prouenens, vt perperàm nõnullis placuit. Quia denominationes extrinſecæ non conſtituunt prædicamenta.

Tum etiam quòd terminus lationis ſeu motus localis eſt qui hoc prædicamẽtum conſtituit, ille autem non eſt ſola extrinſeca denominatio, quia per mutationem ſolius extrinſecæ denominationis non mutatur, res realiter, aliàs Deus quoque mutaretur cum in ipſo etiam denominatio extrinſeca varietur, quã in hac vel in illa cratura eſſe dicitur.

Nec ſpacium illud quod corpore repletur, hoc enim tantum vacuitatem atque adeo negationem importat, quæ procul eſt à prædicamentis relegata.

Quid ſit vbi. Eſt igitur modus quidam accidentalis per motum localem acquiſitus, intrinſecè inhærẽs ipſi mobili quod locum acquirit, & ab eo realiter diſtinctus, vt noua illius acquiſitio & ſeparatio iuxta regulam ſuperius præfixam ſatis apertè conuincit, qui vbi generatim ſumptum appellatur, cuius concretum his aduerbijs ſolet ſignificari, hic vel illic exiſtens, licèt etiam vbicatum poſſet dici, vnde vt ait Doctor in. 4. d. 10. q. 3. eſt proxima & formalis ratio conſtituendi rem in hoc vel in illo loco. dicitur etiam locus formalis & intrinſecus vt ait Lichetus ad differentiam loci extrinſeci & materialis, & non ſolum in corporibus, ſed etiam in Angelis reperitur cuius fundamẽtum eſt ipſa ſubſtantia Angeli & non operatio aliqua, cum enim Angelus per ſe localiter mouetur, verum in ſe recipit motum quo ex vno loco ad aliũ transfertur ſecundum ſuam ſubſtantiam, ergo in ſe ipſo recepit modum illum accidentalem eſſendi in loco.

Quod eſt reſpectus. Hoc vbi in tota ſua latitudine ſumptum eſſentialiter eſt reſpectus extrinſecus adueniens preſentialitatis ſeu vnionis localis inter rem locatam & locum, Sic noſter Doctor locis citatis, quòd ſit reſpectus patet, quia intrinſecè & eſſentialiter eſt accidens afficiens ſubiectum non in ſe & ad ſe ſed in ordine ad aliud nempe locum, cum corpus per vbi (vt contrarij fatentur) intrinſecam ad locum habeat correſpondẽtiam, proporcio enim commenſuratio & accomodatio rei locatæ ad locum aut preſencia reſpectus quidam eſt eſſentialiter, inter duo extrema, quòd autem ſit extrinſecus adueniens patet ex Doct. quotli. 11. quia cum illius eſſentia non conſiſtat in purè referri aut reſpicere ſed ſpeciali modo conſtituere rem in tali loco, poteſt eſſe noua nouitate propria & per ſe acquiri id eſt non conſequenter & ſecundariò, ad alterius abſoluti acquiſitionem ſiue in re locata ſiue in loco, ſed primò, & per ſe propria acquiſitione, qua propter dixit Phyloſophus. 5. phyſic. ad vbi eſſe motum, vnde poſito fundamento & termino non ſtatim conſurgit per reſultantiam. alioquim in quauis eſſent diſtantia res locata & locus, neceſſariò conſurgeret ex natura extremorum, & ſic ſemper maneret idem vbi inuariatum, atque adeo nullum corpus moueri poſſet, motus enim fiere nequit niſi per variationem vbi, requiritur ergò motus aproximationis vt ſit, eſt que reſpectꝰ preſentialitatis inter locatum & locum ſiue vnionis localis, cuius effectus formalis eſt conſtituere rem actualiter præſentem & vnitam huic loco & non alteri, eſtque fundamentum propinquitatis & diſtãtiæ quæ ſunt relationes intrinſecus aduenientes, cum poſito fundamento ſcilicet re vbicata & loco naturaliter pullulent. Sic Doctor in, 4. d. 10. q. 3. §. *dico ad Argumenta principalia*, vbi *propinquum autem & diſtans fundantur in corpore vbicato.*

Diuiditu. vbi in cõi. Hoc vbi diuiditur in vbi circunſcriptiuũ & vbi diffinitiuum Sic noſter Doctor locis citatis, vbi circũnſcriptiuum eſt modus eſſendi in loco rei corporeæ & quantæ habentis partes extenſas localiter vt vna ſit extra locum alterius, vnde per ſe ipſum non facit rem eſſe extenſam, ſed ſuppoſito quòd ſit extenſa facit illam in hoc aut in illo loco præſentem, manẽteque eadem extẽſione locali poteſt hoc aut illud vbi amitti, cuius fundamentum eſt quantitas quæ ob id ratio fundamentalis dicitur eſſẽdi in loco circunſcriptiuè. eſt ergo vbi circunſcriptiuum reſpectus præſentiæ eius quod a loco ita circunſcribitur & continetur vt totum ſit in toto loco, & ſingulæ illius partes in ſingulis etiam loci partibus, & quia ſuppoſita vniuerſi conſtitutione in qua nullum vacuum datur, quando aliquod corpus mouetur preter vbi acquirit etiam circũſcribentem ſuperficiem à qua extrinſecè circunſcriptum denominatur, ſemper cũ vbi eſt cõiuncta denomi natio extrinſeca à corpore ambiente proueniẽs, per eãq; Gilbertus ipſũ vbi explicuit *Vbi circũſcripti.*

 aſſerens

aſſerens, *vbi eſſe circunſcriptionem corporis à circunſcriptione loci prouenientem* niſi vel lis ipſum vbi paſsiuum circunſcriptionem paſsiuam á Gilberto appellari vt ait Doctor quotlib.11.

Quid vbi diffinitiũ

Vbi diffinitiuum eſt reſpectus præſentiæ eius quod abſque extenſione in ordine ad locum eſt præſens loco, vnde eſſe in loco diffinitiue bifariam ſumi poteſt, aut generatim vt precisè dicit eſſe in loco determinato vt ſimul eſſe nequeat ex propria natura extra illum, cum enim quælibet res creata finita ſit & limitata, determinatum vbi habet ad vnum locum, ſic genus iſtius prædicamenti vbi diffinitiuum dicitur qua ratione vbi circunſcriptiuum etiã dicitur diffinitiuũ, vnde Præsẽtialitas diuina quæ ipſa Dei immenſitas eſt nulli loco determinatur, ſed vbiq; præſens nullatenus concluditur, ſecundò ſumitur ſpeciatim, & ſic vltra hoc quod eſt ita eſſe in hoc loco quòd nõ in illo, addit quòd ſit ſine extenſione in ordine ad locum, vt totum ſit in toto loco & pars in parte loci ſed totum in toto loco & totum in quauis parte, vbi ergo diffinitum in communi vt ab infinita præſentialitate diſtinguitur, in vbi circũſcriptiuum & vbi diffinitiuum particulariter ſumptum diuiditur, quod nomen generis ſibi retinuit, vt de alijs diuiſionibus dictum eſt.

Quotrupl

Hoc vbi diffinitiuum rurſus diuiditur in materiale & ſpirituale, illud eſt reſpectus præſentiæ rei habentis quidem extenſionem in ordine ad ſe ſed nõ in ordine ad locum, petentis tamen eam ex natura ſua licet virtute diuina detur ſine illa, vt videre eſt in ſacro Euchariſtię myſterio in quo corpus Xpi. D. non habet talem extenſionem, exigit tamen ex natura ſua vt illam habeat media Quantitate, talis eſt modus præſentiæ cuiuſque rei materialis præter quantitatem, vt de ſubſtantia docet Doct in 4.d.10.§.*de ſecundo* vbi ſic *quia ſicut ſubſtantia & ſubſtantia quę ſub ſunt quantitati ſe habent ad locum diffinitiuè, ita ſubſtantia quanta & ſubſtantia quanta ſe habent ad locum circunſcriptiuè* & de materia prima docet in 2.d.12.q.2 §.reſponſio ait *non eſt contradictio materiã eſſe ſine forma quacumque ſubſtantiali & accidentali*, inquirit vbi eſſet, reſpõdet *dico* ꝙ *ſicut Angelus qui nõ eſt quantus eſt in loco aliquo diffinitiuè non circũſcriptiuè, ſuppoſito* ꝙ *ſint in vniuerſo, ſic materia ſi fieret in vniuerſo ſine forma eſſet diffinitiuè alicubi* ſubdic *ſi quæras etiam an*

habeat partes. dico quòd partes ſubſtantiales
A *habet, illas enim non habet per quantitatem* ſub hoc cõtinetur præſſentialitas corpo. Xpi D. quæ intrinſecè naturalis eſt, ex parte tantum agentis ſupernaturalis, eſt enim preſentia corporis habentis extenſionem in ſe, ſed non in ordine ad locum, & ſic in ordine ad locum eſt totum in tota hoſtia & totum in quauis parte illius. cum autẽ noſter Doct. ibidem q. ait illam preſentiã non eſſe vbi, & non eſſe propriè in hoc genere, loquitur de vbi circũſcriptiuo quod precipue diffiniuit Gilbertus vt nobis notius, & abſolutè vbi appellauit, cuius comparatione præſentiam Angeli ait ab vbi recedere. Concludit tamen quòd ſi communis ratio iſtius generis congruenter aſſignetur (ſicut & aliorum) tunc ſub illo continetur. Vbi autem diffinitiuum ſpirituale, eſt reſpectus præſentiæ rei nullam habentis extenſionem nec in ordine ad ſe
B nec in ordine ad locum, ita vt talis extenſio illi repugnet.

Paſsiuum et actiuũ.

Diuiditur etiam in vbi paſsiuum, & vbi actiuum Sic noſter Doct. in quot lib. q.11. §. *de primo dico* vbi ſic *Ad primum dicitur quòd illud locale pertinet ad prædicamẽtum vbi, & licèt non diffiniatur niſi vbi paſsiuum à Phyloſopho, tamen eſt aliud vbi actiuum, quod eſt ſpecies ipſius vbi, quod eſt prædicamentũ cõmune ad vbi paſsiuũ & actiuũ* vbi ergo paſsiuum eſt reſpectus præſentiæ extrinſecus rei locatæ ad locum, vbi vero actiuũ eſt reſpectus præſentiæ loci ad rem locatam, quod eſſentialiter includit locus extrinſecus & materialis vt alibi ꝓbabitur quia talis locus eſt ſuperficies corporis cõtinentis rem locatã in tali aut tali ſpacio ſed hoc nequit intelligi nec ſaluari niſi in illo includatur vbi, quo formaliter habeat
C locus vt ſit præſens tali ſpacio rei locatæ.

Proprieta

Duæ aſsignantur à Gilberto proprietates vbi, prima eſt ñ habere contrarium ꝓpria .ſ. contrarietate & ratione ſui. 2. non ſuſcipere magis & minus, quia vna res nõ dicitur magis vbicata quàm alia, ſed nõ ſunt proprietates quarto modo cum alijs etiam ſint communes, vt ſubſtãtiæ & quantitati. additur etiam 3. eſſe immobile, ñ enim poteſt idẽ numero vbi transferri de vno loco in aliũm, licèt ego muteri aut ſuperficies me cõtinens quia eo ipſo quòd mutetur non manet idem numero vbi.

QVÆS.

QVÆSTIO IIII. DE OCtauo Prædicamento ſitus ſeu Poſitionis.

Acceptionis ſitus.

DE hoc aſſerit Doctor in 4. d. 10.q.2. & d.49.q.16 quia autem ſitus & vbi corporeum ita ſeſe inuicem comitantur, vt vnum ab alio in re non diſtingui plerique arbitrentur, ſed ſolum ratione ratioſi nata. ideo de illo ſtatim agimus poſt vbi. ſitus ergò vox eſt æquiuoca, primò enim ſignificat locum extrinſecum aut ſpacium illud quod corpus occupat, vnde portio illa terræ in qua arbor ſita eſt, illius ſitus dicitur, & ſic non pertinet ad hoc prædicamentum. Secundò ſignificat ordinem partium alicuius totius, & hic ordo trifariam ſumi poteſt, aut pro relatione intrinſecus adueniente partium inter ſe, ſecundum quam vna pars dicitur prior & alia poſterior, & ſic pertinet ad relationis Prædicamentum. 2. pro extenſione partium in aliquo toto ſecundum quam vna pars eſt extra aliam, & ſic ad prædicamentum quantitatis ſpectat, vt pote illius eſſentia iuxta ea quæ ibidem diximus. 3. pro ordine partiũ alicuius totius in loco ſeu partium diſpoſitione in ordine ad locum.

Quæ diſpoſitio rurſus duplex eſt vna naturalis quam ſcilicet natura ipſa dedit ipſis animantibus, iuxta quam partes hominis. v. g. ita ſunt ſuapte natura conſtitutæ, vt caput in partem ſuperiorem feratur pedes verò tẽdãt deorſum, vna manus ſit ad dextram, & alia ad ſiniſtram. Alia eſt diſpoſitio libera & contingenter accidens, quæ ſcilicet pro libito variari ac mutari poteſt, vt ſtare, ſedere, cubare, eſſe pronũ aut ſuprinum &c.

Quæſit eſſentia. Certum eſt Prædicamentum hoc non eſſe figuram cum hoc ad prædicamentum **C** Qualitatis ſpectet, & eadẽ figura manente mutatur ſitus. Neq; extrinſeca denominatio à partibus mũdi proueniens, quia licét eam ſecum cõiunctam habeat, formaliter in ea non conſiſtit. ſed eſt quidam modus habendi partes diſpoſitas ſecũdum quem diuerſi mode diſponitur in ſe corpus in ordine ad locũ, & redditur aptum ad aptius vel ineptius operationes exercendas, qui enim ſtat aliter poteſt, & aliter qui cubat varias operationes exercere, quã poſitionem ſic diffinit Gilbertus, eſt quædam partium poſitio & generationis ordinatio, ſecundum quam dicuntur ſtantia vel ſedentia, vel aſpera vel leuia, vel quomodolibet aliter diſpoſita, qua diffinitione Gilbertus **A** vtramque poſitionem tam liberam quám naturalem comprehendit. eſt que relatio extrinſecus aduenieus localis aut ſitualis poſitionis partium locati ad partes loci, quia eſſentialiter eſt inter locatum & locum, ita tamen vt illa non neceſſariò conſequatur ſemper ex natura extremorum ſed cõtingenter, propriamque nouitatem & acquiſitionem habet. Sic noſter Doctor in 4. d.10.q.2.§. *Dico ergo aliter* vbi ſic *præſuppoſito enim ordine partium in toto* (in quo conſiſtit ratio quantitatis) *poſitio dicit vltra hoc ordinem partium ad locũ, hoc eſt dictu quod partes coextenduntur partibus loci* & ſubdit *hanc autem habitudinem poſsibile eſt Deum ſeparare à quanto, manente etiam poſitione prima* & infra ait. *Si quæras quid ſit quãtitatẽ ſeruari ſine poſitione extrinſeca, dico quòd non eſt aliud niſi abſolutum conſeruari ſine reſpectu extrinſecus adueniente.* **B** poſt ea ſubdit in fine. *Ad ſecundum dico quòd modus quantitatiuus non eſt paſsio quanti ſicut riſibile hominis, imo eſt accidens per accidens. ſ. reſpectus extrinſecus aduenieus partibus quanti ad partes alterius. Licet ergo extenſio ſitualis aptitudine paſsio ſit Quantitatis, extenſio tamen localis ſeu ſitualis actu eſt accidens iſtius Prædicamenti.* *Scotus.*

Situs autem & vbi realiter diſtinguuntur, quia ad diuerſa prædicamẽta ſpectãt, vbi enim ſolum dicit preſẽtiam ad locum abſtrahendo à partium diſpoſitione, ſitus verò hanc importat, & manente re locata in eodem loco cum eadem præſentialitate poteſt varios ſitus mutare ſi de ſitu libero ſermo ſit vt ſtare, ſedere. cubare, quæ latius ſunt expendenda in phyſicis. Situs ſolum reperitur in corporibus, vbi autem tam in corporibus quàm in Angelis ſitui duæ proprietates aſsignantur, non habere contrarium propria contrarietate, & non ſuſcipere magis & minus. *Proprieta*

QVÆSTIO V. DE PRÆDIcamento Quando.

OPEROSVM ſatis eſt naturam prædicamenti Quando dilucidare, vt ex Doctorum ſcriptis attenta indagine conſultis facilius quid nõ ſit quàm quid ſit excerpas, nullus enim eſt qui non miſerè *torqueatur* in re hac expendenda, vt maxima opinantium meſsis oſtendit.

Quidam enim nihil aliud eſſe poſſe affir
mant, quàm extrinſecam denominatio-
nem à tempore primi mobilis, extrinſeci
menſurante prouenıētem, vt ex eo quòd
res aliqua ab illo tempore menſuratur in
tempore eſſe dicitur. Alij eſſe propriam
ac intrinſecam cuiuſque rei durationem.
Alij eſſe aptitudinē menſurabilitatis, qua
res corruptibilis durans apta eſt tempore
regulariſsimo menſurari. Qui autem aſſe
rūt eſſe quid de relictum in re temporali à
tempore primi motus. Quidam dicunt il-
lud eſſe quid abſolutum ratione cuius in
tempore eſſe dicitur. Alij eſſe relatio-
nem menſuræ, ſed brebiter pro nunc (in
meth. enim copioſior de re hac ſermo redi
bit) quæ ad huiuſce rei intelligentiam iux
ta noſtri Doctoris mentem neceſſaria vi-
dentur, quibuſdam notationibus propo-
namus.

I. Notatio Prima notatio ſit, quòd cùm vt ſupra. d.
4. q. 5. I. Notab. propoſuimus quæuis
res ſuam propriam habeat durationem
cum propria exiſtentia idētificatam cum
nil aliud ſit quàm poſitiua permanentia e-
xiſtentiæ, quia præciſo quouis alio reali-
ter diſtincto, ex eo quòd res exiſtit durat
vt in meth. probabitur. ad diſtinctionem
rerum & ipſæ durationes diſtinguuntur,
& duratio ſubſtantiæ erit ſubſtantia, dura
tio Accidentis accidens, duratio rei per-
manentis permanens & tota ſimul quæ ap
pellatur œuum. duratio rei ſuceſsiuæ vt
motꝰ erit ſucceſsiua quæ tēpus appellatur

II. Notat. Notatio ſecunda, quòd res omnes tem
porales quæ mutationibus ſubſunt & tem
pore menſurantur, duplicem habent du-
rationem vnam intrinſecam & propriam,
qua intrinſecè conſtituuntur in eſſe durā
tis, aliam extrinſecam qua propria dura-
tio menſuratur & cognoſcitur quanta ſit
illius permanentia, velocitas vel tarditas,
vniformitas vel diſformitas, & illa eſt du-
ratio ſeu tempus motus primi mobilis, &
vt egregiè adnotat noſter Doctor in. 2. d.
2. q. 4. nō loquimur de menſuratione qui
ditatiua ſecundum quam perfectior in
quouis genere dicitur menſura aliorum.
ſed de menſuratione duratiua quæ aliquo
modo reducitur ad genus Quantitatis (vt
verbis Doctoris loquamur) atque adeo ra
tio menſuræ actiuæ & paſsiuæ in duratio-
nibus reperitur, iuxta ea quæ ſupra docui
mus de vtraque menſura, ratio quidem
menſuræ paſsiuæ quæ aptitudo eſt menſu
rabilitatis cuicumquæ durationi rei tem-
poralis & corruptibilis conuenit, cum quæ
A uis apta ſit mēſurari à tempore primi mo
bilis, ratio autem menſuræ actiuæ ſeu apti
tudo vt ad alias durationes menſurandas
aſſumatur conuenit durationi ſeu tempo
ri motus primi mobilis, quod tempus cō-
mune & vniuerſale appellatur, ex quo
enim regulariſsimum ac certiſsimum eſt,
ac ratione ſuæ vniformitatis & perpetui-
tatis & ratione aſtrorum quæ in ſigna talis
motus ſunt præfixa, vt Solis & Lunæ, no-
tiſsimum, quantum ad mēſuræ rationem
opus eſt. & ex quo velociſimum eſt, quo-
dam modo brebiſsimum, aptiſsimum eſt
ex propria natura ad alias durationes in-
feriores menſurandas. verum eſt, quòd
etiam requeritur accommodatio & inſti-
tutio intellectus partitio & deſignatio, vt
accomodata & diffinita mēſura reddatur.

Notatio tertia quòd in quauis etiam du *III. Nota.*
B ratione intrinſeca cuiuſque rei corrupti-
bilis ex propria natura eſt aptitudo per
quam apta eſt ſubordinari illi tempori pri
mi mobilis, atque adeo ab illo contineri &
comprehendi, quæ aptitudo fundamentū
eſt actualis ſubordinationis continentiæ
& comprehenſionis qua à tempore ſupe-
riori vt ab eo á quo poteſt regulari, cum
quo incipit & deſinit, continetur, quam vo
cat Gilbertus & communis vox Inciden-
tiam ſeu adiacentiam temporis ſuperioris
ratione cuius continentiæ in eo eſſe dici-
tur, quæ continentia licèt ab alijs conti-
nentiæ modis diſtincta ſit, propria tamen
eſt & nō per metaphoram, in ratione tem
poralis continentiæ, & ſicut continentia lo
calis à loco vt à forma extrinſeca impor-
tat ſpecialem modum & intrinſecum ſe
habēdi in re locata reſpectu loci, ſeu ratio
nem eſſendi in loco, ita eſſe in tempore &
C ab illo cōtineri vt à forma extrinſeca, mo
dum eſſendi ſpecialem & intrinſecum in
re temporali reſpectu temporis ſeu ratio-
nem eſſendi in tempore.

Reiecta ergo ea opinione de denomina
tione extrinſecas ex dictis Accidens quod
hoc prædicamentum conſtituit, non eſt ip
ſa intrinſeca duratio rei, quia cum ipſa rei
exiſtentia ſit identificata, pleræque ſunt
ſubſtantiales ſicut & ipſa exiſtentiæ ſubſ-
tantia, quæ nequit verum accidens eſſe,
niſi ab intellectu inſtar accidentis corfi-
tū, in re autē cū ſubſtātia ſit ei in hærere re
pugnat, accidens autem ꝓ hoc prædicamē
tū, verum debet eſſe. Itē, quod ſubſtantiæ,
& accidenti in contrariorum opinione ni-
hil da-

hil datur vniuocum ſed Analogum, ergo
nec durationi ſubſtantiali & Accidentali,
ſupremum autem cuiuſque prædicamenti
genus debet eſſe, atque adeo vniuocum,
alioquim tota illorum doctrina rueret de
diuiſione entis in decem genera. removere
re Porrò propter hoc quaſdam duratio-
nes ſubſtantiarum ſcilicet ab hac catego-
ria, & quaſdam ſolùm admittere eſt abſq;
ſufficienti diſcriminis ratione procedere,
cum quæuis veram durationis rationem
habeat, & ex quo vna completa admitti-
tur prædicamenti directè conſtitutiua, idé
de alia cenſendum eſt. In ſuper quod dura
tio motus nempe tempus à pleriſque in
Prædicaméto Quantitatis collocatur, nõ
ergo in hoc.

Nec michi vmquam ſatisfacere potuit
diſtinctio illa quòd vt duratio ſucceſsiua
eſt, ad hoc Prædicamentum ſpectat, ſic e-
nim abſtrahit ab extenſione per ſe & per
accidens, ſub ratione verò extenſionis à
ſe & per ſe, ad Prædicamentum Quantita
tis. Hoc facile euertes ſi attentè inſpicias
nullam aliam extenſionem in tempore re
periri ab extenſione motus diſtinctam, cũ
debeat eſſe ſecundum partes durationis,
vnde ſecundum propriam rationem dura
tionis ſuceſsiuæ eſſentialiter importat ha
bere partes, ergo extenſionem. & ſane fri-
uolum eſt, genus in vno prædicaméto col
locare & ſpeciem in alio cum in eodem eſ
ſe debeant, Item friuolum eſt aſſerere
id verum eſſe de genere quod per differẽ-
tiam limitãtem contrahitur, ſecus verò eſ
ſe ſi per extrahentem. Numquam enim dif
ferentia generis contractiua licet eleua-
re poſsit ad genus altius ſub eodem præ-
dicamento, vt de homine dicitur ſecundũ
rationem ſenſitiui eſſe in genere ſenſitiui,
ſecundum rationem intellectiui in genere
intellectiui, non tamen ab eo ad aliud ex-
trahere. Dicẽdum ergo eſt modum eſſe in
completum ſicut & ipſam exiſtentiam re
ducique ad rem cuius eſt. Propter eãdem
rationem excludenda eſt illa aptitudo
menſurabilitatis aut ſubordinationis hæc
enim cum duratione eſt identificata, ac ꝓ
inde eadem ratio de illa habenda eſt.

Eſt ergo quando modus accidentalis in
trinſecus ex ad iacnetia temporis primi
mobilis in re tẽporali cauſatus, ratione cu
ius intrinſecè & formaliter dicitur eſſe in
tempore, vnde ſicut vbi eſt modus quidã
accidentalis exiſtentiæ rei ſuperadditus
à loco vt à forma ſeu termino extrinſeco
cauſatus, a re verò locata vt a cauſa effi-
A cienti, quo ſit huic vel illi loco præſens, ſic
etiam Quando eſt modus accidentalis du-
rationi rei ſuperadditus, & in illa cauſa-
tus á tempore extrinſeco non vt à cauſa
efficienti ſic enim cauſatur á re temporali
ſed vt à forma extrinſeca ſeu terminati-
uè, ſicque diffinitur á Gilberto *Quando eſ
ſe quod ex adiacentia temporis* ſcilicet ſupe
rioris *de relimquitur* & ſicut vbi eſt reſpec
tus præſentialitatis inter rem locatam &
locum, ſic & Quando eſt reſpectus ſubor-
dinationis ſeu præſentialitatis in ratione
durationis, cum eſſentialiter duo extre-
ma expoſcat rem, ſ. temporalem & tem-
pus præſens primi mobilis vt fundamen-
tum & terminum ratione cuius dicitur eſ
ſe in hac vel illa parte temporis. Quòd au
tem ſit extrinſecus adueniens patet ſicut
de alijs quia ſpeciale munus habet conſti-
B tuendi rem in tempore.

Quòd ſi obijeceris poſita re temporali
& poſito tempore, quouis alio extrinſeco
ſecluſo neceſſariò ac ſtatim conſequitur
reſpectus quando, eſt ergò relatio intrin-
ſecus adueniens. Reſpondendum, negan
dum antecedens, quia manente eadem re
temporali & eodem tempore, res tranſit
de quando in quando, Imo vt ait Orbellus
poteſt & tempus eſſe & res temporalis ſi-
ne tali adiacentia, & proin abſque quando
vt ſi res temporalis extra cœlum ponere-
tur, tempore enim propriè menſurantur
temporalia, quæ mutabilitatem habent
cum aliqua depẽdentia aut ſubordinatio-
ne à motu loeli. Vnde Doctor ait in 4. d.
46. quod motus corporis glorioſi nõ mẽ
ſurabitur tempore noſtro, tunc enim cor-
pus noſtrum nec aggrauãs erit, nec varia
tioni ſubiectum.

Diuiditur autem ſecundum noſtrum
C Doctorem & Antonium Andream de ſex
principijs. q. 15. Tataretum in præſenti
Quando quod eſt genus ſupremum iſtius
prædicamenti ſicut vbi in quãdo actiuum
& paſsiuũ, Actiuum eſt reſpectus extrinſe
cus temporis ad rem temporalem conten
tam per tempus, paſsiuum verò reſpectꝰ
extrinſecus rei temporalis, nec opus eſt
vt bene Andreas generaliſsimum habere
plures ſpecies, eſto enim quòd paucas ha-
beat, vt quãdo, vbi &c. generaliſsimũ erit.
Num autem in durationibus Angelorum
ſit quando comparatione ad aliquã dura
tionẽ perfectiſsimã Angeli ſupremi altio-
rẽ diſputationẽ expoſcit, de qua ſuo loco

Proprieta tis Quādo Tres iſtius Prædicamenti proprietates àGilberto numerantur, prima quòd ratio A ne ſui non habet propriè contrarium. Secunda quòd nō ſuſcipit magis & minus. Tertia quòd à Predicamēto Quando res mutationi obnoxiæ præcipue denominentur.

QVÆSTIO VI. DE VLTIMO *Prædicamento habitus.*

Acceptiones habit. INTER varias acceptiones quas Habitus ſeu hoc quod eſt habere ſortitur in præcedenti d. recenſitas. & d. ſequēti recenſendas de mòdis habere, vna eſt qua ſpecialem modum entis & accidentis hoc vltimum prædicamentum conſtituentem ſignificat, quem his verbis deſcripſit Gilbertus, Habitus eſt corporum & eorū quæ circa corpora ſunt adiacentia ſecun- B dum quem hæc quidem habere illa haberi dicuntur, quæ in ſenſu cauſali intelligenda ſunt, quòd ſicut ex adiacētia temporis relimquitur modus quidam accidentalis qui quando dicitur, ratione cuius eſt in tēpore, & ex adiacentia & continentia loci vbi, ratione cuius eſt in loco formaliter ita ex adiacentia & acommodatione veſtis conſurgit in re veſtita modus quidam accidentalis intrinſecè in hærens, atque adeo medius inter rem veſtitam & veſtem vt ait Phyloſophus. 5. metha. c. 20. & ab illis realiter diſtinctus ratione cuius dicitur habere veſtem vel eſſe veſtitum, & hic dicitur habitus ſeu habitio in abſtracto hoc prædicamentum conſtituēs, quæ licet per modum actionis & paſsionis ſignificetur non tamen actio eſt aut paſsio. ſicut ergo eſſe in loco aut in tempore præter formā C extrinſecam loci aut temporis importatur forma intrinſeca accidentalis ratione cuius intrinſecè & formaliter dicitur eſſe in loco aut temporeſic & veſtitutum eſſe præter formam veſtis extrinſecè ad iacentem corpori, importatur etiam ratio habendi veſtem, quæ accidens quoddam eſt completum medium in corpore cauſatū ex præfata adiacentia. Vnde ſi præcindamus eam dicetur homo veſtitutus fundamentaliter & extrinſecè & non formaliter & intrinſece

Diffinitio habitus. Talis ergò habitus ſic diffinitur à noſtro Doctore in preſenti q. 44. in fine. eſt habitudo media inter veſtem & habētem illam vnde eſſentialiter eſt reſpectus, quia illius eſſentia cōſiſtit in habitudine vnius A extremi ad aliud cum neceſſario veſtē extrinſecā expoſcat, ita vt implicet me eſſe veſtitū ſine veſte. eſt autē extrinſecus aduenieēs quia poſito fundamēto & termino vt corpore & veſte ñ ſtatim cōſurgit neceſſario ex natura extremorū, ſed requiritur acommodatio & coaptatio agentis coaptans aut diſponens veſtem in corpore. diſtinguitur autem realiter à quando & vbi quia habent fundamenta & terminos omnino diſtinctos, & in ſpeciali modo accomodationis conſiſtit reſpectu veſtium, ratione cuius dicitur veſttus quis, non tamē à loco aut à temporè ratione vbi aut quando, quia non ſat eſt quouis modo habere veſtem ſed quòd per modum ornamenti veſtis ad iaceat, locus autem non eſt in re contenta vt ad illius ornamentū ſpectās.

Diuiſio illius. Cum Habitus eſſentialiter ſit reſpectus B per ordinem ad veſtem de ſumptus, pro diuerſitate veſtimentorum nobis adiacentium illius genera & ſpecies pluriticantur, vt calceatum eſſe, togatum eſſe. diuiditur etiam in habitum per modum actionis & paſsionis ſeu actiuum & paſsiuum, paſſiuus eſt reſpectus rei habentis veſtem ad illam, actiuus vero èċontra veſtis ad rem veſtitam.

Proprieta Tres aſsignantur illius proprietes. 1. ſuſcipere magis & minus non propriè ſed in propriè, cum iſte maior vel minor exceſſus magis ad extenſionem quàm ad intenſionem pertineat, quia ſumitur à pluribus formis, vt quis magis armatus dicitur qui ſcutum habet & galeam, quàm qui galeā duntaxat, nec vt ſic omnibus conuenit, vt ei cui totum vel partem contegere conuenit, non enim quis dicitur magis loricatus C aut magis galeatus. 2. eſt. non habere contrarium propriè. 3. quòd in pluribus conſiſtit ſeu pluriū adiacētiá dicit vt corporis & veſtimentorum. Quæ proprietates non ſunt quarto modo, & hæc de tota Prædicamentorum ſerie.

DISTINCTIO VIII. DE Poſt prædicamentis.

PRÆDICAMENTA non ſolum naturas habent & proprietates cuique proprias, ſed & modos quoſdam ratio-

rationesque in completas pluribus prædicamentis communes quaſi ad illorum cōplemētum ſpectantes, quæ ob id poſt prædicamenta appellantur, vt ergò plenior prædicamentorum notitia habeatur, expeditis his quæ ad naturas & proprietates Prædicamentorum ſpectant, in vltimo loco per quinq; capita diſſerit Phyloſophus de quinque poſt prædicamentis. c. 10. de modis oppoſitionis. in. 11. de modis prioris & poſterioris. in. 12. de ſimul. in. 13. de ſpeciebus motus. in. 14. de modis habere, circa quæ noſter Doctor. 9. verſat Quæſtiones à 37. vſque ad 44. in 37. an oppoſitio ſit aliquid reale. in. 38. v. diuiſio oppoſitionis ſit ſufficiens. in. 39. v. aliqua ſint contraria immediatè. in 40. v. poſsibile ſit aliquorum contrariorum vnum determinatè in eſſe à natura. in 41. v. á priuatione poſsit fieri regreſsio in habitum. in 42. v. in negatiua ſubiectum ſtet pro ente & pro non ente. in 43. v. Ariſt. conuenienter aſſignauerit modos prioris, vbi de modis ſimul. in 44. v. conuenienter aſsignentur ſpecies motus, vbi de modis habere. ſuper uacaneum autem duxi in præſenti tam literæ Ariſtotelis quàm controuerſiarum Doctoris ſummam præfigere, quia enim nō ita vrgent ſat eſt per ſequētes Quæſtiones dilucidare, vnde ad eas deſcendamus.

QVÆSTIO I, QVID SIT oppoſitio in communi? num illius diuiſio conueniens ſit & ſufficiens.

PRIMA quæ inter res ſimplices comparatio fieri poteſt eſt ſecundum quòd oppoſitionem habent inter ſe, idcirco de illa prius diſputat Ariſto. cui opinantium murmure ſupreſſo per ſequentes aſſertiones fiet ſatis. non loquimur in præſenti de oppoſitione complexa propoſitionum, de hac enim li. ſequenti, ſed de in complexa rerum ſimplicium, vt albedinis & nigredinis &c.

I. Conclu. Prima concluſio, oppoſitio eſt repugnantia aliquorum duorum non ſe permittentium ſimul & ſemel in eodem reſpectu eiuſdem, de ratione ergo oppoſitionis non eſt Quæuis diuerſitas, & in compoſsibilitas, homo enim & equus talem habēt in compoſibilitatem, vt vnus nequeat eſſe alius, non tamen habent oppoſitionem in ſuper ergò neceſſum eſt vt vnum alterius deſtructionem conetur. Talis autem A oppoſitio primò & principaliter inuenitur in rebus quæ vocibus ſignificātur, quia termini non dicuntur opponi, niſi quia res quas ſignificant opponuntur.

II. Conclu. Secunda concluſio oppoſitio in communi ſufficienter in relatiuam contrariam priuatiuam & contradictoriam partitur, cuius ſufficientiam optimé colligit Doct. in præſent. q. 38. Sic oppoſitio aut eſt realis ex parte vtriuſque extremi ſub eodē genere, & tunc vel vnum illorum dependet ad aliud & ſic eſt oppoſitio relatiua, vel non dependet, & eſt oppoſitio contraria. Aut ſic ſe habet, quòd alterum extremorum eſt taliter non ens quòd nullum ſubiectum ſibi determinat, & ſic eſt oppoſitio contradictoria, aut quod ſibi aliquod ſubiectum determinat, & eſt oppoſitio priuatiua.

III. Conclu. B Tertia concluſio, oppoſitionis contrariæ diffinitio hæc colligitur ex Ariſto. 10. meth. tex. 13. contraria ſunt quæ ſub eodē genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, vt calor & frigus ſub genere coloris ſic ſe habent, quòd vna deſtruit aliam, quod intelligendum eſt in gradibus intenſis, in gradibus enim remiſsis benè poſſunt eſſe ſimul (dicitur primò ſub eodem genere) ſiue proximo vt calor & frigus ſub Qualitate tangibili, albedo & nigredo ſub colore, ſiue remoto vt virtus & vitium, aut ſaltim ſub aliqua ratione communi, alioquim non poſſent ad inuicum corrumpi, cum res diuerſorū Prædicamentorum adinuicem non agant (dicitur quòd ſub eodem genere maximè diſtent) quod non eſt ita intelligendum, ac ſi ſub eodem genere nequeat eſſe alia diſtantia, cum ſub Qualitate tangibili non C ſolum reperiatur diſtantia inter calorem & frigus, ſed etiam inter humiditatem & ſiccitatem, ſed ſic quòd nihil magis ab vno contrario diſtat, ſub eodem genere quàm ſuum contrarium, vt ſub genere virtutis nihil magis à Iuſtitia diſtat, quàm iniuſtitia. Vnde ſi de contrarietate perfecta ſermo ſit vni contrario vnum tantum contrariatur, imperfectè autem bene poſſunt vni duo opponi, vt malo ait *Phyloſophus* bonum perfectè opponitur, malum imperfectè, vt timiditati fortitudo perfectè opponitur, audacia autem imperfectè.

Dicitur tandem ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellere, quod de expulſione formali intelligendum eſt qua vna forma ſe ipſa ei-

ipſa eidem ſubiecto inhærendo expellit aliam.

Aduerten Circa idem etiam aduertendum inter contraria quædam eſſe quæ medio carent vnde alterum illorum neceſſum eſt in eſſe proprio ſubiecto ſuſceptibili, vt autem ad iſta poſsit eſſe motus ſufficit vt latitudinẽ habeant licèt medio careant, quod optime explicat noſter Doctor q. 39. ſic in ſimilibus contrarijs toto tempore motus ſubiectum eſſe ſub forma priori, & in vltimo termino motus ſub forma poſteriori de quo in Phyſicis.

Aduert. Aduertendum inſuper poſſe vnum contrarium ſine alio in rerum natura exiſtere (quod ſubaudi) ex propria ratione contrariorum, cum enim abſoluta ſint, atq; adeo vnum ab alio independens, nõ eſt de ratione contrariorum, vt ſi vnum exiſtit, alterum quoquo exiſtat, cum autem 2. de cœlo. c. 3. ait exiſtente vno contrario & aliud exiſtere debere, vt ignem exiſtere, quia aqua exiſtit, loquitor ſuppoſito vniuerſi ordine exigentis, quod ſi vnum exiſtit alterum quoque ſit. vel vt ait Doctor. q. 42. intelligendum eſſe de eſſe in actu. l. potentia. Item quod licèt ex generali contrariorum & ſubiectorum ratione, cui in eſt vnum contrarium, natum eſt & alterum in eſſe, ex ſpeciali tamen alicuius ſubiecti ratione, dari poteſt ſubiectum aliquod, quod ſecundum ſuam propriam rationem ſibi cõtrarium vnum determinet, & tunc vt ait Phyloſophus & optime explicat Doctor q. 40. non poteſt tali ſubiecto alterum contrarium in ſummo in eſſe ipſo ſubiecto manente, vt quia aqua eſt à natura frigida, ſummum calorem ipſa manente habere nequit.

Cum autem Ariſto. in exemplum contrariorum profert par & in par. non loquitur de contrarietate phyſica, in qua debet eſſe mutuus ac determinatus tranſitus ab vno contrario in aliud, & mutuò ſe ab eodem ſubiecto expellunt, impoſsibile autẽ eſt eundem numerum qui eſt par ipſo manente fieri par, vocat ergo contraria contrarietate metaph. & illud affert ſolum modo exempli gratia cum autem aſſerit bonum & malum contrariè opponi vel loquitur ex aliorum ſentẽtia. vel vt ait Doctor q. 42. §. *Notandum* loquitur de qualitate quæ mala denominatur, eamque aſſerit Qualitati, bonæ contrariè opponi quia viciſsim ſe poſſunt ab eodem ſubiecto expellere.

Oppoſitio Relatiuu. Relatiuè oppoſita ſunt quæ adinuicem A referuntur, vt pater & filius, quæ quidem ſimul nõ poſſunt in eſſe eidẽ reſpectu eiuſdem licet bene reſpectu diuerſorum, in quo autem oppoſitio hæc relatiua conſiſtat diximus ſupra d. 5. Ar. 4. q. 1.

Oppoſitiõ. Priuatiua Oppoſitio priuatiua eſt illa quæ datur inter formam poſitiuam & eiuſdem formæ carentiam in eodem ſubiecto apto formam illam recipere, ſic opponuntur viſſus & cæcitas, viſſus enim eſt forma poſitiua oculi, cæcitas autem carentia ſeu negatio viſſus non in quouis ſubiecto, ſed in oculo apto illum recipere.

Oppoſitio. contradic Oppoſitio autem contradictoria eſt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, vt homo non homo.

Quotripl. negatio. Obſerua aut vt exactius rem hãc capias cum Doctore in 1. d. 23. q. 1. d. 28. q. 2. in 4. d. 22. negationem generatim ſumptam B in tota ſua latitudine præcisè importare negationem formæ, abſtrahendo ab hoc quòd ſubiectum determinet vel nõ determinet. Et hæc diuiditur in negationem extra genus, quæ. ſ. tollit omnem formam

Negatio extragen. nullum ſubiectum nec aptitudinem in illo determinando, atq; adeo nihil poſitiuum importat, vt non homo non equus, quæ negatio infinitans dicitur, quia dicitur tam de eo quod eſt quam de eo quod non eſt, de omni ſcilicet eo de quo non verificatur eius oppoſita affirmatio, vnde non homo ita dicitur de lapide ſicut de chimera, ſic ergo extremum contradictionis negatio eſt extra genus nullum admitẽs medium

Negatio in genere. Et in negationẽ in genere, quæ licet ſubiectum determinet, in quo conuenit cum priuatione, nõ tamen aptitudinem in illo. in quo à priuatione diſtinguitur. talem eſſe diximus negationem quam vnitas importat Lib. 1. D. 2 Ar. 1. Q. 3. vnitas enim C numerica in indiuiduo importat in illo negationem diuiſionis numericæ, cuius tamẽ non eſt capax, cum indiuiduum nequeat numericè plurificari & ſic de alijs.

Priuatio. Et in priuationem, quæ tam ſubiectum quam aptitudinem in illo determinat, vnde ſic diffinitur, eſt negatio formæ in ſubiecto aptonato habere talem formam.

Priuatio triplex. Hæc rurſus priuatio triplex eſt vna vera & propria, quæ non ſolum determinat ſubiectum & aptitudinem in illo ſecũdum ſe, ſed & omnes circunſtantias ſiue temporis ſiue modi, ſecũdum quas aptum eſt habere formam, vnde ſic diffinitur, eſt carentia formæ in ſubiecto ſecundum ſe & in

propria

propria ſpecie apto illam habere, quando & vt oportet, vt carentia viſſus in catulo poſt nonum diem eſt vera priuatio quia eſt in tempore à natura præſcripto vt viſſum habeat, alia eſt negatio formæ in ſubiecto apto quidem in ſe illam habere, ſed non cum prædictis circunſtantijs, vt carentia viſſus in catulo ante nonum diem, & hæc non ita propriè quia non eſt in tempore debito alia tādem latius & in proprius priuatio dicitur, quæ .ſ. eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato habere illam nō in ſe & in propria ſpecie ſed ratione ſui generis. vt carētia viſus in talpa, talpæ enim vt talpa eſt non debetur illi viſus, ſed in quantum animal eſt, & in iſto modo priuationis tāto generalius & minus propriè dicitur priuatio, quanto habitus natus eſt competere ſubiecto quod priuatum dicitur ſecundum rationes magis ſuperiores.

III. Concl. 3. Cōcluſio omnes iſtæ quatuor oppoſitiones eſſentialiter diſtinguuntur Sic noſter Doct. & quidem de eſſentiali diſtinctione oppoſitionis relatiuæ à reliquis cōſtat, quia iſta ſolum reperitur inter ea quæ adinuicem dicuntur, imo vt ait noſter Doct. q. 39. nec in omnibus relationibus reperitur, ſed in mutuis in quibus vtrumque extremum dicitur per ſe ad aliud, ſed n̄ ſit in alijs oppoſitionibus, de oppoſitione contraria patet, quòd à priuatiua & contradictoria, differat, quia in contrarietate quodlibet extremum eſt aliquid poſitiuum non ſic in his.

Quod autem in hac re difficultatem ingerit, eſt num oppoſitio priuatiua & contradictoria eſſentialiter differant. pleriq; *Oñã.* enim ex Neotericis accidentario duntaxat diſcrimine ſecerni opinātur, probatur tamen communis omnium cōſenſus, quia priuatio eſſentialiter dicit & conotat ſubiectum aptum ſine quo nec eſſe nec intelligi poteſt, eo enim quòd priuationem concipimus ex propria rei cōceptæ ratione intelligimus abſentiā in ſubiecto apto. negatio autem dicit ſubiectum in eptum.

Probatur. Inſuper Ariſt. 4. metha. c. vltimo probat oppoſitionem contradictoriam omni prorſus medio carere ex propria & intrinſeca ratione, quod tamen poteſt dari in oppoſitione priuatiua ſaltim ſecundum quid & ſecundum tempus vt in catulo intra nonum diem qui nec cæcus nec videns dicitur, quæ mediatio non eſt alicuius formæ, quæ datur inter vtrumque extremū, quā vocat Doctor. q. 38. medium per participationem, quæ aliquid vtriuſque extremi habet, ſed mediatio ſubiecti, in qua tertiū ſubiectum mediat inter duo quæ nec formam habent, nec ſunt ad habendam illam apta nata vt lapis, & dicitur à Doctore medium per abnegationem.

Quòd ſi obijcias, ex dictis videtur inferri diſtinctionem inter priuationem & negationem ſumi ex parte ſubiecti, quod accidentarium eſt. Quòd ſi dixeris priuationem eſſentialiter includere aptitudinem Subiecti, aut ordinem ad illam. hoc friuolum eſt, quia ens reale eſſet differentia nō entis; & negatio rationem poſitiuam importaret eſſentialiter, ordinem ſcilicet. *Obiectio*

Reſpondendum eſt, priuationem ſub negatione in communi contentam propriam habere quaſi differentiam eſſentialē qua in eſſe pribationis à negatione particulariter dicta diſtincta conſtituitur, illa tamen explicatur per aptitudinem ſubiecti quam cōnotat, & in obliquo dicit, & hāc connotationem ordinem appellamus, et idem de negatione particulariter dicta. *Respond.*

Secūdo obijcies, omnis oppoſitio eſt relatiua, cum oppoſitio ſit habitudo vni9 oppoſiti ad aliud. Reſpondeo, quòd licet oppoſita formaliter adinuicem dicantur relatiuè, quantum ad ſubſtractum tamen Quod illi relationi ſubeſt, non omnia oppoſita ſunt relatiua, vt albedo & nigredo. *II. Obiect.* *Reſpond.*

4. Concluſio oppoſitio in communi non dicitur vuiuocè ſed æquiuoce aut ſaltim Analogicè de his quatuor oppoſitionibus Sic Doctor. q. 37. & probatur, quia oppoſitio contraria & relatiua inter entia eſt, oppoſitio verò contradictoria & priuatiua inter entia & non entia, enti autem & non enti nihil cōmune vniuocum dari poteſt. *IIII. Con.*

QVÆSTIO III. Vtrum A PRIuatione ad habitum poſſit fieri regreſſio.

HANC verſat Doctor. q. 41. Titulo controuerſiæ expoſcit, An Quando forma aliqua deſtruitur, à priuatione illi9 poſſit iterum fieri regreſſus ad talem formam (nomine autem habitus intelligim9 quamcumque formam poſitiuam priuationi oppoſitam) vt dum quis iam mortē obijt, ad vitam poſſit reuocari, & de cœco ad viſū redire Pars affirmatiua ſuadetur

I. Argum Primò ex Ariſt. 1. phyſic. contex. 5. Priuatio & forma ſunt duo tranſmutationis

principia

principia, quia priuatio eſt terminus à quo, & forma terminus ad quem; ſed à termino à quo ad terminum ad quem eſt tranſmutatio igitur &c.

II. Argu. Secundò exemplis, tenebræ luci opponuntur priuatiuè, atqui experimentum docet à tenebris ad lucem eſſe regreſſum & ſæpe videmus hominem ex ignorante ſcientem fieri, & aqua duobus frigiditatis gradibus priuata ad eoſdẽ regredi, et idẽ fieret ſi omni frigiditate priuaretur & ſuę naturæ relinqueretur ad totam rediret, communi etiam experimento receptum eſt muſcas & veſpas aqua ſuffocatas, ſi cinere aliquanculum calido inuolantur & calore animalis vel ſolis foueantur iterũ reuiuiſcere, & ipſe Ariſto. 4. de hiſtoria animalium c. 5. ait quod ſi oculi pullorum hyrundinis recẽter natorum vngantur viſſum poſtea recipiunt.

III. Arg. Tertiò omnium contrariorum alterum includit priuatiuam oppoſitionem ex Ariſto. 10. meth. contex. 15. nihilominus inter contraria eſt tranſmutatio, ergò & inter priuatiuè oppoſita.

I. Notabi. Apprimè obſeruare oportet cum noſt. Doct. in præſenti, inter priuationes quaſdam eſſe quæ nõ reſpiciunt ſubiectum immediatè ſed mediante ſuo habitu ſeu forma qua priuant, vt mors non reſpicit illius ſuſceptibile niſi mediante vita, & cæcitas mediante viſſu, & iſtæ fiunt tali ordine in eodem ſubiecto, vt prius fiat habitus & neceſſariò præcedat, aut ſaltim ex propria natura neceſſariò deberet præcedere niſi impedimentum adeſſet, vt in eo qui à natiuitate cæcus eſt. Aliæ ſunt ad quas ſubiectum ordinatur non mediante habitu ſed inmediatè, ſicut ad ipſos habitus quorum priuationes ſunt, & iſtæ ſine prædicto ordine ſubiectis contingunt, vt tenebræ non prius in aere lucem præexigunt, nec ignorantia ſciẽtiam in intellectu, ſed nobis cũ innaſcitur. Item inter priuationes quædã ſunt quæ priuant habitum ſecundum actũ & ſecundum potentiam ſiue proximam ſiue remotam, vt cæcitas & mors, aliæ quæ tantum priuant actum, vt tenebræ ignorantia &c. et ille qui caret viſſu in actu ſecundo quia potentiam habet impeditam. Item quòd priuatio quædam eſt cuius habitus in eſt à principio innato, vt cæcitas cuius habitus nempe viſſus eſt à principiò intrinſeco, alia eſt cuius habitus ineſt à principio extrinſeco corpore ſcilicet luminoſo.

II. Notab. A Suppoſitio ſecunda, hunc regreſſum bifariam poſſe intelligi, aut ad idem numero, ita vt idem numero quod antea erat extinctum regrediatur, aut ad idem ſpecie, ita vt redeat aliud eiuſdem ſpeciei, aut hic rurſus regreſſus ad idem ſpecie .h. poteſt eſſe mediatus, quando non vna mutatione ſed varijs tandem reſtituitur, vt patet in aceto ex quo nequit iterum fieri immediatè vinũ, ſed prius debet in aquã mutari & rurſus aqua vino infuſa in vinũ mutatur, vt ait Ariſt. 8. methap. c. 5. Aut eſt immediatus cũ abſque aliqua alia mutatione aliquid in id in quo antea erat mutatur.

I. Conclu. Prima concluſio regreſſus à quabis priuatione ad idem numero ſecundum vim naturalem eſt impoſsibilis, poſsibilis autẽ ſupranaturaliter tãtum. Prima pars patet quia idèm nequit bis eſſe, cum illud limitatum habeat ergo cauſa quæ ſemel aliquẽ B effectum produxit, exhauſta eſt dum illũ producit. 2. pars ex myſterio reſurrectionis oſtendit, in qua mortui ad idem eſſe numero ſunt regreſſuri.

II. Conclu. Secunda concluſio, à priuatione quæ actum dũtaxat priuat ſeu cuius habitus eſt à principio extrinſeco, poſsibilis eſt regreſſus, non tamen à priuatione quæ habitum ſecundum actum & potentiam priuat ſeu cuius habitus eſt à principio innato (quod intellige naturaliter loquendo, bene enim ſupernaturaliter) & de hac priuatione dicitur fieri circa idem ordine irregreſsibili, ita vt licèt ab habitu poſsit ad priuationem tranſitus fieri, non tamen rurſus à priuatione ad habitum. Prima pars concluſionis patet ex exemplis in ſecundo arguto adductis. Secunda oſtenditur in morte à qua nequit ſecundum vim naturæ ad huius lucis vſuram reuocatio fieri, & idem in cæ- C citate deprehenditur.

Verum eſt nonumquam vno habitu corrupto in re aliqua, cauſam proximam manere talis habitus productiuam, tuncque naturaliter regreſſum fieri à priuatione ad habitũ, vt in Phœnicis interitu ex illius cineribus, ſolis virtute cœlorumque influxu et aliam re produci, fertur. itidem in muſca ſuffocata quæ ſi ſolis calore foueatur reuiuiſcit, cum calor ſolis cum aliquibus alijs diſpoſitionibus quæ manẽt in ipſis muſcis ad talium animalium imperfectorum productionẽ ſufficiens ſit, cum autem nulla manet cauſa potens habitum ſemel corruptũ producere, eſt ordo irregreſsibilis.

Ad pri-

Ad. I. Ar. Ad primum Argutum, quòd priuatio quæ vnum rerum naturalium principium conſtituitur ea eſt quæ tantum dicit negationem formæ in ſubiecto illam habere nato, non verò ea quæ ordinem importat irregreſsibilem.

Ad. II. Ad ſecundum ex dictis, ad illud de frigiditate in aqua in ipſa manere virtutem ꝓximam vt ſe in priſtinum ſtatum reducat, de veſpis & muſcis dictum eſt, de oculis pullorum hyrundinis, quòd quia illi nondum apti erant habere viſum, non erat in illis propria priuatio viſus, vnde non eſt regreſſus à priuatione ab habitum.

Ad. III. Ad Tertium, negationem illam ad quodlibet eſſe ſubſequutam cuiuſcumque alterius eſſe, ñ eſſe propriam priuationem.

QVÆSTIO III. NVMS CONtradictoria oppoſitio omnium Maxima ſit.

I. Argum. PARS negatiua primò ſuadetur, alia omnia oppoſita oppoſitionem contradictoriam includunt, & proprias addunt & peculiares oppoſitiones: ergo illa nõ eſt omnium maxima. antecedés patet, vnum contrarium negationem alterius includit qua illi contradictoriè opponitur, & addit formam poſitiuam repugnantem illi.

II. Argu. Secundò oppoſitio maior non bene infertur ex minori, atqui contradictoria oppoſitio exquauis alia benè infertur, ex albo enim quod nigro contrariatur bene infertur ñ nigrum quod cõtradictorié nigro opponitur & ſic de alijs, ñ ergo eſt maior.

Obſeruandum, oppoſitiones aut poſſe comparari inter ſe in ordine dignitatis ſeu in genere étis aut in ratione oppoſitionis.

I. Conclu. Prima concluſio ſit, ſi in genere entis ſumantur, preſtantior eſt contraria quia eſt qualitas, 2. eſt oppoſitio relatiua 3. priuatiua quia eſt in ſubiecto aptonato. 4. contradictoria quæ ſubiectum non ſupponit.

II. Concl. Secunda concluſio qua commune omnium Phyloſophorum iudicium probatur contradictoria oppoſitio cæteris præſtat in ratione oppoſitionis, atque adeo prima & maxima eſt. probatur quia in contradictoria oppoſitione fundatur vulgatiſsimum illud ac certiſsimum principium in meth. Quodlibet eſt vel ñ eſt, vnde ait Phyloſophus qui duo admitit contradictoria vt maximo abſurdo conceſſo, vniuerſa ruit diſputatio.

Item contradictoriæ oppoſitionis extrema vniuerſalius ſibi repugnant, & vbiq; in veritate & falſitate, vnde nequeunt de eo A dem ſimul affirmari & negari, extrema autem cæterarum oppoſitionnm non ſic repugnant, cum de eodem lapide vere negetur vtrumq; extremum opoſitionis priuatiuæ, lapis neque eſt videns nec cæcus.

Vnde ſimpliciter & abſolutè loquendo plus repngnant & diſtant iſti modi contradictorij poſsibile & impoſsibile, quám iſti cõtrarij neceſſe & impoſsibile iſti enim in falſitate poſſunt conuenire licét in veritate repugnẽt, illi vero nec in veritate nec in falſitate poſſunt coincidere. etidem de non albo & albiſsimo quòd non ita diſtãt ac repugnant ſicut ñ album & album quia licèt illa in veritate repugnent, conueniũt tamen in falſitate, album verò & ñ album tam in veritate quàm in falſitate repugnãt & ſic plus habent oppoſitionis.

III. Concl. Tertia concluſio, poſt oppoſitionem cõ B tradictoriam, ſecundum locum tenet priuatiua, quia magis accedit ad contradictoriam, cum detur inter ens, & nõ ens ab illo tamen diſtinguitur eſſentialiter vt dixi, quia vt ait noſter. Doct. in 4. d. 22. q. 1. ar. 3. ad vnitatem priuationis & negationis non ſufficit vnitas oppoſita. dicitur verò priuatiua oppoſitio prima, quia eſt principium generationis rerum generabilium. Tertium locum tenet oppoſitio cõtraria, eſt enim maior quàm relatiua, cum contraria mutuò ſeperimant. vltimum locum tenet relatiua, in qua vnum extremũ alterius petit exiſtentiam, quod arguit cõuenientiam, quæ minuit oppoſitionem.

Ad. I. Argumẽ. Ad Primum negandũ eſt contraria formaliter includere contradictionem, nigrũ ñ dicit abſolutè ñ album ſed ñ albũ per hãc formam, & illud ꝙ addit potius illam tollit

Ad. II. C Ad ſecundum cõceſſa maiori diſtinguo minorem, infertur ex alijs abſolutè & ſimpliciter nego, ſecundumquid concedo cũ adito diminuẽte, vt nigrũ ñ infer non albũ ſimpliciter ſed hoc ñ albũ per hãc formam

QVÆSTIO IIII. DE PRIORI Simul Motu & Habere.

COMPARantur item Prædicamenta quoad prioritaté & ſimultaté, etideo quinq; modos prioris aſsignat Phyloſop. 1. ſecundum tempus qui vt ait Doct. Ad. 3. poteſt ſumi per cõparationem ad præsés nunc ſignatum, ſed èconuerſo in præteritis & futuris, in præteritis remotius ab hoc nunc eſt prius, vt Adam fuit prius tépore

Noe. in

Noc in futuris, ꝓpinquius huic nũc, eſt prius. 2. dicitur prius à quo ñ valet ſubſiſtendi A conſequentia. 1. vt explicat Doct. An. 4. id àquo aliud ñ infertur vt animal eſt ſic prius homine, quia ab illo ñ infertur, nõ enim valet eſt animal ergo eſt homo, ipſum tamen infertur ex homine, eſt homo ergo eſt animal. 3. eſt prioritas ordinis, vt in oratione prius eſt exordium quàm narratio. 4. eſt prioritas dignitatis ſecundum quam digniores appellamus priores. 5. eſt prioritas naturæ, ſecundum quam id dicitur prius alio natura, quod ſiue conuertatur cũ illo ſiue non eſt cauſa illius, vt licèt in eodẽ inſtãti tẽporis ſint ſol & lux, ſol tamẽ eſt prius natura luce vt pote cauſa illius, diffinit autem hunc modum Ariſtot. per ea quæ in conſequentia conuertuntur vt homo & riſibile, non quia in alijs non reperiatur, ſed vt magis eius naturam explicaret quæ in his apertius conſpicitur, ex quo liquet quàm in merito Caietanus & alij mo B derni principium illud noſt. Docto. omne prius natura abſolutũ realiter poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori, euellere contendunt ex diffinitione. 5. modi prioris, cum illa prioritas teneat etiam in his quæ ita ſunt prius & poſterius natura, quòd ñ conuertuntur formali conſequẽtia neceſſitatia in eſſendo Non enim poſuit Ariſt. hic ait Doct. Ad 1. omnes modos prioris quos 5. met. ſed eos duntaxat qui ad propoſitum ſufficiebãt.

Modi ſimul. Tres modos ſimul recenſet Ariſt. c. 12. 1. eſt ſimul tempore quorũ productio eſt in eodem tempore 2. ſimul natura quorũ neutrum eſt alterius cauſa vt in relatiuis. 3. ſimul diuiſione vt ſpecies idẽ genus immediatè & ex æquo diuidentes, & licet vt notat Doct. Ad 2. tot modos habeat ſimul quot & prius, cum oppoſitorum eadem ſit ratio, ñ tamen omnes poſſuit quia ex modis prioris poterant colligi ſufficienter.

Species Motus. Poſſunt etiam cõparari quantum ad productionem per motũ, & quo ad hoc quod eſt vnum habere aliud, cum ergo motus ſit vt ait Doct. q. 44. tranſitus rei à cõtrario in contrariũ. ex. 5. phyſic. ſex numerat ſpecies illius 1. eſt generatio quæ eſt productio ſubſtantiæ. 2. corruptio illi contraria cum ſit eiuſdem ſubſtantiæ deſtructio. 3. Augmentatio quæ eſt productio quantitatis. 4. diminutio quæ eſt amiſsio Quantitatis. 5. alteratio productio Qualitatis. 6. latio ſeu motꝰ localis, quæ eſt acquiſitio vbi

Modi habendi. Varios modos habendi in præſenti numerat Phyloſophus quos ſic explicat & colligit Doctor eadem q. in fine quot modis aliquid dicitur eſſe in alio, tot modis poteſt dici, illud aliud in quo eſt habere illud & quia omnia genera accidentium diuerſi mode ſunt in ſubſtantia, ita ſubſtantia diuerſi modè ea habere dicitur, 1. dicitur habere ſecundum Qualitatem vt habere ſcientiam. 2. dicitur habere ſecũdum Quantitatem vt habere tres vlnas. 3. ſecũdum habitum vt habere veſtem. 4. ſecundum partem vt habere caput. 5. per modũ vaſis vt anphora habet vinum. 6. habere aliquam moralem poteſtatem aut reſpectum dominij aut poſſeſsionis, aut alicuius iuris, ſic homo dicitur habere agrum, vir vxorem, &ècontra. dicitur etiam vnum aliud habere ratione relationis realis aut intrinſecus aut extrinſecus aduenientis intercedentis inter vtrumque, vt pater dicitur habere filium. & diuerſis rationibus duo ſe poſſunt mutuò habere, vt Rex habet regnum, & regnum dicitur habere Regem quia illi ſubditur & ſic de alijs.

Et Hæc Dicta ſufficiunt de hoc libro.

Ad maiorem Dei omnipotentis gloriam & inmaculatæ conceptionis. V. Mariæ, & SS. Patris mei Antonij de Padua & ſeraphici Patris noſtri Franciſci.

LIMAE.

Franciſci à Canto. Anno 1609.

B610
V162c
1-SIZE